UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK

universität wien

Herrgott, Marquart
Gerbert, Martin

Monumenta Aug. Domus Austriacae. Taphographia Principum Austriae | Pars prior.

Continet Commentarium, Quo Tabulae Aeneae, ac Monumenta cetera exponuntur, subietis tabulis necrologicis.

Wien
1772

eod books2ebooks.eu

digitalisiert an der Universitätsbibliothek Wien

digitised at Vienna University Library

books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

How to order an EOD eBook?

eod digital on request

Whereever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need. A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

Print

Print out the whole book or only some pages.

Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.

Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

Advanced EOD eBook - How to use

Search & Find

Print out the whole book or only some pages.





With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. “Habsburg” is being searched for in this example. The finding is highlighted.

Copy & Paste Text



Click on the "Select Tool" in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

Copy & Paste Images



If you want to copy and paste an image, use the "Snapshot Tool" from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.
Terms and Conditions in English: http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html
Terms and Conditions in German: http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html

More eBooks

More eBooks are available at http://books2ebooks.eu

Universitäts-Bibliothek Wien
III
58.960
4.1.

IV/I

S VIII N° ij

TAPHOGRAPHIA
PRINCIPUM AUSTRIÆ,

QUÆ EST

PARS PRIMA

TOMI IV. & ULTIMI

MONUMENTORUM
AUG. DOMUS AUSTRIACÆ.



Sal. Kleiner del. et sculpsit.

Petrus Meyer restituit.

KAISERL. KÖNIGL. HOF-BIBLIOTHEK WIEN

TAPHOGRAPHIA

PRINCIPUM AUSTRIÆ,

IN QUA

MARCHIONUM, DUCUM, ARCHIDUCUM-QUE AUSTRIÆ, UTRIUSQUE SEXUS,

MONUMENTA FUNEREA, OMNIS GENERIS, PLERAQUE

TYPIS ÆNEIS EXPRESSA, PROFERUNTUR.

OPUS IN DUAS PARTES TRIBUTUM,

QUOD EST

MONUMENTORUM

AUG. DOMUS AUSTRIACÆ

TOMUS IV. & ULTIMUS.

POST MORTEM

RR. PP. MARQUARDI HERRGOTT, & RUSTENI HEER,

O. S. B. PRINC. CONGREGATIONIS AD S. BLASIUM IN SILVA NIGRA CAPITULL. NEC NON S. C. R. A. MAIEST. CONSILL. & HISTORIOGRAPHORUM.

RESTITUIT, NOVIS ACCESSIONIBUS AUXIT, & AD HÆC USQUE TEMPORA DEDUXIT

MARTINUS GERBERTUS,

EIUSDEM CONGREGATIONIS ABBAS,

S. Q. R. I. P.

BIBLIOTH. VNIVERSIT. VINDOBONENSIS

PARS PRIOR

CONTINET

COMMENTARIUM, QUO TABULÆ ÆNEÆ, ac MONUMENTA CETERA EXPONUNTUR,

SUBIECTIS TABULIS NECROLOGICIS.



TYPIS SAN-BLASIANIS

M DCC LXXII.

III
58960/4,1

MARIÆ THERESIÆ

APOSTOLICÆ

HUNGARIÆ & BOHEMIÆ

REGINÆ

&c. &c. &c.

VITAM & FELICITATEM.

AVLAM & LEFICIAVEM

&c. &c. &c.

REGINAE

HONORATAE & BONIFANTAE

ATHOSTOLICAE

THERESIAE

MARIAE



AUGUSTA!



rgumentum triſte quidem, ſed pium eſt, ſepulcra Maiorum, mortuorumque inſcriptiones recolere. Reliquiarum veneratio, & reſurrectionis ad meliorem vitam certa fides, chriſtianis ex-

emerunt

emerunt inanem illum terrorem, qui veteres paſſim a corporibus & ſepulcris defunctorum abſterrebat.

Antiqua virtute & fide PRINCEPS! AUGUSTA DOMINA! dum novo iſthoc opere, novo quaſi ornatu pietatis Maiorum TUORUM memoriam reſtauras, TUAM reddis æternam, TIBIque monumenta ea pietatis, quorum ultimus iam *Taphographiæ Principum Auſtriæ*, prodit in lucem Tomus, paternarum & avitarum virtutum heredi debentur. Neque vero TIBI, REGINA CLEMENTISSIMA! dicare opus abhorret animus, quæ ætate florente Mauſoleum TIBI, Auguſtoque Coniugi fieri voluiſti, Maiorum TUORUM monumenta ampliaſti, condecoraſtique.

Perennibus liberalitatis & magnificentiæ monumentis in populorum animis, in ære, in marmore impreſſis, narrabitur poſteritati miraculum, ut ſui ſeculi celebretur ornamentum. Quod eſſe queat inſignius, præſtantiusque humanitatis, pietatisque, in Maiores, ac propinquos documentum? „Si enim (ut verbis S. AUGUSTINI *lib. I. de Civitate „DEI cap. IX.* rem declarem) paterna veſtis & annulus, ac ſi „quid huiusmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga „parentes maior affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt „corpora, quæ utique multo familiarius, atque coniunctius,

„quam

„quam quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad „ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinſe„cus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Unde & „antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, „& exſequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa: ipſique, dum „viverent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis cor„poribus, filiis mandaverunt.„

Si quæ gens eſt, quæ curam ſingularem in hæc pietatis officia contulit, eſt certe Auguſta *Auſtriaca:* Tabulæ, æterna litterarum monumenta, & quidquid uſquam memoriarum, titulorumque eſſe poteſt, non poſteritati tantum, verum etiam æternitati decus & incrementum commendant: TU vero PIENTISSIMA DOMINA! Maiorum in hoc genere, ut in aliis, ſuperaſti pia ſtudia, nuperrime etiam, ne quid deeſſet, quod in laudatis D. AUGUSTINI verbis notatur, voluiſti, ut Maiorum TUORUM corpora ex partibus *Helvetiæ* proteſtanticis ad vicinum D. BLASII monaſterium translata, Catholicæ ſepulturæ, memoriæque redderentur, eo ipſo tempore, quo ibi peropportune in complendo *Monumentorum Auſtriæ Principum*, Maiorum TUORUM, elaborabatur opere, cuius nunc Tomum ultimum *Taphographiæ* huius, cum *Codice Epiſtolarum* RUDOLPHI I. primi, præcipuique gloriæ Auguſtæ generis Auctoris, ad ſacratos pedes una-

que

que me cum commiſſa mihi congregatione *San-Blaſiana* ſumma abiicio animi demiſſione

CÆSAREÆ REG. & APOSTOL. MAIESTATIS TUÆ

Sacellanus devotiſſimus

MARTINUS Abbas.

PRÆFATIO.

Religioſa fuit ſemper inter mortales ſui fati memores funerum cura, atque inter ſanctiora loca omni ætate ſepulcra ſunt relata. Sepulcrorum excultura.

Id vero præcipue meritis ac dignitati perſonarum deberi perſuaſio fuit, ut inſigniora eorum memoriæ ponerentur monumenta, ut *Latinis* ſunt dicta, *Græcis*, ob eam cauſſam, μνημεῖα, & μνήματα; apud quos etiam in proverbium abiit de re admodum magnifica καρικὸν τάφον, Mauſoli nimirum in *Caria*, ab ARTEMISIA conſtructum ſepulcrum, inter ſeptem orbis miracula repoſitum. Conſpicuæ hodie etiam in *Occidentem* uſque allatæ *Ægyptiorum* pyramides totidem nobis teſtes ſunt, *Romæ* præſertim inter æmulas moles: quibus ſane factum haud fuit, *ut terra ſit levis*, quod precari ſolemne fuit ſuperſtitioſis illis. Singularis.

Sacroſancta vero fuit tum in veteri teſtamento populi DEI, cum in novo apud Chriſtianos hæc religio. Qui theodidacti reſurrectionis ſpem præ oculis iugiter ferebant, ſanctamque ac ſalubrem hanc memoriam eſſe noverant, monumentis ſepulcralibus continuo renovandam. Taceo Martyribus loca, non ſtatim quidem conſpicua, cum id tyrannorum metu conſultum haud eſſet, ſolida tamen ac ex lapide, marmoreque parata, templa dein, dum id licebat, eorum honoribus dicata. Ac religio.

Quemadmodum vero per Iconoclaſtas, revolutiones varias, ſchiſmata, & hæreſes, multa huiusmodi monumenta ſunt devaſtata; ita etiam ſacroſanctam licet apud omnes morigeras ſaltem cultasque nationes ſepulcrorum religionem haud raro violari contigit: *Mors etiam ſaxis nominibusque venit.* Diræ leguntur execrationes in violatores ſepulcrorum veterum tam gentilium, cum etiam Chriſtianorum. Cuiusmodi unam ſaltem, quæ inter alias apud MURATORIUM extat *T. IV. Inſcript. pag.* 1961. num. 10. afferre iuvat huius graviſſimæ ſententiæ: Violata.

MALE. PEREAT. INSEPULTUS.
IACEAT. NON. RESURGAT.

CUM. IUDA. PATREM. HABEAT.
SI. QUIS. SEPULCRUM.
HUNC. VIOLARIT.

Recentiori etiam ætate.

Quis vero cohibere potuit *Barbarorum* ferocitatem, bellorum furorem, militum rapacitatem, irreligioſorum hominum temeritatem, ac præter alios funeſtos caſus & converſionem, ipſam temporum iniuriam; ut ſane expediat, ac operæ pretium ſit, antiqua tumulorum monumenta ac epitaphia ſedulo colligere, & hac ſaltem ratione ab interitu vindicare. Facta ſec. XVI. ſacrorum immutatio paſſim pios principum turbavit manes, ac profanavit ſepulcra. Conf. magnum *Brabantiæ* ſacrum Theatrum, monaſticum *Thuringicum* &c. Præteritum adhuc ſeculum exitiale admodum fuit ſummorum principum dormitoriis. Immanes *Turcæ*, rapaces, ac ſacrilegas ſepulcris Archiducum *Auſtriæ Morbaci* intulerunt manus. Avet equidem perilluſtre Canonicorum cathedralis eccleſiæ *Spirenſis* collegium inſtaurare ruinas, reſtaurareque Auguſtorum Imperatorum ſepulcra ac conditorium iam ſec. XI. a CONRADO II. ſibi ſucceſſoribusque conſtitutum, quod furor bellicus an. 1689. ſusque deque verterat, ſuccenſa etiam cathedrali eccleſia, quæ iam novo exurgit opere. Quod bene vertat perinde ac noſtro huic D. BLASII monaſterio, dum nova e fundamentis exſtructa adornatur crypta ſepulcralis Auguſtæ gentis *Habsburgo-Auſtriacæ* cadaveribus, quæ anno primum 1770. e vicinis *Helvetiæ* plagis translata, ſacrisque Catholicis reſtituta fuerunt.

Cremandi cadavera uſus vetuſtus.

Conſtat a bello *Troiano* cœptam conſuetudinem, ut quibus belli caſus reditum ad ſuos negaſſet, rogus ſtrueretur, crematisque cadaveribus, cineres in urnas lecti patriis penatibus redderentur, maiorum ſepulcris inferendi. Quæ res in morem non apud *Græcos* tantum, ſed *Romanos* etiam aliasque gentes, atque adeo *Germanos* abiit. In *Pannonia* quoque ſuperiore hunc ritum obtinuiſſe, ut corpora defunctorum quocunque demum nomine tunc temporis incolæ eius regionis, quam nunc *Auſtriam* vocamus, venerint, in rogo conſumerentur, eo minus ambigendum, quoniam ruri non modo in villa *Stannersdorff*, haud procul ab oppido S. HYPOLITI, alibique, ſed vel maxime *Vindobonæ* in area palatii Archiducalis,

cum

cum inſtitueretur porta palatina, huiusmodi veteres urnas cinerarias, pluraque id genus alia ad rem funebrem pertinentia humo effoſſa eſſe, memoriæ prodiderunt LAMBECIUS in *comment. de Aug. Biblioth. L. I. pag.* 79. & DUELLIUS in *Excerpt. Geneal. Lib. II. P. III. pag.* 337.

Poſtea apud Chriſtianos urnæ viſcerum.

Etſi vero rudem illam cremandi cadavera conſuetudinem inducta religio Chriſtiana abolevit, ut proinde nec ullus urnarum cinerariarum uſus eſſet; poſtea tamen novæ rurſus urnæ condendis ſeparatim viſceribus, extis, & cordibus fabricari cœperunt. Id quod ſucceſſu temporum ſemper magis magisque uſuvenit apud principes *Habsburgo-Auſtriacos*, quibus corpora in commune ſepulcretum, inteſtina in monumentum aliud, cor denique aliorſum dari ſepulturæ iam ultra ſeculum ſolemne eſt; niſi quando ſuprema voluntate ſecus præſcriptum fuerit, aut morbi genus variolarum e. c. id vetet.

Pollinctura.

Cum corporum ſectione pollinctura, ſeu perunctio eorundem eſt coniuncta. Dum citeriori quidem ritu cadavera Archiducum longius interdum tres dies, ſub ardoribus forte æſtivis, in ſolio funebri exponi ſolent, ea, exemptis viſceribus, condiri neceſſe eſt. Rarius id olim translatio corporum expoſtulavit: etſi nullum exemplum ſub ducibus e familia *Babenbergica* proſtet. Quodſi enim iam circa medium ſeculum XIII. quo extincta eſt, cadavera Ducum *Auſtriæ* pollingi moris fuiſſet, haud decuiſſet corpus LEOPOLDI *Glorioſi*, quod in conſtituto a ſe monaſterio *Lilienvelda* ſepelire, adeoque ex *Italia* in *Auſtriam* deportare vivus iuſſerat, membratim ſecari, carnesque ferventibus macerari, decoquique. Promtius, honeſtiusque fuiſſet pollincturam peragere.

Sepulcra ac Cryptæ etiam familiares & hæreditariæ.

Pollinctura apud *Ægyptios* cumprimis uſitata fuit, qui a cremandis corporibus abhorrentes, cadavera domi ſervabant, ac menſis etiam unctos mortuos adhibebant, uti videre eſt apud KIRCHMANNUM *lib. I.* c. 8. *de Funeribus Romanorum*, quibus non admodum diverſam ac *Græcis* rationem fuiſſe oſtendit *lib. III.* c. 15. condendarum urnarum in cavernis aut ſubterraneis ædificiis concameratis. Quem ritum primi ſtatim Chriſtiani ſunt ſecuti. Hinc

Romæ & alibi in *Italia* cœmeteria multis ac variis viis, ſemitis, viculis, meatibus, cubiculis, angiportibus, ac foris diſtincta, excavatis hinc inde loculis ſeu capulis in ipſis cryptarum lateribus fornices ſuſtinentibus, de quibus copioſe agit ARINGHUS in *Roma ſubterranea*, atque etiam MONTFAUCONIUS in *diar. Ital. p.* 117. ſeq. eiusmodi cœmeteria ultra viginti in urbe *Roma* nuper inventa memorat. *Græci hypogæa, Latini conditoria* vocabant, ſeu *dormitoria*, cuiusmodi hereditaria & familiaria utrique genti erant, *Hebrææ* etiam, ut ex ſcriptura conſtat, oſtenduntque Scriptores citati a BACHOVIO *de ſepulcris*. &c. c. 4. Quod exemplum inter alios ſecuti ſunt noſtri etiam Principes, quorum *Taphographiam* ſiſtimus. Ac apud vetuſtiores quidem *Babenbergicæ* ſtirpis, condebantur humo, loculique obruebantur: veluti ex ſepulcris *Clauſtro-Neoburgenſibus* & *San-Crucenſibus* hoc etiam perſpicuum eſt, ſingula corpora, niſi qua forte excavando conturbata, ſeiuncta quondam tenuiſſe ſepulcra. Gens vero *Habsburgica* iam ſeculo XIV. cœpit funera non humo contegere, nec ſeparatis inferre ſepulcris, ſed cryptis, uti hodieque fit. Qua in re illud non ſine fauſto omine accidiſſe nunc ſuſpicimus, ut in gentilitiis *Habsburgo-Auſtriacis* monumentis cum *Vindobonæ*, tum in comitatu *Tyroli* iam pridem cadavera Ducum *Lotharingiæ* promiſcuo ordine cum funeribus *Auſtriacis* componerentur.

Stirpis *Babenbergicæ* in monaſteriis.

Conſtat principibus *Auſtriæ* vetuſtiſſimis ex ſtirpe *Babenbergica* exemplo aliarum illuſtrium familiarum ſua fuiſſe in monaſteriis deſtinata ſepulturæ loca. Primum, ut a LEOPOLDO *Illuſtri* capiatur initium, depoſita fuerunt Marchionum *Auſtriæ* funera in monaſterio *Mellicenſi*, tum vero a tempore LEOPOLDI *Sancti* in clauſtro *Neoburgenſi*, & in Abbatia *San-Crucenſi*. Ac quidem in poſterioribus hiſce monaſteriis primorum Marchionum nepotes funerati fuerunt in ſepulcro prope templum, quem locum cœnobitæ *Exedram* ſeu *Exedrium*, vulgo *Domum Capituli* vocant. Non erat quidem ibi communis crypta ſubterranea, in qua iuxta ſe componerentur cadavera. Univerſa tamen funera in eodem loco ſingula ſuis ſeparatim ſepulcris condita ſunt. *Mellicii* vero qua parte in templo, clauſtro aut cœmeterio depoſita fuerint priorum Marchionum

fune-

funera, nulla ſupereſt apud Scriptores mentio: quin ipſe locus ſepulturæ, qui quondam fuit in hoc monaſterio iam pridem hominum memoria excidit. Credibile tamen eſt a recentioribus Marchionibus eadem ſepulturæ loca ſumta fuiſſe, quæ inſtituerant maiores. Deinde, quoniam ex veteri *Benedictinorum* inſtituto obtinet, ut ſodales Ordinis quotidie in exedra convenientes, pro fundatoribus ac patronis de ſe bene meritis memoriam ac preces faciant, quare tum quoque pietas principum *Auſtriacorum* ſepulturam in exedra monaſterii *Benedictinorum Mellicenſi* ſuaſiſſe videtur, quod in eo loco memoriam ſuam quotidie coli perſpectum habebant.

In templis quando ſepeliri cœptum.

Scimus quo pietatis ſenſu CONSTANTINUS M. *Conſtantinopoli* humari expetierit in porticu templi Apoſtolorum perinde, ac poſtea HONORIUS *Romæ* in D. PETRI. De antiquis Chriſtianorum ſepulcris ſcripſit *Lud. Ant.* MURATORIUS ad *Iuſtum* FONTANINUM diſquiſitionem, quæ extat in eiusdem auctoris anecdotis *Græcis*. p. 258. in qua luculenter oſtendit, ſaltem poſt imperium CONSTANTINI iam conſueviſſe Chriſti fideles in ipſis ſacris ædibus tumulo tradi; contrarium ſentientibus *I.* GRETSERO *Lib. II.* c. 8. de *funeribus Chriſt.* SPONDANO *lib. I. P. III.* c. 14. *de cœmet. Sac.* aliis. Res, cum utriusque ritus proſtent exempla, in utramque partem diſceptari potuit. Ex *Babenbergicis* principibus, quis primus intra ipſam templi ædem ſepultus ſit, certo definiri haud poteſt. Etſi enim in eo conſentiant auctores, quod LEOPOLDI *Sancti* tres filii HENRICUS ſc. cognomine *Iachſomirgott Vindobonæ* ad *Scotos*, OTTO *Friſingenſis Morimundi*, & CONRADUS Archiepiſcopus *Salisburgenſis* in monaſterio *Admontenſi* ſepulturæ honores nacti ſint, de uno tamen OTTONE prodemus ſuo loco argumenta, quæ fidem faciant eum in monaſterio *Morimundenſi* ante maius altare a latere Evangelii conditum fuiſſe. Id certo conſtat reliquias LEOPOLDI *Glorioſi* ex *Italia* e S. GERMANO in *Auſtriam* delatas in cœnobii *Lilienfeldenſis* templo, & quidem ante aram maximam ſuperimpoſito e marmore tumulo, compoſitas eſſe. Auguſtæ vero *Habsburgicæ* gentis (ab uſque RUDOLPHO I. qui cum filio ALBER-

BERTO I. *Spiræ Nemetum* ſepulturæ locum in templo inter Cæſares accepit) Duces quique in templis ſiti ſunt: in quibus ſepulcretâ ſeu cryptæ funereæ conditæ ſunt *Tulnæ* videlicet, *Kœnigsveldæ*, *Gemnici*, *Vindobonæ* ad D. STEPHANI ædem, ubi nunc exta perinde ac in ſacello *Lauretano* apud PP. *Auguſtinianos Diſcal.* corda, corpora vero in conditorio ſub templo PP. *Capucinorum* ſepeliri ſolent.

Simplex olim ſepulcrorum forma.

Magnam vetuſtiora Marchionum & Ducum de ſtirpe *Babenbergica* ſepulcra præſeferunt ſimplicitatem. Inſtar eſſe poteſt D. LEOPOLDI, quod *Clauſtro-Neoburgi* celebratur, monumentum, ne quidem ex integro ſaxo efformatum, ſed opere cœmentitio. Ita quoque ſepulcra Marchionum & Ducum in cœmeterio ad *S. Crucem* Ord. *Ciſterc.* partim e cœmento, partim ex opere lateritio, atque ſic quidem diſpoſita ſunt, ut capiendo ad longitudinem & latitudinem corpori accommodata ſint, prout infra *lib. I.* c. 2. & 5. exponetur. Utrum vero hæc funera prius in arcis ligneis condita, ac tum demum loculamentis huiusmodi immiſſa fuerint, ut poſtmodum obtinuit, id quidem haud definimus. Tantum dicimus ad *S. Crucem*, in nonnullis loculamentis latericiis inventas eſſe corrupti ligni reliquias, indicia haud dubia arcarum lignearum: in aliis earum rerum nihil apparuit. Apud veteres etiam reges *Francorum* primæ ſtirpis ſimpliciſſima habebantur ſepulcra, & ferme ſine ulla pompa exteriori. Quidquid cultus addebatur, id omne intus in tumulo latebat, ut videre fuit in cimeliis repertis *Tornaci* an. 1653. in ſepulcro CHILDERICI I. ſingulari libro a *Io. Iac.* CHIFLETIO explicatis, quem *Anaſtaſin* CHILDERICI inſcripſit. Capuli ſeu loculi inſtar eſſe ſolebat lapis longus excavatus, alio lapide in modum fornicis tectus, in quo condebatur cadaver adornatum veſtimentis armarioque regio. Exterius raro cenotaphium aut figura, neque ullum epitaphium conſpicuum erat, teſte MABILLONIO in orat. Gall. *de antiquis ſepulcris* regum *Franciæ*, quæ extat T. II. *Mem. de l'Acad. Roy.* p. 685. Quem morem prope retinuere reges *Germaniæ*. Siquidem etiam funera RUDOLPHI I. & ALBERTI I. cum aliis *Spiræ* alio loculo ſepulta fuiſſe haud videntur,

quam

quam eiusmodi lapide excavato. De ſepulcris Ducum *Saxoniæ* SCHLEGELIUS idem demonſtravit apud SLEVOGTIUM de *ſepult. Imper.* p. 354.

Elevatior paullatim ornatiorque.

Paullatim cœpta ſunt ſuper humum ſive pavimentum in conſpectum erigi monumenta ſepulcralia. Eiusmodi tumulus lapideus *Lilienfeldæ* Duci LEOPOLDO *Glorioſo* conſtitutus eſt. *Habsburgicæ* originis principibus mos idem placuit. Sic *Baſileæ*, ubi uxor & proles RUDOLPHI, *Tulnæ*, & *Kœnigsveldæ* in *Argovia*, ubi ALBERTI I. uxor, filii, & nepotes, in *Novo monte Styriæ* ſuperioris monaſterio, *Gemnicenſi* item, *Vindobonæ* apud PP. *Minoritas*, & in templo S. STEPHANI, ad FRIDERICI III. tumulum ſeu potius cenotaphium perinde, ac *Oeniponti* in eccleſia aulica *Franciſcanorum* MAXIMILIANI I. & alibi in *Belgio* præſertim plures occurrunt. Diverſa vero eſt horum tumulorum forma. Vetuſtiſſimi quidem conſiſtunt opere oblongo, quatuor angulis, aliquot pedes humo excitati: quales ſunt *Lilienfeldenſis*, *Tulnenſis*, *Kœnigsveldenſis*, in *Novo monte*, *Gemnicenſis*, aliique. Sunt quoque quorum operimenta non plana, ſed leni faſtigio ſubvexa ſunt, eiusque formæ cernuntur unus *Lilienfeldæ*, alter *Neoſtadii* apud *Ciſtercienſes*. Alii demum in formam menſæ aut fulcris quaternis, aut baſi ſolida. Uſus hic erigendi tumulos iam antiquioribus temporibus in faſtum quemdam abiit ſtruendi in ſepulcro colles, etſi ſuapte egeſta terra tumulus exurgat, unde ipſum nomen venit. Ex collibus huiuscemodi ingenioſe ſaltem ætatem veterum ſepulcrorum gentis ſuæ *Sueonicæ* eruendi multam operam luſit *Olaus* RUDBECKIUS: ex glebæ nimirum genere, ſeu *atra humo*, cum ætate certis incrementis incruſtata. Prius, ut ad nos redeamus, cœptum eſt ſepulcra & cryptas ſepulcrales, conſtituto ſuper terram buſto lapideo conſpicuas reddi, quam abacis marmoreis, aut laminis æneis condecorari. Quod etiam a laudato MABILLONIO eſt ſtabilitum, non niſi tardiſſime uſum obtinuiſſe ſepulcra exornandi marmore, & quidem in *Gallia* primum circa tempora filiorum S. LUDOVICI: Sic etiam uſum loculorum ex plumbo, ſive ſtanno ante quatuor aut quinque ſæcula necdum obtinuiſſe.

Tra-

Lapides cum imagine ſculpta.

Tractu temporis tumuli lapidei maiori cura & arte imaginibus mortuorum anaglyphis, ſcutisque gentilitiis inſigniti ſunt. P. MONTEFALCONIUS *Monum. monarchiæ Franc. T. I. pag.* 58. auctor eſt, in ſepulcrali lapide exhiberi imaginem, ineunte ſeculo XI. ſculptam. Habet alia non pauca eius rei argumenta cum ipſis ſchematibus ab ineunte ſec. XII. & ſec. XIII. Ad idem prope tempus redeunt vetuſtiſſimæ imagines, quæ in buſtis cippisque ſepulcralibus Ducum *Auſtriæ* conſpiciuntur. Prima occurrit in Abbatia ad S. *Crucem Ciſterc.* Ord. FRIDERICI *Bellicoſi*, qui obiit an. 1246. Integra eſt, figura adeo prominente, ut ad ſtatuæ formam proxime accedat. Altera ANNÆ, uxoris RUDOLPHI I. quæ obiit an. 1282. capulo *Baſileæ* inſculpta cernitur. Ad latus imago eſt CAROLI filii infantis ante matrem ibidem ſepulti, cum forma leonis cubantis ad pedes. Infra in ſcuto leo *Habsburgicus* comparet. Ad proximum ſec. XIV. pertinet effigies BLANCÆ, PHILIPPI III. regis *Galliarum* filiæ, quæ prima fuit uxor RUDOLPHI Ducis, filii ALBERTI I. R. R. Quod ſignum eſt *Vindobonæ* apud PP. *Minoritas*, RUDOLPHI item IV. in templo S. STEPHANI : a quo etiam ſepulcrum S. COLOMANNI cum eiusdem effigie *Mellicii* eſſe conſtitutum diſcimus ex P. *Philiberti* HUEBER *Auſtria ex Archivis Mellic. p.* 297. *n.* 5. Iſtis recentiori ævo magna eiusmodi imaginum copia acceſſit in *Auſtria*, *Belgio*, *Tyroli*, *Styria* & alibi.

Infantium in forma maiori.

BLANCÆ porro, de qua mox diximus, uxori RUDOLPHI III. infans ad latus dextrum adſculptus ſiſtitur veſtibus indutus, etſi paucorum dierum aut certe menſium fuerit. Mos quippe ſec. XIV. & XV. invaluit, ut cum procerum ac magnatum infantes in tenerrima ætate obirent, horum utriusque ſexus figuræ in monumentis, quaſi adultæ iam ætatis & ſtaturæ repræſententur, obſervante MONTEFALCONIO *T. III. monum. Monarch. Franc.* p. 66. Sic apud eundem p. 180. CAROLI VI. *Francorum* Regis filius cognominis, qui non niſi ſpatio trium menſium vitam duxit, ſiſtitur in tumulo *San-Dyoniſiano* quaſi adoleſcens.

Crucis ſignum ac imago.

Citeriori deinde & nobis propiori ætate Archiducibus ſæpe viſum eſt, imaginem CHRISTI de cruce pendentis metallo fuſi aut

cœla-

cœlati operis artificio, interdum etiam aliis figurarum ornamentis cultam, funerum arcis ſuperponere, ut ex deſignatione cryptæ ſepulcralis Archiducum, quæ *Vindobonæ* apud PP. *Capucinos* eſt, clarius conſtabit. Vetuſtiſſimus equidem eſt uſus monumenta ſepulcralia decuſſibus ſignandi, adeo prorſus, ut P. MONTEFALCONIUS contra SCHIFFLETII *Anaſtaſin* CHILDERICI oſtendat in monum. Monarch. *Franc.* T. I. p. 13. iam tum *annis ante* CHRISTUM *plus quingentis Ægyptios cruces habuiſſe in monumentis ſuis.* Hoc vero intereſt, quod apud *Ægyptios*, vel alias gentes, a CHRISTO alienas, aut ad hieroglyphicas notas pertinuerint, aut ex ſolo artificis arbitrio & ingenio ſigna iſta prodierint; econtrario autem a Chriſtianis in tumulis & cippis expreſſa crucis ſigna ſunt tanquam veræ religionis ſymbola. Qua in re videri etiam poſſunt veterum illum paullo immutatum conſecraſſe uſum, quo duo puncta in perpendiculum poſita poſt ſingula verba in aliis inſcriptionibus ab annis fere mille, tria appingebantur; noſtri vero ex religione apponi pro punctis crucis ſigna curarunt. Etſi enim etiam in ſepulcreto Abbatiæ S. *Crucis* Ducum ſtirpis *Babenbergicæ* occurrant cruces quædam oblongæ, quales hodieque in feretris nigro colore exprimi ſolent, in capulo autem AGNETIS ALBERTI I. filiæ, *Hungariæ* reginæ, eius regni ſcuti inſtar eſt; a ſeculo tamen XIV. uſitatior hæc redemtionis noſtræ teſſera in monumentis funeralibus eſſe cœpit. In crypta quidem funebri Cartuſianorum, *Gemnicenſium* plumbeis laminibus, quibus epitaphia tum ALBERTI II. fundatoris, cum eius coniugis IOANNÆ *Ferretanæ* continentur, parte averſa tantum crux conſpicua eſt; at vero in crypta ſepulcrali, quæ eſt *Vindobonæ* in templo S. STEPHANI medio in pariete cernitur cum inſcriptione in formam crucis ducta, ac inſuper ſingula verba crucis ſigno, uti etiam epitaphia nonnulla, cum aliis plerisque omnibus ibidem crucis in modum eformata, ut infra videre eſt *lib.* III. *c.* III. Sunt autem ſingulæ e plumbo factæ cruces, quæ ſubinde in utraque parte inſcriptionem habent.

Inſcriptiones ſepulcrales, ſeu epitaphia.

Epitaphiorum perinde ac aliarum inſcriptionum omnis generis antiquiſſimus eſt uſus. *Mart.* SMETII, *Iuſti* LIPSII, *Iani* GRUTERI, *Thomæ* REINESII, aliorumque virorum eruditorum indefeſ-

ſi in hoc ſtudio omnium ore celebrati ſunt labores. Uti vero cum bonis litteris eandem ſubiere fortunam easdemque vices inſcriptiones aliæ, ita etiam ſepulcrales. P. MABILLONIO de antiquis ſepulturis regum *Franciæ* (T. II. *Mem. de l'Acad. des Inſcriptions* pag. 697.) obſervante, antequam reflorescerent bonæ artes, ſtudiaque literarum auſpiciis CAROLI M. in *Occidente*, *Franciæ* reges, Chriſtiani nominis, nulla habuerunt ſepulcris inſcripta epitaphia, niſi forte ipſum nomen capulo inſculptum, ut eſt illud CHILDER. REX. Quod ſæpe laudatus P. MONTEFALCONIUS *T. I. Monum. monar. Franc. p.* 175. annotavit. CAROLO autem regnante quædam ſupra tumulos ſunt factæ inſcriptiones. Sed ubi temporum iniuriæ literarum ſtudia denuo peſſumdederunt, & bella ubique ardebant, ceſſatum eſt ſepulcra inſcribere. Neque dubium eſt, quin in aliis quoque regionibus eandem animadvertere ſit viciſſitudinem. De primis Marchionum & Ducum *Auſtriæ* monumentis ſtatuere tunc nobis liceret, ſi cippi & lapides ſepulcrales in monaſterio *Mellicenſi* adhuc præſto eſſent. At vero haud aliud ullum habemus epitaphium, quam quod P. *Hier.* PEZIUS ex Mſc. codice ſec. XIII. exſcriptum dedit *T. I. ſcript. rer. Auſtr.* col. 312. quod infra in medium afferemus. Sed quoniam hæc inſcriptura omnium ſimul defunctorum nomina coniungit, patet, eam non magis eſſe tempore æqualem, quam mortem Marchionum ſimul accidiſſe. Proinde hæc inſcriptio pro fœtu ævi poſterioris habenda eſt. Quid? quod, ſi maxime omnes Marchionum *Mellicii* ſepultorum lapides ſepulcrales ſupereſſent etiamnum integri, fore, ut cuncti viderent, eos ab inſcriptionibus coœvis vacuos eſſe, ex iis, quæ iam diximus ſatis aſſertum exiſtimamus. Idem dici poſſe de monumentis Imperatorum in Cathedrali eccleſia *Spirenſi*, ex iis, quæ *lib. II. c. I.* ſunt dicta, palam fit. Sic etiam OTTONIS III. tumulo, qui obiit an. MII. marmor nigrum absque inſcriptione impoſitum eſſe SCLEVOGT. de *ſepult. Imper. p.* 57. fidem facit. Neque vero veſtigia ſe produnt ante ſec. XIII. artem ſtatuariam in *Auſtria* excultam fuiſſe: quo quidem maturius in uſum venit, ſepulcra principum virorum marmoribus ſternere, erectos e terra tumulos conſpicuos reddere, lapidibusque ſculptas imagines indere, quam cœptum

ptum ſit inſcriptiones addere. Id quod monumenta *Campolilienſe Baſileenſe*, *Tulnenſe*, *Kœnigsveldenſe*, *Novomontenſe* & alia manifeſtant, quæ partim ad ſeculum decimum tertium partim ad ſeculum decimum quartum pertinent.

Plumbo fuſæ.

Mos autem fuit non ſolum epitaphium monumento extrinſecus ponere, ſed & laminas cum inſcriptione, uti olim varia cimelia, in tumulo recondere. Id provide inſtituerant Maiores, ne, ſi qua eſſent ſepulcrorum monumenta ornamentaque externa, temere violarentur. Laminas appellamus, e plumbo fuſas, aut malleatas tabulas, in quibus nomen, & interdum quoque annus & dies emortualis defuncti efformatus conſpiciebantur, laminæque eiusmodi operculis arcarum funebrium, vel in cryptis ſubterraneis juxta capulos parieti affigebantur. Ex quo vero cœptum eſt in *Auſtria* more aliorum Principum formatis de ſtanno, ære aut marmore loculis extra humum incidere, vel de metallo infundere, ceſſatum eſt tabulas inſcriptas ipſis inferre ſepulcris. Laminæ huiusmodi ex plumbo minoris formæ ſunt in crypta *Kœnigsveldenſi*, in hisque inſcriptiones, paucis concluſæ verbis. Ex foraminibus quoque conſtabat, easdem loculis ligneis a fronte fuiſſe præfixas. Singulis vero feretris, quæ ibidem ſunt reperta, ſuæ erant eiusmodi tabulæ, quadrabantque, excepta AGNETE *Hungariæ* regina, & LEOPOLDO *Probo*, ultimo ibidem ſepulto. *Gemnici* laminæ pariter quidem plumbeæ, ſed multo ampliores ſunt, & prolixioribus inſcripturis inſignitæ, non quidem intra loculos ipſos, ſed cryptæ utrinque parietibus acclinatæ. In crypta ad ædem S. STEPHANI *Vindobonæ* laminæ in formam crucis ſunt formatæ, in quarum nonnullis inſcriptiones ex utraque parte, & inſignia *Auſtriaca* exprimuntur. Et hæ quidem ſunt cryptæ *Auſtriacæ*, in quibus huiusmodi tabulæ exiſtunt. Antiquius, quod in *Auſtria* habetur, exemplum ad exordium ſec. XII. de OTTOCARO IV. Marchione *Styriæ*, eiusque uxore ELISABETHA, qui *Garſtenſe* cœnobium an. 1107. inſtituerunt, annotatum legimus in Chronol. Sacra Ducat. *Styr.* p. 279. Plumbeam nempe tabulam in reſerato fundatorum mauſoleo repertam eſſe, ſequenti titulo inſcriptam: VI. ID. OCTOB. ELISABETH FUNDATRIX LOCI HUIUS OBIIT, ET HÆC SUNT OSSA EIUS. Al-

tera vero tabula ad an. 1121. referenda talem habet inſcripturam: IV. KAL. DEC. OTHACHER FUNDATOR HUIUS LOCI OBIIT, ET HÆC SUNT OSSA EIUS. Quodſi vero ex vocabulo *oſſa* ſepulcrum hoc reſtitutum coniiciamus, aliud eiusdem ætatis exemplum ſuppeditat SLEVOGTIUS de ſepult. Imp. p. 60. de Lothario Imp. qui an. 1137. defunctus in *Saxoniæ inferioris* monaſterio *Lutterm* ſepultus eſt. Inter aperiendum an. 1618. eius ſepulcrum inventa eſt tabula plumbea cum epitaphio, quæ in Bibliotheca *Quelferbytana* dicitur aſſervari. Tabularum eiusmodi nec veſtigium quidem intra ſepulcra Marchionum & Ducum ſtirpis *Babenbergicæ* deprehenduntur; quarum tamen antiquiſſimus apud Chriſtianos eſt uſus ab ipſis eccleſiæ incunabulis, in cæmeteriis *Romanis*, uti videre eſt apud ARINGHUM in *Roma ſubterranea lib.* I. *c.* 30. *p.* 109. Teſte MABILLONIO ſæpe citato de antiquis ſepulturis regum *Franciæ* p. 683. in ſepulcris regum *Francorum* primæ ſtirpis nulla viſebatur inſcriptio a foris. Si qua fiebat, illa inciſa fuit, vel picta intus ſupra petram, quæ loco ſandapilæ erat. Quem uſum MONTEFALCONIUS T. I. *Monum. Monarch. Franc. p.* 159. ad ſeculum VI. reponit. Affert ibid. *pag.* 175. ſingulare exemplum, ubi inſcripturæ tam intus, quam extra ſepulchrum cernebantur, an. 1643. in areola clauſtri monaſterii *San-Germanenſis* detecto ſarcophago lapideo, ubi oſſa reperta ſunt naturali ſitu poſita. In operculo lapideo, quod ſarcophagum tegebat, hæc ſculpta erat inſcriptio literis complicatis, & in compendio: *Tempore nullo volo hinc tollantur oſſa* HILPERICI. Intra ſarcophagum ipſum alia vermiculatis literis inſcriptio legebatur: *Precor ego* HILPERICUS *non auferantur hinc oſſa mea.* Ratio autem cur duplices adhibere in ſepulcris inſcriptiones veteribus in conſuetudinem pervenerit, ſuapte ſe probat, quam declarat his verbis FERRETIUS in *Muſis lapidariis lib.* IV. *p.* 258. *ut ſi unquam abraſæ fuerint exteriores literæ, interior remaneret memoria ſepulti, vel facti, quod ſæpe viſitur in antiquis ſepulcris aperiendis.* Atque eam quoque credimus fuiſſe providentiam *Carthuſianorum Gemnicenſium*, bina ponentium epitaphia; unum in crypta cum funere conditum, alterum vero in choro ſuſpenſum, quo alterum alterius interitum

repa-

repararet, tum etiam clauſo tumulo, qui eo continerentur principes, pateret. Prædictus Auctor fragmentum quoque inſcriptionis affert ex valle Antipoli, his verbis: VIATOR. AUDI. SI. LIBET. INTUS. - - - TABULA. EST. ÆNEA. QUÆ. TE. CUNCTA. PERDOCET. Haud abſimile exemplum, ſed recentioris ætatis, extat in *Auſtria* inferiore, cum eo diſcrimine, quod infuſum de metallo lapidi epitaphium aliam, non quidem in ſepulcro, ſed dextrorſum in pariete poſitam inſcripturam alleget. Hæc ſcilicet ita cernuntur in ſacello arcis, *Neoſtadii Auſtriorum* ad ſiniſtrum latus altaris ſupremi, ubi duobus a muro paſſibus oſtium monumenti contegit lapis, cui hoc epigramma inſcriptum:

DIC MIHI MUTE LAPIS
CUIUSNAM CONTEGIS
OSSA.



SUSPICE ET A DEXTRIS
NOMEN IN ÆRE LEGE.

In pariete autem dextro ſuperbum ex ære fuſum aſſurgit monumentum fratris ELEONORÆ MAGDALENÆ *Neoburgicæ*, LEOPOLDI Imp. uxoris. Id magis ex uſu eſt, ut, epitaphio in pariete poſito, lapidi ſepulcrali, qui pavimento hæret, crux inſculpatur, quo, quis ſub lapide cruce ſignato ſitus ſit, intelligatur.

Ex dictis vero palam eſt *Scip.* MAFFEIUM, *Gall. antiq. ſelect.* epiſt. 20. *p.* 98. falſo contendere, in *Gallia* quarto iam ſeculo Chriſtianorum tumulis impoſitos eſſe lapides cum inſcriptionibus, quippe quod neque de ſummis principibus tum in *Gallia* cum alibi gentium comprobari poſſit. Ac primum quidem epitaphium regibus *Francorum* poſitum occurrit oculatiſſimo MABILLONIO l. c. *pag.* 699. illud CAROLI M. *Aquisgrani*, ubi ſupra ſepulcrum erectus fuit arcus deauratus cum inſcriptione illa, quam in eius vita refert EGINARDUS, eidem a ſecretis. Verum neque *Francici* reges, neque Imperatores *Germanorum* huiusmodi ſtatim exemplum ſunt ſecuti. Quod dum demum etiam cœptum eſt, legem illam admo- A quo tempore?

dum reſtrinxiſſe longo adhuc temporum tractu dici poſſunt, quam PLATO in ſua republica *lib.* XII. inter ceteras ferebat, a CICERONE etiam relatam *lib.* II. de leg. Ne cui liceret tumulo cuiusquam longiorem quatuor verſibus heroicis titulum inſcribere. Exempla quædam protulimus Imperatorum *Germanicorum* P. II. huius *Taphographiæ* libro ultimo de urnis feralibus, earumque uſu Chriſtiano ad reponenda viſcera &c. *p.* 62. ſeq. ac quidem ſeculi demum XI. & XII. quousque tamen, quod principum noſtrorum *Auſtriacorum* epithaphia attinet, epocha haud aſſurgit. Studioſe etiam præterimus inſcriptiones poſterorum S. LEOPOLDI *Clauſtro-Neoburgi*. Ipſe quippe harum inſcriptionum contextus ſatis oſtendit, eas in minime remotam ætatem recidere, ac poſt demum compoſitas eſſe, quam facta eſt S. LEOPOLDI conſecratio, & in numerum ſanctorum relatio. Tres item ibi reperiundæ inſcriptiones, ad AGNETEM uxorem LEOPOLDI; ADALBERTUM filium natu maiorem, & ad *Innocentes puerulos* ſpectantes, haud ſecus ex additis formulis produnt, nec quidquam coævas eſſe; verum poſt conſecrationem demum excitatas, ex adiecta omnibus formula *Sancti* intelligitur. Ætate ſuperant Marchionum ac ducum *Auſtriæ* in Abbatia S. *Crucis* anguſta longitudine porrecti cippi, & in horum marginibus, media parte vacua, inciſæ inſcripturæ. Ubi literarum figuræ, deinde ſtyli ſimplicitas, ab omni honorum & nominum oſtentatione abhorrens, notarum item temporis & anni omiſſio, remotiorem ſimul præſeferunt antiquitatem. Sed nec ea ipſa ſuis ſingula cippis coœva ſunt: quandoquidem in quibusdam plura ſimul nomina defunctorum inciſa occurrunt, haud certe eodem anno mortuorum ſepultorumque. Ratione luculenta tamen proditum exiſtimamus in ipſa rei tractatione *lib. I. c. IV. §. VI. p.* 38. cur plerasque earum ante annum 1223. exſculptæ videantur. Quæ enim ad principes poſteriores pertinent, ſuapte inferiorem produnt ætatem. Porro commemorare hic iuvat inſcriptionem allophylam quidem, quæ ad *S. Crucem* extat in exteriore parte chori novi, qui anno quaſi ducenteſimo poſt primam templi ædificationem, adeoque inchoato iam ſec. XIV. veteri choro annexus eſt ſpatioſior, ceterum *Gothico* pariter ritu conſtructus. Reperiuntur ibidem ex parte E-

van-

vangelii ad primam columnam in medio, quatuor circiter pedum altitudine a pavimento in lapidibus quadratis ad lineam rectam maiusculis literis *Gothicis* descripti bini versus *Leonini* claudicantes huiuscemodi:

✠IN' TV̄BA ChĀLHOK COꝛ6Ɛ COLV̄BA
✠QVĒ · OꝛERITO MdRT'S
SĀꝛƐT· SAPIƐNTIA PATRI ⁝⁝ AOꝛƐN ✠

Lapicida, huius scripturæ artifex, ipse in articulo *Marts* mendam agnovit, unde ab eo omissum *i.* supra appositum est. Sed non per id vocem omni suæ integritati restituit: ut enim sensus constet, loco *Martis* legendum censeo *Matris*. In vocabulo *Patri* deficit litera s. quæ forte olim adfuit, ubi nunc iuxta commissuram lapidum hiatus est. Nam similis vocabulorum clausula ex istius seculi ingenio utique observanda. Præterea res ipsa postulat, ut in ultimo versu littera ꝛ. obliqua pro LV. habeatur aut etiam dicendum literam V. scapellum artificis fefellisse. Itaque nos hoc carmen sic legimus: ✝ IN TUMBA CHALHOK CORDE COLUMBA ✝ QUEM MERITO MATRIS SALVET SAPIENTIA PATRIS. ✝ AMEN. ut sensus sit: *In isto muro sepultus est Chalhok vir simplex & rectus corde: cuius velit Dei miseratio per merita Virginis Matris salvare animam.* Notandum porro inclytam familiam ab *Eberstorff*, iam initio sec. XIV. supremo in *Austria* Camerarii officio claram, prænomine *Calchoch*, *Calhock* sive *Chalhok* non raro usam esse; nomine vero *Calhock* dynastæ *Austriæ* iam sec. XIII. sunt noti. Cæterum e tabellario S. *Crucis* discimus eximiam fuisse eius familiæ erga dictum monasterium munificentiam.

SLEVOGTIUS de sepultura Imper. *sect.* XVIII. de Ducibus *Saxoniæ*, in templis ac monasteriis sepulturæ traditis, agens refert *p.* 345. in cœnobio *Lauterbacensi* extare epitaphia *Germanico* sermone scripta CONRADI Principis & Marchionis *Misniæ* &c. fundatoris illius cœnobii, qui obiit an. 1156. in die S. AGATHÆ. Eius item uxoris LUCARDIS, quæ decessit an. 1147. in festo SS. GERVASII & PROTASII, nec non sororis MECHTILDIS & DIETERICI, filii CONRADI, qui mortuus est an. 1184. in festo APOLLONIÆ. Quæ omnia inter epitaphia restituta censenda sunt. Inter nostra monumenta

Lingua vernacula.

menta in hoc genere inſcriptionum vulgari lingua prima occurrit lamina plumbea, quæ iuxta lapidem, qui quondam oſtium obruebat ſepulcri S. LEOPOLDI in eius rei poſt ſolemnem elevationem memoriam poſita eſt; atque adeo non ſolum poſterior eſt anno 1485. quo ab INNOCENTIO VIII. catalogo Sanctorum adſcriptus eſt, verum etiam anno 1506. quo eius corpus e tumulo eductum publicæ venerationi expoſitum eſt.

Notæ chronicæ adiectæ.

Quo tempore æra Chriſtiana in lapidibus ſepulcralibus notari cœperit, facile definire haud eſt. Novimus eius uſum a DIONYSIO *Exiguo* ſeculo poſt CHRISTUM VI. ſub imperio IUSTINIANI M. apud Chriſtiniani nominis cœtus inductum eſſe, dein a Ven. BEDA ſeculo demum VIII. communem ubique factum. In primitiva quidem eccleſia mos erat pro annis CHRISTI ponere notas & numeros Conſulatus, unde computum æræ Chriſtianæ eruere licet. Quod ſcite in nonnullis præſtitit MONTEFALCONIUS in *diario Ital. c. V. p.* 68. *& c.* 12. *p.* 161. *ſeq. Sc.* MAFFEIUS in *Galliæ antiq. ſelect.* epiſt. XX. *p.* 105. refert, ſe in quibusdam Mſſ. collectionibus epitaphia etiam vidiſſe antiquis formulis inſignita, quæ regum *Francorum* annos exhibeant: e. g. *Anno V. regno Dagoberti Reg.* D. N. Item: *Anno X. regn. Dom. nos. Teudere.* Similis uſus obtinuit in ſignatione diplomatum & chartarum pagenſium. Qui quamvis iam ſub ſtirpe *Carolingica* mutatus ſit, habeaturque magna copia diplomatum eorundem temporum, in quibus æra Chriſtiana adſcribitur, primus tamen inter monumenta Monarchiæ *Francicæ* apud MONTEFALC. T. II. p. 164. Tab. 29. ſepulcralis lapis æra Chriſtiana inſignis prodiit demum anno 1260. atque hic cippus eſt ROBERTI de *Suzana.* Nobis tamen æræ Chriſtianæ apud Duces *Auſtriæ* uſum nec ad id quidem antiquitatis extendere in promtu eſt. Nam in vetuſtioribus ſepulcrorum lapidibus & laminis plumbeis, aut nulla occurrit temporis deſcriptio, aut, anni deſignatione omiſſa, dies tantummodo notatur ac menſis, veluti pleraque in crypta *San-Crucenſi.* Sic etiam † XV. KL. NOV. O. (id eſt obiit) LUIPOLDUS DUX BAVARIÆ. Prima, quam deprehendimus inſcriptionem ſepulcralem *Auſtriæ* principum, æræ Chriſtianæ, ſoliusque anni nota definitam, continetur in lamina plumbea ELISABETHÆ uxoris

HEN-

HENRICI Ducis *Auſtriæ*, quæ nunc cum corpore *Kœnigsvelda* ad novam cryptam monaſterii S. BLASII translata eſt, in qua hæc legitur formula: *Anno MCCCXLIII obiit Domina* ELIZABETH *relicta quondam Domini* HENRICI *Ducis Auſtrie & Stirie.* Alterius cognominis ELISABETHÆ *Lotharingicæ*, ALBERTI I. filiæ, epitaphium ibidem, & quidem aliquot annis poſtea poſitum, omiſſo iterum anno, ſolum diem mortis deſignat, feſtum S. POTENTIANE martyris. In ceteris nulla legitur temporis deſignatio. Quin marmor in media crypta ad S. STEPHANI ædem *Vindobonæ*, in quo extat epitaphium ALBERTI VI. Ducis *Auſtriæ* anno 1463. mortui, neque anni notis, neque menſis die inſignitum, his tantum abſolvitur verbis: ALBERTUS ERNESTI FILIUS DUX AUST. etſi iam tunc & deinceps magis ſemper invaluerit conſuetudo Chriſtianam ubique epitaphiis adſcribendi æram cum nota ætatis, nec menſe ſolum, dieque emortuali, verum etiam hora, ac horæ nonnunquam particula: cuius rei etiam inter Ethnicos ac primos Chriſtianos habentur exempla apud FABRETUM *p.* 96. *n.* 216.

D. M.
C. HOSTILIO ÆLIO
V. ANN. VIII. M. VI. D. IX.
H. PL. MINUS V. C.
CASSIUS THESPIUS ET
SERGIA MAXIMINA
PARENTES MOESTISS. ET INFELICISSIMI.

Attulit auctor hanc inſcriptionem ex *Sertario* URSATO inter monumenta *Patavina*, notatque antea, quod horarum enumeratio in monumentis præſertim adoleſcentium reperiatur. Ibidem n. 219. inſcriptio chriſtiana eſt, ubi & ſcrupuli denotantur.

BENE. MERENTI. IN. PACE.
SILVANA. QUÆ. HIC. DORMIT.
VIXIT. ANN. XXI. MENS. III.
HOR. IV. SCRUPULOS. VI.
DEPOS. IX. KAL. IVLIAS...
QUI. IN.....

A *Romanis* etiam eſt uſus, ut elogia & res geſtæ monumentis inſcribantur, Tituli præſertim officiorum ac ſtematis. Id quod principibus ſolemne ſemper fuit, ut tituli regionum, ac olim qui- Alii tituli & encomia.

dem uno veluti verbo, ponerentur. Qui ritus ſimplex apud Duces *Auſtriæ* ex utraque tam *Babenbergica*, quam *Habsburgica* ſtirpe per ſecula eſt obſervatus. Quin animadvertere eſt in epitaphiis titulum regionis nonnumquam plane omiſſum; cuius rei argumentum præbet lapis ſepulcralis in domo capituli ad *S. Crucem*, hic enim ſimpliciter ſic habet: V. ID. NOV. ALBERTUS. X. KL. FEBR. ERNESTUS MARCHIONES OBIERUNT. Attamen LUIPOLDO *Virtuoſo*, cum an. 1195. deceſſiſſet, cippus contigit, binis regionibus inſcriptus: *Dux Auſtrie & Stirie.* Videmus nihilominus citeriori ætate, & quidem ſec. XIV. ſolum *Auſtriæ* titulum uſurpatum. Huius generis ſunt inſcriptiones tribus verbis conceptæ in laminis plumbeis cryptæ *Kœnigsveldenſis*, nunc *San-Blaſianæ*: LEOPOLDUS DUX AUSTRIÆ. HENRICUS DUX AUSTRIÆ. Verum adulto eodem ſeculo, anno ſcilicet 1365. cœptum eſt in *Auſtria* epitaphiis non modo titulos *Auſtriæ* & *Styriæ*, ſed plurium quoque regionum adſcribere: accedebat tum, ut Duces *Sereniſſimi* cluerent, prætereaque multis vitæ actæ præconiis per epitaphia celebrarentur. Eius rei illuſtre exemplum præbet epitaphium RUDOLPHI IV. in crypta *Vindobonenſi* ad ædem D. STEPHANI. Eſt is, qui titulum Archiducis aſſumpſit, quem poſtea an. 1475. FRIDERICUS Imp. ampliſſimo diplomate SIGISMUNDO ac genti *Auſtriacæ* firmavit. Verum tempore demum MAXIMILIANI I. Imp. crevit iterum titulorum pompa ac varietas, quæ magna obtinet in inſcriptionibus & epitaphiis auguſtæ gentis. Acceſſit prænominum copia, veteribus perinde inſueta.

Mendoſæ haud raro inſcriptiones.

Inſcriptiones, quam præciſæ etiam ſint, ac meditatæ, publica porro, & religione ſacrata monumenta, mendis tamen etiam & erroribus ſcatuiſſe ſunt deprehenſæ. Silentio præterimus ea epitaphia, quæ ſæpe poſt longum temporis ſpatium, imo poſt ſecula demum ſunt poſita: quæ item oſcitanter exſcripta, aut excuſa ſunt; ſunt & primigenia menda, inadvertentia, aut inſcientia artificis commiſſa. Quæ res quoque Theſaurum *Gruterianum*, REINESII appendicem, SPONII miſcellanea, aliosque eiusdem argumenti libros legentibus offenſioni fuerunt. Nam monente NARISIO, de *Cenotaph. Piſan. diſſ.* IV. *p.* 477. ut amanuenſes & libe-

librarii non ſemel ab idiographo aberrare ſolent, idem etiam lapidariis, ſcalptoribusque contigiſſe, innumeræ veterum inſcriptiones, multis erroribus corruptæ, oſtendunt. Sed hæc vitio ingenii humani nullo non tempore accidunt, neceſſitatemque in præſenti etiam opere impoſuerunt, utendi nonnunquam obelo, in corrigendis erroribus, & hallucinationibus, quæ occurrunt in epitaphiis, ſtatim ab obitu poſitis, quas fabri & ſculptores quandoque in inſcripturis commiſerunt, præſertim in notis chronologicis. Cum enim in ipſis nummis tempora male deſignata reperiantur, non eſt, quod quis miretur, lapicidas in epitaphiis per errorem labi. Deprehenſa ſunt nonnulla adeo ex culpa fabri imperite edita epitaphia, ut ne verbum quidem ſanum occurrat. Vid. MONTEFAUCON *Diar. Ital. c.* 12. *p.* 162. *Iac.* a MELLEN *Syll. numm. p.* 128. 197.

Habentur etiam apud ſcriptores exempla inſcriptionum ex ſe quidem recte habentium, ac genuine, alieno tamen ſenſu acceptarum, in diverſa haud raro euntibus interpretibus, atque inter ſe digladiantibus. Erroribus eiusmodi ac rixis facile anſam præbuerunt litterarum ſimilitudo, compendia, abbreviationes, ac ipſa etiam temporis edacitas; cum nempe illarum quædam vetuſtate eſſent aliqua ex parte vel penitus extritæ, ut non facile intelligerentur. MABILLONIUS noſter exemplum affert in ſuo Muſeo *Italico* ex remota *Hiſpania*, unde ab URBANO VIII. ſacra petebantur pro cultu cuiusdam ſancti, quem *S. Viar.* nominarunt, quod inſcriptum cuidam lapidi videbatur. Verum deprehenſum poſtea fuit, has notas ex antiquo monumento *Romanorum* reſiduas eſſe, neque vero *S. Viar*, ſed præfectum viarum ſignificare. Aliud haud abſimile exemplum profert in opuſculo de cultu *Sanctorum ignotorum.* In monumentis ſequioris ævi, cuiusmodi magnam partem noſtra ſunt, negotium perſæpe faceſſunt, characterum, quos *Gothicos* vocamus, tractus: quæ nova in fingendis litterarum notis ratio, ſeu potius corruptio, poſt milleſimum CHRISTI annum ſenſim inceſſit, atque ad ſeculum usque decimum ſextum perſeveravit; tantum, quod *Germani* nos adhuc tergiverſemur hos deformes litterarum ductus typographiis expellere, falſa perſuaſione, acſi character iſte proprius nobis ex veteri *Theotiſco* foret. In hac *Gothica* inſcriptionum *Au-*

Aut alias difficulter extricandæ.

ſtriacarum ratione occurrunt nonnumquam contractarum, & coalescentium litterarum, aut etiam ex parte, vel plane omiſſarum compendia, uti videre eſt in tabulis *Gemnicenſibus*. Accedit uſus promiſcuus formandi perſimiles literas E. g. A. & R. F. & PH. G. & C. & id genus alia.

Sigla, abbreviationes &c.

Eſt præterea haud infrequens in monumentis Ducum *Auſtriæ* ſiglarum uſus, quæ compendia literarum appellantur, cum una vel duæ litteræ pro integro vocabulo ponuntur: quæ etiam nonnumquam compoſitæ ſunt, cum aliis ſignis mixtæ. Sic in veteribus Marchionum epitaphiis frequens eſt litera o. per lineam transverſam ſecta, velut ſigla emortualis, ſignificans cuiusvis *Obitum*. Sunt etiam in ſiglis publicis quædam ſolæ, & ab omni verborum contextu ac compoſitione vacuæ, nil niſi nominum, aut aliorum vocabulorum compendia exhibentes, aliæ vero verbis integre interſcriptis mixtæ. Quæ ſunt primi generis, difficilem cum primis divinandi laborem faciunt. In *Kœnigsveldenſis* templi choro verſus meridiem depicta in pariete cernitur LEOPOLDI *Probi*, inter eam equitum turmam, quæ anno 1386. prœlio ad oppidum *Sempach* conciderat, imago pectore tenus coloribus efficta: eius ectypon vetuſtum etiam poſſidet monaſterium S. BLASII, quorſum cum aliis cadaver LEOPOLDI an. 1770. *Kœnigsvelda* translatum fuit. Dux veſtem cæruleam indutus, capillis rutilis, *Auſtriaca* inſignia gerit ad pectus, faſciam puta albam in area rubra. Faſcia autem transverſo lineamento diſtinguitur, in quo oram ſuperiorem inferioremque binæ literæ S. P. inſcriptæ ſunt, ut ſchema adiectum docet. In baſi, cui innixa hæret imago, inſignia cum iisdem litteris repetuntur.



Quæ cum referri nequeant ad principium nominis LUPOLDI, neque alias in monumentis *Auſtriacis* ſeorſim occurrant, aut aliam

ob-

obviam habeant explicationem, locum *Sem-Pach*, vel *Sempacense Proelium* vel denique formulam *Sempaci Periit* significare videntur. Huic interpretationi alia lucernam accendit in pariete ibidem verbis vernaculis exarata inscriptio, cuius adhuc residua verba latine hunc sensum reddunt: LEOPOLDUS *Dux Austriæ qui Sempaci --- cum equitibus nobilibus --- consiliariis occubuit die S.* CIRILLI. 1386. Pertinet huc annulus aureus in manu RUDOLPHI IV. in crypta ad ædem S. STEPHANI *Vindobonæ*, a RUDOLPHO condita, detectus, dum a Sodali P. *Marq.* HERRGOTT recognosceretur. In interiori exteriorique circuitu signa ac litteræ insculptæ sunt, quarum hic est tenor.

✠ anra ✠ aye ✠ hohe ✠
✠ anoc hphecz puatou ✠

Frustra tentavimus sensum eruere ex harum literarum cum epitaphio eiusdem RUDOLPHI IV. comparatione. Quam ob caussam laudatus P. HERRGOTT totum pæne orbem literarium *Europæ* commovit, epistolisque compellavit ad extricanda eadem literarum mysteria, & tandem domi, dum minime speraverat, Ædipum invenit, ut videre est P. I. pag. 174. Facile explicantur, quæ subinde in capulis funerum leguntur in recentioris ætatis sepulcrali Archiducum crypta, quæ *Vindobonæ* est apud PP. *Capucinos*. Quæ quidem plus simplici ratione se habent: alia quippe singularibus, addito tamen signo vel numero, aliæ duplicatis pluribusque complicatis in se literis nomen principis indigitant, cuius exuviæ conduntur.

Difficilior reddi potest hieroglyphicorum ratio, antiquissimus ille in eiusmodi monumentis ab *Ægyptiis* consecratus usus: fueruntque latentes in rebus occultis figuræ seu rerum adumbratio, quæ sine ullis litterarum notis vim habent significandi. Apud *Græcos* etiam & *Romanos* variis simulacris exornari solebant sepulcra & urnæ, emblemata item insculpi, quæ studia defuncti denotarent. Qua de re KIRCHMANNUS de funeribus *Romanor. lib.* III. *c.* 18. Consuetudo ea hodieque manet in monumentis sepulcralibus, arcisque funeralibus a tempore MAXIMILIANI I. apud *Austriæ* Archiduces

Hieroglyphica, emblemata.

frequentior. Cum vero earum rerum varietatem non tam verbis explicari neceſſe ſit, quam figuris exprimi, atque oculis animisque ſubiici, ad ſchemata ablegamus lectorem, quæ affatim huic collectioni monumentorum ſunt inſerta, & ubi id opus fuit, in commentario explicata.

Scuta gentilitia.

Scuta gentilitia quod ſpectat, ante ſeculum XIII. in cippis fruſtra quæruntur, rariuſcule etiam adhuc ſeculo XIV. Deinceps vero uſus inſignium in monumentis ſepulcralibus ſemper magis invaluit, oſtentuique fuit.

Ordinum equeſtrium ſigna.

Iam inde a MAXIMILIANI I. tempore ſolemne fuit Archiducibus *Auſtriæ* ſcuta ſua atque inſignia gentilitia torque aurei velleris inſignire, qui nimirum hoc decus, ducta in matrimonium MARIA *Burgundica*, ad familiam ſuam transtulit. *Brugarum* in *Flandria* is honor fuit, quod ibi hic ordo inſtitutus ſit, creatis ipſo auſpicali die quatuor & viginti equitibus. Factum id a PHILIPPO *Bono*, Duce *Burgundiæ*, anno 1429. In monumento FRIDERICI III. quod eſt *Vindobonæ* in eccleſia Metropolitana S. STEPHANI, prima ad ſeptentrionem facie, opere anaglyptico repreſentatur inſtitutio ordinis S. GEORGII, ab hoc imperatore facta an. 1468. cuius inſigne habetur crux purpurei vel rubri coloris plana & ſimplex veſti adſuta albæ: Inſtitutus autem eſt in *Auſtria* & *Carinthia* pro defenſione patriæ contra *Turcas*, crucis exemplo ſumto ab aliis huuiusmodi contra infideles inſtitutis ordinibus, antiquisque *cruce ſignatis*, ſeu equitibus expeditionum ſacrarum. Qua de cauſſa etiam nonnunquam veteres de gente *Babenbergica* principes cum aquila ſimplici crucis ſignum in vexillo uſurparunt.

Inſignio-ra ducum *Auſtriæ* mauſolea.

Auguſtum, FRIDERICI huius cognomento *Placidi*, mauſoleum a MAXIMILIANO I. filio eſt perfectum: veluti ut plurimum eiusmodi monumenta aut a ſuperſtitibus neceſſariis æternæ Maiorum memoriæ gratique animi indicio ſunt excitata, aut ab his in ſui poſterorumque pium uſum deſtinata. Qua in re vix ulla regiæ imperialisque ſtirpis eſt familia, quæ maiori ſumtu, ac cura requietoria, vel cenotaphia: monumenta ſcilicet in honorem mortuorum reecta, ſed oſſibus vacua: ſtatuerit, quam Auguſta *Auſtriaca* gens

maio-

maiorem ſenſim ab exeunte ſec. XV. ſplendorem adepta ornatumque Sic, quam MAXIMILIANUS I. patri FRIDERICO exhibuit pietatem, viciſſim ille a nepote ſuo FERDINANDO I. conſecutus eſt, perfecto *Æniponti* media in eccleſia aulica apud PP. *Franciſcanos* cenotaphio ſtupendi ac præſtantiſſimi operis. Quæ inter merito etiam cenſetur MARIÆ *Burgundicæ*, MAXIMILIANI I. uxoris primæ, mauſoleum *Brugis Flandrorum*. MARGARITÆ item eiusdem MAXIMILIANI I. filiæ tum cordis repoſitorium, quod eſt *Brugis Flandrorum*, cum monumentum marmoreum grandis operis in templo *Brouano* prope mœnia *Burgi Seguſianorum*, oppidi in *Hiſpania*. Hic magnificentiſſimum illud a PHILIPPO II. *Hiſpaniarum* rege in monaſterio *Scorialenſi* ſuſcitatum extat *Pantheon* ad immortalitatem quidem nominis *Auſtriaci*, crypta nimirum ſepulcralis, in qua ſingulæ ad continenda regia funera arcæ e marmore factæ, inaurato undique ære ſunt exornatæ. Cui propius accedit mauſoleum FERDINANDO II. *Græcii*, nec non CAROLO *Græcenſi* FERDINANDI patri in templo *Seccovienſi*, utrumque in *Styria*, erectum. Taceo monumentum inſigne MARGARETHÆ ab *Auſtria*, *Placentiæ* in eccleſia PP. *Benedictinorum* S. SIXTI conſpicuum: *Romæ* cenotaphium Card. ANDREÆ de *Auſtria*: quod item *Oeniponti* in capella, quam vulgo argenteam vocant, templi aulici *Ferdinandeæ* proſapiæ poſitum eſt: *Pragæ* porro regum *Bohemiæ* in templo S. VITI inſtructum. Noviſſime Auguſta *M.* THERESIA maiores ſuos ſuperaſſe in hoc etiam videtur, dum non ſolum ſibi ſuoque coniugi magnificum condidit mauſoleum, cryptas etiam ampliavit, reſtauravit, atque, ut novæ conſtruerentur, curavit, reſtitutis demum Catholicæ ſepulturæ in monaſterio S. BLASII proavorum ſuorum reliquiis.

Haud raro magnificentia ſuperant ipſum mauſoleorum ornatum caſtra illa, quæ vocant, doloris, ſeu lectus funereus, reliquusque apparatus, quibus mortuorum Principum corpora cohoneſtantur, antequam ſepulturæ tradantur: dum certis aliquibus & ſanctioribus cæremoniis in publicum conſpectum dare vetus iam conſuetudo, & mos obtinuit. Quoniam quidem de lectulis funeralibus principum noſtrorum non pauca circumferuntur ſchemata, æri iam inciſa, Suggeſtus funerei ſeu Caſtra doloris.

ciſa, ut ſunt FERDINANDI Archiducis, RUDOLPHI II. MATHIÆ & ANNÆ, FERDINANDI II. & IV. Imperatorum, nec non CAROLI IOSEPHI Archiducis & aliorum: viſum eſt nobis ex iis duntaxat MATHIÆ & ANNÆ Impp. in tabula expreſſum, ſpeciminis loco volumine II. exhibere.

Exequiarum ſolemnitas.

Supervacaneum etiam ducimus, hic repetere, quæ de magnificentiſſimis FRIDERICI pacifici, CAROLI V. FERDINANDI & aliorum ſequentium Imperatorum exequiis iam latius ab aliis ſcriptoribus deducta ſunt, partim etiam ære expreſſa proſtant. Quædam tantum ex diario Secretariæ Aulicæ circa funera Auguſtalia collecta dare opportunum ducimus. Solemne nimirum eſt exanime corpus ablutum, exenteratum, atque pollinctum, capulo intus, foriſque holoſericis telis, plerumque argento diſtinctis, obvoluto immiſſum, publice exponi in œco aulæ equeſtri, ſuggeſtu, duobus aut tribus gradibus alto, impoſitum, in quibus magnus candelabrarum numerus cum cereis ardentibus ordinatur, media item crucis imago. Conclave circumquaque panno nigro obducitur, & quaqua verſum ad parietes candelis replentur penſiles lychnuchi. Ad utramque partem bina conſtituuntur altaria, quatuor adeoque, in quibus iuge uſque ad pomeridiem offertur ſacrificium, & in paratis ſcamnis preces funduntur. Diſponuntur ad funus in pluvinaribus coronæ, ſceptrum, gladius, calcaria, aurei velleris, aliorumque ordinum inſignia, principibus autem eccleſiaſtica dignitate ornatis inſignia ordinis, infulæque adduntur. Id ſingulare fuit obſervare, dum poſt obitum MARIÆ ANNÆ, *Hiſpaniarum* reginæ, viduæ an. 1696. *Vindobonæ* exequiæ celebrarentur, quod ſcuta tam *Hiſpanica*, quam *Auſtriaca* exornata fuerint aurei velleris inſigni equeſtri. Quippe regina tutelam filii, quum imperio nondum eſſet maturus, geſſerat, ac proinde tanquam regina gubernatrix ſuſceptum aurei velleris ordinem diſpenſaverat. Quotiescunque vero Archiducis funus effertur, exequiarum curam gerunt principes aulæ miniſtri, clavigeri item, inferiorisque ordinis cubicularii. Qui quidem ante omnia cor, ſuo vaſculo conditum, quod unacum urna extorum prope cadaver ad lecti funeri latera exponi ſolet, in cellam *Lauretanam*, quæ eſt in templo Palatino, deportant, urna

item

item extorum carpentis aulicis ſeiugibus, aut bigis ad ædem D. STEPH. convehitur, tum corpus ad eccleſiam primum aulicam PP. *Auguſtinor.* inde ad PP. *Capucinos*, ſub nocte plerumque ex more, millenis allucentibus facibus, defertur. Funus deportant ad viginti quatuor uſque cubicularii clavigeri, ſi imperatoris ſit. Proſequuntur feretrum, præeunte ſacrorum Antiſtite, perſonæ Cæſareæ, viri quidem principes cum maiore aurei velleris torque e collo pendente, tum poſt illuſtrium fœminarum comitatum proximi ſunt eiusdem aurei velleris equites, conſiliarii intimi, cubicularii clavigeri, ac tota curia palatina, quique ex ordinibus provincialibus præſentes ſunt, poſtremo omnium ordinum & religionum religioſi, ac ſacerdotes. Arca, duabus ſeris obſerata, apud PP. *Capucinos* ad luſtrandum aperitur, iterumque clauditur, binæ claves ſupremo aulæ imperialis magiſtro traduntur: alteram ille P. Guardiano tradit, altera ſuo ſigillo ſignata in gazophylacio cæſareo reponitur, addita epigraphe, ad cuius capulum ea pertineat. Singulæ vero partes, cor nimirum, exta, ac corpus, a ſacerdotibus certis ceremoniis acceptæ, conſecrantur, atque in monumentum componuntur. Ritus illi plerique hodie ſunt, qui ſemper obtinuerunt, a prima ætate apud veteres etiam *Auſtriæ* Marchiones & Duces obſervati: candelæ nimirum, & faces funereæ ſuccenſæ, thus adolitum, ſacra propitiatoria, ſtatæ preces, conſecrationesque, & quæ ſunt alia id genus.

Conſuetudinem vero funera, pro cultu principum adornata, ſepeliendi recentior ætas non modo ab antiquitate accepit, ſed illuſtravit etiam, reddiditque auguſtiorem. In *Kœnigsveldenſi* monumento principes fœminæ veſte ſerica, fuſci potiſſimum coloris, ſcutulato opere contexta, compoſitæ ſunt, quarum quædam ſatis adhuc integræ, dum anno 1770. ad monaſterium S. BLASII deportarentur, ſunt repertæ; CATHARINÆ præſertim de *Cuſino* ſtola, quam in libro ſingulari P. II. p. 42. ſeq. deſcripſimus, adumbrarique, ac æri incidi curavimus, prout cernere eſt Tab. II. In crypta ſepulcrali ad ædem S. STEPHANI *Vindobonæ* funera RUDOLPHI IV. & WILHELMI, Ducum *Auſtriæ* holoſericum rubrum auro intextum induta fuere. Ritus ille adornandi cadavera pannis opere *Phrygio* elaboratis, candidique (textilibus argenteis, quandoque auro etiam in- Veſtitus.

texto) vel rubri coloris in hunc uſque diem apud *Auſtriacos* principes, utriusque ſexus, iuvenili ætate defunctos, obtinet: paſſimque in diario Secretariæ aulicæ annotatur, non modo eiusmodi veſtimentorum nobiliori metallo intextorum uſum eſſe, ſed & arcas funerum ſimili panno intus muniri, extrinſecusque limbis aureis prætexi. Quin lectus funebris, peripetaſmata, & aulæum, retro ſuſpenſum, ſæpius ex holoſerico, aut damaſceno, pannis item auro argentoque intextis, conficiuntur. Haud raro veſtis textilibus aureis coloris ex cæſis lividi confecta eſt. Hodieque conſuetudo fert maiori ætate defunctos veſte pulla amicire pro cultu *Hiſpanorum*. Sunt vero, qui volunt a tempore demum CAROLI V. atrum veſtium colorem, olim tam noſtratibus, quam vicinis populis inſolentem, in uſu eſſe cœpiſſe. Veluti contendit *Wolf.* HEIDERUS in *Hypothyp.* p. 9. ap. *Io. Burch.* MENCKEN in *Invit. ad orat. de ordine aurei velleris.* NORISIUS tamen in Cenotaph. *Piſan.* Diſs. III. p. 356. docet, iam apud *Romanos* viros in parentalibus togis pullis amictos, plebem in funere, & fœminas in luctu atratas. Cui adde KIRCHMANNUM de funeribus *Roman.* lib. II. c. 17.

Habitus monaſticus.

Apud chriſtianos ante multa iam ſecula haud infrequens fuit, ſummos etiam principes & optimates ante, aut ſtatim poſt obitum habitu monaſtico indutos, ſepulturæ tradere. Plura SLEVOGTIUS *de ſepultura Impp.* affert exempla p. 90. 92. 212. 449. exterorum principum, qui eum morem ſecuti ſunt: veluti STEPHANUS II. *Ungariæ* Rex an. 1131. in morte monachalem ſibi optavit habitum, teſte BONFIN. *Dec. II. lib. VI.* p. 178. IACOBUS I. Rex *Arragoniæ* ſupremo tempore veſtem ſumſit *Ciſtercienſem Populeti*, & obiit *Valentiæ* an. 1276. ut legere eſt apud MARIANA lib. XIV. c. 2. poſtea etiam lib. XVIII. cap. 2. de HENRICO II. *Hiſpan.* Rege, qui vitam reliquit in *Burgis, Caſtiliæ* urbe, an. 1379. moribundus veſte *Dominicana* indutus. Et HENRICUS III. Rex *Caſtiliæ*, qui defunctus an. 1407. *Toleti* in veſte *Franciſcanorum*, eodem teſtante lib. XIX. c. 14. elatus, regioque ſacello templi maximi *Toletani* illatus eſt. Qui ritus ſepeliendi iam dudum in hiſtoria monaſtica celebratus eſt, uti videre eſt in *vet. Diſplin. monaſt.* P. HERRGOTT p. 129. In Conſtitutionibus *Farfenſibus* GUIDONIS Abb. I. 9. ſub

finem

finem ſec. X. qui profanum ante finem vitæ cum habitu monaſtico commutarunt, *Monachi ad ſuccurrendum* nominantur. Noſtros quod attinet principes, ex *Babenbergicis* id de LEOPOLDO VI. cognomento virtuoſo, tradi P. I. lib. I. cap. IV. p. 42. eſt obſervatum, eum ad finem vitæ ſacra ordinis veſte apud *Ciſtercienſes San-Crucenſes* indutum, terræque concreditum fuiſſe. Certis indiciis deprehenſum eſt ex fruſtis reſiduis in capulo AGNETIS *Habsburgicæ, Ungariæ* reginæ, eam panno eodem, quo moniales Ord. S. FRANC. utuntur, ſepultam, ac triplici etiam funiculo in pedibus, lumbis, & ſuper brachia poſt mortem obligatam fuiſſe, ut P. II. in libro ſingulari de translatis *Habsburgo-Auſtriac.* Princ. cadaveribus ex *Helvetia* ad monaſterium S. BLASII notabimus. Neque vero deſunt recentiora piarum fœminarum principum exempla. Sic in habitu ordinis S. CLARÆ ſepulturæ tradita ſunt funera ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, Principis *Belgii*, ANNÆ *Auſtriacæ*, uxoris LUDOVICI XIII. Regis *Galliarum*, MARIÆ, PHILIPPI IV. *Hiſpan.* Regis ſororis, & FERDINANDI III. Imp. uxoris, nec non MARIÆ THERESIÆ uxoris LUDOVICI XIV. *Francorum* Regis, ut legere eſt in hiſtor. Ord. Monaſt. Gallice edita T. VII. p. 224. uti vero in diario ſecretariæ aulicæ annotatur, CLAUDIA FELICITAS, Imperatrix in habitu S. DOMINICI efferri voluit. M. ANNA Archid. *Auſtr.* & uxor electoris *Palatini*, habitu Ordinis *Annuntiatæ* adornata, loculoque condita eſt. M. ANTONIA, Principis electoris *Bavariæ* coniux, habitu Ordinis *Viſitationis* amicta, perinde ac WILHELMINA AMALIA, IOSEPHI I. Imp. vidua. Funus ELEONORÆ MAGDALENÆ, viduæ LEOPOLDI I. Imper. veſte candida indutum, cum faſcia ſcapulari coloris cærulei, ex texto confecta, in qua ad pectus nexa imago *Annuntiationis* S. MARIÆ. Hic nimirum veſtimenti habitus eſt *Mancipiorum* B. MARIÆ Virginis, qui Ordo *Monachii* in templo Electorali aulico *Can. Reg.* SS. CAIETANI & ADELHEIDIS eſt conſtitutus: quo eodem AMALIA, IOSEPHI I. Imp. filia, CAROLI VII. vidua, ſuper veſtem ſericam nigram, induta *Monachii* in crypta Electorali ſub templo, mox memorato, ſepulta eſt, ut P. I. L. VII. c. VII. *p.* 476. narrabimus.

Arma simul sepulturæ tradita.

Diu orbis Christianus vetustum illum ritum retinuit, ut ad sepulturam darentur arma defunctorum, quemadmodum de moribus *Germanorum* TACITUS refert: *Sua*, inquit, *cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur.* Neque apud *Germanos* solum, sed & *Gallos* id obtinuisse, luculentus testis est CHIFFLETIUS in anastasi CHILDERICI, *Francorum* regis, qui etiam ad exempla Ducum *Austriæ* provocat. *p.* 197. ALBERTI III. *cum trica* nominati, ALBERTI item IV. *Pacifici*, & RUDOLPHI IV. fundatoris cryptæ ad ecclesiam cathedralem S. STEPHANI *Viennæ*, ubi corpora illa quiescunt, sed non usquequaque ea a P. *Marq.* HERRGOTT, cum cryptam illam recognosceret, reperta sunt, quæ CHIFFLETIUS habet de insigniis *Austriacis* in nodo gladii ALBERTI *cum trica* argenteo insculptis, *Habsburgicis* vero in lamella ensis. Hæc autem rubegine corrosa fuisse perinde persuasi sumus ac gladius LEOPOLDI *Probi* in crypta *Kœnigsveldensi*, quippe cuius capulus solum supersest. Quod tanto minus mirum est in sepulcreto monasterii *S. Crucis* Ducum *Babenbergensium*, in quo saltem reperiebantur frusta & fragmenta ferri rubiginosi, quæ tamen necdum omnem gladiorum formam exuerant. Melius conservari potuerunt secures lapideæ teste MONTEFALCONIO T. V. antiq. expl. 195. in sepulcro, quod ad lapidem sexagesimum ab urbe *Parisina* detectum, ossa defunctorum quasi viginti continebat, quorum singuli securim eiuscemodi sub calvariis habebant. Securis vero, quæ pone corpus CHILDERICI iacuit, ex ferro fuit ærugine corrosa dum *Tornaci* an. 1653. detegeretur, cum variis aliis rebus, quas describit in laudato opere CHIFFLETIUS.

Annulus, nummi, amuletæ.

Quæ tamen omnia cuius aut ævi essent, aut personæ difficile fuisse, fatetur, atque impossibile iudicare, nisi unacum his repertus annulus aureus feciset indicium. Rem eam pluribus illustrat auctor, & post eum HEINECIUS *de sigillis p.* 14. seq. de annulis, potissimum vero ille de nummis simul sepulturæ traditis, ex quibus ætas, ac inter alias circumstantias ipsa etiam quandoque religio sepulti dignosci potest. Postremum quidem in CHILDERICI sepulcro nummi aurei cruce signati præstant, inter alios complures tamen gentilium imperatorum nummos, quos describit CHIFFLE-

TIUS

TIUS. LAMBECIUS lib. I. *Comment. de bibl. Vind.* P. I. & DUELLIUS in *Excerpt. Geneal.* lib. II. P. III. *p.* 337. aliquot protulerunt nummos profanos, qui per *Auſtriacas* regiones in ſepulcris latuerunt. An ritus ille olim *Auſtriæ* Principibus, quorum ſepulchra hodie ignorantur, aut Ducibus etiam recentioribus, quorum loculos ſtanneos aperire fas non eſt, uſitatus fuerit, ignoratur. De annulo aureo RUDOLPHI IV. in crypta ad ædem S. STEPHANI *Vindobonæ* primariam inter eius cineres reperto, diximus ſupra. Eſtque mediocris formæ, nonniſi ponderis unius & ſemis aurei. Admixta inter ſcripturam intus & foris crucis ſigna, religionis certe ergo ſunt poſita, aut amuleti, cuiusmodi meminit LICETIUS *cap.* 16. de annulis, & CHIFFLETIUS *de nummis* in laud. opere c. XVIII. Aliud id genus notatur apud MENCKENIUM in annalibus *Torgavienſibus* T. II. ſcript. rer. *Germ. col.* 586. ad an. 1547. *Kœnigsveldæ* in *Argovia* an. 1744. prope altare maius e terra effoſſa memoratur capſula argento imbracteata, facie virginea, & ſacro rhytmo *Germanico*, litteris *Gothicis* exarato, nec non circulo inſtructa, quam cum parietarius incaute ſeraſſet incluſæ reliquiæ in cineres ac pulverem abierunt, inſcripta vero ſchedula deperdita eſt. Delineationem huius amuleti damus Tab. I. cum rhytmo, qui hanc fere complectitur invocationis formulam: *Auxiliare & adſis mihi V. Maria! in omnibus neceſſitatibus meis.* Addimus aliud ſacrum numiſma, quod ibidem repertum fuiſſe dicitur, ſed fraude adiectum non dubitamus. Id tamen in adverſariis P. HERRGOTT annotatum reperi: dum non ita pridem *Vindobonæ* ſub cella *Lauretana* in templo aulico terra perfoderetur, in ſepulcris inventa fuiſſe numiſmata ſacra, imaginem B. V. referentia; ſed graſſe admodum ſignata, addita perigraphe, notis *Gothicis*, S. MARIA. Icones eiusmodi Deiparæ, ſigna item *S. Crucis* in ſepulturam adiungi cum corona globulorum precatoria, excerpta ex diario Secretariæ aulicæ docent.

Floribus conſperſa funera.

Infantibus vero tum affabre factas roſas, floresque manibus inſeri, aut capitibus eiusmodi corollas necti, cum etiam ſuggeſtum funerum ipſumque amiculum nativis vivisque, ſi tempus ferat, ſecus artificioſis varii generis floribus circum undique conſpergi, in-

didem diſcimus. Ab hoc ritu coronandi funera conſpergendique floribus apud *Græcos*, ac *Romanos* uſitato, ut apud KIRCHMANNUM de funeribus *Romanorum lib.* IV. *c.* 3. videre eſt, abhorruiſſe primum viſi ſunt Chriſtiani, poſtea tamen etiam ſecuti. Quod quidem S. HIERONYMUS ad PAMACHIUM maritis familiare memorat ſuper tumulos coniugum ſpargere violas, roſas, lilia &c. id PRUDENTIUS in hymno de exequiis defunctorum frequens fuiſſe innuit:

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis & fronde frequenti.

Cineres, carbones, arena, herbæ in loculis reperta.

Diverſa vero omnino eſt recentior huius ritus ratio, quem commemoravimus ab eo medii ævi in ſignum pœnitentiæ cineres, aut etiam carbones adhibendi, de quo mentio fit. P. I. *l. c.* IV. *p.* 61. *n.* LIII. ob HENRICI *Crudelis* loculum, repletum utraque ea materia. Cuius tamen alia antea *p.* 58. §. *XLIX.* allata eſt cauſſa, ob quam variæ aliæ res eiusmodi adiectæ reperiebantur, in loculis, veluti fœnum, ſtramen, herbæ, arena, pili, calx, cetera, ob longas potiſſimum translationes cadaverum. Nam & opus erat, ut funus tuto vehi poſſet, neve cadaver læderetur, loculum undiquaque replere, pilis, herbis, aliisque rebus fartos ſubſternere pulvinos & ſtromata. In crypta *Kœnigsveldenſi* variæ eiusmodi repertæ ſunt materiæ, quod pleraque corpora e longinquo illuc ſint translata. Conſtat vero corpus RUDOLPHI IV. cum *Mediolano Vindobonam* veheretur, ne nimis concuteretur, funiculis undique circumligatum, ac præparato ad id integro corio bubulo involutum fuiſſe, veluti adhuc integrum repertum eſt, cum a P. *Marquardo* HERRGOTT recognoſceretur, annis abhinc ultra triginta.

I. MENLII opuſculum de ſepul. *Auſtr.*

Iam iuſſu MAXIMILIANI II. Imp. *Iacobus* MENLIUS ſepulcra & epitaphia maiorum *Auſtriæ* Ducum ſuſceperat colligenda. Fecit is quidem libellum ſub hoc titulo: *De maiorum Divi* MAXIMILIANI II. *Rom. Imp. vita defunctorum monumentis, ſepulcris, templis, fanis, cœnobiis, aliisque huiusmodi ab iis extructis, de nativitatis item, mortisque temporibus, inde usque a* CLODOVEO *Primo Chriſtiano Gallorum rege ad D.* MAXIMILIANI II. *obitum.* Ex-

tat

tat tum Mſc. codex in bibl. Cæſ. *Vindob.* formæ, quam vocant, octavæ, cum etiam typis editus liber *Auguſtæ Vindelicorum* in 4. an. 1593. Verum ipſa iam libri inſcriptio prodit eum exerrare; dum non pauca aliena ex *Franciæ* Regum Genealogia, atque ex ſerie *Habsburgi* Comitum, quam ſibi effinxit, in medium affert, de Ducibus *Zaringiæ*, Comitibus *Friburgi*, Marchionibus *Babenbergicis*, aliisque. Quandoquidem ipſi maxime enitendum erat, ut monumenta ſepulcralia & epitaphia, quæ colligere iuſſus fuerat, undequaque compararet, & lectorum oculis ſubiiceret; ſed nihil horum apud ipſum reperies, ac præter annum obitus & ſepulturæ vix, quod ad rem ſit, memoria dignum.

Ampliorem viam ſibi P. *Marquardus* HERRGOTT complanandam ſuſcepit, uti in ceteris auguſtalibus monumentis, ita etiam in ultimo hoc *Taphographiæ Auſtriacæ* tomo. Accepta is monumenta Ducum *Auſtriæ* undequaque colligendi provincia, ſatis eſſe haud duxit, libros, commentaria, adverſariaque conſulere, niſi ipſas, ut ita dicam, mortuorum umbras ſubiret, cryptas omnes & ſepulcrorum latebras exquireret, ac perreptaret receſſus. Unde tot e tenebris & pulvere in lucem prodeunt inſcripturæ, quæ hactenus latuerunt. Sed iam ante decem annos immortuus labori, P. *Ruſteno* HEER, quo vivus ſocio uſus fuerat in ampliſſimo hoc monumentorum *Auſtriacorum* opere, reliquit elucubrandum opus. In quo dum eſſet ille, & iam hæc *Taphographia* ſub prelo ſudaret *San-Blaſiano*, ecce an. 1768. repentino incendio apparatus omnis periit: ipſeque P. HEER ſequenti anno fatis ceſſit, ſicque ambo prius ſepulcro ſunt illati, quam opus hoc in lucem prodiret, factumque, proh dolor! ut neuter illud ſibi HORATII uſurpare poſſet lib. III. od. 30.

RR. PP. *Marquardi* HERRGOTT, & *Ruſteni* HEER opera.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius;
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Etſi

Merito ſuo exantlata.

Etſi vero ſepulcralia hæc monumenta comparanda haud cenſeantur pyramidibus *Ægyptis*, noſtra tamen intereſt, illa ſtudio omni proſequi, quos patriæ amor tenet, nec non honorem & gloriam Principum noſtrorum augere & pietas & devotio inflammat: demum urget gravitas ipſa materiæ. Reperiuntur in his res maioris multo monumenti, quam in molibus illis *Ægypti*, quæ artis potius memoracula, quam meriti, quorum gratia erectæ ſunt, dici poſſunt; oculorum potius ſpectacula, ac pro ſua obſcuritate ſtupor, quam temporum teſtis, luxque. Nempe inter cætera antiquitatis monumenta, quibus firma ſtat hiſtoriæ fides, præcipue in cenſum veniunt publica ſepulcrorum monumenta, quæ retro actis ſeculis maiores bene meritis, vita defunctis, ponere conſueverunt, quæve lapidi, marmori, æri, ac nobiliori etiam cuique metallo inciſa, æviterna ſunt, & ſemper cum tempore creſcunt pretio, æſtimationeque. *Sepulcrorum ſanctitas*, uti CICERO *Philip.* IX. perorat, *in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moveri, neque deleri debet; cum licet cætera extinquuntur, ſepulcra ſanctiora fiunt vetuſtate.* Concurrunt vero in his noſtris monumentis funeralibus omnia, quæ exiſtimationem, venerationemque conciliare poſſunt, generis ſplendor, & nobilitas, auguſtaque per tot ſecula dignitas, virtus, ac religionis ſanctitas, quæ ipſa præcipuo etiam erga defunctos in eccleſia officio præſtatur. Sic iuſtum erat, nulli parcere operæ, nec ſumtibus, quo ſua operi conſtaret perfectio, integritasque, quousque quidem aſſurgere licuit ad concelebrandam tantorum principum ac Heroum memoriam, qui humanis ſubducti oculis, in ſuis monumentis ſuperſtites perennant, quæ hic non deſcribuntur tantum, verum etiam æri inciſa repræſentantur. Ad extremum, in commodum lectoris, Necrologii *Auſtriaci* genus quoddam additur in hoc priore volumine: ut ſimul oculis ſubiiciantur, quaſi diagrammate aliquo, nomina defunctorum, Marchionum, Ducum, & Archiducum *Auſtriæ*, tempus emortuale, & ſepulturæ locus. Alterum volumen auſpicari e re noſtra viſum, libroque ſingulari reſumere, amplificata materia, argumentum de Principibus *Habsburgo-Auſtriacis*, quorum cadavera

anno

anno 1770. ex *Helvetia* ad monaſterium S. BLASII in *Silva nigra* ſunt translata. Sequitur liber ultimus de urnis feralibus, earumque uſu chriſtiano ad reponenda potiſſimum viſcera apud *Auſtriæ* Archiduces, deſtinatis etiam eum in finem peculiaribus cordium & extorum conditoriis. Accedunt demum auctaria diplomatum, aliorumque, quæ ad rem faciunt, documentorum, cum indice, ac tabulis, ære expreſſis CXVIII. quæ omnia ad præſens uſque ſunt deducta tempus.

Quod enim conſtitutum fuit anteceſſoribus noſtris in reliquis huius voluminoſi operis partibus, illa ſolum Principum *Auſtriæ* proſequi monumenta, quæ & a ſacra quadam vetuſtate commendationem habent, & ab adulatione ſuperſtitum ſunt aliena, nihil eſt, quod hic moremur; id tantum in votis eſt, ut ſuſceptam hanc proſequi telam ſeris tandem obtingat poſteris *San-Blaſianæ* Congregationis alumnis, quibus glorioſum ſemper erit, grandi huic inſignique incumbere Monumentorum Auguſtæ Domus *Auſtriacæ* operi, nova congeſta ad illud complendum materia: id quod iam ex parte factum habetur pro Nummotheca, ectypis mnemonicorum LEOPOLDI, IOSEPHI I. & CAROLI VI. Auguſtæ memoriæ; quæ iuſtum expleant volumen ad ſupplementum operis huius Monumentorum *Auſtriacorum*: Unde ſimul pateſcit, quo ſignificatu Tomus hic *Taphographiæ* principum *Auſtriæ* inſcribatur ultimus, quem ſiſtimus.

Dabam in S. BLASIO Calendis
Aug. A. R. S. MDCCLXXII.

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS
DE
MONUMENTIS FUNEREIS
MARCHIONUM, DUCUM, & ARCHIDUCUM AUSTRIÆ.
PARS PRIOR.
LIBROS VIII. COMPLECTITUR.

LIBER I.
Exhibens monumenta ſepulcralia Principum *Auſtr.* ſtirpis *Babenbergicæ.*

CAP. I.

De funeribus, ac epitaphiis Principum *Auſtriæ* antiquiſſimis, *Mellicii* reperiundis.

II. De funeribus prolium, ac nepotum LEOPOLDI *Illuſtris*, uſque ad LEOPOLDUM *Sanctum.*

III. *Sancti* LEOPOLDI, poſterorumque eius funebria monumenta *Clauſtro-Neoburgi* in *Auſtria* conſervata.

IV. Sepulcrum Abbatiæ *S. Crucis* in *Auſtria* inferiori, prolibus, poſterisque S. LEOPOLDI conſecratum.

V. De OTTONIS *Friſingenſis* Epiſcopi, S. LEOPOLDI filii, ſepultura, *Morimundi* in *Gallia.*

VI. S. LEOPOLDI proles reliquæ.

VII. De HENRICI II. inter Duces I. cognomento *Iaſomirgott*, funere ad *Scotos Vindobonæ.*

VIII. Ducis LEOPOLDI *Glorioſi*, eiusque filiæ MARGARITHÆ tumuli, in Abbatia *Campililienſi*, locique ſepulcrales ceterorum ipſius liberorum.

IX. Tumulus OTTOCARI, Regis *Bohemiæ*, ac Ducis *Auſtriæ*, *Styriæque*, *Pragæ* in templo S. VITI Palatino conſpicuus.

LIBER II.
Complectens monumenta ſepulcralia Ducum *Auſtriæ*, Auguſta gente *Habsburgica* ſatorum, a RUDOLPHO I. R. R. ad uſque ALBERTUM II. cognomento *Sapientem.*

CAP. I.

RUDOLPHI I. R. R. monumentum *Spiræ Nemetum.*

II. De ſepultura ANNÆ, & ELISABETHÆ RUDOLPHI I. R. R. coniugum, nec non trium illius filiorum.

III. De obitu & ſepultura ALBERTI I. R. R. nec non quorumdam liberorum eius.

IV. IOANNIS *Parricidæ* monumenta *Piſis* in *Tuſcia.*

V. De Tumulo *Tullnenſi*, quo plura *Auſtriacorum* principum funera contegi feruntur.

VI. Crypta ſepulcralis Ducum *Auſtriæ*, *Kœnigsveldæ* in *Argovia.*

VII. BLANCÆ, RUDOLPHI III. Ducis *Auſtr.* ac poſtea *Bohemiæ* Reg. & ISABELLÆ *Arragonicæ*, FRIDERICI *Pulchri* R. R. coniugum, tumuli *Vindobonæ* apud *Minoritas.* Agitur quoque de eiusdem RUDOLPHI, & uxoris eius ſecundæ obitu.

VIII. FRIDERICI *Pulchri* Cæſaris, eiusque filiæ ELISABETHÆ, monumenta *Maurbachii* in *Auſtria*, nec non ANNÆ, alterius eius filiæ, ad S. CLARAM *Vindobonæ.*

IX. OTTONIS *Hilaris*, eiusque familiæ crypta in *Novo Monte*, *Styriæ* monaſterio, Ordinis *Ciſtercienſis.*

LIBER III.
Complectens funerea monumenta ab ALBERTO *Sapiente* uſque ad ERNESTUM, cognomento *Ferreum*, lineæ *Styrenſis* propagatorem.

CAP. I.

De crypta ſepulcrali in Carthuſia *Gemnicenſi.*

II. Cenotaphium RUDOLPHI IV. ALBERTI II. *Sapientis* filii, nec non & CATHARINÆ, uxoris eius, *Vindobonæ* in Metropolitana.

III. De crypta ſepulcrali Ducum *Auſtriæ*, quæ *Vindobonæ* eſt in eodem templo Metropolitano ad Divi STEPHANI.

IV. Conſpectus eiusdem cryptæ, Auguſtiſſimæ Imperatricis MARIÆ THERESIÆ iuſſu an. MDCCLIV. reſtitutæ.

V. De ſepulturis CATHARINÆ, & MARGARITHÆ, filiarum ALBERTI II. nec non VIRIDÆ, uxoris LEOPOLDI III. cognomento *Probi.*

VI. *Stamſenſe*, ſeu *Stirpinenſe* in *Tyroli* ſepulcretum.

VII. De ſepultura MARGARITHÆ, ALBERTI IV. Ducis *Auſtriæ*, filiæ, HENRICI *Divitis*, ſeu *Landishutani*, Ducis *Bavariæ*, coniugis.

VIII. ALBERTI V. inter Imperatores II. ac coniugis eius ELISABETHÆ, nec non filiarum eius ſepulturæ.

LI-

CONSPECTUS.

LIBER. IV.

Complectens funerea monumenta Ducum Archiducumque *Auſtriæ* ab ERNESTO *Ferreo*, ad uſque PHILIPPUM *Pulchrum*, *Caſtiliæ* regem, lineæ *Hiſpano-Auſtriacæ* ſatorem.

CAP. I.

ERNESTI *Ferrei*, Ducis *Auſtriæ*, & *Styriæ* tumulus, & crypta in *Runenſi Styriæ* monaſterio, nec non ambarum eius coniugum ſepulturæ.

II. ERNESTI *Ferrei* liberi quinque, *Neoſtadii Auſtriæ* ad ſepulturam dati.

III. De ſepulturis MARGARITHÆ, & CATHARINÆ, ERNESTI *Ferrei* filiarum, nec non MECHTILDIS, ALBERTI VI. coniugis.

IV. Mauſoleum FRIDERICI III. Imp. cognomento *Placidi*, *Vindobonæ* in templo Metropolitano.

V. De Sepultura ELEONORÆ *Luſitanæ*, FRIDERICI *Placidi* coniugis, triumque prolium eius, *Neapoli Auſtriæ*, itemque filiæ eius KUNEGUNDIS *Monachii*.

VI. De ſepultura MAXIMILIANI I. Imperatoris, *Neoſtadii Auſtriæ*.

VII. Auguſtum monumentum funebre MAXIMILIANI I. Imp. *Oenipontanum*.

VIII. De ſepulcris MARIÆ *Burgundicæ*, ac BLANCÆ MARIÆ, MAXIMILIANI I. Imp. coniugum, nec non ſponſæ eius ANNÆ *Britannicæ*.

IX. Tumulus FRANCISCI, MAXIMILIANI I. Imp. filii, *Bruxellis* in *Brabantia*, deque aliis, eiusdem Imperatoris prolibus.

X. Mauſoleum marmoreum MARGARETHÆ MAXIMILIANI I. filiæ *Burgis Seguſianis*.

LIBER. V.

Complectens funerea monumenta Archiducum, ex linea *Habsburgo-Auſtriaca*, ducto initio a PHILIPPO *Pulchro* MAXIMILIANI I. Imp. filio, *Caſtellæ* rege, ad usque CAROLUM II. eiusdem ſtirpis regem ultimum.

CAP. I.

De ſepultura PHILIPPI *Pulchri*, & IOANNÆ coniugis eius, regum *Caſtellæ* & *Legionis*.

II. Monumentum funebre ISABELLÆ, PHILIPPI *Pulchri*, Regis *Caſtellæ* filiæ, ac *Daniæ* Reginæ, *Gandæ Flandrorum*.

III. *Pantheon*, ſeu ſepulcretum *Hiſpaniæ*, & Principum *Auſtriacorum*, in *Scorialenſi* Monaſterio, vulgo *Eſcurial*.

IV. De altera *Auſtriacorum* Principum in Regio *Scorialenſi* monaſterio crypta, *Pantheo* contigua.

V. IOANNIS ab *Auſtria Namurci* in *Belgio* ſepulcrale monumentum, nec non MARGARITHÆ ſororis eius, *Placentiæ*.

VI. De reliquis Gentis *Hiſpano-Auſtriacæ* Principum ſepulturis.

LIBER. VI.

Complectens funerea monumenta Archiducum *Auſtriæ* ex linea *Germanica*, ducto initio a FERDINANDO I. Imp. PHILIPPI *Pulchri* filio ad usque MAXIMILIANI II. Imper. poſteros.

CAP. I.

MAuſoleum cum crypta *Pragæ* in *Bohemia* ad D. VITI Martyris, a RUDOLPHO II. Imp. conditum.

II. Deſcriptio cryptæ ſepulcralis, ſub eodem *Pragenſi* mauſoleo, recens apertæ, addita delineatione.

III. De filiarum FERDINANDI I. Imp. ſepulturis.

IV. Mauſoleum FERDINANDI Archiducis, comitisque *Tyrolis*, quod eſt *Oeniponti*, in ſacello *Argenteo*.

V. Tumulus PHILIPPINÆ, FERDINANDI *Tyrolenſis* uxoris primæ.

VI. Cenotaphium ANDREÆ ab *Auſtria*, FERDINANDI *Tyrolenſis* ex PHILIPPINA filii.

VII. CAROLI ab *Auſtria*, PHILIPPINÆ itidem filii, eiusque uxoris SYBILLÆ, monumenta.

VIII. ANNÆ *Mantuanæ*, FERDINANDI Archiducis, & comitis *Tyrolis*, coniugis ſecundæ, eiusque filiæ, ANNÆ CATHARINÆ, cippi & inſcriptiones in monaſterio *Servarum* B. V. M. prope *Oenipontum*.

IX. Cryptæ funebris Archiducum fœminarum, quæ *Halæ* ad *Oenum* eſt, deſcriptio.

X. De CATHARINÆ, FERDINANDI I. Imp. filiæ, ac Reginæ *Poloniæ*, ad S. FLORIANI in *Auſtria* ſupra *Anaſum*, ſepultura.

LIBER. VII.

Complectens funerea monumenta poſterorum MAXIMILIANI II. Imp. ad usque CAROLUM Archiducem, Ducemque *Styriæ*.

CAP. I.

TUmulus Ducum *Brabantiæ* veterum, & ERNESTI MAXIMILIANI II. Imper. filii, nec non ſepulcra ALBERTI & ISABELLÆ Archiducum *Auſtriæ*, *Bruxellis in Brabantia*.

CONSPECTUS.

II. Sepulcrum Elisabethæ, reginæ *Franciæ*, in Regio aſceterio ad S. Claram *Vindobonæ* cum iconiſmo.

III. Mauſoleum Maximiliani III. Archiducis, Ordinis *Teutonici* ſupremi Magiſtri, quod eſt *Oeniponti* in templo Parochiali.

IV. Communis crypta ſepulcralis Archiducum *Auſtriæ Vindobonæ* apud *RR. PP. Capucinos.*

V. Eiusdem cryptæ deſcriptio, ut ab Auguſtiſſima Imperatrice Maria Theresia reſtaurata & ampliata, hodie ſe ſe, receptis etiam funeribus, conſpiciendam præbet.

VI. Sacellum funebre ab Aug. Imperatrice ſibi ſuisque poſteris proſapiæ *Auſtriaco-Lotharingicæ*, excitatum explicatur.

VII. Crypta ſepulcralis Wilhelminæ Amaliæ, Aug. Iosephi I. Viduæ, *Viennæ* in templo *Viſitationis* B. V. M. Monialium Ord. S. Francisci *Saleſii*, a ſe ipſa, unacum monaſterio fundato, agitur quoque de ſereniſſimarum filiarum fatis.

LIBER. VIII.

Complectens funerea monumenta Archiducum *Auſtriæ* ex Auguſta gente *Habsburgica*, lineæ *Styrenſis*, ſatore Carolo Ferdinandi I. Imp. filio.

CAP. I.

Mauſoleum Caroli Archiducis *Auſtriæ*, & Ducis *Styriæ*, quod *Seccoviæ* eſt, ſex tabulis æneis delineatum, deſcribitur, unacum funeribus ibidem ſepultis.

II. Mariæ *Bavaræ*, Caroli *Græcenſis* uxoris, monumentum, quod *Græcii* eſt apud Sanctimoniales Ordinis S. Claræ, eiusque funus.

III. Caroli *Græcenſis* liberi, alibi locorum ſepulti.

IV. Crypta ſepulcralis Archiducum ſub Leopoldo V. comite *Tyrolenſi*, *Oeniponti* in templo *SS. Trinitatis* Soc. Iesu excitata, cum eius funeribus, ac epitaphiis.

V. Funera lineæ *Auſtriaco-Tyrolenſis* extra cryptam *Oenipontanam* compoſita.

VI. Mauſoleum *Græcenſe* Ferdinandi II. Imp. unacum crypta & loculis funereis in eadem conditis, delineatum & deſcriptum exhibetur, additis epitaphiis.

VII. De ceteris Ferdinandi II. liberis alibi ſepultis.

VIII. Eleonoræ *Mantuanæ*, ſecundæ uxoris Ferdinandi II. Imp. crypta & tumulus *Viennæ* in templo *Carmelitarum* diſcalceatarum ad S. Iosephum, cum iconiſmo.

PARS POSTERIOR.

LIBER SINGULARIS.

De translatis *Habsburgo-Auſtriacorum* Principum, eorumque coniugum, ac liberorum cadaveribus ex *Helvetia* ad monaſterium S. Blasii in *Silva nigra.*

CAP. I.

Translationis, & cryptæ *San-Blaſianæ* deſcriptio.

II. Gertrudis, ſeu Anna, Rud. I. R. R. uxor, unacum filiis, Hartmanno & Carolo *Baſilea* in novam cryptam *San-Blaſianam* translata: oſſa quædam anonyma.

III. De Elisabetha, Alberti I. R. R. uxore.

IV. De Leopoldo, ſeu Lupoldo, & Henrico fratribus, & Friderico, Frid. R. R. filio.

V. De filiabus Alberti I. Imp. Elisabetha *Lotharingica*, Gutta *Oettingana*, Agnete *Hungarica*, eiusque privigna, Elisabetha, moniali *Tœſſenſi.*

VI. De Catharina *Sabaudica*, uxore Leopoldi I. eiusque filia Catharina de *Cuſſin*, nec non Elisabetha de *Virnenburg*, ux. Henrici *Placidi.*

VII. De Leopoldo III. cognom. *Probo*, apud *Sempach* infeliciter ſuccumbente.

LIBER ULTIMUS.

De urnis feralibus, earumque uſu Chriſtiano, ad reponenda potiſſimum viſcera, apud *Auſtriæ* Archiduces, deſtinatis etiam eum in finem peculiaribus cordium, & inteſtinorum conditoriis.

CAP. I.

De vario apud veteres urnarum feralium uſu.

II. Mos, & exempla exenterandi, ac ſeorſim ſepeliendi viſcera apud Chriſtianos Principes, & quidem Archiduces *Auſtriæ*, extra cryptas, eum in finem deſtinatas.

III. Viſcera Archiducum *Auſtriæ*, ſuis conditoriis illata, ac potiſſimum corda in ædicula *Lauretana* apud PP. *Auguſtinianos*, inteſtina vero in crypta Cathedr. eccl. S. Stephani.

Sequuntur, Auctarium diplomatum cum appendice, index rerum & verborum locuplet. demum tabulæ, æri inciſæ, num. CXVIII.

TAPHO-



Joſeph Hörr del. *Johann Haaſ Sculpsit*

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I.

LIBER I.

EXHIBENS MONUMENTA SEPULCRALIA

PRINCIPUM AUSTRIÆ, STIRPIS BABENBERGICÆ.

CAPUT I.

DE FUNERIBUS, AC EPITAPHIIS PRINCIPUM AUSTRIÆ ANTIQUISSIMIS, MELLICII REPERIUNDIS.

§. I.

Quod innumeris hactenus omnis generis monumentis, a mortalibus ad æternitatis, ut quidem putabant, memoriam conſecratis, accidit, ut ſcilicet temporum iniuriis, atque edacitati, variisque aliis caſibus expoſita, aut peſſum irent penitus, aut exigua ſaltem poſteris ſui relinquerent veſtigia: id infeliciter quoque monumentis ſepulcralibus, atque inter ea Principum etiam quorundam *Auſtriæ*, *Babenber-*

Primorum *Auſtriæ* Marchion. ſepulcra *Mellicii.*

benbergicæ ſtirpis, eveniſſe, dolemus. *Mellicium* erat, munitiſſi-
a mum olim a) ad *Danubium* caſtrum, ubi primi huius ſtemmatis Marchiones, ſi non vivi ſedem, mortui certe ſepulturam ſibi elegerunt. Caſtro, LEOPOLDI I. Marchionis munificentia, poſtquam illud hoſtibus eripuerat, Collegium Canonicorum duodecim, poſtea vero Abbatia Ord. S. BENED. in hodiernum uſque diem cum diſciplinæ regularis, tum doctrinæ laude, honeſtiſſime florens, ſucceſſit. Utrumque ſat firmum, contra quorumvis iniuriam, præſidium eſſe poterat. Nam ſive ea munimenta, a dicto Marchione deſtructa, ex poſt temporis, ut nonnulli coniectant, reſtituta fuerint, ſive ſecus: eorum ſane locum egregie ſuſtinere, quin & ſuperare, videbatur Religioſorum inſtitutio virorum, quibus ſolemne ſemper fuit, fundatorum ſuorum, uti vita fruentium honori, ita morte ſublatorum memoriæ, pro viribus conſulere.

Primigenia haud ſuperſunt.

II. Sed quemadmodum temporum edacitati nihil, ita nec laudata conſilia obſiſtere poterant, ut ne vetera illa ſepulcra *Mellicenſia* ſeſe hominum obtutibus ſubducerent, aliamque, ac primitus habuerant, inducerent faciem. Quantam autem ætatem tulerint, aut quo ſingula caſu interierint, æque incognitum eſt. Longinquitas temporum, incendiorum fata, ædificandi, reſtaurandique neceſſitas, belli, pacisque viciſſitudines, ſingula hæc, aut omnia ſimul, aut unum poſt alterum evertere poterant. Adde, quod Marchionum *Babenbergenſium* ætate
b mos, in *Auſtria* ſaltem, nondum obtinuerit, ut tumuli in eccleſiis b) extantes, prominentesque, vel cryptæ ſub terra auguſtiores, excipiendis Principum funeribus deſtinarentur: ſed ſepulcra duntaxat plana, lapide cooperta, aut ad ſummum lateritia, quæ utique deſtructioni, oblivionique multo magis obnoxia ſunt, quam opera illa magnificentiora.

A viris tamen religioſis eorundem reliquiæ ſollicite collectæ.

III. Sed neque tamen ideo pietas Religioſorum *Mellicenſium* ullo unquam tempore defuit, quin oſſa illa, deſtructis ſepulcris, loco mota, ſollicite colligerent, ac marmorea iam olim honeſtarent tumba. Unde tamen anno MDCCII. denuo educta, ac arcæ ligneæ incluſa, ſigillis munita ſunt, donec perfecta, quam Reverendiſſimus Abbas tum moliebatur, baſilica, exinde in tumbam novam marmoream, eandemque, ut hodie viſitur, auguſtiorem, transferrentur. Factum id eſſe anno MDCCXXXV. die XII. Octobris, teſtantur codicilli, publicæ fidei cauſſa tum conſcripti, quorum exemplum apographum Clar. P.

a) *Conradus* de WITZENBURG, Abbas *Mellicenſis*, Scriptor ſeculi XII. inter Scriptor. *rer. Auſtr. Hier.* PEZII tom. I. col. 291. c. Anonymus *Mellicenſ. Hiſt. fundat.* eiusd. monaſt. *Ibid.* col. 296. c.

b) Ante ſeculum XI. viri quidem Eccleſiaſtici ordinis, at Laici in ipſis eccleſiis raro humari ſolebant. Capitulare CAROLI M. an. DCCCXIII. lib. I. cap. CLIX. & Concilium *Moguntinum*, eodem anno habitum, eos ab eccleſiis, conceptis verbis, prohibet. Huic mandato in *Auſtria* quoque longo tempore obtemperatum fuiſſe, videbimus infra, ubi de ſepulcretis *Clauſtro-Neoburgenſi*, & *San-Crucenſi* differemus. Quid antiquiſſimis temporibus obſervatum fuerit, docet MURATORIUS Annecdot. tom. I. Diſſert. XVII. pag. 185. ſeqq.

P. *Hier.* PEZIO, qui actus illius & oculatus teſtis, & inſtrumenti auctor fuerat, liberalitati debemus.

IV. Haud vero minorem curam conſervandis epitaphiis impenderunt *Mellicenſes*, pereuntibus antiquis, ſubſtituentes nova, ad illa, ut credere par eſt, omni ſtudio exacta. Hæc inter cetera antiquitate facile præcedit illud, quod lapidi olim ſepulcrali inciſum, eodem peſſumdato, ad calcem Chronici *Mellicenſis* manu ſeculi tertii decimi unacum duabus aliis inſcripturis, eidem ſubiunctis, SCHRAMBIUS primum, deinde & LAMBECIUS, ac emendatius tandem laudatus P. PEZIUS a) edidit, qui & lapidem ipſum an. 1297. quo Archiſterium *Mellicenſe* deplorando conflagravit incendio, everſum fuiſſe, coniectat. Idem igitur pro inſtituti noſtri ratione & hic compareat. Ut & epitaphia, quorum vetuſtiſſimum producitur.

a

I.



II.

EPITAPHIUM MARCHIONUM.

Mors quaſi cæca furit, quaſi ventus, hyems rapit, urit,
Cum filiis flores vorat omnis carnis honores.
Quinque ſub hac tumba mortis Proceres tenet umbra:
Quos redimens gratis Deus omnibus adde Beatis.

a) Scriptor. *rer. Auſtr.* tom. I. pag. 312.

Marchio LIUPOLDUS *a verme ſit, igneque ſalvus:*
Huius honor ſedis, fons Cænobii, Pater ædis.
Hac ſitus in foſſa, CHOLOMANNI *Martyris oſſa*
Fratribus HENRICUS *dedit his, Princeps, & Amicus.*
Dormit ADALBERTUS, *hic ſurgat luce refertus.*
Quem ſopor hic urget, LEWPALDUM *gratia purget.*
Vita ſit ERNUSTO, *pars omnibus in grege juſto.*
Confer eis vitam, virtute, fideque petitam.

III.

EPITAPHIUM MARCHIONISSARUM.

O dolor, o luctus! heu væ tuus eſt caro fructus!
Lege pari Dominas ſex legis hic domitas:
RIHKART, & SWENHILT, ALHEIT, & FREWIZA, MEHTILT.
Sexta Puella ruit, IUDITA *dicta fuit.*
Forma jacens, & fama tacens gravium Dominarum
Vota movent, dum fata monet miſeras miſerarum.
Has Deus attulit, abſtulit ut ſtellas Orienti;
Nunc lavet, induat, inſtruat ut ſponſo venienti.
Sex celebres Dominæ celebrant hic vota ruinæ:
RIHKART *ſexta puella datur, bene* IUDITA*que vocatur.*
Juſtus ut ancillas Dominus dedit, abſtulit illas.
Sacris ergo thoris has fœdere jungat amoris.
Hos Cinerem flatus Deus excipe, ſolve reatus.

Ut & aliud inferioris ævi.

V. Aliud epitaphium, minus tamen vetuſtum, numerum Principum, in laudato Archiſterio *Mellicenſi* ſepultorum, indicans, nobiscum liberaliter communicavit idem V. Cl. cuius verſus tres priores iidem fere ſunt cum illis, quos num. mox præced. circulo incluſas, loco primo exhibuimus. Eſt autem huiusmodi:

Quinque pii Proceres & ſex clare Mulieres
Se ſe cum donis noſtris iunxere Patronis,
Nomina ſcripta liber vite tenet, hic lapis oſſa.

a LEOPOLDUS Primus Marchio, Fundator, obiit an. 988. a)

HENRICUS, filius LEOPOLDI, obiit an. 1018. Eius tempore, videlicet an. 1012. Sanctus CHOLOMANNUS martyrio affectus eſt in *Stokerau*, quem ob multa, & manifeſta miracula, HENRICUS b Marchio, approbante Summo Pontifice, per MEGINHARDUM b) c Epiſcopum *Halberſtadenſem*, c) ſolemniſſime *Mellicum* transferri, cud ravit, an. 1015. d)

ADELBERTUS, filius HENRICI, obiit 1056. qui Monaſterio donavit partem miraculoſam Dominicæ Crucis.

ER-

a) Immo 994.
b) Alias MEGINGAUDUM, ſeu MEINGAUDUM.
c) *Aichſtetenſem.*
d) 1014.

ERNESTUS, filius ADELBERTI, obiit 1075. qui donavit Monaſterio lanceam S. MAURITII, & craterem S. UDALRICI.

LEOPOLDUS tertius, filius ERNESTI, obiit 1096. Iſte eſt pater S. LEOPOLDI, eius, qui *Clauſtroneoburgum* de novo fundavit, *Mellicenſe* autem Monaſterium, crebris bellis attritum, reparavit, eiusque dotem ita auxit, ut fundationem omnium ſuorum progenitorum ſuperarit, inſuper ipſum Monaſterium Beato PETRO, & Apoſtolicæ Sedi obtulit, quod exinde libertate, & exemptione data, firmatum eſt an. Chriſti 1110.

RICHARDA, uxor LEOPOLDI I. Fundatoris, ſoror a) HENRICI I. Imperatoris. a

SCHWANHILDIS, uxor HENRICI Marchionis.

ADELHEIDIS, uxor ADELBERTI Marchionis, ſoror PETRI, *Ungarorum* Regis.

METHILDIS, uxor ERNESTI Marchionis, filia DEDONIS, Marchionis *Luſatiæ*.

FRUWIZA, filia OTTAKERI, Marchionis *Styriæ*, uxor autem LEOPOLDI II. eius, qui filius ADALBERTI defunctus, & ſepultus *Treviris*, ante obitum patris.

IUDITHA, filia ERNESTI b) Marchionis, virgo intacta. b

VI. Singulæ hæ inſcriptiones, ut ut, priores inprimis tres, ac prima præſertim, magnam ſibi auctoritatem vindicent: laudatus tamen PEZIUS ex ALOLDO, presbytero de *Pecklarn*, DITMARO, *Merſeburgenſi* Epiſcopo, & monumentis *Mellicenſibus*, novam, eandemque emendatiorem concinandam duxit, nobis pari humanitate ſubmiſſam, quæ ſic ſonat: Epitaphium novum, a Cl. PEZIO adornatum.

LEOPOLDUS *Illuſtris*, HENRICI *Aucupis*, ex ſorore BRUNHILDE pronepos, qui anno Chriſti DCCCCXLIV. in *Auſtriam*, ab OTTONE I. Imp. iure beneficario ſibi collatam, primum adveniens, *Medelikum* (nunc *Mellicium*) munitiſſimam olim arcem, *Hungaris* ex ea fortiter eiectis, in templum, & collegium Canonicorum an. Chr. DCCCCLXXX. commutavit, ac reſignato ſub an. DCCCCXCI. HENRICO filio ſuo *Auſtriæ* principatu, obiit *Herbipoli* VI. Id. Iul. DCCCCXCIV. ætatis ſuæ LXXI. regiminis XLVI. inde biennio poſt *Mellicium* ab HENRICO filio relatus.

HENRICUS, LEOPOLDI filius, vigil in hoſtes, providus in patriæ commoda, devotus ad eccleſias, & ſubditis clemens Princeps. Huius tempore Sanctus COLOMANNUS e veteri *Scotia*, ſeu *Hibernia* oriundus, cum per *Auſtriam* in terram Sanctam contenderet, *Stokerovii* martyrio affectus an. MXII. XVI. Kal. Auguſti, ac poſt mortem multis a Deo miraculis illuſtratus, ipſo HENRICO Marchione iubente,

a) Rectius filia cuiusdam Ducis *Germaniæ Francicæ*. Vid. infra §. XX.

b) LEOPOLDI *Illuſtris*, & RICHARDÆ, eius coniugis. Sic emendat Cl. PEZIUS. Sed vid. §. XXVI. & ult. huius cap.

ac comitante, a MEGINGAUDO, Epiſcopo *Eichſtadienſi*, e tumulo levatus, in eccleſiam *Mellicenſem* translatus fuit an. MXIV. III. Id. Octobris. Extinctus eſt morte ſubitanea HENRICUS MXVIII. III. Non. Decembris, ætat. LVII. regim. XXVII.

ADALBERTUS *Victorioſus*, HENRICI *filius*, particula ſanctæ Crucis, quæ olim S. STEPHANO, *Hungariæ* Regi, dono data fuerat, Canonicis *Mellicenſibus* an. MXLV. collata, vivere deſiit MLVI. VII. Kal. Iun. ætat. LX. reg. XXXVII.

ERNESTUS *Strenuus*, ADALBERTI filius, qui lanceam S. MAURITII, & craterem S. UDALRICI Epiſcopi, Eccleſiæ *Mellicenſi* donavit, in primo bello HENRICI IV. Imp. contra *Saxones* apud *Unſtrutam* fluvium habito, occiſus an. Chr. MLXXV. Id. Iunii, ætat. XLVIII. regim. XIX.

LEOPOLDUS *Pulcher*, filius ERNESTI, S. ALTMANNO Marchio piiſſimus, & BERTHOLDO, *Conſtantienſi* presbytero, fideliſſimus in cauſa S. PETRI contra ſchiſmaticos dictus. Is, amotis ex hoc loco Canonicis, inſtitutum *Benedictinum* primum invexit an. Chr. MLXXXIX. ipſa die S. BENEDICTO ſacra, ſub primo Abbate SIGIWOLDO. Idem pater fuit Sancti LEOPOLDI Marchionis, qui monaſterium hoc *Mellicenſe* ſuper omnes progenitores ſuos munificentiſſime dotavit, eidemque exemptionis prærogativam a PASCHALE II. S.P. ſub annum MCX. impetravit. Diem ſupremum obiit LEOPOLDUS *Pulcher* an. Chr. MXCVI. IV. Id. Octobris, regim. XIX.

MARCHIONISSÆ.

RICHARDA, LEOPOLDI *Illuſtris* coniux, filia Ducis cuiusdam *Franciæ* Orientalis.

SWANHILDIS, uxor HENRICI Marchionis.

ADELHEIDIS (alias Frowiza) coniux ADALBERTI, filia GUILELMI, Comitis *Pictavienſis*, & GEISELÆ, ſororis S. STEPHANI, Regis *Hungariæ*, ac ſoror PETRI, Regis *Hungariæ*. Obiit MLV. III. Non. Februarii.

METHILDIS (alio nomine SWAENHILDIS) uxor ERNESTI, filia DEDONIS, Marchionis *Luſatiæ*.

FRUWIZA, uxor LEOPOLDI, *Fortis Militis* cognomento, qui filius primogenitus ADALBERTI Marchionis fuit, filia vero OTTAKERI, Marchionis *Styriæ*. Obiit an. MLIX. XIV. Kal. Ianuarii.

IUDITHA, LEOPOLDI *Illuſtris*, & RICHARDÆ filia, deceſſit virgo.

Cui accedit alterum ex APIANO.

VII. Hucuſque ſtilus Doctiſſimi PEZII, cui adiungere lubet aliud apud APIANUM, a) ſub hoc rubro legendum:

In dicto monaſterio (Mellicenſi) *ſepulti ſunt Principes* AUSTRIÆ:

a LEOPOLDUS PRIMUS CUM
b VXORE SUAM b) REICHART.

HAIN-

a) Inſcript. Sacroſanctæ vetuſtat. p. CCCCV. b) Sic ibi.

HAINRICVS FILIVS EIVS CVM
VXORE SWINHILD.
ALBERTVS FILIVS HEINRICI CVM
VXORE ADELHAIDE.
DOMINA FROWISA VXOR
LEOPOLDI SECVNDI.
ARNESTVS FILIVS AIBERTI a) MARCHIO- a
NIS CVM VXORE MECHTILDE
ET FILIA IVDITTA.
LEOPOLDVS TERTIVS ARNESTI FILIVS
CVIVS VXOR IN GRECIA MORTVA
SEPELITVR IBIDEM.

VIII. Hæc legens, merito dubites, an ab APIANO, aut AMANTIO, eius ſocio, propriis, an lapidis cuiusdam verbis, referantur? Utcunque tamen ſit, indubium eſt: illos, ſeu potius Illuſtriſſ. *Raymundum*, Comitem de FUGGER, collectionis illius auctorem primarium, rem ipſam ante ducentos, & amplius annos, ex monumentis *Mellicenſibus* hauſiſſe. Convenit præterea cum inſcripturis reliquis, hucusque recenſitis. Ex quibus, ut hoc nunc inferamus, diſcendum eſt: undecim admodum hic loci ſepultos fuiſſe Principes, virilis quinos, ſenas vero muliebris ſexus. Quem numerum veritati conſentaneum eſſe, teſtem habemus, ſat utique locupletem, laudatum *Hier.* PEZIUM, qui, cum an. 1735. arca illa lignea, qua de ſupra meminimus, recluderetur, undecim calvarum, aliorumque ſingulorum oſſium reliquias, ſibi oculis uſurpatas fuiſſe, per litteras nos edocuit. Unde epitaphiorum *Mellicenſium* confirmatur fides, & auctoritas; cum, quod nos de numero docent funerum, veritate niti, poſt tot ſeculorum decurſum patuerit. Et quamvis non conſtet, quanta ætate dicti *Conradi* de WITZENBURG, atque adeo ſeculo XII. ſuperiora ſint: ipſa tamen eorum ſimplicitas magnam præſeferre videntur vetuſtatem.

Horum epitaphiorum auctoritas expenſa.

IX. Omnium igitur Marchionum *Babenbergenſium* primus, LEOPOLDUS, cognomento *Illuſtris*, licet *Herbipoli* primum, ut ſtatim patebit, non multo tamen poſt *Mellicii*, quod recenſita epitaphia loquuntur, humatus fuit. Suffragantur iisdem Scriptores veteres: DITMARUS, *Merſeburgenſis* Epiſcopus b), Annaliſta *Saxo* c), & ALOLDUS *Pecklarienſis* d), qui inſuper circumſtantias mortis eius hunc in modum refert: „ Cum enim in maxima æſtimatione apud omnes eſſet bonus ſenex, etiam PERTWARTUS (alias BERNHARDUS) Epiſcopus *Wirziburgenſis*, eum ad eccleſiam ſuam hoc anno (CMXCIV) invitavit ad hymnum (ſeu feſtum, DITMARUS, & SAXO, Miſſam ſcribunt) ſancti KI-

Leopoldi I. cognomento *Illuſtris*, ſepultura, ac mortis circumſtantiæ. b c d

a) Sic itidem APIANUS, errore utique typi.
b) Scriptor. *Brunſuic.* LEIBNITII tom. I. pag. 352.
c) Corp. Hiſt. med. ævi ECCARDI tom. I. col. 357.
d) Ap. HANTHALER. *Faſtor. Campilil.* p. 1279.

KILIANI, ſecum devote celebrandum: quo & filius HENRICUS (iidem Scriptores nepotem fuiſſe, perperam ſcribunt) ſecum ivit. Ibi cum gaudio, & honore ſuſceptus, dum poſt ſacra, tanquam vir olim bellicoſus, militum ludum ſpectaret, a quodam eorum vindictam ſenſit, quam penitus non promeruit. HENRICUS enim, Comes quidam, unum ex fortiſſimis Militibus Epiſcopi *Wirziburgenſis*, ob ſuperbiæ tumorem, cœpi iuſſit, & oculis privari. Quod factum quidam e propinquis infelicis huius Militis, peſſima ſuſpicione, vel LIUPOLDO, vel filio HENRICO imputans, patrem in ſpectatione ludi mortifera ſagitta ita læſit, ut nihil ei ſupereſſet, quam ut ſe ad mortem Chriſtiano ritu præpararet. Doluit vero maxime LIUPOLDUS, non quod mori deberet, ſed quod in eccleſia *Medelick* requiem non caperet. Quare obteſtatus eſt filium ſuum, ut nunc quidem *Wirziburgi* ſe ſepeliret, primo vero tempore, quo optime fieri poſſet, in OSTERRICHIAM, & MEDELICKUM transferret. „ Obiit autem VI. Idus Iulias, biduo nempe, poſtquam lethaliter vulneratus fuerat, DITMARO, & SAXONE teſtibus, haud contraveniente ALOLDO; ex cuius quippe verbis perſpicuum fit, illum haud ſtatim extinctum fuiſſe.

Difficultas de translatione eius.

X. Hæc vero, licet ex ſe certa, & indubitata ſint, negotium tamen faceſſit translatio corporis eius *Herbipoli Mellicium*, teſte ALOLDO a) biennio poſt i. e. an. 996. a filio HENRICO ſuſceptam. Eius enim aſſerto haud parum obſtare videtur cum DITMARI b) tum
a b c Annaliſtæ SAXONIS c) auctoritas, ſcribentium: ERNESTUM, LEOPOLDI noſtri filium alterum, morti, quam an. 1015. ſimilem fere cum patre oppetiit, proximum, apud eundem *Wirzeburgi* humari petiiſſe. Id enim, ut ſcite animadvertit Cl. CALLESIUS, petere haud potuiſſet filius, ſi cadaver paternum tot annis ante *Mellicium* revectum fuiſſet. Verum nobis equidem ALOLDI verbis plus credulitatis ineſſe, videtur. Cum enim voluntatem patris ultimam, qua corpus ſuum *primo* quoque *tempore Mellicium* referri, etiam cum obteſtatione poſtulabat, ignorare haud potuerit ERNESTUS: conſectaneum foret, petitionem eius aut præpoſteram, aut eidem addendum fuiſſe, ut quo tempore paternæ, eodem & ſuæ ipſius reliquiæ reducerentur: ſecus enim proſpicere utique facile potuiſſet, votum ſuum, quo ad latus patris quieſcere, cupiebat, etſi ad unguem etiam implendum, non niſi temporarium futurum, ac cum translatione parentis in nihilum reciſurum. At qui talia optant, optata ſua perpetuo duratura peroptant, & ex monumentis noſtris conſtat, LEOPOLDI exuvias revectas fuiſſe, ERNESTI non item. Quare fidem, relictis DITMARO, & SAXONE,
d ALOLDO haud immerito arbitramur. d)

XI.

a) Ibid. p. 1280.
b) Lib. VII. p. 403.
c) Ad an. 1015. col. 435.
d) Conf. Cap. II. §. I. ubi hac de re plura.

XI. Alter, *Mellicenſi* tumulo illatus, HENRICUS erat, mox memorati LEOPOLDI *Illuſtris* filius, inter Marchiones *Auſtriæ* ordine ſecundus, qui & ſenior audit. Eius deceſſum ALOLDUS a) his verbis refert: MXVIII. *Marchio* HAINRICUS, *bonus, & iuſtus, ſubito obiit* III. *Non. Decembris, & filio, quem unum habuit*, ADALBERTO, *Marchiam dimiſit, ultro ab hoſtibus ſervandam.* Concordant tam quoad annum, quam fati genus, Scriptores veteres reliqui, DITMARUS nimirum, b) eiusque exſcriptor, iuxta ac emendator, *Annaliſta* SAXO, c) uti & Annales *Hildesheimenſes.* d) De die non æque convenit. DITMARUS, ut Clariſs. HANTHALERUS, & CALLESIUS interpretantur, VIII. Kal. *Iulii* aſſignat. Necrologia contra *Mellicenſe*, & *Scotenſe* IX. Kal. *Iulias.* Qua in re eligat eruditus Lector, quod libuerit: nos, licet cum Cl. CALLESIO Necrologiorum auctoritas, ut ut & illa nonnunquam decipiant, cumprimis ſuſpicienda videatur, ALOLDO tamen; ut cuius fidem in præcedentibus quoque ſat probatam invenimus, una cum Cl. PEZIO accedere haud dubitamus.

Leopoldo ſucceſſit HENRICUS Senior, mortuus an. 1018.

a b c d

XII. HENRICUM excipit ADALBERTUS, cognomento *Victoriofus*, quem alii LEOPOLDI *Illuſtris*, ex HENRICO filio nepotem, e) alii filium, atque adeo HENRICI fratrem faciunt. f) Huic ſententiæ & nos, auctoritate OTTONIS *Friſingenſis*, qui, ut ipſemet perſcribit, huius ipſius ADALBERTI abnepos erat, inducti, g) ſubſcripſimus, quanquam rem, multis circumſeptam eſſe difficultatibus, probe videamus: qualis certe iſta eſt, quod inter ortum LEOPOLDI *Illuſtris*, quem ALOLDUS circa an. 923. collocat, & mortem ADALBERTI noſtri, quem an. 1056. obiiſſe, certo conſtat, raro inter Principes exemplo, anni omnino 133. intercederent.

ADALBERTUS I. LEOPOLDI I. nepos, an filius ſit? certamen eſt,

e f g

XIII. Huic incommodo Cl. CALLESIUS remedium ſe attuliſſe, exiſtimabat, ætatem LEOPOLDI, coniugisque eius RICHARDÆ, quam marito non multo inferiorem recte iudicat, retrahendo, ita, ut ambo coniuges aliquot annis minores evadant, quam eos fecerit ALOLDUS. At veremur ſane, ut remedium iſthoc ſat efficax ſit. Demamus enim vitæ utriusque omnino annos decem, ponamusque, LEOPOLDUM, atque adeo præter propter & coniugem eius, non anno 923. ſed 933. natos eſſe, res tamen nondum in vado erit; quippe quod exinde ſequeretur, LEOPOLDUM vitam ſuam non niſi ad annum ætatis primum, & ſexageſimum perduxiſſe, aut, ſi plurimum, ſecundum ſupra ſexageſimum, attigiſſe. Quod ſi hoc, non videmus, quomodo cohæ-

Difficulter tollendum;

a) Loc. cit. p. 1281.
b) Lib. VIII. p. 423.
c) Loc. cit. col. 449.
d) Apud laudat. LEIBNIT. tom. I. p. 724.
e) ALOLDUS l. c. & cum eo HANTHALERUS. CONRADUS de *Witzenburg* l. c. col. 292. a. Hiſtor. fundat. *Mellicenſ.* ibid. col. 298. b. Tab. *Clauſtro-Neoburg.* ibid. col. 1008. a. HASELBACHIUS ibid. tom. II. col. 696. c.
f) Vid. CALLES. *Annal. Auſtr.* tom. I. in præfat. c. nec non p. 285. not. c. ac p. 315. n. a. Eiusdem ſententiæ noviſſime Cl. P. *Leopoldum* FISCHERUM in *brevi notit.* urbis *Vindob.* P. I. p. 50. etiam eſſe videmus.
g) Pinacoth. *Auſtr.* Proleg. I. p. XX. §. X.

a cohæreat cum eo, quod ALOLDUS a) alias ſcribit, illum iam anno 991. tribus ſcilicet ante necem ſuam annis, gravatum ſenectute bona, gubernacula HENRICO filio detuliſſe. Octo enim, & quinquaginta anni tanti non videntur, ut LEOPOLDO clavum extorquerent. ALOLDO tamen quoad hanc abdicationem, conſentiunt PUSCHIUS, &
b BRUNNERUS, b) ambo Socii IESU. Quorum etſi, unde ſua hauſerit, ſileat ille: nihil tamen ex vano attuliſſe, æquum eſt, ut credamus. Ex ALOLDO ſane, tum adhuc latente, haud profeciſſe potuit. Poſterior autem conceptis verbis affirmat: vidiſſe ſe diploma HENRICI, LEOPOLDI *Illuſtris* filii, ante annum 994. ſignatum, quo quidem nullum certius ſpontaneæ abdicationis eius documentum afferri poterat.
c Unde Cl. HANSIZIUS, c) ALOLDUM pariter ignorans, in aſſerto BRUNNERI, quem alias auctorem locupletiſſimum una cum CALLESIO agnoſcit, fruſtra hæſitans, illud in medio relinquit.

Prodentibus ſeſe duobus aliis obſtaculis.

XIV. Quod ſi vero octo & quinquaginta anni LEOPOLDO ſat cauſſæ dediſſe videntur, ut abdicandi conſilium caperet: adhuc tamen duo ſe ſe oſtendunt incommoda, æque difficulter tollenda. Fac enim, RICHARDAM, LEOPOLDI, ut ſatis conſtat, uxorem unicam, revera anno primum 933. natam fuiſſe: pariter admittere cogeris, ADALBERTUM, ſi ſero admodum, anno eiusdem ſeculi 82. aut 83. qui tum RICHARDÆ quinquageſimus fuiſſet, in hanc lucem veniſſe. At naturæ viam, ordinariam ſaltem, ſi ſpectemus, mulieres hac ætate parere deſinunt. Alterum ad ADALBERTUM filium ſpectat, qui, ſi dicto anno 82. aut 83. primam aſpexit lucem, conſequens eſt, ut patris ſenectutem ſuperaverit, atque annos tres, & ſeptuaginta conſecutus fuerit: cum contra pater non niſi primum, & ſexageſimum compleſſet. At de huius, non de illius grandævitate loquuntur Scriptores, quanquam & hunc ad iuſtam prorſus ætatem perveniſſe, dubio careat. Sequeretur adhuc: ADALBERTUM anno ætatis 67, aut 68, ad 70, aut 71, tribus ſcilicet continuis annis, bellicis laboribus parem fuiſſe; ut qui an. 1050, ducto in *Hungaros* exercitu, eos ab *Heimburgo* pepulit, proximis duabus expeditionibus virtute ſua Cæſari HENRICO III. ita probata, ut eapropter aliquot fundis agreſtibus ab eodem donari
d meruerit, ut ipſe CALLESIUS fuſius deſcribit. d) His accedit nimia, ac prope incredibilis inter par fratrum obitus diſtantia; quorum quippe alter, HENRICUS ſcilicet, ut certiſſime conſtat, an. 1018. ADALBERTUS vero, de quo non minus convenit, anno primum 1056. obiit, diſcrimine octo, & triginta annorum. Utrumque tamen Marchionatui

a) Loc. cit. p. 1279. *Poſtquam Illuſtris Marchio* LIUPOLDUS, *fortis, prudens, & bonus, gubernaſſet quadraginta octo annis, ſenectute bona ſe iam gravante, Marchiam hanc filio ſuo regendam, ac defendendam manu forti, ac vegeta, commiſit, ipſi conſilium ſuum promittens. Vacabat poſtea operibus pietatis, ſæpe in eccleſia ſua* MEDILICK *delectatus: donec pro corona* DEUS *mortem innocentem ſibi deſtinaret.*

b) Apud laud. HANTHALERUM elog. I. §. II. n. XVI. pag. 70. Ille in *chronologia ſacra Ducatus* STYRIÆ, hic in *Annalibus Boiorum.*

c) *Germ. Sacr.* tom. I. p. 231.

d) Loc. cit. p. 348-50.

natui præfuiſſe, utrumque ad iuſtam, nec tamen decrepitam ætatem perveniſſe, æque exploratum eſt. Sed neque tamen immatura morte ſublatos fuiſſe, dici poteſt. Sane quicunque HENRICI, de quo ſolo dubitari poſſet, obitum recenſent (recenſent autem plures) nemo illum præcoci morte ſubductum fuiſſe, memorat, quin potius compertum habemus, eum, poſt patris exitum, *Marchionatum* annis quatuor, & viginti rexiſſe.

XV. Hæc etſi aperte adeo abſurda haud ſint, fatendum tamen eſt, eiusmodi eſſe, ut ad ſingularia accedant propius, &, ſi revera contigiſſent, etiam ut ſingularia in litteras relata fuiſſe a veteribus, credibile eſt. Deinde, ut de ALOLDI erroribus, quos in una hac narratione ingenti ſane numero commiſiſſet, nihil dicamus (qui tamen; utpote ADALBERTO, quo de hic ſermo eſt, Marchioni a ſacris obſequiis, ſuſpiciendus vel maxime foret) veriſimilius ſane eſt, LEOPOLDUM *Illuſtrem* ſeptuagenarium prope ceſſiſſe regimine, quam quinquagenario maiorem: & vice verſa ADALBERTUM quinquagenario maiorem bellicas ſuſcepiſſe expeditiones, quam prope ſeptuagenarium. Quibus ita ſe habentibus, deſerto OTTONE *Friſing.* ALOLDO, ætati illi proximiori, accedendum putamus. Quæ magis urgentur.

XVI. ADALBERTUM hunc noſtrum *Mellicii* humatum fuiſſe, fide inſcriptionum ſepulcralium, ſupra adductarum, adſtruimus, calculum adiiciente ALOLDO. Sedem præterea ibidem ſtabilem habuiſſe, cum tabulis *Clauſtro-Neoburgenſibus*, *Vitus* ARENPECKIUS affirmat. Obiiſſe autem an. 1056. chronicon *Mellicenſe* a) paucis verbis innuit: *MLVI.* ADALBERTUS *Marchio obiit*: *filius eius* ERNUST *ſucceſſit.* Totidem fere verba chronicon *Salisburgenſe*, b) & *Clauſtro-Neoburg.* c) habent. Copioſior eſt ALOLDUS, eius ab an. MXXXIV. Sacellanus, d) dicens: ADALBERTUS, *Marchio Illuſtris, Princeps meus pius, fortis, victorioſus, benignus, poſt annos ætatis ſuæ ſexaginta, regiminis anno triceſimo ſeptimo, pie moritur VII. Kal. Iunii, & in* MEDILIK *apud patres requieſcit. Succedit* ERNUSTUS *filius, pariter fortis, & probus: qui iam tum ex uxore* MECHTILDE *filium habuit ſpecioſum*, LIUPOLDUM. Vixit itaque ADALBERTUS, ſi hunc ipſum auctorem, qui eius ortum cum anno 996. componit, ſequamur, annos ſexaginta, rexit triginta octo. Sunt, qui eius morti aut annum 1054. vel 55. aſſignant, quos inferiori loco habemus; maxime cum præter allegatos, chronicon quoque *Auſtrale*, BERNARDUS *Noricus*, chronicon *Zwetlenſe*, aliique nobis adſtipulentur. ADALBERTUS, *Mellicii* tumulatus an. 1056. a b c d

XVII. Quarto loco monumentis *Mellicenſibus* illatus eſt ERNESTUS *Strenuus*, ADALBERTI filius minor, &, ut mox videbimus, ſucceſſor. Is in celebri prœlio, ab HENRICO III. Imp. ad *Unſtrutam* fluvium ERNESTI *Strenui* cædes an. 1075.

a) Ap. *Hier.* PEZ. tom. I. col. 225. a.
b) Ibid. col. 341. b.
c) Ibid. col. 438. b.
d) Loc. cit. p. 1284.

fluvium cum *Saxonibus* feliciter commiſſo, lethali accepto vulnere, fortiter occubuit. Refert id diffuſe, iuxta ac diſerte, LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis*, iis temporibus æqualis, ad annum MLXXV, quo illud contigit, a) ubi inter cetera de ERNESTO noſtro: *Ibi* ERNOST, *Marchio* BAIOARIORUM, *vir in regno clariſſimus, & multis ſæpe adverſus* UNGAROS *victoriis inſignis, graviter vulneratus eſt, & cum in caſtra ſemivivus relatus fuiſſet, poſtero die expiravit.* Eius igitur obitus, ex mente LAMBERTI, recte ad annum 1075. conſignatur, ſuffragantibus præterea Scriptoribus ceteris, mox laudandis: cumque, ALOLDO teſtante, anno MXXVII. natus ſit, patrique an. MLVI. ſucceſſerit, anni ætatis 48. regiminis 19. emergunt. b)

a

b

Et quidem IX. *Iunii*, *Mellicii* ſepultus.

XVIII. De die mortis non ita expeditum eſt. Cum enim prœlium iſthoc BERTHOLDUS, *Conſtantienſis* presbyter c) VI. Idus *Iunias*, *Marianus* SCOTUS d) V. Idus, *Annaliſta* SAXO e) Idus *Iunii* feria tertia commiſſum fuiſſe, ſcribant: dubium eſſe poſſet, qui dies ERNESTO noſtro, quem poſtridie eius certaminis animam efflaſſe, intelleximus, revera fatalis fuerit? Verum cum chronicon *Mellicenſe* morti eius feriam tertiam diſerte aſſignet, atque unacum Necrologio eiusdem Archiſterii V. Idus *Iunii* addat, id quod & Necrologium *Clauſtro-Neoburg.* facit: haud abs re ſtatuendum videtur: illum V. Idus *Iunii*, ſeu nono eiusdem menſis, obiiſſe, id eſt die, prœlium illud, quod in feriam ſecundam, ſeu VI. Idus *Iunii* inciderat, inſequente. Cadaver illius, in *Auſtriam* deportatum, ac *Mellicii* cum anteceſſoribus ſuis tumulatum fuiſſe, ſæpe laudatus *Mellicenſis* lapis fidem facit, colligiturque ex citato LAMBERTO, prioribus hæc ſubiungente verba: *Sequentem diem in eisdem caſtris agentes, occiſos terra obruunt. Qui clariores inter eos, ditioresque extiterant, in patriam, unde quisque oriundus erat, ſepeliendos remittunt.* Quidni ergo & Marchionis noſtri corpus, inter *clariores*, *ditiores*que facile principis, in patriam, apud avos condendum, reportatum fuerit? Similia habet *Annaliſta* SAXO. De lancea S. MAURITII, qua de in lapide ſepulcrali *Mellicenſi* mentio fit, egimus tomo ſuperiori P. I. proleg. I. p. VII. §. VII. De cratere autem S. UDALRICI videri poterit R. P. *Philibertus* HUEBERUS, ibidem laudatus.

c d e

XIX.

a) Ap. PISTOR. edit. STRUV. tom. I. p. 388.

b) Huic ERNESTO filius adſcribitur ADALBERTUS, ſeu ALBERTUS, cognomento *Levis*, ſeu *Lubricus*, quem in rerum natura unquam extitiſſe, alii, quos inter noviſſimus Cl. CALLESIUS eſt, negant, dubitant alii, quibus ultimis nos ipſi quoque *Pinacoth. Auſtr.* proleg. II. §. XIV. p. XXIII. ſubſcripſimus. At extat modo inter *Monumenta Boica* Vol. III. p. 245. num. XXXII. charta traditionis, ex tabulario *Ranshofano* educta, ac circa annum 1070. data, cum hac ſubſcriptione: *Huius traditionis teſtes extitere:* ERNEST. *Marchio*, ADALPERO *Marchio*, ut adeo de eius exiſtentia haud amplius dubitari, poſſit. Unde tamen minime inferre velimus, cetera, quæ de eius, fratrisque LEOPOLDI, turpi quodam facinore iam olim circumferebantur, non inter aniles fabulas iure, meritoque ablegari; utpote, quæ a Cl. *Hier.* PEZIO in Diſſert. VI. collectioni ſuæ *Scriptor. Rer. Auſtr.* tom. I. præmiſſa, argumentis etiam aliunde petitis, iisdemque ſatſolidis, refutata, & exploſa fuere.

c) Ap. URSTIS. ad h. a. pag. 346.

d) Ap. laudat. PISTOR. tom. I. p. 654. col. 1.

e) Loc. cit. col. 518.

XIX. Ultimus, cui ex Marchionibus ſepultura apud *Mellicenſes* obtigit, LEOPOLDUS erat, ERNESTI *Strenui*, ex SUAENHILDE filius, cui *Pulchri* agnomen iam inde a primis incunabulis (haud ſecus, ac PHILIPPO *Pulchro*, MAXIMILIANI I. Imp. filio, obtigiſſe, alibi advertimus) adhæſiſſe, ex verbis ALOLDI §. XVI. recitatis, ubi illum adhuc infantem, *ſpecioſum* appellitat, coniicimus. Obitum eius BERTHOLDUS *Conſtantienſis*, a) *Annaliſta* SAXO, b) chronicon *Wirziburgenſe* c) ac S. PANTALEONIS d) ad an. 1095. referunt, qui, quod æquales omnino fuerint, magnam certe ſibi poſtulant fidem, ita tamen, ut & Cl. CALLESIUS, e) *difficile dictu* exiſtimet, utrum his, an aliis, quos ibi haud exiguo numero adducit, accedendum ſit? Quales ſunt auctores chronicorum *Auſtralis*, *Mellicenſis*, *Salisburgenſis*, *Clauſtro-Neoburgenſis*, *Zwetlenſis*, & *Admontenſis*, qui mortem LEOPOLDI uno ore in annum ſequentem 1096. reiiciunt. Iisdem ſuffragium ferunt ORTILO *Campililienſis*, & LEWPOLDUS de *Newburga*, quorum verba ab eodem CALLESIO recitantur. Necrologia, *Mellicenſe* & *Neoburgenſe* diem quoque produnt, ad menſem Octobrem notantes: *IV. Id.* LIUPULDUS *Marchio, qui vitam monachicam hic* (*Mellicii* nempe) *inſtituit, obiit.* Et enim poſterioribus magis, quam prioribus, cur non fidamus? domeſticis quippe præ peregrinis, iisdemque ut plurimum non minus vetuſtis. Longius abit chronicon *Reicherſpergenſe*, f) annum MLXXXVI. innuens, numero denario a librariis ex incuria, ut Cl. HANTHALERUS g) iam obſervavit, facile excidente. Ceterum Marchionem hunc mundo anno circiter 1050. datum, ex ALOLDO coniectat mox laudatus HANTHALERUS; h) ut adeo annos ætatis haud plures, quam ſex, & quadraginta aut attigerit, aut nonnihil ſuperaverit, regimine in annum primum, & viceſimum protracto.

LEOPOLDUS *Pulcher, Mellicii* ſepultus, quo die, & anno ætatis obierit? a b c d e f g h

XX. Poſt Marchionum nomina, in ſæpe laudato *Mellicenſi* veteri marmore uxoribus quoque illorum locus datur. Primum, ut par erat, RICHKART, quæ aliis RICHINZA, RICHEZA, genuine autem RICHARDA, aut RICHARDIS audit, occupat, qua de nonnihil paullo ſupra diſputavimus. Mortis eius genus haud minus, quam tempus, in obſcuro verſantur, quemadmodum & familia, unde ortum duxit, prope in incerto eſt; quanquam Ducis cuiusdam *Franciæ Germanicæ* filiam fuiſſe, cum GOLSCHERO, Scriptore, ſub initium ſeculi XII. deſinente, perſuaſum ſit. Fuerunt, qui eam HENRICI, cognomento *Aucupis*, Regis *Germaniæ*, ſororem ex OTTONE, *Brunſuicenſium* Duce, ortam putarunt, i) ſed invita Minerva.

RICHARDÆ, *Mellicii* ſepultæ, ætas incognita, i

XXI.

a) Loc. cit. ad h. a.
b) Loc. cit. col. 576.
c) Ap. LUDEWIG. Scriptor. *rer. Wirzburg.* pag. 1010.
d) Ap. ECCARD. tom. I. col. 909.
e) Cit. lib. VII. pag. 422. not. a.
f) Ap. LUDEWIG. Scriptor. *rer. Bamberg.* P. II. p. 232.
g) Loc. cit. Elog. V. §. IV. n. XXI. p. 150.
h) Ibid. ſub fin. & pag. 123.
i) Vid. idem Elog. l. p. 72. CALLES. l. c. lib. V. p. 284.

Ut & Swanehildis.

XXI. Quæ in dicto *Mellicenſi* ſaxo proxime ſequitur, SUENHILT, ſeu SWANEHILDIS, uxor HENRICI I. erat, etſi Cl. CALLESIUS de ea *merito dubitari poſſe*, autumet, cauſſam interſerens: *quod unica tantum* SWANEHILDIS *inter monumenta ſepulcralia* MELLICII *nominetur, eaque manifeſte* ERNESTI *Marchionis coniux, in litteris ipſius* ERNESTI (de quibus infra) *appelletur*. Verum cum Marchioniſſarum ibidem non minus, ac Marchionum nomina ordine chronologico legantur, SWANEHILDIS autem ante ADELHEIDEM, ADALBERTI *Victorioſi* coniugem, collocetur, non poteſt non illa HENRICI I. coniux intelligi. Unde & novum dictis noſtris ſupra §. XII. & XV. robur accedit, nec eadem ex ratione HOFFMANNO, a) poſt ECCARDUM, SWANEHILDEM ex albo Marchioniſſarum ideo expungendam cenſenti, quod HENRICUS cœlebs obierit, accedere poſſumus. Nam præterquam quod lapidi *Mellicenſi* integram fidem nemo facile abiudicaverit, ſupra ſane oſtendendum ſuſcepimus, ADALBERTUM HENRICI, non LEOPOLDI *Illuſtris* filium fuiſſe. ALOLDI ſane verba id clare innuunt, dicentis: *Huic* (HENRICO) *hoc anno* (CMXCVI.) *ex coniuge* SWENHILD *filius* ADALBERTUS *feliciter natus eſt*. Eidem conſentiunt tabulæ *Clauſtro-Neoburg.* ARENPECKIUS, & HASELBACHIUS, aliique, ſupra laudati. Iidem quoque teſtes ſunt, *Mellicii* humatam fuiſſe. De proſapia tamen nihil uſquam meminerunt antiqui, annos vitæ itidem reticentes.

a

Adelheidis, ſeu Frowiza, Adalberti *Victorioſi* uxor, binominis.

XXII. In eodem marmore *Mellicenſi* tertio loco occurrit ALHAYT, ſic etiam appellata ab ALOLDO *Pecklarienſi*, ADALBERTI I. coniux. Verba illius ad an. MXXI. ſunt hæc: ADALBERTUS b) *nuptias fecit cum* ALHAIDE. Et ad an. MLV: ALHAID, ADALBERTI *Marchionis coniux, devote moritur, & in* MEDELICK *ſepelitur III. Non. Februarii.* Cum vero hæc eadem in duobus HENRICI III. diplomatibus, quorum alterum an. 1048. alterum an. 1051. ſignatum fuit, ap. Reverendiſs. Abbatem *Gottwicenſem* reperiundis, aperte etiam FROWIZA appelletur: hæc res Clar. duumviros, HANTHALERUM c) & CALLESIUM d) haud ſegniter commiſit. Nos vero iam alibi e) animadvertimus, circa illa tempora haud raro contigiſſe, ut fœminæ illuſtres nomina ſua aut mutarent ipſæ, aut ab aliis, maxime cum ſe ſe nuptui darent, nova ſibi imponi, paterentur, ita quidem, ut ſi non frequentius, interdum ſaltem, binomines evaderent. Quod ſi exempla, ibidem adducta, alicui fortaſſis a temporibus, de quibus nunc agimus, remotiora videantur, commodum occurrit Sancta CUNEGUNDIS, HENRICI S. uxor, de qua HERMANNUS *Contractus* ad an. 1038. f) ELIPHTRUDA, inquit, *quæ &* CUNEGUNDIS, *Regina*

b c d e

f

a) Diſſert. General. hiſtor. ſtemmatis *Babenberg.* p. 12. Eidem ſubſcribit HANSIZIUS.

b) L. c. ad an. MXXI. p. 1281.

c) Vid. *Faſt.* eius *Campilil.* paſſim, præſertim pag. 87. & in append. apologetica poſt pag. 1324.

d) Annal. *Auſtr.* præfat. & lib. II. p. 331. not. c.

e) Tomo præced. P. I. proleg. II. pag. XL. §. XLVIII.

f) Ap. PISTOR. *Scriptor. Rer. Germ.* tom. I. p. 276.

gina--XV. Cal. Auguſti obiit. Extat quoque apud Doctiſs. *Bern.* PEZIUM diploma HENRICI I. Ducis *Auſtriæ*, datum anno MCL. ubi is coniugem ſuam THEODORAM, quæ & in aliis inſtrumentis hoc nomine occurrit, DOROTHEAM appellat. a) Quod diſcrimen ſcite exponit Cl. frater eius, b) obſervans: idem nomen eſſe THEODORÆ, & DOROTHEÆ, quod Græce DEI *donum*, & *donum* DEI ſignificat. Unde id ipſum quoque de ADELHAIDE ſecure tenendum eſſe, arbitramur; quippe quod FROWIZÆ nomen diplomata, equidem indubitata, ADELHAIDIS autem non ALOLDUS modo, ſed & Scriptores rerum *Auſtriacarum* plerique c) produnt, adſtipulante præſertim ſepulcrali marmore *Mellicenſi*. Nam ut duas illi ordine uxores, quarum prior ante annum 1048. fatis conceſſerit, nullo ex veteribus teſte, tribuamus, aut ADELHEIDEM, ADALBERTI nurum potius, quam coniugem, ut in alterutram harum opinionum Clar. CALLESIUS d) propendere videtur, res aleæ plena foret, nec videmus ſane, cur non prolatæ interpretationi acquieſcendum ſit. ADELHEIDEM, ſeu FROWIZAM hanc, PETRI, *Hungariæ* Regis ſororem fuiſſe, per extenſum docet Illuſtr. ab ECKARD. e)

a
b
c
d
e

XXIII. De anno obitus eius non ſatis liquet. Ante annum tamen 1058. haud extinctam fuiſſe, ex diplomate HENRICI IV. eodem anno ſignato, & Clar. CALLESIO in repertorio veteri Tabularii Cæſarei viſo, f) intelligitur. Id quod in cauſſa eſt, ut ALOLDO, mortem eius triennio, ut vidimus, prævertenti, hac vice accedere nequeamus. Multo igitur veriſimiliora tradit, qui &, Clar. eius editore, *Hier.* PEZIO, in obſervationibus præviis monente, coævi vice eſſe poteſt, continuator chronici *Mellicenſis*, g) obitum eius ad an. MLXXI. in hæc verba conſignantis: ADELHEIDA MARCHIONISSA OBIIT, quibus alia manus adiecit: *vidua* ALBERTI *Marchionis* AUSTRIÆ *VII. Kal. Februarii*, *ſcilicet* POLYCARPI *Epiſcopi*. Conſentiunt quoad hunc diem Necrologium itidem *Mellicenſe*, h) nec non & *Clauſtro-Neoburg.*

Annus, & dies eius emortualis an. 1071.

f
g
h

a) Theſ. anecdot. noviſſ. tom. VI. cod. Dipl. P. I. col. 353. num. CXXI.

b) Scriptor. *rer. Auſtr.* tom. I. Diſſert. II. p. XXXI. §. XX. Idem, ut hoc momento advertimus, plura eiusmodi exempla Hiſt. S. LEOPOLDI cap. I. num. I. & II. congerit, ubi & trinomias, & quadrinomias producit. Inter collectanea quoque STEYERERI ex codice *Ambraſiano* 340. veteris cuiusdam Poetæ excerpta afferuntur, ubi de LEOPOLDO VII. *Glorioſo* hos verſus legimus:

daz iſt Herzog LEUPOLT,
do daz got wolt,
daz er im ein frawen nem,
die im wol gezem.
- - - - -
Ein fraw er ze kan nam,
die von tugend ein pluem der ſtam,
und geporen aus *Kriechn* lant,
der frawn vater waz ſo genannt,
Chunig EMANUEL,
ſi waz im liebſam ſein ſel,
und waz gehaiſſen THEALORA, (Theodora)
man hiez ſi ze *Oſterrich* her na
nach deuſcher ſprach GERTRAWT,
ſi ſchaf paide ſtill, und laut.

Videatur omnino laudatus PEZIUS hiſt. S. LEOPOLDI p. 3. ubi hos ipſos verſus, variante tamen nonnihil lectione, adducens, rem extra omne dubium poſuiſſe videtur.

c) Hos colligit laudat. CALLESIUS l. c. not. b.

d) Loc. cit. p. 331. nota c.

e) Orig. Princip. *Saxon. Super.* præfat. §. XXXII.

f) In ſæpe laud. præfat. & L. VI. p. 360. n. c. eiusdem mentio fit etiam ap. LUDEWIG. *reliq.* tom. IV. lib. VI. p. 249. ſeq.

g) Ap. laud. *Hier.* PEZIUM col. 226.

h) Ibid. col. 303.

a b *Neoburg.* a) quin & eiusdem nominis tabulæ, b) ac *Vitus* ARENc PECKIUS, c) qui & una proſapiam eius indicat, ADELHEIDEM ſororem PETRI, *Hungariæ* Regis, appellans.

FROWIZÆ, UX. LEOPOLDI II. mors, & ſepultura.

XXIV. ADELHEIDI in marmore *Mellicenſi* ſuccedit FREWIZA, ſeu FROWIZA, quam HASELBACHIUS d) ARENPECKIUS e) tabulæ *Clauſtro-Neob.* f) & iis multo vetuſtior ALOLDUS g) LEOPOLDI II. uxorem faciunt, cuius verba ad an. MLIX. ſunt hæc: FRUWIZA, *quæ uxor fuit* LIUPOLDI, *qui fuit* ADALBERTI *Marchionis filius, & poſt eum remanſit, hoc anno obiit, apud* MEDELICK *ſepulta XIV. Kal. Ianuarii.* Quibus tamen non obſtantibus, Clar. HOFFMANNUS, ALOLDUM ignorans, dubium iniecit, an non ſuæ magis, qua FROWIZAM, LEOPOLDI matrem, non coniugem, fuiſſe pertendit, opinioni ſtandum ſit, nosque ipſos aliquando in ſuam opinionem pene h pertraxit. h) At matrem cum nuru confudiſſe videtur, ſecundum mox dicta. Id extra controverſiam eſt, FROWIZAM *Mellicii* quieſcere. Genus, & familia ignorantur.

MECHTILDIS, ſeu SWANEHILDIS, UXOR ERNESTI *Strenui*, itidem binominis, *Mellicii* ſepulta.

XXV. Sequitur MECHTILT, ſeu MECHTILDIS, cuius genus Annales *Vetero-Cellenſes* apud MENCKENIUM i) ex Marchionibus *Luſatiæ*, patre DEDONE, accerſunt, accedente chronico *Miſſnenſi* ap. SCHANNATUM. k) De hac Principe idem certamen eſt, ac de FROWIZA, quam paullo ſupra §. XXII. produximus. Nam licet præter ALOLDUM, temporibus iis æqualem Principumque vernaculum, vetuſtus quoque, ac ſæpe memoratus lapis *Mellicenſis*, idem ei nomen tribuant, quin & ex SUNTHEMII tabulis HASELBACHIUS, & ARENPECKIUS i k (quanquam hos ſe invicem exſcripſiſſe, aut dictum marmor ante oculos habuiſſe, facile concedamus) in idem conſpirent, certum tamen l pariter eſt, in diplomate apud HUBERUM, l) SWAENEHILDEM appellari. Quod ut rite componatur, quid præſtabilius? quam dicere, Principem hanc non minus, quam ſupra laudatam FROWIZAM, binis, aut ſecundum laudatos Annales *Vetero-Cellenſes*, ac chronicon *Miſſnenſe*, qui eam ADELHEIDEM nuncupant, etiam trinis compellatam fuiſſe nominibus. Neque enim cum Cl. HANTHALERO m) duas m ERNESTO coniuges, omni veterum auctoritate deſtituti, tribuere poſſumus. De ſepultura, eidem *Mellicii* obtingente, præter ſæpe citatum *Mellicenſe* ſaxum, Scriptores etiam, ſequioris tamen ævi, mentionem faciunt; ut ſunt tabulæ *Clauſtro-Neoburg.* n) HASELBACHIUS n o p o) & ARENPECKIUS. p) De tempore obitus nihil nobis conſtat.

XXVI.

a) Ibid. col. 439. b. & col. 491.
b) Ap. *Hier.* PEZ. l. c. col. 1031. b.
c) Ibid. col. 1181. c. d.
d) Ibid. tom. II. col. 696. c.
e) Ibid. tom. I. col. 1182. a. b.
f) Ibid. col. 1009. a. b.
g) Loc. cit. p. 1284.
h) Tom. præced. proleg. II. p. XXXIV. §. XXXIX.
i) Scriptor. *rer. German.* tom. II. col. 381. c.
k) Vindem. Litter. collect. II. p. 75.
l) In *Auſtria* ex Archiv. *Mellic.* illuſtrata p. 1.
m) Faſt. *Campilil.* Elog. IV. p. 104. ſeq.
n) Ap. *Hier.* PEZ. l. c. col. 1009. d. & 1032. a.
o) Ap. eund. tom. II. col. 696. d.
p) Ibid. tom. I. col. 1184. c.

XXVI. Extremum in mox iterum citato *Mellicenſi* lapide locum nomen IUDITHÆ occupat. Hanc Cl. PEZIUS, in ſupra adducto emendatiori epitaphio, filiam LEOPOLDI *Illuſtris* facit. At quo minus viro Doctiſſimo accedere valeamus, ideo fit; quod rem ſufficienti teſtimonio deſtitutam videamus. Unam IUDITHAM novimus, quam auctores hiſtoriæ *Auſtriacæ*, vetuſtos inter, ac recentiores medii, §. præcedente allegati, produnt, ERNESTI *Strenui*, ex MECHTILDE, ſeu SWANEHILDE filiam, quæ virgo obiens, *Mellicii* humata fuerit. HASELBACHII verba loco iam excitato ſunt hæc: *Reliquerunt* (ERNESTUS, & MECHTILDIS) *filiam, nomine* IUDITHAM, *quæ in virginitate deceſſit, in* MELLICO *ſepulta.* Concordant tabulæ *Clauſtro-Neoburg.* & *Vitus* ARENPECKIUS.

Uti & ultimo loco IUDITHA, ERNESTI *Strenui* filia.

CAPUT II.

DE FUNERIBUS PROLIUM, AC NEPOTUM LEOPOLDI ILLUSTRIS, USQUE AD LEOPOLDUM SANCTUM.

§. I.

LEOPOLDUM *Illuſtrem*, *Herbipoli* primum, ubi, fatali ictus ſagitta, mortem oppetiit, funeratum, ac biennio poſt *Mellicium* in *Auſtriam* translatum fuiſſe, ſupra retulimus. Cum enim credibile haud eſſe, ibidem tueamur, quod aſſerunt, ERNESTUM eius filium, morti proximum, *Herbipoli apud patrem* ſepeliri, petiiſſe, novum modo difficultatis nodum involvit, quo ambiguum redditur, ubinam locorum ille demum requiem invenerit? Nam niſi id *Herbipoli* factum; cum in *Auſtria*, & *Suevia* nihil occurrat, ſepulcrum eius plane ignorari, fatendum foret. Hæc ſane reponere poſſunt, qui DITMARI auctoritate ducti, ERNESTUM *Herbipoli apud patrem* terræ redditum fuiſſe ſibi perſuadent. At non minor difficultas ex hac ipſa eorum hypotheſi repullulat. Ea enim accepta, cur, translato patre (id quod factum fuiſſe, nemini dubium eſt) translatus non fuiſſet & filius? quippe cuius deſiderium, pone patrem cubandi, temporarium, ut ibidem innuimus, eſſe haud poterat. Quare nobis quidem ambiguum iam non eſt, ERNESTUM *Herbipoli* quidem ſepultum fuiſſe, ſed non apud patrem.

ERNESTUS I. Dux *Alemanniæ*, *Herbipoli* ſepultus,

II. Non minoris difficultatis quæſtio ſe ſe exſerit, num ERNESTUS patre LEOPOLDO *Illuſtri*, an vero HENRICO, illius filio, natus ſit? HANTHALERUS a) eo quod ALOLDUS ſuus eundem alto premat ſilentio, ex

LEOPOLDI *Illuſtris* filius erat.

a) Loc. cit. Elog. I. §. III. n. IV. p. 74. ſeqq.

ex albo Marchionum expunctum voluit. Sed voluit nimium; quando Clar. CALLESIUS a) ex teſtimoniis, ab ECCARDO iam congeſtis, rem extra dubium ponit. Iuvat hic exſcribere, quod brevis Annalium *Einſidlenſium* Scriptor ſynchronus ap. MABILLONIUM b) ad annum MXII. his verbis notat: ERNIST, *filius* LIULPALDI *Marchionis, Dux conſtituitur.* Quod quidem teſtimonium quantivis roboris eſſe, recte ſentit vir doctus, & inter cetera exinde etiam convincitur, quod auctor ERNESTO *Duci & loco* vicinus, *& tempore* non *vicinus* modo, quod quidem ibi notat, ſed & in ipſo Ducatu *Alemanniæ*, cui ERNESTUS præfuit, vixerit; quippe quod monaſterium *Einſidlenſe*, ut nos quidem alibi obſervavimus, in eodem *Alemanniæ* Ducatu ſitum fuerit. Addit & teſtes alios plane idoneos, DITMARUM puta, WIPPONEM, HERMANNUM *Contractum*, & OTTONEM, *Friſingenſem* Epiſcopum, quibus viris non arbitrari fidem, piaculum foret. Unde audiendas haud putamus tabulas *Clauſtro-Neoburg.* c) & *Vitum* ARENPECKIUM, d) Scriptores ſcilicet ſequioris ætatis, qui eum HENRICI I. filium conſtituunt. Eodem loco habemus HASELBACHIUM, illum eiusdem HENRICI privignum appellantem, e) ac præterea in eo hallucinatum, quod GISILAM, ERNESTI huius coniugem, LUDOLPHO, Marchioni *Saxoniæ*, primis nuptiis coniunctam fuiſſe, ſcribat. ALOLDI ſilentium nec ſibi ipſi, nec huic aſſerto fraudi eſſe poteſt. Fatetur enim ORTILO, f) eius exceptor, & reſtitutor, ſe, quidquid notaverit, in *cedulas plures de membranis remanentes* relatum habuiſſe, atque *hæc fragmenta, ne pereant, puſillum librum conſcribere cœpiſſe.* Quam pronum igitur fuit, ut una, alterave harum ſchedularum eidem excidente, ALOLDUM haud integrum daret?

a b c d e f

Eius dies, & annus emortualis.

III. Mortem ERNESTO an. MXV. ultimo *Maii*, qui tum in feriam Pentecoſtes tertiam inciderat, illatam fuiſſe, DITMARUS g) auctor eſt. *His diebus feſtivis*, inquit, ERNESTUS, *inclytus* ALEMANNIÆ *Dux, pueri Succeſſor* HERMANNI, *cum in ſilva quadam illicite* (id DITMARUS propter feſtum *Pentecoſtes* addit) *venaretur, ab uno militum ſuimet* (HERMANNUS *Contractus*, & chronicon *Mellicenſe* ad h. a. ADALBERONEM Comitem nominant) *plus ignorantia, quam voluntate ſpontanea, cervam ſagittare debuit, proh dolor! vulneratur--* & *mox* (præmiſſa, cum deeſſet Sacerdos, confeſſione peccatorum ſuorum publica) *de luce hac II. Cal. Iun. diſceſſit, ſepultus Wirceburg iuxta patrem ſuum, Marchionem* LUIPOLDUM, *ut ipſe rogavit.* Eadem habet DITMARI emendator, *Annaliſta* SAXO, cui quoad epocham adſtipulatur Necrologium *Fuldenſe* ſynchronum, h) nec non chronicon *Mellicenſe*, i) tabulæ

g h i

a) In ſæpe laudat. præfat. lit. a. 4.
b) Analect. veter. p. 368. edit. ſecundæ.
c) Loc. cit. col. 1008. c.
d) Ibid. col. 1181. c.
e) Ibid. tom. II. col. 696. b.
f) Loc. cit. p. 1275.
g) Lib. VII. pag. 403. ſeq.
h) Ap. SCHANNAT. *Hiſt. Fuld.* cod. probat. pag. 478. ubi breviter ſic: ERNUST *Dux ſagitta percuſſus.*
i) Loc. cit. col. 221. d. ubi legitur: ERNUST *Dux in venatu ab* ADALBERONE *Comite ſagitta occiditur.*

bulæ *Clauſtro-Neoburg.* a) & *Vitus* ARENPECKIUS, b) quanquam hic numerus quinarius aut librarii, aut typographi oſcitantia omiſſus videatur. His ultimis vero potiores nobis ſunt ſupra laudati Annales *Einſidlenſes*, c) qui ad an. 1015. ſic: ERNIST *Dux ſagitta occiſus eſt, & filius eius parvulus ſucceſſit.* De numero annorum ERNESTI haud conſtat. DITMARUS verbis mox citatis, hæc ſubiungit: *Hic* IUVENIS, *ut ſpero, felicem habet animam.* Unde inferas: Eum, ſi verbum *iuvenis* notione propria accipiendum, ante triceſimum ætatis annum occubuiſſe. a b c

Auſtriacorum funera *Treveris*, ac imprimis POPPONIS Archiep.

IV. Non ad ſolos *Herbipolenſes*, ſed ad *Treverenſes* quoque Marchionum *Auſtriacorum* conceſſere funera, quorum tria omnino numeramus. POPPONIS ſcilicet, Archimandritæ *Treverenſis*, CHRISTIANÆ, ſororis eius, ac LEOPOLDI, nepotis, de quibus modo ſigillatim agendum. Ac imprimis POPPO, LEOPOLDI *Illuſtris* filius, cuius elogium alibi attulimus, finem vivendi fecit anno 1047. Corpus in æde S. SIMEONIS Martyris, a ſe conſtructa, in ea regione urbis, quæ *Nigra* appellatur, terræ concreditum fuit, poſita ſupra pectus tabula plumbea, diem mortis eius indicante. Eam, non multo ante ſuam ætatem repertam, Clar. Annalium *Treverenſium* parens, BROWERUS, operi ſuo inſeruit: d) POPPO TREVERORUM ARCHIEPISCOPUS OBIIT DECIMO SEXTO KALEND. IULII. Idem vir doctus epitaphium quoque affert, elegantibus litteris æri inciſum, ſed mutilum, & deperditis, vel detractis laminis, ægre legendum. Unde illud, prout ab ipſo exhibetur, proferimus. Mendoſum etiam eſt in annis regiminis HENRICI III. inter Imperatores II. cuius regni, ſeu electionis annus tum XIX. non XVII, ut tabula modo loquitur, regiminis ab obitu patris IX, a quarto *Iunii* computandus, currebat, Imperii vero primus. Eſt autem huiusmodi: d

ANNO DNICAE Incarnationis
MXL VII. HENRICI SECVNDI REGIS XVII. IMPERATORIS AVTEM
PRIMO, XVI. KL. IVLII
OBIIT HVIVS TREVERICAE SEDIS DEO DILECTVS ARCHIEPS POPPO.

Adie-

a) Ibid. col. 1008. c.
b) Ibid. col. 1181. c.
c) Ap. MABILLON. *veter. Analect.* p. 368.
d) Tom. I. cap. XI. p. 522.

Adiectum fuit & carmen, cuius veſtigia ſolummodo hæc ſupererant:

\- - - - CLARA MANENS LVX
\- - - SPES GRATISSIMA CLERI
HVNC VT CONSOCIIS IVNGERET ANGELICIS.

Mortisque hiſtoria.

V. Confirmantur hæc ex geſtis *Treverorum*, a) quæ & inſuper addunt, illum febri, ex inſueto ſolis æſtu, dum urgendis novis Baſilicæ S. PETRI operibus præſens ipſe intenderet, contracta, oppreſſum fuiſſe, *XV. Kal. Iulii anno Dominicæ incarnationis MXLVII. - - - Sedit autem in Epiſcopatu annos XXX. menſes V. dies X.* aut potius quindecim. Cum enim ab ERCHENBALDO, Archiepiſcopo *Moguntino*, anno MXVI. *primo Ianuarii* inauguratus fuerit, dies omnino quinque addendi ſunt, atque adeo triginta annis regiminis dimidius fere. b) Addunt Hagiographi *Antverpienſes Iunii* tom. III. in proleg. ad 16. eiusd. menſis, inter SS. prætermiſſos: corpus venerabilis huius Epiſcopi, cui & nonnulli *Sancti* titulum attribuunt, an. 1517. exhumatum, atque integrum adhuc repertum fuiſſe. ALOLDUS illum an. 979. natum ſcribit, cum ceteris quoque quoad annum obitus conſpirans; unde eidem anni vitæ octo, & ſexaginta tribuendi.

a

b

Christiana recluſa.

VI. POPPONIS ætate apud *Trevirenſes* vixit CHRISTIANA, eius ſoror, qua de nihil admodum conſtat, quam quod Necrologium *Trevirenſe* apud BROWERUM c) tradit: illam fluxa perituri ſeculi gaudia aſpernatam, atque inter arctam cuſtodiam ſponte recluſam, vitam ſolitariam egiſſe. Verba faſtorum ſunt hæc: *III. Non. Novemb. obiit* CHRISTIANA *recluſa* TREVIRIS, *ſoror* POPPONIS, *ibidem Archipræſulis.*

c

Leopoldus II. an. 1043. IX. *Dec.* extinctus, ac *Treveris* ſepultus.

VII. Cuius uxorem, FROWIZAM nomine, *Mellicii* tumulatam fuiſſe, ſupra retulimus: hunc immatura morte *Ingelhemii*, cum nuptiis HENRICI III. inter Imperatores II. intereſſet, ſublatum, LEOPOLDUM II. cognomento *fortem Militem*, ADALBERTI I. Marchionis filium, *Treveris* quoque ſepulturam obtinuiſſe, comperimus. Rem enarrat ALOLDUS ad an. MXLIII. his verbis: *Hic tamen* (LEOPOLDUS) *eodem anno, dum nuptiis* HAINRICI *apud* INGELHEIM *intereſſe vellet, immatura morte extinctus eſt, cum ſummo mœrore patris, & patriæ V. Id. Decembris, atque a* POPPONE, *Archiepiſcopo Trevirenſi, cognato,* TREVIRIS *ſepultus eſt.* His conſentanea ad dict. annum ſcribit HERMANNUS *Contractus*, ac quoad annum, & diem conveniunt chronicon *Mellicenſe*, d) & auctor incertus, e) a Cl. *Hier.* PEZIO itidem

d e

a) Ap. MARTENIUM & DURANDUM collect. noviſſ. tom. IV. cap. LVI. col. 171.
b) Vid. cit. præfat. CALLESII lit. b. 2.
c) Loc. cit. p. 523.
d) L. c. col. 224. a. cui quoad diem ſuccinit Necrologium ibid. col. 310. d.
e) Ibid. col. 552. c.

dem editus. Nec prætereundum Necrologium *Treverenſe*, a)quod ſic habet: *V. Id. Dec. obiit* LUPOLDUS, *filius* ADALBERTI *Marchionis*. Unde errorem irrepſiſſe oportet in alias ſat accuratum chronicon *Cl-Neoburgenſe*, b) nec non *Hildesheimenſe*, c) quæ anno uno, & *Annaliſtam* SAXONEM, d) qui duobus annis excedit; quippe quod de anno nuptiarum HENRICI, licet eas idem Annaliſta ad an. 1045. reponat, a quibus mors LEOPOLDI nullo modo ſeiungi poteſt, ſatis, ſuperque conſtet. Funus Principis *Ingelhemio Treverim*, rogatu, ac voluntate POPPONIS Archiantiſtitis deportatum fuiſſe, ex ALOLDO didicimus, ſubſcribente, præter alios, laudato HERMANNO. Diem eius natalem idem ALOLDUS pag. 1281. ad annum MXXII. conſignat; unde annos vitæ nonniſi unum, & viginti numeraſſe intelligimus.

a b c d

VIII. Reliqua nepotum LEOPOLDI *Illuſtris* funera variis in locis compoſita fuere. Et primo quidem ERNESTUS II. Dux *Alemanniæ*, ERNESTI I. filius, occurrit, cuius fata, & interitum tomo præcedenti e) iam delibavimus, verbis WIPPONIS, ibidem allatis, obiter immiſcentes: Eremum illam, quam is *Nigram Silvam* appellat, circa Principale monaſterium *Einſidlenſe* quærendam eſſe. Movebat tum non ſolum, quod is de *Bara* (quæ vicus & præfectura eſt, ad pagum *Tugienſem* ſpectans) addit, ſed &, quod iis in regionibus, ut idem WIPPO teſtatur, graſſari ſoleret infelix Dux ERNESTUS. *Deinde magno*, ait, *exercitu iuvenum collecto, Burgundiam* (minorem) *invaſit: & ultra caſtrum* SOLODORUM *quandam inſulam aggere, & vallo firmare, cœpit -- Inde reverſus, ſupra* TURICUM *quoddam caſtrum munivit.* Atqui ſupra *Turicum* Eremus Beatiſſ. Virginis, & aliquot milliaribus inde *Bara* vicus ſitus eſt. Verum etſi eadem Eremus, Germanice *Finſterwald*, nigra ſilva haud male reddi queat, & a nonnullis ſic etiam appelletur, ea tamen tempeſtate haud quaquam nigra ſilva, ſed ſimpliciter *Eremus*, aut *Eremus Beatiſſimæ Virginis* audiebat. Quare locum illum alibi quærendum eſſe, nemo non videt. Et, ut ne Lectorem multis moremur, HERMANNUM *Contractum* audire iuvat, qui, ſecundum editionem *Caniſianam*, apud PISTORIUM f) ſic proloquitur: „ Interim in ALEMANNIA cum ERNUST, *dudum Dux*, eiusque com„ plices, *parvis viribus contra Imperatorem* (CONRADUM II. vitri„ cum Ducis) agitantes, prædis circa ſilvam *Martianam* g) populares „ infeſtarent, a MANEGOLDO Comite, ex *Augienſi* militia obſervati, „ & XVI. Cal. *Septemb. conſerto prælio, victi ſunt.* Ipſoque MA-

ERNESTI II. Duc. *Alemanniæ*, interitus.

e f g

NE-

a) Ap. BROWER. loc. cit. p. 523.
b) Loc. cit. col. 438. b.
c) Ap. LEIBNIT. rer. *Brunſvic.* tom. I. p. 730.
d) Ap. ECCARD. ſeu ab ECKARD. *Corp. hiſt. med. ævi* tom. I. col. 479. ad an. 1045.
e) P. I. proleg. II. p. XXII.
f) Loc. cit. p. 276. ad an. 1030.
g) Ita laudata editio. At cum ſilva hæc non a *Marte Deaſtro*, ab *Alemannis* culto, ut nonnulli exiſtimant, ſed a *Marcomannis*, in, & circa illam olim colentibus, nomen ſuum ſortita fuerit: rectius *Marciana* ſcribitur. Quod nomen ſilvæ, quam & nos incolimus, florentibus rebus *Romanorum* iam cognitum, ſeculo XI. ut videmus, nondum extinctum erat.

„ NEGOLDO ibidem perempto, ERNUST pridem Dux, & WERIN-
„ HERE Comes, (WIPPO ei nomen *Wehelo*, & *Wecilo* tribuit)
„ caput rebellionis, ADALBERTUS quoque, & WERIN, nobiles mi-
„ lites, cum aliis ceciderunt. Et ERNUST *Conſtantiæ*, MANEGOLDUS
„ vero *Augiæ* ſepulti ſunt.„ Interiit igitur ERNESTUS, ſi WIPPO-
NEM, & HERMANNUM conſulamus, in *Landgraviatu Barenſi*, Ducatum *Wirtembergicum* inter, & *Nigram Silvam*, cum fluviolo eiusdem nominis ſito, Principibusque hodie *Fürſtenbergicis* ſubiecto.

Anno 1030. die XVII. *Auguſt. Conſtantiæ* ſepelitur.

IX. Contigit id anno 1030. XV. ut vult WIPPO, aut XVI. Kal. *Sept.* ut HERMANNUS *Contractus* ſciſcit. Qua in re, cum ille temporibus iſtis æqualis, hic autem ſuppar, aut ſi mavis, itidem ſynchronus; utpote an. 1054. mortuus fuerit: verum invenire difficile eſt. Ultimo tamen ut lubentius ſubſcribamus, inde fit; quod non modo rei geſtæ proximior, ſed & MANEGOLDUS, *Augienſis* Abbatiæ, in qua HERMANNUS vixit, & ſcripſit, vaſallus, ac terræ ibidem mandatus, quin & ipſa militia, quam is eduxit eidem monaſterio ſacramento obſtricta fuerit. HERMANNO pariter, præter Abbatem *Urſpergenſem*, etiam chronicon *Mellicenſe*, ſeculo XII. inceptum, adſtipulatur. Cadaver Ducis *Conſtantiam* deportatum, in æde Beatiſſ. Virginis conditum fuit, ſolutis ab Epiſcopo diris, quibus involutus e-
a rat. a) Sepulcri eius veſtigium hodie, ut per litteras edocti fuimus, nullum ſupereſt, nec etiam diu ſuperfuiſſe, ideo credimus; quod, HERMANNO teſte, eccleſia illa non multo poſt, i. e. an. 1051. corruerit.

HERMANNI IV. Ducis *Alemanniæ*, fata.

X. HERMANNUM, inter Duces *Sueviæ* IV. hoc nomine, ERNESTI fratrem iuniorem, in *Italia*, quo vitricum ſuum, CONRADUM II. Imp. comitabatur, anno MXXXVIII. die vero XXVIII.
b *Iulii* peſtilenti ſublatum fuiſſe morbo, alibi iam diximus. b) Vidimus & ibidem, quo pacto corpus eius exanime plauſtro impoſitum, inque *Germaniam* revehendum, inſigni comitatu honoratum fuerit. De
c eo laudatus WIPPO c) breviter: „Filius Imperatricis (GISELÆ)
„ HERMANNUS, Dux *Alemannorum*, iuvenis bonæ indolis, & in
„ rebus bellicis ſtrenuus, -- peſte gravatus, inter manus peritiſſimo-
„ rum medicorum V. Calendas *Auguſti* -- obiit. -- De Duce ſtatu-
„ tum erat, ut in *Conſtantiam*, civitatem *Alemanniæ*, duceretur, ſed
„ calore nimio obſtante (atque adeo cadavere fœtorem emittente) in
„ *Tridento* ſepelitur.„ Subſcribit tam quoad annum, quam diem, nec non locum ſepulturæ HERMANNUS *Contractus*, iis temporibus
d e æqualis, d) & chronicon *Mellicenſe*. Fallit igitur SUNTHEMIUS, e) illum in *Sueviam*, ſeu *Alemanniam* uſque reportatum fuiſſe, perhibens, quan-

a) WIPPO l. c. p. 476. *Corpus* ERNESTI *Ducis, in* CONSTANTIAM *delatum, prius accepta indulgentia Epiſcopali pro excommunicatione, in Eccleſia* S. MARIÆ *ſepultum eſt.*

b) Pinacothec. *Auſtr.* P. I. proleg. II. §. IX. pag. XXII.

c) Loc. cit. p. 484.

d) Loc. cit. p. 480. ubi tamen & textus *Caniſianus*, pronis litteris expreſſus, inſpiciendus.

e) Seu auctor tabularum *Clauſtro-Neob.* col. 1010. c.

quanquam de cetero hiſtoriam mortis eius haud male exponens. Eundem errorem ARENPECKIUS a) quoque, SUNTHEMII exſcriptor, erravit, annum præterea rei geſtæ male ſupputans. Mittimus reliquos. a

Poſterorum LEOPOLDI *Illuſtris*, ſexus fœminei, & quidem primo GISELÆ mors, & ſepultura.

XI. Greſſum nunc facimus ad LEOPOLDI *Illuſtris* poſteros ſexus ſequioris, nec non & Principum huius ſtemmatis coniuges. Quæ, cum itidem variis in locis ſepulturam nactæ fuerint, in hunc uſque locum reiiciendæ fuerant. Has inter primo loco occurrit GISELA, ſupra nominati ERNESTI I. Ducis *Alemanniæ*, ſeu *Sueviæ*, coniux. Hæc, illo ſublato e medio, CONRADO II. futuro Imperatori, in manus convenit. Mortem oppetiit anno 1043. *Spiræ* ſepulta, HERMANNO *Contracto* teſte, cui & Annales *Hildesheimenſes*, b) MARIANUS *Scotus*, c) LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis*, d) aliique adſtipulantur. Addunt quoque, uno excepto LAMBERTO, diem XVI. Kal. *Martii*. Quare audiendus haud eſt *Annaliſta* SAXO, e) obitum eius ad diem quidem eundem, at ad annum ſequentem referens. b c d e

ITHÆ, LEOPOLDI III. ux. fata incerta.

XII. GISELÆ ſubiungimus ITHAM, incertum, qua ſtirpe oriundam, uxorem LEOPOLDI III. cognomento *Pulchri*. Mortis eius genus itidem non ſatis liquet. Id duntaxat certum, in itinere *Hieroſolymitano* periiſſe. Incidit nempe in ea tempora, quibus omnis Chriſtianitas ardentiſſimo ſtudio non viſendæ modo, ſed & quovis etiam pretio recuperandæ *Palæſtinæ* flagraverat. Iamque felicibus armis eo deventum erat, ut GODOFREDUS *Bullionius*, capta *Hieroſolymorum* urbe, regnum *Palæſtinæ* an. 1099. inſtauraret. Quæ res, ut animos Principum plurimorum, ita & fœminarum illuſtrium, atque inter has ITHAM quoque noſtram vehementer accendit, ut cum TIEMONE, ſeu THIETMARO, Archiepiſcopo *Salisburgenſi*, WELFONE ſeniori, Duce *Boiorum*, ac GISILBERTO, Abbate *Admontenſi*, iter ſacrum una arriperet. f) At inter cetera adverſa, exercitu Chriſtianorum ad *Recleium*, *Bithyniæ* civitatem, ingenti affecto clade, ITHA noſtra aut a *Saracenis* capta, aut equorum ungulis obtrita, aut alio modo oppreſſa fuit, certe nuſquam deinceps comparuit. g) Varii de fato illius errores, quin & manifeſtæ fabulæ circumlatæ tum fuerunt, quas apud alios, quam apud nos, legi malumus. h) f g h

XIII.

a) Loc. cit. col. 1182. a.
b) Ap. LEIBNIT. tom. I. p. 730.
c) Ap. PISTOR. tom. I. p. 649.
d) Ibid. p. 318.
e) ECCARD. Corp. hiſt. med. ævi tom. I. col. 478.
f) Teſte chronographo *Mellicenſi* col. 227. c. *Salisburgenſi* col. 342. d. & *Admont.* col. 182. b. inter Scriptor. rer. *Auſtr. Hier.* PEZII tom. I. & II. Add. & ORTILONIS ſynchroni notas poſteriores, ap. Clar. HANTHALER. l. c. p. 1286. ad an. MCI.
g) ALBERTUS *Aquenſ.* inter *Iac.* BONGARSII *Geſta* DEI *per Francos*, *Hanoviæ* typis *Wechel.* tom. I. Lib. VIII. cap. XXXIX. p. 325. „ Comitiſſa vero IDA (ait) utrum „ capta, & abducta, aut pedibus tot millium „ equorum membratim diſcerpta fuerit, uſque in hodiernum diem ignoratur: niſi „ quod aiunt, eam inter tot millia matronarum in terram *Corrozan* æterno exilio „ deportatam „
h) Vid. CALLES. l. c. lib. VIII. p. 438. ſeqq.

De filiabus eius ac primo quidem ELISABETHÆ obitu, ante an. 1107.

XIII. Plures huic ITHÆ filiæ erant, de quibus tomo præcedenti iam egimus. Modo autem tempus earum emortuale, quoad eius fieri poteſt, expediendum eſt. Prima earum ELISABETHA, OTTOCARO, *Styriæ* Marchioni, nupta a) materque LEOPOLDI, cognomento *Fortis*, qui & *Styriam* poſtea, a *Carinthia* ſeparatam, gubernavit, effecta, VI. aut VII. Idus *Octobris*, anno incerto, diem clauſit. Sic enim Necrologium *Admontenſe*: b) *VI. Id.* (*Octobris*) GISILBERTUS *Abbas*, ELISABETH *Marchioniſſa. Mellicenſe* c) contra ad eundem menſem: *VII. Idus* ELISABETH, *Marchioniſſa de* STIRE, *ſoror* LEOPOLDI III. (quarti voluit ſcribere) *Marchionis Auſtr. ob.* In celebri *Auſtriæ* ſuperioris monaſterio *Garſtenſi* humatam fuiſſe, ex vita B. BERTHOLDI, qui primus illuc Abbas e monaſterio noſtro S. BLASII poſtulatus fuerat, intelligimus. Erat enim ab eius marito primum, & quidem pro *Canonicis* fundatum, ſed brevi monachis *Benedictinis* traditum, ubi ante BERTHOLDUM WIRNTO Prior præfuit, &, ut videtur, aliquandiu BERTHOLDUS ipſe. Sed audiamus biographum: d) „Quadam itaque die (ait) cum ad celebrandum anni„verſarium Dominæ ELISABETH *Marchioniſſæ*, quæ in choro ſe„pulta eſt, multi de more Clerici conveniſſent, Venerabilis Marchio „(OTTOCARUS fundator) in loco eminenti ita eos per alium allo„cutus eſt: *Noſſe vos volo, quod in hoc loco--ſtatum religionis, Di„vina largiente gratia, in melius transmutare diſpoſui: & per mona„chos, quorum beata opinio vitalem circumquaque ſpirat odorem, huic „novellæ plantationi deſiderati profectus providere.*„ Ex quibus verbis & illud conſequitur: ELISABETHAM aliquot annis ante an. 1107. quo hæc Ordinis inſtitutio ſecundum chronica *Mellicenſe*, *Oſterhovenſe*, & *Salisburgenſe* immutata fuit, obiiſſe. Ait enim, *Clericos ad celebrandum* ELISABETHÆ *anniverſarium* DE MORE conveniſſe, id quod nonnullis ſaltem retro annis factum quoque fuiſſe, innuere videtur.

a b c

d

Nec non ITHÆ, ſecundæ LEOPOLDI III. fil.

XIV. ITHA, matri cognominis, LEUTOLDO, Marchioni *Znoymenſi*, in matrimonium tradita. Eo adverſa fortuna preſſo, ac paterna hereditate a BRECISLAO, *Bohemiæ* Duce, exuto, multa perpeſſa eſt ſub annum 1100. e) Illo tamen, CONRADI filii virtute, reſtituto in integrum, rebus deinceps ſecundioribus uſa fuiſſe videtur. Quod quouſque perduraverit, incertum eſt. Id duntaxat exploratum, eam XVIII. Kal. *Maii* ad plures abiiſſe. Sic enim Necrologium *Campilienſe*: XVIII. *Cal. Maii* IDA, *Comitiſſa de* ZNOYM, *ſoror Fundatoris* S. †. Subintellige LEOPOLDI *Pii*.

e

XV.

a) Biographus S. BERTHOLDI ap. ſæpe laudat. *Hier.* PEZIUM tom. II. cap. II. col. 89. b. „Ipſe (OTTACHER) *Gottwic* perrexit, & „auxilio amici ſui, *Auſtrienſis* Marchionis „LIUPOLDI, cuius ſororem, videlicet Do„minam ELISABETH, habuerat, fundatio„nem ſuam Abbati regendam ſubiecit.

b) Inter Scriptores PEZII tom. II. col. 207. d.

c) Ibid. tom. I. col. 309. b.

d) Ibid. tom. II. cap. II. col. 89. a.

e) Vid. COSMAS *Pragenſ.* ap. MENCKEN. Scriptor. *rer. Germ.* tom. I. col. 2080. ſeq. nec non ARENPECK. & tab. *Clauſtro-Neoburg.* l. cit.

XV. Tertia LEOPOLDI *Pulchri* filia, HERBIRGIS, quæ & HEILBIRGIS, GERBIRGIS, HEILWIGIS, HELLUCK, HELWIG nuncupatur, BORIVOIO, qui & BORIVORIUS, BORZIWOIUS, BORZIVAIUS, BERES & BEROEZ audit, *Bohemiæ* Duci, in urbe *Znoyma* elocata fuit. a) Hanc viro, quem circa annum 1124. apud *Hungaros* exulem obiiſſe coniectant, ſuperſtitem fuiſſe, certum quidem eſt, at annus, & dies obitus in obſcuro latent. De ea chronicon MS. Collegii S. I. *Vindobonenſis* apud STEYERERUM in Collectaneis ſequentia refert: „GERWIGIS, ſeu GERWICH, Ductrix „*Bohemorum*, interventu LEOPOLDI Marchionis, fratris ſui, acce„pit prædium cuiusdam Nobilis WALDO, dicti de *Raina*, & illud „ipſum per manum GEBHARDI, Comitis de *Pewgen*, delegavit ſu„per altare B. Virginis in monte *Gottwico*, quæ Duciſſa deinde „*Sanctimoniæ habitum induta*, vixit ibidem ſub obedientia Abbatis „*Gottwicenſis*, circa annos 1123. & 1125.„ *Sanctimoniæ habitum* ſuſcepiſſe, inquit; unde inferas: Sanctimonialem Ord. S. BENEDICTI factam; ut quæ ſub obedientia Abbatis *Gottwicenſis*, quod monaſterium iam tum eidem S. Ordini addictum fuerat, vixit. Diem obitus laudatum Necrologium *Campilienſe* b) his verbis indicat: *VI. Idus Iunii* HEILBIRG, *Duciſſa* BOHEMORUM, *ſoror Fundatoris S.* †.

Item HERBIRGIS, ſeu HEILBIRGIS, quæ, vidua facta, *Benedictina* obiit.

a

b

XVI. De EUPHEMIA, quarta filiarum LEOPOLDI *Pulchri*, ſeu potius de marito eius, CONRADO *Hirſuto*, quæritur, quanam ex ſtirpe ortus fuerit? Cum enim eadem EUPHEMIA in Necrologio *Campilienſi* Comitiſſa de *Pilſtein*, ſeu *Peilſtein*, ſcribatur, maritus autem Comes *Hirſutus*, plerisque haud ſatis tutum videtur, huius definire proſapiam. HOFFMANNUS certe, HANTHALERUS & CALLESIUS ſuas abſtinuere manus. Verum cum nomen illud *Hirſutorum* idem, ac *Raugrafiorum* iam olim fuerit: non videmus, cur is genti illi non commodum adſcribi queat. Apud Illuſt. *Ferd.* de GUDENUS c) diploma extat, hoc modo incipiens: *Nos* HENRICUS, *Comes* IRSUTUS, & CONRADUS, *patruelis noſter*, *etiam Comes* IRSUTUS -- *Datum anno Domini MCCLIII.* III. *Idus Marcii.* Notum præterea eſt, eosdem Comites nonnunquam etiam *Piloſos* vocatos fuiſſe. Atqui hoc ipſum nomen huic eidem Comiti ab ARENPECKIO d) tribuitur. LEOPOLDUS *Pulcher*, ait, *vocavit ex* BAVARIA *in* AUSTRIAM *Comitem* CONRADUM, *dictum* PILOSUM, *vulgariter den* RAUCHEN, & N. (nimirum EUPHEMIAM, cuius nomen ARENPECKIUS ignorabat) *filiam ſuam*, & *Comitatum* PEYLSTEIN, *cum omnibus attinentiis*

EUPHEMIÆ, quartæ LEOPOLDI III. filiæ, maritus unde ortus?

c

d

a) Teſte eodem col. 2081. b. c. Add. auctores, ibid. in notis laudatos, nec non OTTONEM *Friſingenſ.* lib. VII. cap. IX. p. 144. itemque chron. *Bohem.* cap. LI. ap. eund. tom. III. col. 1683.

b) Ap. HANTHALER. l. c. pag. 136. num. IV.

c) Syllog. I. varior. Diplomat. p. 604.

d) Loc. cit. col. 1186. c. d.

nentiis, ei pro dote dedit: qui obierunt ſine heredibus, & Comitatus idem e converſo provinciæ AUSTRIÆ *ceſſit.* E *Bavaria* CONRADUM
a a) evocatum fuiſſe, inquit, ubi nempe, i. e. in *Palatinatu*, Comites *Raugrafii*, cum veteris, tum ſequioris ſtirpis, ſua dominia, & allodia habuerunt, habentque. Eiusdem quoque mentis fuiſſe auctorem tabularum *Clauſtro-Neoburgenſium*, pictura expreſſarum, argumento eſt, quod tomi præcedentis tab. V. num. 15. eidem noſtræ EUPHEMIÆ ſcutum adiunctum videamus, Comitum *Raugrafiorum* inſignia præferens. At EUPHEMIA, *Raugrafio* Comiti nupta ſi fuit, quo pacto adductis in locis Comitiſſa de *Peilſtein* nominari poterat? Quocirca obſervari meretur, Marchioniſſam hanc in ea tempora incidiſſe, quibus Principes, cognomina ſibi a ſuis poſſeſſionibus, arcibus, caſtris & villis indere cœperunt. Unde aliorum exemplo facile contigit, ut qui in *Bavaria*, ſeu *Palatinatu*, *Raugrafiorum*, in *Auſtria Peilſteiniorum* nomine venirent. Nec deſunt exempla, quibus oſtendi poteſt: Nobiles nonnunquam ab arcibus, & dominiis, in quibus habitabant, nomina accepiſſe, vel aſſumpſiſſe etiam, a nominibus gentilitiis plane
b diverſa. Talia nonnulla produximus alibi, b) quæ inter non ultimum, quod GOTTFRIDUS, filius RUDOLPHI *Taciturni*, lineæ *Lauffenburgo-Habsburgicæ* ſatoris, in charta anni 1258. non Comes *Habsburgi*, qualis re ipſa erat, ſed Comes de *Loufenberche* ſubſcri-
c batur. c)

Dies EUPHEMIÆ fatalis. XVII. Annus obitus eius, ac locus humationis nos equidem fugit, at diem tamen memoriæ conſervavit Necrologium *Campililienſe*, ubi ad XVI. Kal. *Iulii* legitur: EUFEMIA, *Comitiſſa de* PEILSTEIN, *Soror fundatoris S.* †. Quanquam quod adiectum hic *Sancti* elogium indicio ſit: Necrologium illud ante ſeculum XV. quo LEOPOLDUS *Pius* Sanctorum albo inſertus fuit, deſcriptum haud fuiſſe. Deſcriptum, inquam, ſeu reſtitutum, ut frequenter ſolebat, ex autographo, vel alio exemplo veteri; nam tum primum concinnatum fuiſſe, nemini ſane in mentem veniat.

SOPHIA, quinta LEOPOLDI III. filia, obiit VI. *Maii* 1154. XVIII. Quinta LEOPOLDI filia, SOPHIA nomine, HENRICO I. Duci *Carinthiæ*, deinde SIGHARDO, *Burghuſino* Comiti, matrimonio copulata fuit. d) Unde in veterum monumentis modo *Duciſſa*, modo *Comitiſſa* audit. De ea ARENPECKIUS: e) „ item aliam filiam
d e „ N. SIGHARDO Comiti, dicto de SCHARSACH copulavit, & dedit „ ei Comitatum SCHALA, cum omnibus attinentiis, & habuerunt libe„ros, & nepotes, quibus defunctis, Comitatus provinciæ adiicitur.„

Nomen

a) CONRADUS iſte ſæpiuſcule occurrit in monumentis publicis inter teſtes, ac non raro iuxta *Auſtriæ* Principes, & maxime etiam in inſtrumentis, ab iisdem ſignatis. Vid. *Bern.* PEZII cod. ep. Dipl. ac Monum. *Boica* paſſim.

b) In *Anonymo* noſtro *Murenſi denud.* lib. I. cap. XXV. §. III. - VI. p. 213. ſeqq. Add. pag. 337. in not.

c) Vid. ibid. pag. præſertim 216. §. V.

d) Vid. *Clar.* CALLES. l. c. p. 427. in notis. Inſtrumentum autem *Formbacenſe*, circa annum 1145. conſcriptum, quod ibidem pro tum inedito laudat, abhinc editum eſt, & quidem emendatius, *Monument. Boic.* tom. IV. p. 56.

e) L. c. col. 1186. d.

Nomen, ARENPECKIO ignoratum, produnt Necrologia *Campilienſe* & *Mellicenſe* ad VI. *Maii*. Prius ſic habet: SOPHIA, *Comitiſſa de* SCHALACH, *ſoror Fundatoris S.* †. Poſterius vero hunc in modum: SOPHIA, *Duciſſa de* SCALA, *ſoror noſtra obiit*. Cum Necrologio etiam chronicon eiusdem monaſterii facit ad an. 1154. totidem repetens verba. Unde inferas: Principem hanc, quæ hic *Mellicenſium* ſoror appellatur, ſecundum viduatam, aut, exemplo ſororis ſuæ HERBIRGIS, *Benedictinam* factam, aut certe *fraternitatem* Ordinis ſuſcepiſſe.

XIX. Ultimam filiarum LEOPOLDI *Pulchri* RICHARDEM appellant, Dynaſtæ cuidam potenti, adiectis pro dote *Ibſio*, & *Peſenbeugo*, matrimonio coniunctam. Teſtis eſt ARENPECKIUS a) dicens: *Item* N. *aliam filiam deſponſavit* (LEOPOLDUS III.) *cuidam potenti Domino, & donavit ipſi* IBS, *&* PÖSENBEUGEN, *& cuncta, ad hæc dominia ſpectantia*. Concordat SUNTHEMIUS, b) nec non pictæ tabulæ *Clauſtro-Neoburgenſes*, ubi ſextæ quoque LEOPOLDI filiæ locum aſſignari, tomo præcedenti vidimus. Clariſſ. CALLESIUS c) hæc obſervat: FALCKENST. *Antiquit. Nordgav.* P. II. pag. 369. laudata in eam rem HUNDII *Stemmatogr. Bav.* P. I. p. 122. RICHARDÆ coniugem tribuit HENRICUM, Comitem de *Stephaning*, cui conſentit Commentarius MS. colleg. *Vienn.* de fundat. *Scotorum Viennenſium*. Hæc ita ſe habere, quanquam idem CALLESIUS ſubdubitare videatur, ex Vol. III. Monumentorum *Boicorum*, ante aliquot annos, inſigni reipubl. litterariæ bono, edi cœptorum, affirmare poſſumus. Ibi enim pag. 483. charta traditionis Canoniæ *Reichersbergenſis* occurrit, circa annum 1160. conſcripta, hoc modo incipiens: „Notum ſit cunctis fidelibus CHRISTI, quod Dominus HAINRICUS, „Comes provincialis, cum conſenſu uxoris ſue, Domine RIKHARDIS delegavit &c. „ Hunc enim inter Comites de *Steffaning*, & *Riettenberg* computandum eſſe, infra videbimus. d) Ante an. 1160. haud obiiſſe, ex hac ipſa charta pateſcit.

Cui adiungitur ſexta, RICHARDIS, de qua non ſatis conſtat.

a b c

d

CAPUT III.

SANCTI LEOPOLDI, POSTERORUMQUE EIUS, FUNEBRIA MONUMENTA, *CLAUSTRO-NEOBURGI IN AUSTRIA CONSERVATA.*

§. I.

INſignis, quam alibi laudavimus, *Neoburgenſis* Canonicorum Regularium Ord. S. AUGUSTINI Præpoſitura, vulgo *Cloſter-Neuburg*, præter alia varia, quæ poſſidet, Sancti ſui fundatoris monumenta

Clauſtro-Neoburg. Canoniæ ſepulcretum.

a) Cit. col. 1186. d.
b) Col. 1034. b.
c) Loc. cit. p. 428. b.
d) Vid. cap. VI. §. II. not. a. & b.

menta, illius etiam, nec non & poſterorum nonnullorum cineres, cum pie, tum ſollicite conſervat. De monumentis ſacris tomi præcedentis proleg. I. egimus, de ſepulcralibus modo diſſerendum eſt.

Sepulcri S. Leopoldi facies antiqua, & nova,

II. Quam rem, ut ordine proſequamur, præmonendum duximus, aliam fuiſſe olim, aliam eſſe modo ſepulcri *Leopoldini* faciem. Simplex illud, ac planum, nullisque litteris exaratum: ornatum hoc, inſcriptionibus inſignitum, acceſſionibus, ac ſuperexſtructo ſacello, quod recentius, ac circa apotheoſis primum tempora, ut veriſimillimum videtur, excitatum fuit, auctum, decoratumque. Singula hæc luculenter ante oculos ponit tabula noſtra diligentius nunc contemplanda.

Tab. V.

Quæ deſcribuntur,

III. Adiacet nempe ſummi templi *Neoburgenſis* lateri dextro, ſeu ad cornu Evangelii, quod vocamus, ædificium, hac in tabula litteris *b.* & *c. c.* ſignatum, longitudine pedes *Vindobonenſes* 42. latitudine 18. adæquans. Cimeliarchium, ſeu theſaurum appellant; quod eo lipſana S. Leopoldi, pileus *Archiducalis*, de quo tomo huius operis primo, aliaque pretioſa, ac viſu digna, contineantur. Exinde in veterem cryptam, ubi locus olim *Capituli* nec non ſepulcrum S. Leopoldi primigenium, per duas ſcalas, littera *d. d.* notatas, deſcenditur. Lapis, intrantibus primo occurrens loco, ſepulcrum obtegit vetus, cæmentitii operis foſſam quadratam exhibens, camera nulla munitam, ſed muris ſic ſtructam, ut loculum accurate excipere potuerit. Lapis marmoreus recentior eſt, pavimento elatior, & cancellis ferreis cinctus, ſed omni figura, ac inſcriptione vacuus.

Indicato lapide ſepulcrali veteri, cum lamella,

IV. Præter ſaxum autem, ſepulcro S. Leopoldi noviter appoſitum, alter quoque ſupereſt, in ſpecu illa averſim, in loco depreſſo, muro acclinatus, ut in *ſectione ſecundum latitudinem* lit. C. videre eſt. Inſcriptione pariter caret, adiecta tamen plumbea eſt lamella, vernacula lingua ſic loquens:



Lapis iſte ſepulcrum olim S. Leopoldi *clauſerat*. Unde quidem duo intelligimus: lapidem illum ſepulcralem eſſe primævum, deinde ſepulcrum ipſum nulla unquam honoratum fuiſſe inſcriptione. Nam mox adductum, & ſequentia epigrammata, Leopoldi conſecratione antiquiores haud eſſe, cum ex litterarum forma, tum inde cumprimis evincitur; quod in ſingulis *Sancti* titulus occurrat, eidem ante Pontificium oraculum nec competens, nec tribui ſolitum. Quin hanc ipſam laminam ante annum 1506. poſitam haud fuiſſe, inde planum fit, quod etſi *Pius* Marchio ab Innocentio Papa VIII. iam anno

1485.

1485. Sanctorum catalogo adſcriptus fuerit: eius tamen corpus ante annum 1506. e tumulo eductum, ac publicæ venerationi, ut poſtea patebit, expoſitum haud fuerit. Quare ante id temporis nec lapidem etiam veterem loco motum fuiſſe iudicamus.

V. Sub ipſas has translatorias ceremonias duo vaſa fictilia oblonga, lavandis oſſibus, dum funus Sancti ſepulcro excipiebatur, adhibita fuere. Eorum delineationem parte ſequenti, de urnis agentes, tab. IV. lit. *c. d.* exhibebimus, quanquam & hic etiam loci tam in ſectione *ſecundum latitudi-* quam *longitudinem*, minori figura expreſſa fuerint, quin & locus aſſervationis illorum in ipſo lapide, aram verſus, duobus foraminibus rotundis indicatur. Appoſita fuit lamina, ex plumbo fuſa, inſcriptione inſignita, hunc in modum legenda: *In his amphoris eſt ablucio ſacrarum reliquiarum divi* LEOPOLDI, *fundatoris noſtri, facta in eius translacione per Reverendiſſimum Principem* WIGILEIUM, *Epiſcopum Patavienſem* 15VI. *dominica ſexageſima.* Quæ tum in XV. *Februarii* incidebat. Ac duobus vaſculis.



Ubi obiter advertendum, notam chronologicam, hic legendam, hibridam eſſe, ex *Arabicis* nimirum, *Romanis*que numeris compoſitam, id quod exemplis, in nummis præſertim occurrentibus, haud caret, unde legendum 1506. quo translationem factam fuiſſe, ſatis compertum eſt.

VI. Omnia hæc ſunt, quæ in ſubterranea hac ſpecu de S. LEOPOLDO adhuc reſtant. Epitaphii autem honorem, a veteribus, ut tum erant tempora, neglectum, poſterorum gratitudo pie ſupplere ſtuduit. Tale affert Anonymus *Mellicenſis*, Scriptor ſec. XIV. apud Clar. *Hier.* PEZIUM, a) in hæc verba: Epitaphium S. LEOPOLDI vetuſtius, a

Iſte docet titulus, quem noſtra ferat caro fructum.
Isque monet tumulus, quem fata gerant tibi luctum.
Marchio laus veri LEOPOLDUS gloria Cleri.
Hoc iacet indigno quadro ſub limite ſigno,
Hic *Medlica* ſuis ſtuduit te condere donis,
Hunc ſociare tuis ſtudeas prece, thure, Patronis.

VII. Recentius eſt epicedium alterum, quod ex *Matthæo* RADERO b) apud laudatum PEZIUM c) in chronico *Mellicenſi* reci- Ac recentius. b c

a) Scriptor. rer. *Auſtriacar.* tom. I. col. 301. Edidit etiam ante PEZIUM, LAMBECIUS *Biblioth. Cæſar.* lib. II. pag. 633. ubi pro *ſigno* legit *ligno*, ut & in MS. *Mellicenſi* vetuſtiori pro *condere*, legitur *comere.*
b) *Bavar.* ſacr. Vol. III. pag. 125.
c) Hiſtor. S. LEOPOLDI cap. L. pag. 150.

citat P. *Anſelmus* SCHRAMBIUS, cui MAXIMILIANUS I. Rom. Imp. S. LEOPOLDI mauſoleum exornari iuſſit. Eſt autem ſequens:

AUSTRIACO Princeps fueram LEOPOLDUS in orbe,
Iuſtitia populos, & pietate regens.
Hoc ego fundavi Divino Numine templum,
Flammeolo ſignum dum mihi ab arce datum eſt.
INNOCUUS Papa Octavus dum ſederat Urbe,
Tertius & Cæſar dum FRIDERICUS erat.
Hi iuſſere mei transferri corporis artus,
Atque inter Sanctos me retulere Viros;
Ut vota exciperem, quæ totus dat mihi mundus,
Nec ſinerem caſſas ullius eſſe preces.

In his verſibus vel obiter notandum, quod innuunt, INNOCENTIUM PP. VIII. ac FRIDERICUM III. Imp. eius oſſa transferri iuſiſſe quidem, ſed non eorum tempore translata fuiſſe. Nam quod INNOCENTIUS iam an. 1486. binis bullis a) fieri conceſſit, id anno 1506. ſedente IULIO II. ac imperante MAXIMILIANO I. executioni primum mandatum fuit.

a

S. LEOPOLDI ætas, diesque, & annus emortualis,

VIII. Ætatem Principis, annum, & diem obitus, monumenta noſtra altum ſilent. Verum omnia hæc in vado ſunt. Latuerant equidem ſingula hæc multis ſeculis, donec Clar. P. HANTHALERUS in Scriptores quosdam antiquos incidit, quos inter LEWPOLDUS de *Newenburga* nebulas illas b) hunc in modum diſpulit: „Anno „MXCVI. LEWPOLDUS Marchio (cognomento *Pulcher*) defen„ſor Eccleſiæ moritur. LEWPOLDUS *Pius* filius ſuccedit anno æta„tis XXIIII. quia natus eſt in *Melik* anno MLXXIII. III. Kal. „*Octobris*, devotione, & honeſtate omni a puero plenus.„ Idem c) de die & anno emortuali, cui Scriptores *rer. Auſtriac.* reliqui aſſentiuntur fere omnes, hunc in modum: *Sancte obiit anno MCXXXVI. XVII. Kal. Decembris in Curia ſua* (ab ipſo in monte *Cetio* conſtructa) *& accurrentibus ſummis, & imis, per triduum expoſitus, deinde in* NEWNBURCH *XIII. Kal. a Domino* REGINMARO, *Epiſcopo* PATAVIENSI *ſepultus, ac ſtatim a* DEO *prodigiis primis diebus honoratus fuit.* Poſſent his addi teſtes plures, ſed quorum adiumento non indigent cum ipſum, quod *Clauſtro-Neoburgi* ætatem tulit, monumentum, tum iam citatorum auctoritas.

b

c

Ac inſcriptio recens.

IX. Antequam *Sanctum* hunc noſtrum dimittamus, adiicere lubet elegans epigramma, quod an. 1650. marmori inſculptum, *Mellicii* poni curavit Reverendiſſimus *Valentinus* EMBALNER, Abbas, qua originem aræ marmoreæ, eiusdem Divi honoribus a ſe dedicatæ, poſteros edoceret.

DIVO LEOPOLDO
MARCHIONUM AUSTRIACORUM GLORIÆ,
PATRONO MUNIFICENTISSIMO
LIBERTATIS ET EXEMPTIONIS MONASTERII
MEL-

a) Edidit eas id. ibid. pag. 138.
b) In append. ad faſtos *Campilil.* p. 1309.
c) Ibid. pag. 1310.

MELLICENSIS,
QUOD
LEOPOLDUS PRIMUS
EX COMITIBUS BABENBERGENSIBUS
ORTUS
AB INITIO
XII. SACERDOTIBUS SÆCULARIBUS,
LEOPOLDUS TERTIUS VERO MONACHIS
ORD. S. BENED.
AN. DOM. MLXXXIX. INCOLENDUM
TRADIDIT,
AUTHORI,
DE EODEM COLLATIS QUAM PLURIMIS
BONIS OPTIME MERITO,
HANC ARAM DEVOTI ANIMI TESTEM
POSUIT
VALENTINUS ABBAS A. MDCL.

X. Præter S. LEOPOLDI oſſa, etiam AGNETIS, coniugis eius, de cuius genere & progenie alibi diximus, in *Cl-Neoburgenſi* ſpecu, & quidem ad latus mariti, depoſita fuere. Situm ſepulcri eius hodierni tabula noſtra, in *ſectione ſecundum latitudinem*, conſpicuum reddit. Trina nempe ſaxa, muro immiſſa, ibi cernuntur, ubi quod num. 2. a dextris comparet, his litteris exaratum eſt: Sepulcrum AGNETIS, uxoris eius. TAB. V. num. 2.



XI. Hunc titulum coævum haud eſſe, iam obſervavimus. Id quod præter ſcripturæ genus, *Sancti* elogium, tam hic, quam in ſecuturis marmoribus occurrens, planum facit. Funera præterea loco mota fuiſſe, nobis quidem pariter indubium eſt; quippe quod lapides iſti ſibi invicem viciniores ſint, quam ut hominibus, recens extinctis, aptum, atque largum ſatis ſpatium dare potuiſſent. Subiiciemus etiam mox infra lapidem ſepulcralem liberorum AGNETIS, in infantia defunctorum, quorum numerum ad octo aſſurgere, poſtea videbimus. Hi vero, uti non una die, aut anno obierunt, ita nec uno ſtatim ſepulcro, ut hodie cernimus, claudi poterant. Præſtabile fuiſſet ipſa, de quibus epitaphia loquuntur, funera, prout alibi locorum fecimus, inſpicere, atque certitudinem omnigenam velut ex imo petere potuiſſe: ſed tabulæ illæ, muro immiſſæ, ſine graviſſimo eius detrimento, aliasque ob cauſſas, loco dimoveri, haud poterant. Cuius inſcriptio etſi coæva haud ſit,

XII.

Neoburgi tamen ſepultam fuiſſe, conſtat. TAB. V. a b c

XII. Attamen primitus in dicto exhedrio, ſeu veteri loco *Capituli*, quemadmodum LEOPOLDI, ita & uxoris, ac liberorum quorundam eius funera compoſita fuiſſe, ambiguum haud eſt. Uxorem præſertim AGNETEM ad latus eius conceſſiſſe, conſtans, ac perpetua fert traditio, affirmantque cum tabulæ *Cl. Neoburgenſes*, a) tum *Vitus* ARENPECKIUS, b) quanquam vetuſtiores, fortaſſis ut de re omnibus nota, ſileant. FRANCISCUS *Patavinus* c) in Summario *Canonizationis* ſepulturæ eius mentionem his verbis expoſuit: *Perſeverantes enim in eadem fide, & caſtimonia uſque ad extremum vitæ exitum, ſicut in vita unus ſpiritus, & una caro fuiſſe noſcuntur, ita morientes, alter ad latus alterius conſepeliri voluit.* In eodem præterea exhedrio, haud procul a monumento D. LEOPOLDI ante cancellos, cimeliarchium præcludentes, occurrit lapis ſepulcralis disiectus, in quo litteræ: AGNES, perſpicue leguntur. Et quanquam huius quoque inſcriptionis fragmentum ad ſeculum inferius merito referamus: dicta tamen velut ex abundanti roborat, ſimulque oſtendit; præfata olim ſepulcra, etſi ſibi invicem contigua, quoad lapides tamen, & loculos, disiuncta fuiſſe.

Ubi eius ſepulcrum magno olim a populo affectum honore.

XIII. Singulare eſt, quod addit laudatus PATAVINUS: *In quorum cuiuslibet obitus die eorum ſepulcra a circumvicinis populis ſingulis annis viſitari, conſuevere.* Utriusque nempe ſanctitatis opinionem in populi animis viguiſſe, hæc argumento ſunt. Et ſane in Nummotheca noſtra *Auſtriaca* numiſma produximus, in cuius antica parte S. LEOPOLDUS, in poſtica vero: B. AGNES legitur.

Mortis epocha. d e f

XIV. Dies obitus AGNETIS dubio caret; ut quam VIII. Kal. *Octobris*, ſeu 24. *Septembris* deceſſiſſe, Necrologia, d) auctoresque uno ore affirmant. De anno non æque convenit, quando Scriptores exteri, e) quibus noviſſime acceſſit Cl. CALLESIUS MCXLIII. domeſtici contra, pari conſenſu, annum MCLVII. aſſignant. „AGNES „(ait ORTILO ad h. a.) piiſſima mater HENRICI, novi Ducis, LIU„POLDI Marchionis Relicta, pio fine quievit.„ Et RIKARDUS, Canonicus *Neoburgenſis*, referente LEWPOLDO *Campililienſi*: f) „Do„mina AGNES, LEWPOLDI *Pii* pia coniux, & fœcunda mater, beato „fine vitam longævam clauſit VIII. Kl. *Octobr.* an. MCLVII. ætatis LXXXI.„ Quos quidem, utpote domeſticos, iuxta ac coævos, peregrinis iure meritoque præferimus.

XV.

a) Ap. laud. PEZIUM tom. I. col. 1012. b.
b) Ibid. col. 1192. d.
c) Ibid. col. 615. a.
d) *Neoburgenſe* ſcilicet col. 494. b. ac *Mellicenſe* col. 309. a.
e) Chronographus SAXO, & chronicon *Montis Sereni*, apud CALLESIUM loc. cit. lib. VIII. pag. 493. not. b. Cui tamen accedere non poſſumus; quando verba quædam Diplomatis HENRICI, eius filii, de anno 1150. duobus his Scriptoribus favere putat, ita ſonantia: *Anime dulciſſime coniugis noſtre* DOROTHEE, *& parentum noſtrorum remedium conquirentes* &c. Neque enim iam tum mortua erat DOROTHEA, ſeu THEODORA, ut ex huius obitu, ad obitum AGNETIS argumentum duci queat.
f) Loc. cit. p. 1287.

XV. Alterum marmor, dicto in loco ad lævam conſpiciendum, ac numero quaternario a nobis diſtinctum, ad ADALBERTUM pertinet, filiorum S. LEOPOLDI natu maximum, docetque, hic loci ſepultum

ADALBERTI, filii S. LEOPOLDI loculus. TAB. V.



eſſe primogenitum S. LEOPOLDI, nomine ADALBERTUM, Ducem *Auſtriæ*, primum advocatum huius monaſterii *Cl-Neoburgenſis*. Hanc vero inſcriptionem ætate haud ſuperiorem eſſe priori, cum ex cauſſis adductis, tum ex *Ducis* dignatione, quem ADALBERTUS iſte conſecutus haud eſt, dignoſcitur.

XVI. De loco humationis eius *Cl-Neoburgenſes* inter, & *San-Crucenſes* controverſia eſt. Illis ad mox recitatam, his ad inſcriptionem multo vetuſtiorem, atque ſepulcrum etiam ipſum, provacantibus. Spes equidem affulgebat, cauſſam hanc deciſam iri, ſi apertis loculis ipſis, veritas quaſi ex imis terræ viſceribus peteretur. At ſpes hæc pene decollavit; corpore ADALBRRTI eo in loculo, ſeu monumento, ad quod ſuperpoſita inſcriptio provocat, haud reperto, quare ad alia indicia, ac argumenta recurrendum fuit, pro *San-Crucenſibus* tamen magis, quam *Neoburgenſibus* pugnantia; id quod infra videbimus.

De quo tamen controvertitur.

XVII. Nunc vero de exceſſu eius paucis dicendum eſt. Patre defuncto *Marchionatus* inſignia non in ADALBERTUM, etſi, LEWPOLDO *Campililienſi* teſte, a) primo loco natum, ſed in fratrem proximum, patri cognominem, translata fuere. Cuius rei haud alia cauſſa ſuberat, quam affecta Principis valetudo. Nam patri cetera haud abſimilem fuiſſe compertum habemus. Sic enim idem LEWPOLDUS *Campilil.* ex RIKHARDO, *Canonico Newburgenſi*: „ADALBERTUS naſci„tur *Id. Febr. an. MCVII.* vir devotus, & fortis in bello, Advocatus „Eccleſiarum: qui rexiſſet poſt patrem, niſi graviter infirmus, quaſi „per annum reſponſum mortis habuiſſet in ſe, uſque dum obiit „*VI. Id. Nov.*„ Cum RIKHARDO faciunt ORTILO ad annum MCXXXVII. & quoad diem ſaltem Necrologia *Mellicenſe*, & *Scotenſe*. At lapis ſepulcralis ad *S. Crucem*, poſtea a nobis afferendus, itemque Necrologium *Clauſtro-Neoburgenſe*, diem ſequentem, i. e. V. Iduum, ſeu diem IX. *Novembris* aſſignant. Quibus ultimis accedendum duximus. Nam etſi lapis, ut poſtea dicemus, ſeculo XIII. ineunte ſuperior

Mortis eius epocha.

a

a) Loc. cit. p. 1310. ubi S. LEOPOLDI liberorum ordinem naſcendi, ex RIKHARDO, Canonico *Newburgenſi*, S. LEOPOLDO æquali, aut ſaltem ſuppari, data opera exponit.

haud eſſe videatur, eidem tamen, auctoritate quippe publica poſito, multum momenti ineſſe, nemo facile negabit. Sunt, qui mortem eius anno uno prævertunt, ut ARENPECKIUS, HASELBACHIUS, SUNTHEMIUS: ſed præſtat, vetuſtioribus potius arbitrari fidem.

Liberorum S. LEOPOLDI, in infantia ſublatorum, epitaphium, & numerus.

XVIII. Tertium marmor, ſupra oſtium monumenti S. LEOPOLDI poſitum, ac in ſchemate noſtro numero ternario diſtinctum, ſic habet:



Iam ſupra monuimus, inſcripturam hanc nihil minus, quam primigeniam eſſe. Numero etiam deſtituta, lectorem in incerto relinquit, quot, & quales LEOPOLDI liberi hic ſepulti indicentur? Quare certiora, luculentioraque aliunde petenda ſunt. Commodum autem occurrit excerptum *Rikhardianum*, a Cl. HANTHALERO bono hiſtoriæ *Auſtriacæ* evulgatum, quod etſi ſecus, ac alii Scriptores retulerunt, atque hucuſque creditum fuerat, S. LEOPOLDO, non duo-tantum, ſed undeviginti liberos tribuat, eidem tamen fides tanto minus deneganda, quanto apertius eſt, auctorem excerpti in reliquis omnibus eſſe quam accuratiſſimum. Itaque eo duce tenendum, ſepulcro illo proles cohiberi omnino octo, quorum dies natales, iuxta ac emortuales, annis ſequentibus illigat, nimirum anno ſupra milleſimum centeſimum XI. XII. XVI. XVII. XX. XXI. XXVIII. & XXXIX.

LEOPOLDI VIII. fata.

XIX. Præter recenſita Principum *Babenbergicorum* funera, quorum vel integra ſepulcra, vel veſtigia ſaltem, in ſæpe laudata *Cl-Neoburgenſi* Præpoſitura in hunc uſque diem reſtare vidimus: alii quoque, eiusdem ſtemmatis, tumulos ſuos nanciſcebantur, qui tamen aut temporis iniuria perierunt, aut ſaltem oculis hominum ſubducti ſunt. Ex his primo loco nominandus LEOPOLDUS VIII. LEOPOLDI *Glorioſi* filius, qui relatu ORTILONIS *VIII. Kal. Octobris*, vel
a ſecundum alios *VIII.* vel *VII. Kal. Aprilis*, natus, a) cum *Cl-Neoburgi* litterarum ſtudiis operam daret, ex arbore prolapſus, funus fuit, die XXI. *Octobris*, an. MCCXVI. anno ætatis X. nondum adulto

a) ORTILO de exordio *Campililii* p. 1298. ad an. MCCVII. „ LIUPOLDO Duci retribuit „ DEUS ſecundum bonitatem cordis ſui, „ diſponens ei filium, quem diu optaverat, „ LIUPOLDUM, qui natus eſt in *Wienne* „ VIII. *Kal. Octobr.* „ Alii tamen, ut chronicon *Admontenſe*, ad a. eund. Anonym. *Leob.* chronicon *Zwetlenſe*, tabulæ *Cl-Neoburg.* ac denique chronicon *Garſtenſe* MS. quod in anno 1256. deſinit, *VIII. Kal. Aprilis* ſtatuunt. Unde ORTILONI humani quid accidiſſe putamus, quemadmodum & error librarii in chronicon *Cl-Neob.* irrepſiſſe videtur, quod *VII. Kal. Aprilis* præfert. Minus rem tetigit chronicon *Auſtrale*, annum 1205. obtrudens. Hæc eadem fere tom. præced. P. I. proleg. II. p. XXIX. §. VIII. retulimus, ideo tamen hic repetenda; quod ibi nobis ipſis tum error exciderit, facile tamen emendandus, ſi lin. 9. pro *decennis* novennis, & lin. 11. vice verſa legatur.

ulto. a) *Cl-Neoburgi* humatum fuiſſe, teſtatur SUNTHEMIUS, b) adſtipulante, ſeu præeunte potius, anonymo coævo, aut ſaltem ſuppari, qui de poſteris S. LEOPOLDI, ad FRIDERICUM uſque II. Ducem *Auſtriæ*, ſtirpis *Babenbergenſis* ultimum, narrationem contexuit. c) Quod quidem, etſi ſepulcri eius veſtigium hodie nullum ſuperſit, eo credibilius evadit, quod ibidem mortuus ſit, quodque probabile, & vel ipſæ inſcriptiones documento ſint, ſub canonizationis *Leopoldinæ* tempora, cum ſacellum illud, ſeu ſpecus, de qua diximus, exſtrueretur, reliquias oſſium, e diverſis ſepulcris collectas, atque in locum, ubi nunc marmora, de quibus pariter egimus, litterata viſenda ſunt, comportatas fuiſſe. Id quod de ſequentibus etiam funeribus obſervandum. Eum præterea *Cl-Neoburgi* etiam primam aſpexiſſe lucem, ſecus, ac laudatus ORTILO tradidit, idem SUNTHEMIUS loc. cit. affirmat. a b c

XX. Sequitur THEODORA, LEOPOLDI VII. cognomento *Glorioſi*, uxor, Auguſta *Græcorum* ſtirpe ſata. d) Hæc facta vidua *Iudenburgi* primum in *Styria*, tum vero, in *Auſtriam* redux, in caſtro montis *Cetii* habitans, accepto FRIDERICI filii, ultimi e ſtemmate *Babenbergico* melioris ſexus ſurculi, infelici, nec opinato exitu, adeo proſtrata fuit, ut octavo poſt die, qui in ſecundum, & viceſimum *Iunii*, anni 1246. inciderat, animam efflaret. e) Concordant quoad annum, & genus mortis, chronica *Salisburgenſe*, f) *Clauſtro-Neoburgenſe*, g) *Auſtrale*, h) & PALTRAMUS. i) Male igitur chronicon *Zwetlenſe* k) occaſum FRIDERICI, ex quo & occaſus matris eius ſupputandus, ad annum ſequentem retulit. THEODORÆ, LEOPOLDI *Glorioſi* coniugis, mortis annus, d e f g h i k

XXI. De die obitus THEODORÆ variant Necrologium *Admont.* quod *X. Kal.* & *Cl-Neoburgenſe*, quod diem ſequentem, ſeu *IX. Kal. Iulii* obtendit. Sed diſcrimen hoc PERNOLDUS, paullo ante laudatus, dirimere nobis videtur, dicens: *Dux interiit in die S.* VITI, qui nempe in XVII. Kal. *Iulii* incidit. Idem aſſerit HORNECKIUS, l) immo Et dies. l

a) ORTILO, ubi ſupra p. 1300. ad annum MCCXVI. *Duci, & provinciæ magnus luctus oritur, ob immaturam mortem primogeniti filii ſui* LIUPOLDI, *qui in* NÜWENBURCH *ludum puerorum frequentans, ex arbore cecidit, XII. Kal. Novembris.* Idem aſſerit chronicon *Cl-Neoburg.* col. 451. b.

b) Ap. *Hier.* PEZIUM tom. I. col. 1022. d.

c) Ibid. col. 576. a.

d) De huius ſtemmate Clar. CALLESIUS l. c. tom. II. p. 166. not. d. multa erudite congerit, nec tamen, conſideratis omnibus, quidquam ſtatuere audet. Nobis in eorum gratiam, quibus in id ulterius inquirere, animus eſt, ex laudato MS. chronico *Garſtenſi* ſequentia addere, viſum eſt: LIUPOLDUS *Dux* AUSTRIE, STYRIE*que*, *Dominam* THEODORAM, *Conſtantinopolitani Imperatoris exneptem, duxit coniugem.*

e) PERNOLDUS p. 1319. ad h. a. „ Domina „ THEODORA Duciſſa, quæ tunc in Curia „ *Kalenberch* erat, audita filii ſui morte, „ adeo expavit, ut ad mortem infirmaretur, „ nec funeri adeſſe potuerit: quin ipſa quo„ que octava poſtea die mortua eſt, in *New„ burch* ſepulta. „

f) Loc. cit. col 359. b.

g) Ibid. col. 461. b.

h) Inter Scriptor. FREHERI tom. I. pag. 458.

i) Inter cit. Scriptores PEZII tom. I. col. 714. b.

k) Ibid. col. 532. a.

l) Chron. *Auſtr. rhytmicum* cap. XI. p. 23. Nec differt laudatum chronicon *Garſtenſe* MS. quod, cum prœlium, quo cecidit FRIDERICUS, ita retuliſſet, ſubiungit: *Item* THEODORA, *mater eiusdem Ducis* FRIDERICI, *infirmitate corporis, & dolore cordis, quo pro filio ſuo vexabatur, penitus aggravata, moritur in his ſeptem diebus, in quibus ipſe Dux carnis debita reddidit.*

mo ipſa citata Necrologia, quæ cum in hoc conveniant, facile etiam quoad obitum matris convenire putanda ſunt; ut quem octava poſt mortem filii die eveniſſe, laudata, aliaque bene multa chronica conſtanti, & perpetuo conſenſu tradunt. Quare Necrologium *Cl-Neoburg.* uno die excedens, de ſepultura, ac die anniverſario, quod ſæpe fit, intelligi oportet. Equidem non ſumus neſcii, eiusdem nominis chronicon, cum reliquis ſupra laudatis, prœlio illi, FRIDERICO, filio eius fatali, diem ſequentem XVI. Kal. *Iulii* aſſignare. At HORNECKIO, & PERNOLDO, diem S. VITI, qui XV. *Iunii* ab antiquo colitur, conceptis verbis prodentibus, fides, aliunde etiam ſat probata, cur denegetur? non videmus: reliquis vero, ut in numeris, ubi unitas quædam facile excidit, frequens eſt, errare multo pronius fuit.

HERMANNI *Badenſis* ſepulcrum *Neoburgi.*

XXII. Tertium inter incognita *Neoburgenſia* funera, HERMANNI quoque *Badenſis* eſt, qui GERTRUDIS *Medlingenſis*, ut alibi diximus, maritus alter, *Auſtriæ*, *Styriæ*que Ducatus aliquamdiu tenuit, ubi præmatura morte 2. *Octobris* 1250. ſublatus e medio, *Cl-Neoburgi* humatus eſt, teſtante chronica *Auſtrali.* a) Diem mortis decernit Necrologium eiusdem Archiſterii, nec non & *Scotenſe;* ubi legimus: *IV. Non. Octobris* HERMANNI *Ducis Auſtriæ.* PERNOLDUS b) non ita definite ad an. MCCL. *Marchio Badenſis*, ait, *etiam accepit filiam* AGNETEM, *ipſe vero obiit cum initio menſis Octobris.* Eundem cum prioribus & diem, & annum prodit chronica *Auguſtenſis*, c) nec non ſupra laudata narratio genealogica poſterorum S. LEOPOLDI, d) quam magni facit Cl. editor eiusdem.

a
b
c
d

Funera, *Cl-Neoburgo* ſuppoſita.

XXIII. Accenſent hiſce nonnulli GERTRUDEM, HENRICI, cognomento *Iaſomirgott*, uxorem: binos item HENRICOS, alterum Iuniorem de *Medlico*, *Crudelem* nomine alterum. At de prima merito dubitatur, an non potius in *Saxonia*, ut ſuo loco dicemus, tumulata fuerit: poſteriores vero in Abbatia *San-Crucenſi* quieſcere, iam demonſtratum imus.

CAPUT IV.

SEPULCRETUM ABBATIÆ S. CRUCIS, IN AUSTRIA INFERIORI, PROLIBUS, POSTERISQUE S. LEOPOLDI CONSECRATUM.

§. I.

S. LEOPOLDUS Abbatiæ *S. Crucis* fundator.

Pietati S. LEOPOLDI haud ſatis erat, illuſtre Canonicorum Regularium Collegium *Neoburgi* inſtituiſſe. Nondum illi ſupremam manum impoſitam viderat, cum conſilio, & ſuaſu filii ſui

a) Ap. FREHER. l. c. p. 459.
b) Loc. cit. p. 1321.
c) Ap. FREHER. l. c. p. 528.
d) Col. 576. c.

ſui OTTONIS, qui Ordinem interea *Ciſtercienſem*, *Morimundi* in *Gallia* ſuſceperat, impulſus, ad novum eiusdem S. Ordinis monaſterium in *Sattelbach*, *Auſtriæ Inferioris* loco, conſtruendum, animum adiecit. Quod & prædiis auctum, dotavit munifice, mutatoque nomine, *ob victorioſiſſimum noſtræ ſalvationis ſignum, ad S. Crucem* nominari voluit. a)

a

II. Hanc igitur ſecundam LEOPOLDI fundationem non minori, quam priorem benevolentia, ac voluntate proſecuti liberi, ac nepotes, ſuas ibi elegerunt ſepulturas. Quæ quidem ſanctiſſime cuſtoditæ, eidem Ven. Abbatiæ, in hodiernum uſque diem pulcherrime florenti, unacum ceteris venerandæ antiquitatis reliquiis, a nobis tomo præcedenti productis, haud exiguo ornamento ſunt, ac venerationi. Quare cum primum animo ſententia ſtetit, iſta, quæ pridem molimur, monumenta, in lucem protrahere publicam, curæ haud ſane poſtremæ fuit, ut & ea in hac conquireremus Abbatia.

Ubi ſepulcrum ſibi eligunt filii illius, poſterique eorum.

III. Itaque iam anno a CHRISTO nato 1739. unacum *Salomone* KLEINER, Architecto ac Calcographo, inter paucos perito, iter litterarium ſuſcipientes, in laudata Abbatia III. *Maii*, vergente iam die, ac Veſpertinæ modulationi operam dantibus viris Religioſis, adventavimus. Adfuit extemplo Reverendiſſimus Abbas ROBERTUS ipſe, a quo perquam humaniter, amanterque ſuſcepti, ac in monaſterium, ſuæ ipſius curæ commiſſum, indeque in domum *Capituli*, uti vocant, introducti fuimus. Hic vero lapides ſepulcrales, & quidquid ad funera Marchionum, ac Ducum *Auſtriæ*, ibi conditorum pertinet, conſpicati, conſilium cepimus, non ſolum funebres, quæ occurrunt, deſignandi inſcriptiones; ſed &, quoad veritatem propius penetrare liceret, ipſam ſub lapidibus humum ſcrutandi. Quod, ut poſtera die mandaretur executioni, ab ipſo Reverendiſſimo Præſule mox negotium datum eſt. Huius vero inveſtigationis hiſtoriam antequam proſequamur, brevem loci deſcriptionem præmittendam duximus.

Iter, eo ſuſceptum.

IV. Domus *Capituli*, cuius hic delineationem damus, ab ipſo fundatore pariter, ac templum exſtructa, atque adeo primæva eſt. Architectura *Gothica*, fornix quatuor nititur columnis, intra quas utrinque ea, quæ poſtea exponemus, operi gypſato coloribus inducta ſunt. E clauſtro, baſilicæ contiguo, huc patet introitus, cancellis ferreis, climate factis, inſtructus, dependente tabula, eleganti manu

Genius loci, ubi Principum dormitorium. TAB. VI.

a) Verba ſunt ipſius LEOPOLDI *Pii*, in litteris fundationis, editis a Doctiſs. P. *Bern.* PEZIO *Cod. Dipl. hiſt. epiſt.* P. I. num. XCV. p. 318. datis ipſo anno S. LEOPOLDI emortuali 1136. Hæc dum ſcribimus, in mentem nobis redit imago S. LEOPOLDI, ſingulis manibus ſingula ædificia geſtantis, a nobis tomo præced. Tab. I. exhibita. De hac cum nobis nunc multo veriſimilior interpretatio ſuccurrat, non poſſumus, non eam hic exponere. Nimirum ea pictura non ſolum beneficii, in ſe ipſos collati, memores *Cl-Neoburgenſes*, id præterea innoteſcere cupiebant poſteris: LEOPOLDUM duplicis, ſui videlicet, & *San-Crucenſes* monaſterii, auctorem eſſe; unde & bina eum geſtare fecerunt ædificia.

Tab. VI. nu deſcripta, funerum, illic depoſitorum indice; mendis tamen, quod quidem non inſpectis, excuſſisque ſepulcris, pronum erat, cum ſcateat, ab eius editione, rogantibus id loci alumnis, conſulto abſtinemus.

Numerus, & ordo lapidum. V. Funerales lapides, litteris exarati, non niſi novem conſpiciuntur, cum duobus abacis, ſeu ſaxis grandioribus oblongis, omni inſcriptione vacuis. Novem illi eo ſunt ordine poſiti, ut eorum octo ab altari in longitudinem ædificii, ſe quidem haud contingentes, ſed interpoſitis aliis ſaxis, pavimenti partem conſtituentibus, ab invicem ſeiuncti, recte excurrant, nonus autem ab altari remotior, ac ianuæ vicinior ſit. Ad huius latera, medio duarum columnarum intervallo, duo iacent abaci, qui etſi inſcriptione, aliove ſigno diſtincti ſint nullo, pro ſepulcralibus tamen habendos eſſe, latentia ſubtus funera docuerunt. Ipſa monumenta nec larga multum ſunt, nec magnitudine ſibi æqualia. Singula tamen ſex, & dimidium, ad octo, & dimidium pedes, quatuor ſi exceperis, longa ſunt. Singula ſingulis numeris, claritatis gratia notavimus.

Ac ætas inſcriptionum. VI. Inſcriptiones, quæ, ut ſchemata oſtendunt, non ad latitudinem, quod hodie fit, ſed ad longitudinem lapidum exactæ ſunt, ligno inciſas exhibemus; quatenus tam de lapidum, quam præcipue litterarum, Lectorum oculis ſubiectarum, ætate iudicari queat. Nobis ſeculo XIII. ineunte ſuperiores haud eſſe perſuaſum eſt. Funeribus, de quibus loquuntur, ſingulis æqualia ſane non eſſe, ductus litterarum, ubique fere ſimilis, eloquitur. Ante annum tamen 1223. exſculptas fuiſſe, indicio nobis eſt HENRICI IV. *Medlicenſis*, eo anno defuncti, ſepulcrum, inſcriptura deſtitutum. Nam ſi id poſt eius fata contigiſſet, cur non lapides tam huius, quam & HENRICI *Crudelis*, qui anno 1228. & uxoris AGNETIS, ſeu RICHARDIS, quæ poſt eum e vita migravit, litterati eſſent? ut quod tum una, quod aiunt, fidelia fieri potuiſſet. Videntur igitur epigrammata iſthæc ante dicti HENRICI obitum exarata, ipſo autem cum tribus aliis poſtea ſubſequente, iterum neglecta fuiſſe, donec circa annum 1280. quo HENRICUS, & RUDOLPHUS, OTTONIS Ducis *Inferioris Bavariæ*, ex CATHARINA *Habsburgica* filii, ſepulcrum hic nacti fuerunt, litteris quidem exaratum, ſed quæ cum alium habere auctorem, tum alias figuras præſeferre videntur, quando ad illud ventum fuerit, obſervabimus.

Leopoldi V. cognomento *Largi*, March. *Auſtr.* ac Ducis *Ba-*

VII. His ita præmiſſis, iam funera ipſa, cum ſuperpoſitis lapidibus, eo ordine, quo effoſſa ſunt, inſpiciamus. Itaque IV. *Maii* ſummo mane murarius, cum ſuis operis, opus aggreſſus, initium faciebat a lapide, numero a nobis quinario notato. LEOPOLDI V. cognomento *Largi*, Marchionis *Auſtriæ*, ac Ducis *Bavariæ*, loculum is obtegit. Medium vix pedem unum in terram itum erat, cum

parva

parva quædam oſſa, lateresque, hinc illinc diſperſi, in conſpectum ſe darent. Aperti olim ſepulcri indicium hoc erat, a) confirmatum poſtea, cum quatuor pedes cum dimidio fodiendo, altius in terram perventum, loculamentum occurrebat operis lateritii, quatuor pedes, & quinque pollices longum, pedem unum, & tres pollices latum, totidemque altum. In hoc oſſa iacebant humani corporis, iuncta quidem, ſed ſua compage ſoluta. Non lamina, non gladius, nec aliud quodvis ſignum præterea aderat. Muri coctiles utroque ex latere comparebant, a fronte item, ac altare verſus, dimidio latere ſtructi. Quod ſiniſtrorſum vergebat rudus, ſuam teſtabatur vetuſtatem; vi quippe, & impetu maximo confringendum. His rite inſpectis, examinatisque, loculamentum vetus emundatum, oſſaque rite compoſita, humo iterum obtecta fuere.

variæ loculus, IV. *Maii* apertus. TAB. VI. N. V. a

VIII. Lapidi, cuius ectypon hic vides, diem obitus eius XV. Kal. *Novembris* prodenti, ſubſcribunt ORTILO, b) RIKHARDUS de *Newburga*, c) ac ſæpe citatum chronicon *Mellicenſe*, aliaque, d) quæ inſuper annum addunt 1141. Unde emendandi Scriptores nonnulli recentiores, ut ſunt chronicon *Auſtrale*, BERNARDUS *Noricus*, Anonymus *Leobienſis*, HASELBACHIUS, ARENPECKIUS, ac tabulæ *Cl-Neoburgenſes*, qui mortem Principis ad annum 1142. aut ſequentem retulerunt.

Dies, & annus obitus.



b c d

IX. Obitus tam immaturi (natus enim erat, ſecundum laudatum RIKHARDUM, Kal. *Ianuarii* anno 1108.) occaſio hæc erat: auctus a CONRADO, Rege Rom. ut alibi diximus, Ducatu *Bavariæ*, provinciam adiens, parum pacatam reperit. Continuis igitur trium annorum belli laboribus fractus, ac non multo poſt eius finem *Ratisbonæ* morbo implicitus, dum reditum in *Auſtriam*, patriæ

Eiusdemque occaſio.

a) Factum id eſſe an. 1280. quo Ducibus *Bavariæ*, de quibus hic infra num. XXVI. & XXVII. dicemus, ſpatium daretur, indicio nobis eſt, quod lapis, loco paullulum motus, medium ex anuſſi, ut ſchema docet, haud occupet.

b) Loc. cit. p. 1287.
c) Ib. p. 1310.
d) Chronicon *Mellicenſe* col. 230. c. *Salisburgenſe* col. 344. a. *Reicherſpergenſe* p. 253. *Zwetlenſe* vetuſtius col. 522. b.

Tab. VI. a triæ auræ ſalubritate valetudinem recuperaturus, parat, *in territorio Patavienſi* (ſunt verba Ottonis *Friſingenſis*, a) Leopoldi fratris germani) *diem obiit*, *& in monaſterio* S. Crucis, *quod a patre ſuo fundatum*, *ipſe plurimum dotaverat*, *humatur*. In territorio *Patavienſi*, inquit, nomine loci haud expreſſo. Sed illum ſupplet mox laudatus Ortilo, quando *Altaham*, ſeu celeb. & antiquiſſimam Abbatiam *Altaich*, nominat, *Inferiorem* nempe, probe diſtinguendam ab Abbatia cognomine, non minus celebri, & nonnihil etiam antiquiori, quæ ad diſcrimen illius *Altaich Superior* vocatur, non in *Patavienſi*, ſed *Ratisbonenſi* diœceſi ſita. Uxorem duxerat Leopoldus Mariam, Sobieslai, *Bohemiæ* Ducis filiam, Hermanno poſtea, *Carinthiæ* Duci, nuptam. De cuius obitu iuxta, ac ſepulcro nihil nobis innotuit.

Leopoldi VI. cognom. *Virtuoſi*, loculus num. VII.

X. Oſſibus Leopoldi V. rite, ut ſupra diximus, iterum compoſitis, lapideque ſepulcrali reſtituto, eodem die, horis pomeridianis, ad ſcrutandum buſtum, numero ſeptenario notatum, acceſſimus. Hoc



Leopoldi VI. cognomento *Virtuoſi*, exuvias cuſtodiri, inſcriptura, quam vides, edocuit. Ad longitudinem pedum quinque naturali ſitu iacebat corporis compages, & ad ſiniſtram, iuxta caput, exeſa occurrebant fruſta ferrea, quorum unum capulum, ni fallimur, fuit, reliqua vero ſolii lignei, ut videbatur, ferramenta. Veſtium nihil, at loculi illius putridi parva fragmenta ſupererant. Cranium terra, ſive limo repletum erat, cuius rei ratio in aquarum quærenda eſt copia, dormitorio huic olim infeſta, at ante annos præter propter ſexaginta per foſſam educta. Aqua nimirum, ſepulcra perrumpens, iſtam poſt ſe in cranium traxit illuviem.

Cur in lapide Dux *Styriæ* ſcribatur?

XI. Præter *Auſtriæ*, *Styriæ* quoque Dux ſcribitur; eo quod anno 1192. Ottocaro, Duce *Styriæ*, absque liberis decedente, eam provinciam annutu Henrici VI. Imp. indeptus ſit, ab eodem *Wormatiæ* Kal. *Iunii* dicto adhuc anno magna cum celebritate inaugura-

a) Ap. Urstis. Lib. VII. cap. XXV. p. 153.

guratus. a) Quare LEOPOLDUS ex pactis, a tota provincia probatis, b) *Auſtriæ* iuxta, & *Styriæ* Dux eſt ſalutatus. Ceterum rarus hic titulus eſt in monumentis ſepulcralibus, nec illum deinceps, uno excepto OTTOCARO, Rege *Bohemiæ*, ad uſque RUDOLPHUM IV. in epitaphiis, laconicam brevitatem ubique præferentibus, obſervamus. TAB. VI. a b

XII. Principem hunc II. Kal. (ſecus, ac laudati HANTHALERUS, c) ac poſt eum CALLESIUS, d) III. Kal. legerunt) id eſt *prid. Kal. Ianuarii* obiiſſe, lapis aperte proloquitur. Qui etſi, ut ſupra diximus, coævus haud ſit, nec ſeculo XIII. ineunte ſuperior, magni tamen, utpote auctoritate publica poſitus, ponderis eſſe, nemo facile inficiabitur. Cum eo præterea chronicon, & Necrologium *Mellicenſe*, chronicon, & Necrologium *Cl-Neoburgenſe*, chronicon, & Necrologium *Admontenſe*, chronicon *Scotenſe*, ac ſupra memoratum *Garſtenſe* MS. magno conſenſu faciunt, ut adeo ORTILONI, quanquam Principis exequiis præſentem ſe adſtitiſſe ipſe teſtetur, adverſus tot teſtes, IV. Kal. *Ianuarii* aſſignanti, accedere haud queamus. Satis certe celeriter obiiſſe putandus eſt, qui ſexto, & viceſimo *Decembris*, fracta tibia e) eaque igne ſacro correpta, ultimo eiusdem menſis vitam cum morte commutavit, quanto magis tertio poſt die? De die obitus eius, c d e

XIII. Annum eidem fatalem laudatus ORTILO loc. mox cit. recte aſſignat; unde Chronographus *Mellicenſis*, f) *Salisburgenſis*, g) BERNARDUS *Noricus*, h) ac aliquoties excitatus Chronographus *Garſtenſis* MS. annum ſequentem indicantes, veterem putandi morem, quo annum a Natali CHRISTI, de quo alibi diximus, ordiebantur, ſecuti ſunt. Magis aberrat chronica *Auſtralis*, i) annum 1192. quin & *Cl-Neoburg.* k) & *Admontenſ.* l) inſequentem 1193. aſſignantes. Quod ſi igitur ſecundum chronica *Cl-Neoburg. Leobienſ.* & Nec non & anno. f g h i k l

a) Chronicon *Reicherſpergenſe* ad an. 1192. p. 344. Addendus ORTILO l. c. p. 1288.

b) Litteræ OTTOCARI, quibus LEOPOLDUM, eiusque filium, hæredem iam an. 1186. XVI. Kal. *Sept.* ſcripſerat, extant ap. *Sigismundum* PUSCHIUM in chronologia *Styriæ* P. II. p. 20.

c) Faſt. *Campilil.* elog. IX. §. IV. n. XXI. p. 484.

d) Annal. *Auſtr.* tom. II. lib. II. p. 128. not. e.

e) ORTILO in not. poſter. ad an. 1194. p. 1289. „ LIUPOLDUS alteram profectionem „ in *terram ſanctam* præparans, & ideo a„pud *Grez* in *Stiria*, poſt Miſſas Natalis „Domini, altera die ſe, & milites ſuos lu„do equeſtri exercens, labente equo pedem „fregit, & quaſſavit. Nulla medela profuit „pedi: & poſtquam hunc abſcindendum „inpavide præbuiſſet, neque profuit reli„quo corpori incenſo.„ Litteræ ADALBERTI, *Salisb.* Archiep. ad COELESTIN. III. P. M. ap. *M.* HANSIZ. *Germ. Sacr.* tom. II. p. 954. datæ a. 1195. ſic loquuntur: „Cum LEOPOL„ DUS, quondam Dux *Auſtrie*, & *Stirie*, in „natali Domini gratia ſolempnizandi veniſ„ſet in quasdam partes Ducatus *Stirie*, con„tigit, eum in die B. STEPHANI, *proto-Mar„tyris* in campum cum aliis militibus exi„re, & ibidem exercitio, & ludo militari „tempus deducere. Ceterum - - Divina „permiſſione cum equo in terram ſubito „corruit, & pedem in medio tali confregit „uſque adeo, ut & tibiam mediam poſtmo„dum cum pede precidere iuſſerit.„ Alii alias res circumſtantes adiicientes, reipſa conveniunt. Plures teſtes congerunt laudati PP. HANTHALERUS, & poſt eum CALLESIUS. Cl. P. *Leop.* FISCHER, in brevi notitia urbis *Vindob.* P. III. p. 12. eum *Græcii* mortuum, & Idib. *Ian.* 1195. ad *S. Crucem* ſepultum perſcribit. Cetera conveniunt.

f) Loc. cit. col. 235. d.

g) Ibid. col. 347. b.

h) Ibid. col. 694. a.

i) Ap. FREHER. tom. I. p. 448.

k) Loc. cit. col. 448. d.

l) Col. 192. b.

Tab. VI. & *Auſtrale* anno 1157. (quod tamen mox annum quoque ſequentem prodit) natus ſit LEOPOLDUS, conſequens eſt, ut vitæ dies ad annum uſque ſeptimum, & triceſimum produxerit.

In habitu *Ciſtercienſi* ſepultus.

XIV. Retulerunt nobis Venerabiles Aſceterii *San-Crucenſis* alumni, LEOPOLDUM noſtrum, in mortis aditu conſtitutum, veſte Sacri ſui Ordinis amictum, ſicque terræ concreditum fuiſſe. Etſi autem nobis eius veſtimenti; utpote quod pridem computruit, ſignum nullum affulſerit, capulique fragmentum ad Ducem potius, quam monachum pertineat, nihil tamen uſque eſt, quod rem dubiam reddat. Enimvero quam præter ORTILONEM, qui ſepulturæ ceremoniis præſens ipſe adfuit, laudati, ARENPECKIUS, tabulæ *Cl-Neoburgenſes*, ac citata *Narratio Genealogica* affirmant. Nota præterea eſt laudabilis eorum temporum conſuetudo, qua multi, ac etiam Principes viri, maxime pœnitentes, religioſi cuiusdam Ordinis veſte ſacra indui, ſicque mori, voluerunt. Nec denique obeſt gladii fruſtum, in tumulo repertum, ut qui, in ſignum Ducalis dignationis, poſt aſſumptum habitum non minus, quam antea adiici potuerat. Unde nec eodem obſtante, Ducis titulus lapidi ſepulcrali inciſus eſt. Ex quo tamen minime probare velimus, quod SEIFFRIDUS Abbas *Zwetlenſis*, in Dedicatione *arboris Anicianæ*, & poſt eum alii ſcripſerunt: illum *reliquum vitæ in eodem monaſterio* S. CRUCIS, *veſte indutum religioſa*, *tranſegiſſe*. Quei enim fieri, poterat, ut Princeps, ad mortem uſque afflictus, breviſſimo illo quinque, aut ſex dierum ſpatio, ad monaſterium deportatus, adhucdum monachi vitam ageret?

Quæ pars pedis fracta, quæque truncata ſit?

XV. Pedem, igne ſacro correptum, truncari ſibi iuſſiſſe LEOPOLDUM, ex §. XII. intelleximus. Cuius rei ſignum non ita aperte, ſed tamen in pede dextro, qui paullo ſupra iuncturam abſciſſus fuiſſe videbatur, ſeſe prodit. Quare tibia, cum integra, ac nulla ſui parte læſa appareat, iis accedere haud valemus, qui apud laudatos HANTHALERUM, & CALLESIUM, illam confractam fuiſſe referunt, quos inter GERVASIUS *Dorobernenſis* chron. p. 1588. dicens: *cuius tibia tam ſubito, tamque perverſe confracta eſt, ut oſſis fractura cutem perforaret.* Quare pes potius luxatus, & e ſcutella ſua prolapſus videtur. Alii ſane de pede duntaxat loquuntur, dextro, an ſiniſtro? ſiluerunt, utrumque nunc lucem accipit.

Mors, & ſepultura, HELENÆ LEOPOLDI *Virtuoſi* ux. a b

XVI. Dicendum modo foret de HELENA, LEOPOLDI VI. uxore. At de ea nihil aliud conſtat, quam quod GEYSÆ II. Regis *Hungariæ* filia, LEOPOLDO *Virtuoſo* an. 1173. elocata, a) anno deinde 1199. die vero XXV. *Decembris* vitam hanc cum meliori commutaverit. b)

Sepulcri FRIDERICI *Bellico-*

XVII. Cum V. *Maii* lapidem, num. IX. a nobis ſignatum, ſub quo, ut ſtatim dicemus, FRIDERICUS II. cognomento *Bellicoſus*, cubat,

a) Teſte ORTILONE in notulis poſterior. ad an. MCXCV. p. 1290.

b) Chron. *Auſtral.* p. 449. & *Cl-Neoburg.* col. 449. b. ad h. a.

bat, removerent, loculamentum, coagmentatis aſſeribus concinnatum, ac binos duntaxat cum dimidio pede longum, latum vero pedem unum atque pollicem, inventum eſt. In eo oſſa iacuere permiſta, cranium, debito loco, ad ianuam vergens, at ſignum præterea nullum, nec aliquid aliud, notatu dignum, comparuit: id duntaxat haud obſcure illuceſcebat, ſepulcrum olim apertum, oſſaque novo ex aſſeribus ſolio recondita fuiſſe. Alioquin quo pacto ſpatium adeo anguſtum, virum iuſtæ ſtaturæ, qualis FRIDERICUS haud dubie erat, capere, aut oſſa, nemine admovente manum, commiſceri potuerant? *ſi deſcriptio,* TAB. VI. N. IX.

XVIII. Lapis ſex pedes longus, unum cum octo pollicibus latus, Principis imaginem integram, adeo prominentem refert, ut ad ſtatuæ formam proxime accedat. Delineationem eius, forma auguſtiori expreſſam, tomo I. horum monumentorum, a) nec non & ſtatuam eius aliam tomo III. exhibuimus. b) Antiquam, immo & coævam eſſe, dubitare nos non ſinit tum genus armaturæ, ac veſtimenti, cum & ſcuti forma, de qua in citata Pinacotheca. Ac lapis ſepulcralis, cum eius effigie. a b

XIX. Inſcriptura omni deſtitutus eſt. At in teſſera ſecunda, quæ domum *Capituli* intrantibus a ſiniſtris eſt, inſcriptionis cuiusdam ectypon oſtendunt, has voces præſeferens: † XVII. KAL. IUN. O FRIDERICUS BELLICOSUS S. LEOPOLDI ABNEPOS REX SALUT. ULTIMUS BABENBERG. FAM. Litteræ quidem nonnullam antiquitatem imitantur, ſed recentiores tamen eſſe, nec ſeculo XV. exeunte ſuperiores, *Sancti* titulus, LEOPOLDO *Pio* attributus, ſatis declarat. REX SALUT. *atus*, ideo ſcribitur; quod anno 1245. ab Imperatore FRIDERICO II. regio titulo augeretur. Qua de re PERNOLDUS ait: c) *Etiam ſponte Duci dignitatem Regis obtulit* (Imperator) *quam acceptare noluit, ne Pontificem offenderet.* Paullo aliter rem narrat ſæpe laudatum chronicon MS. *Garſtenſe* coævum, & in anno MCCLVI. finiens, cuius verba hic pariter exſcribere, operæ pretium erit. „ FRI- „ DERICUS, Dux *Auſtriæ* (inquit) in ſignum recipiendi regni per „ HAINRICUM Epiſcopum *Babenbergenſem*, apud *Wiennam*, quam „ plurimis nobilibus præſentibus, annulum regalem accepit, ab im- „ peratore transmiſſum, & eo anno circa Pentecoſten apud *Veronam* „ cum multo comitatu dominum imperatorem viſitavit, ſperans, ſe, „ ſicut idem promiſerat, regali dignitate decorari, ſed infecto negocio, „ immo potius ad futura ſuſpenſus, ad terram ſuam revertitur. „ d) Inſcriptio eiusdem recentior, c d

XX. Fallit præterea recentior hæc inſcriptio, diem interitus integro menſe prævertens, uti ſupra cap. III. §. XXI. oſtendimus, e) annum Ac mendoſa, & quo anno, & die e

a) Tab. XIII. p. 66.

b) P. II. Lib. I. cap. VII. p. 85. §. XXVI. ad Tab. XXV.

c) Ad an. 1245. p. 1318. Extat huius argumenti epiſtola apud PETRUM de *Vineis* lib. VI. cap. XXVI. p. 197. edit. noviſſ. *Baſil.* aliosque. Aſſervatur quoque in tabulario Archiduc. *Vindobon.* teſte STEYERERO in collectan. ſed ubique ſine temporis nota.

d) Hoc negotium, cur in nihilum reciderit, aliis etiam ex cauſſis coniicit CALLESIUS l. c. p. 337. ſeq.

e) Cl. P. *Leop.* FISCHER in brevi notit. urbis *Vindob.* P. III. p. 13. legit XVII. Kal. *Iulii* ſucceſſu temporis forte reſtitutum.

obierit Frideri-cus. Tab. VI.

num quoque illi fatalem §. ibid. antecedenti 1246. ſtatuentes. Genus, & auctor cædis iam olim in ambiguo fuit, remque aliter, atque aliter memorabant Scriptores ſequiores. At modo detecto, ac indias luminis auras producto PERNOLDO, ſynchrono, dubium omne ſublatum videtur. Eius verba ad dictum annum 1246. ſunt hæc: „ BELA, Rex *Hungariæ*, videns devictum Regem *Bohemiæ* fœdera„ tum (id quod Dux noſter anno præcedenti præſtitit) cum grandi „ exercitu venit ad fluvium *Lytam*, habens pro Ducibus aliquos E„ quites *Rhodios*, & unum FRANGIPANUM, in agmine *Cumanos* „ plurimos, more *Tartarorum*, telis pugnantes. Occurrit FRIDE„ RICUS Dux, lætus, & alacer, pariter cum electa militia, & facta „ acerrima pugna, hoſtes repulſi ſunt. Dux vero glorioſam victo„ riam conſummare volens, incauto fervore ante ſuos omnes per„ ſecutus eſt fugitivos. E quibus *Cumanus* unus telum poſt tergum „ mittens, eodem equum Ducis in capite percuſſit, ut ſtatim cade„ ret. Dux proſtratus, & vix duos comites habens, a revertentibus „ aliquibus hoſtibus obrutus, a FRANGIPANO per oculum enſe per„ foſſus eſt, ſuique comites pariter occiſi, antequam alii *Auſtrales* „ adveniſſent. Tunc nova quidem pugna erat, & victoria in eo„ dem loco, ſed heu! Dux iam obierat. - - Longo tempore alii alia „ de interitu Ducis opinabantur, donec unus captivorum hoſtium „ veritatem faſſus eſt. Funus Ducis cum pompa, qua decuit, apud „ *Sanctam Crucem* propinquam ſepultum fuit. „ Plura adiicere haud lubet; cum hic nobis reliquis potior ſit, ac præterea hiſtoriam necis

a eius, fere, ut hic a PERNOLDO refertur, tomo præcedenti a) pictam dederimus. Id unum addimus: quod cum Princeps noſter an. 1211. die XV. *Iunii* in lucem editus, atque dicto anno 1246. eodem recurrente die, cæſus fuerit, annos ætatis quinque ſupra triginta ex amuſſi adimpleverit, longiori vita apprime dignus.

Epitaphium, Conrado monacho auctore.

XXI. Epicedium eidem ſcripſit monachus quidam *Ciſtercienſis*, CHUNRADUS nomine, genere *Saxo*, b) &, ut ex ultimo verſu coniicimus, alumnus monaſterii *S. Crucis*, quod pro inſtituti noſtri ratione, cum prolixum adeo non ſit, locum hic habeat.

b Forma iacet PARIDIS, tumor *Hectorianus*, ACHILLIS
Robur, ALEXANDRI fortuna, ſubacta favillis,
Immo SAMSONIS vis, cor DAVID, os SALOMONIS,
Dos MARDOCHÆI, ſors IUDIT, mors MACHABÆI,
Eccleſiæ fax, pax patriæ, decus orbis, abegit
c Buce c) foro, ſcelus urbe, choro famoſa peregit.
Iam probat omnia nil niſi ſubdita ſomnia ſoli.
Ceu roſa decidit, & merito dedit omnia ſoli.

Unde

a) P. I. Proleg. II. §. XXX. p. XXIX.

b) Extat ap. Illuſtr. ab ECKHARD. *Corp. Hiſt. med. ævi* tom. II. col. 374. Eiusdem generis ſunt leſſi duo ap. Cl. *Hieron.* PEZIUM, quos; utpote longiuſculos, ap. eund. tom. II. col. 398. legi præoptamus.

c) Sic legitur ibi.

Unde DEI ſors ei culpas prece prona, TAB. VI.
Sit ne ſibi locus ater ibi, ſed vera corona.
Da lacrimas *Stiriæ* genus, *Auſtria* lugeat alma,
Victaque barbarie cecidit, lapſo Duce, palma,
CHRISTE tibi, vivatque ſibi, *Princeps Crucis* iſte.

XXII. Eodem die, quo FRIDERICI *Bellicoſi* loculum excuſſimus, ad cognominem illi FRIDERICUM I. cognomento *Catholicum*, perventum eſt. Loculamentum hic occurrebat, haud ſecus, ac in monumento LEOPOLDI *Largi*, lateritium, nondum tamen apertum, ſex pedes longum, latum vero duos, ut adeo homini iuſtæ ſtaturæ capiendo ſat largum eſſet. Attamen oſſa ſine ullo nexu, non tamen tumultuarie collocata vidimus. Id quod nobis indicio eſt, carnibus eius lixatis, ac divulſis, oſſa ſolummodo in patriam revecta fuiſſe. a) Nullum apparebat aut gladii, aut laminæ inſcriptæ argumentum. Terra & hic quoque adeo erat uda, ut integræ abinde deſtringi poſſent glebæ, duo per diametrum pedes denſæ, & quaſi oſſibus adhærentes, cuius rei rationem paullo ſupra §. X. dedimus. Sepulcri FRIDERICI I. *Catholici* recenſio. N. VIII. a

XXIII. Marmor, ſepulcrum operiens, tribus locis, ut vides, læſum, crucem in medio præſefert, conto quaſi ſuffixam, quæ illi hac forma, in memoriam fortaſſis peregrinationis *Hieroſolymitanæ*, de qua mox dicemus, appoſita fuit. Inſcripturæ, obitus FRIDERICI diem Adducto marmoris ſepulcralis ectypo, in quo crux exciſa.

a) Barbaræ huius pietatis exemplum ſat luculentum infra cap. VIII. huius libri §. IV. proferemus, mortuo in *Italia* LEOPOLDO VII. *Glorioſo* obtingens. Nec deſunt plura alia. Monachus *Weingartenſis*, Hiſt. de *Guelfis*, Scriptor. *rer. Brunſuic.* LEIBNITII tom. I. p. 792. eorum Principum, qui in quarta FRIDERICI I. *Barbaroſſæ Italica* expeditione an. 1166. peſte interierunt, nominibus recenſitis ſubiungit: „Quorum omnium pe„ ne oſſa, carnibus per excoctionem con„ ſumptis, ad propria reducta ſunt.„ OTTO de S. BLASIO de eodem Imperatore in expeditione ſacra an. 1190. defuncto, apud URSTISIUM tomo I. cap. XXXV. p. 215. „ Se„ pultisque inteſtinis (ait) cum carne reliqua „ apud *Tarſum*, oſſa *Antiochiam* translata, „ cultu regio officioſiſſime reconduntur.„ Idem monachus *Weingartenſis* in chron. l. c. pag. 798. „ Huius vero filius, Dux „ (*Sueviæ*) FRIDERICUS - - *Antiochiæ* ve„ niens, carnem quidem patris honorifice „ tumulavit; ſed oſſa uſque *Accaron* trans„ tulit, ubi & ipſe cum multis Nobilibus „ migravit.„ Hunc porro uſum apud eos, qui in peregrinatione ad *Terram ſanctam* deceſſerunt, maxime frequentatum fuiſſe, diſcimus ex conſtitutione BONIFACII VIII. apud Clar. HANTHALERUM l.c. pag. 1237. ex RAYNALDO, qua ſub annum 1299. prohibet, ne deinceps defunctorum corpora, ex ſuprema eorum voluntate, longinquas in terras deportanda, vino, vel aqua ferventi coquere, deinde concidere, ſive exurere uſque ad oſſa liceret: quod quidem barbarum eſſet, & apud illos maxime uſuveniret, qui in expeditione, vel peregrinatione *Palæſtinæ* trans mare occumberent. Verum huic conſtitutioni haud uſque adeo obtemperatum fuiſſe, docent exempla ſequiora, quale de S. LUDOVICO apud GAUFREDUM in Vita eiusdem cap. XLVII. & ISABELLA, PHILIPPI III. Regis *Francorum* coniuge, ex *Saba* MALASPINA tom. VIII. *rer. Ital.* MURATOR. col. 861. d. aliaque proferri poſſent. *Oſſa tamen elixa*, ait hic, *& qualibet carnoſitate mundata - - in* FRANCIAM, *relictis in tumulo putribilibus, quæ ſervando ſervari non poterant, demandantur.* Ex his nemini facile dubium erit, quin idem cum FRIDERICI corpore, pro more illorum temporum, etſi Scriptores de eo nihil memineriint, factum ſit; ut quem in reditu e *Palæſtina*, itinere ſat longo, vernis, ac æſtivis diebus in *Auſtriam* revehendum fuiſſe, argumento eſt, quod XVI. *Aprilis* mortuus, XI. primum *Octobris* terræ demandatus fuerit. Conf. dicenda hic infra §. XLIX. ubi de alia, funera transferendi, ratione ſermo erit.

Tab. VI. diem XVI. Kal. *Maii* referenti, ſuffragantur Necrologium *Mellicenſe*, & *Cl-Neoburgenſe*, quorum præterea monaſteriorum chronica annum emortualem 1198. de quo nemini nunc dubium eſt, attribuunt. Sed



a contradicit tamen iterum ORTILO, a) diem unum prævertens, cui quo minus aſſentiri queamus, trium facit auctoritas teſtium, quorum ſaltem poſteriores duo, Necrologiorum conditores, non minus, ac ipſe, æquales erant. Lapis præterea, etſi ætate nonnihil inferior ſit, auctoritate tamen publica poſitus, non poteſt non ORTILONEM premere, atque adeo illud fere hic etiam locum habere, quod Doctiſs. MURATORIUS in theſauro ſuo inſcriptionum non ſemel inculcat: unum lapidem apud ſe pluris valere, quam centum codices manuſcriptos.

Mortis eius hiſtoria.

XXIV. Hoc tamen nihil impediente (nam in numerandis ad normam Calendarii *Romani* diebus, hallucinari proclive eſt) cum annum mortis, resque circumſtantes, idem auctor luculenter exponat, operæ pretium erit, illius hic noſtra facere verba. Itaque ſicubi profectionem Principis in *Palæſtinam* an. 1197. cum reliquo *Germanorum* exercitu ſuſceptam, retuliſſet, ad annum ſequentem ſic porro pergit: „Idem Dux in *Terra ſancta* remanens, ceteris ob mortem „HAINRICI VI. Imperatoris redeuntibus, pro amore Crucifixi ibidem „etiam animam poſuit XVII. Kalend. *Maii*, poſtulans, ut in *Auſtriam* „reducto corpore, *in Sancta Cruce* ad patrem LIUPOLDUM ponere„tur. - - Fratri *Auſtriam* reliquit, ſine coniuge, & liberis defunctus. „Pietas eius, ac zelus pro religione ſibi cognomen *Catholici* pepe-
b „rit. b) Frater fratrem ad tumulum conduxit hoc anno, V. Idus „*Octobris*, me iterum adſtante.„ Verba ORTILONIS partim illuſtrat, confirmat partim diploma LEOPOLDI VII. ex autographo ta-
c bularii *San-Crucenſis* alibi editum, c) cuius nonnulla hic apponenda ſunt: „Hinc eſt (ait) quod ego LIUPOLDUS, Dux *Auſtrie* ac *Stirie*, „veſtre notum facio univerſitati: qualiter beate memorie frater meus „FRIDERICUS, Dux *Auſtrie*, dum eſſet in reverſione itineris *Iero„ſolimitani*, ac crebra pulſaretur infirmitate - - ſecundum pium, quem „ſemper erga fratres *ſancte Crucis* geſſerat affectum, & corpus, & „animam orationibus eorum committere, & locum ſibi apud eos „eli-

a) In notulis poſterior. p. 1290.

b) Alii originem huius cognominis in expeditionem aut *Mauricam* in *Hiſpania*, aut *Saracenicam* in *Palæſtina* reiiciunt. Sed præterquam, quod Principem noſtrum *Hiſpaniam* nunquam vidiſſe, evincat CALLESIUS l. c. P. II. p. 152. not. a. ORTILONIS effatum plane nobis potius eſt.

c) Tomo I. huius operis de Sigillis. p. 205. num. IV.

„ eligere decrevit ſepulture „ & reliqua. *Dum eſſet in reverſione iti-* Tab. VI.
„ *neris*, inquit, cum ORTILO eum remanſiſſe ſcribat, quod quidem commode accipiendum. Hoc enim pacto utrumque veritati congruere poterit: ut quidem ceteris diſcedentibus, remanere tunc ſtatuerit, ſed morbo non multo poſt correptus, reditum & ipſe pararet, ſed eodem oppreſſus, animam reddere cogeretur. Quo vero loco id contigerit, veteres non meminerunt. Notanda ſunt præterea verba ORTILONIS, quibus FRIDERICUM poſtulaſſe, ait, ut reducto in *Auſtriam* corpore, *ad patrem* LIUPOLDUM apponeretur. Verum quippe hoc eſſe, ex noſtra delineatione apparet, ubi patrem num. VII. pium autem filium ad latus eius ſiniſtrum num. VIII. collocatos videmus.

XXV. Tempus vitæ eius Cl. HANTHALERUS a) breviter ſic enumerat: „ Ætatis iuvenis calculus, ait, a die 26. *Decembris* 1174. „ (ſecundum ORTILONEM ſcilicet) qua natus eſt, uſque ad 15. *Apri-* „ *lis* anni 1198. ductus, conficit annos non plures, niſi tres, & „ viginti, menſes tres, dies viginti: gubernavit annos tres, & menſes „ non omnino quatuor. „ Quibus ſecundum nos dies unus addendus eſſet, niſi ipſe HANTHALERUS uno die excederet. Anni, & dies vitæ, ac regiminis.

XXVI. Eodem quoque die, quinto videlicet *Maii*, lapidem numero quaternario a nobis inſcriptum, ac RUDOLPHI, & HENRICI, Ducum *Bavariæ* nomina præferentem, amoliti ſunt. At terram undique circumfodientes, nil niſi oſſium quorundam minutorum fruſta, binosque tubulos, magnitudine palmæ, anguſti item, tenuis, ac tenerrimi partem cranii, hominis iuvenis exuvias aperte indicantia, repererunt. Addebantur, quemadmodum in ſepulcro LEOPOLDI *Largi*, Scrutatio ſepulcri RUDOLPHI & HENRICI, Ducum *Bav.* N. IV.
tria ferri cuiusdam fragmina.

XXVII. Litteris, marmori, inferiori ſui parte læſo, inciſis, indicantur RUDOLPHUS, & HENRICUS *fratres*, *filii* OTTONIS, *Ducis Bavariæ*, *& nepotes* RUDOLPHI, *Regis Romanorum.* Alium huius Lapisque ſepulcralis expoſitio.



epigrammatis eſſe auctorem ab illo, vel illis, qui *Babenbergenſium* epitaphia concinnarunt, ex forma litterarum iudicamus, littera E. videlicet clauſa, & T. cuius linea perpendicularis in ſpiram deſinit, Cetera diſcrimina Eruditus Lector ipſe obſervabit, quæ inter non ultimum,

a) Loc. cit. Elog. X. §. XII. p. 497.

Tab. VI. mum, quod reliqua, hucuſque adducta, ac deinceps adducenda epitaphia diem ſaltem ſingulorum mortis notent: hoc vero cum die, tum anno prætermiſſis, non niſi quod uterque *obierit*, per duplex oo. indefinite deſignet.

Ac illorum ætas.

XXVIII. Iam alibi a) adducta in argumentum hac ipſa inſcriptione ſepulcrali, animadvertimus, OTTONI, Duci *Inferioris Bavariæ*, ex CATHARINA *Habsburgica*, RUDOLPHI I. *Romanorum* Regis, filia, binos natos fuiſſe filios. Affirmat id chronicon *Salisburgenſe* ad an. MCCLXXX. his verbis: „Eodem anno Domina CATHARINA, „filia Regis *Romanorum*, habuit per OTTONEM, filium HENRICI „Ducis *Bavariæ*, maritum ſuum, in *Wienna* ſucceſſive duos filios, „qui mortui ſunt ibidem. b)„ Similia fere refert SUNTHEMIUS famil. Duc. *Bavariæ*, c) cum ait: „ANNA (*ſubſtituatur:* CATHARI-„NA) prima uxor Regis, & Ducis, filia RUDOLPHI, Regis *Roma-„norum*, - - ex qua duos filios genuit, RUDOLFUM, & HAINRI-„CUM, Duces Inferioris *Bavariæ*, qui Iuvenes obierunt, & ambo in „monaſterio *S. Crucis* in *Auſtria* in Capitulo ibidem ſepeliuntur.„ Admodum pueros obiiſſe, dictæ reliquiæ, teneræ quippe, atque ferendæ ætati, & humoribus impares evincunt. Quod ſi ambo anno 1280. ut Chronographus *Salisburgenſis* innuere videtur, defuncti ſunt, nullum vitam ſuam ultra annos tres, vel quatuor produxiſſe neceſſe eſt; cum conſtet, atque a nobis loc. cit. oſtenſum fuerit, matrem eorum anno primum 1276. ductam fuiſſe. Quare emendandus Annaliſta *Colmarienſis*, d) ad annum 1274. ſcribens: *Filia Regis* RUDOLPHI, *Duciſſa Bavariæ, peperit filium circa quartum Nonas Octobris.* Enimvero præter auctores, ibidem excitatos, Annaliſtæ ſeſe opponit vel ipſum *Colmarienſe* chronicon, e) ad an. 1276. conceptis verbis perſcribens: „RUDOLPHUS, Rex *Roma-„norum*, cum duobus millibus equorum phaleratorum *Bavariam* „veniens, tali conditione ſe confœderavit Duci *Bavariæ*, ut filius „Ducis filiam Regis duceret in uxorem.„ Sed proſequamur reliqua, Principum nimirum *Auſtriacorum*, quorum cauſſa hic omnis labor ſuſceptus eſt, funera.

a

b

c

d

e

Loculamenti HENRICI III. de *Medelich*, & uxoris eius REIZÆ.

XXIX. Sexto *Maii* HENRICI *Medlicenſis*, HENRICI II. Ducis *Auſtriæ* I. filii, & uxoris eius REIZÆ monumentum, numero ternario ſignatum, reſeratum fuit. Lateritium hic quoque occurrebat opus, quatuor pedes, & tres pollices longum, latum pedem unum, atque polli-

a) Pinacothec. P. I. Proleg. III. §. VIII. pag. XLIX.

b) Illorum quoque mentionem facit Anonymus *Leobienſ.* col. 854. a. *Noviſſimam filiarum*, inquit, *tradidit* (RUDOLPHUS) OTTONI *filio* HAINRICI, *Ducis* BAVARIÆ, *quæ, duobus filiis editis, & mortuis, poſt breve interſtitium temporis eſt defuncta.*

c) Rer. *Boic.* Scriptor. Doctiſſ. OEFELII, tom. II. p. 556. col. b.

d) Ap. URSTIS. P. II. pag. 11. Neque enim hæc verba de LUDOVICO *Severo*, Duce *Bavariæ Palatino*, ac OTTONIS patruo, accipere poſſumus, ut cui MECHTILDEM, RUDOLPHI I. itidem filiam, filium peperiſſe, haud legimus.

e) Ibid. p. 42.

pollicem. Hic duo crania, cum reliqua corporum compage, ex adverſo ſibi oppoſita iacebant. Accerſitus monaſterii chirurgus, ex forma oſſium, ductis in decuſſes obliquas ſuturis, hinc ianuam verſus cranium viri, illinc altare verſus cranium mulieris iacere iudicavit. Hoc viſo, oſſa eodem, quo inventa ordine, repoſita fuerunt. Tab. VI. N. III.

XXX. HENRICUM III. Ducem *Medlicenſem*, qui reſpectu filii ſui cognominis, Ducis itidem *Medlicenſis*, Senior dicitur, unacum coniuge ſua RICHARDA, RICHEZA, REICHZA, ſeu REIZA, lapis, variis in partibus licet fractus, docuit, cuius inſcriptio, reſtitutis paucis Epitaphium, & annus mortis eius,



litteris, innuit, quod *XIV. Kal. Februarii* obierit HENRICUS *Dux de Medelich*, ac REIZA, *Duciſſa, uxor eius*. Annus, pro more, non additur: at ducenteſimum viceſimum tertium ſupra milleſimum fuiſſe, ex codice MS. Bibliothecæ *Vindob. Hiſtor.* lit. N. num. 405. diſcimus, ubi diverſorum auctorum continuatio HERMANNI *Contracti* ad uſque annum 1347. habetur, quodque collectaneis STEYERERI debemus. Ibi p. 207. hæc pauca leguntur: MCCXXIII. - - HENRICUS *de Medlico obiit*. Eidem adſtipulatur ARENPECKIUS, a) nec non chronica *Cl-Neoburgenſe*, & *Auſtrale* ad dictum annum. a

XXXI. Diem obitus XIV. Kal. *Februarii*, a lapide noſtro indicatum, nemo veterum prodidit. Ipſe etiam, de quo diximus, ſepultorum in conditorio *S. Crucis* Principum *Auſtriæ* catalogus conceptis verbis præfert: *Pridie Kalendas Septembris obiit* HENRICUS, *Dux de* MEDLICO -- *Hic dedit monaſterio duas vineas, & villam* SULZ. Necrologium contra *Cl-Neoburgenſe* b) *XI. Kal.* (Iunii) ait, HENRICUS *Dux de Medlico. Tradidit Koglbrun.* c) Et iterum: *XIII. Kal.* Itemque dies XIX. *Ianuar.* b c

a) L. c. col. 1205. c. d. „Huic (HENRICO) uxor „erat Domina REITZA (ait) filia Regis *Bohe-* „*miæ*, ex qua genuit HEINRICUM de *Med-* „*ling* iuniorem. Et dictus Dux Senior HEIN- „RICUS migravit ab hoc ſæculo anno Chri- „ſti MCCXXIII. & Domina REITZA, con- „iux eius: uno in tumulo in Capitulo ſan- „ctæ Crucis ſunt ſepulti.„ Verba hæc ſunt auctoris Tabularum *Cl-Neoburgicarum*, quæ is latine reddidit, quorum partem ſtatim num. ſequenti adducemus.

b) Loc. cit. col. 493.

c) Hunc vero locum de HENRICO *Iuniore* intelligendum, ex hoc additamento intelligimus. Extat enim apud laudat. *Bern.* PEZIUM *Cod. Dipl.* P. II. p. 75. num. 126. diploma eiusdem HENRICI *Iunioris*, circa annum 1224. datum, eius rei fidem faciens. „Noverint ergo -- quod Dux HEINRICUS *de* „*Medlico* - - delegavit -- ſuper aram Sanctæ „MARIÆ in *Niumburch* quandam villam „*Chogilbrun* &c. „

Tab. VI. *Kal.* (Septembris) HENRICUS, *Dux Medlicenſis obiit.* Verum cum Necrologium illud reſpectu HENRICI *Senioris*, ut Clar. eius editor in *obſervatione brevia* docet, coævum haud ſit, ex adductis alibi rationibus, lapidi, qui eam ætatem facile attingit, ſtandum exiſtimamus.

Nec non uxoris eius REIZÆ.

XXXII. RICHARDÆ, ſeu REIZÆ fata parum cognita ſunt. Eam tamen anno 1177. ductam, atque iam anno 1182. præcoci morte e medio ſublatam fuiſſe, Clar. HANTHALERUS a) aliorum relatu coniicit. At tabularum *Cl-Neoburg.* auctor, nec non mox laudatus ARENPECKIUS, quorum auctoritate niti videtur, non minus REIZÆ, quam coniugis eius HENRICI obitum, ad an. 1223. referre videntur: *Dux Senior* HEINRICUS, ait hic, *migravit ab hoc ſeculo* 1223, *& Domina* REIZA (animadvertatur particula coniunctiva) *coniux eius: uno in tumulo in Capitulo* SANCTÆ CRUCIS *ſunt ſepulti.* Suffiximus verbis: *coniux eius*, duo puncta; eo quod eadem præferat laudatus *Tabularum Cl-Neoburgenſium* auctor SUNTHEMIUS, quem ille ut plurimum expilavit, cuiusque adeo verba, cum ſic interpuncta, alium plane ſenſum efficiant, in calce paginæ collocanda duximus. b) Confirmat utriusque aſſertum tumulus noſter, ubi bina, ut diximus, corpora, maris, fœminæque, reperta fuere. Inde enim probabile fit, ideo uno in loco compoſitos fuiſſe, quod uno eodemque tempore mortui ſint, aut ſaltem inter amborum exceſſum intervallum non longum interceſſerit. Nam ſi REIZA uno, & quadraginta, quod ex contraria opinione conſequeretur, annis ante maritum deceſſiſſet, cur non & utrique ſingularis, cum ſpatium ſat amplum ſuppeteret, deſtinatus fuiſſet tumulus?

a

b

Cui ÆGRÆ nomen peperam tributum.

XXXIII. Hac denique ſepulcrali inſcriptione deceptus IONGELINUS, c) etiam SARTORIUM in errorem pertraxit, ut epitaphio male, ac deſultorie lecto, ex REIZA ÆGRAM procuderent. Sed bene habet, quod productis iam monumentis noſtris, id quod piæ memoriæ HANTHALERUS huius etiam rei cauſſa tantopere optabat, error ille facile ſublatus ſit. Etenim quam parum accurate legerit lapidem IONGELINUS, ex collatione noſtri ſchematis, & epitaphio, ab ipſo pro *San-Crucenſi* allato, apparet, quod ſic habet: *Obiit* ÆGRA, *Duciſſa Auſtriæ, uxor* HENRICI *Ducis de Medlico.*

c

Sepulcri ADALBERTI II. & ERNESTI IV. eius fratris inſpectio. N. II.

XXXIV. Eadem luce, qua HENRICI III. & REIZÆ, uxoris eius, oſſa conſpeximus, ſepulcra quoque Marchionum ADALBERTI II. & ERNESTI IV. ut fert epitaphium, numero ſecundario a nobis inſcriptum, apertum fuit. Lateritium adhuc loculum, pedes tres cum dimidio longum, ac pedem unum cum duobus digitis latum, videre obti-

a) *Faſtor. Campilil.* Elog. VIII. §. VI. num. IX. p. 389.

b) Verba, col. 1019. c. ſunt hæc: „Und der „bemelt Hertzog HEINRICH ſtarb, als „man zalt nach Chriſti Gepurd MCC. und „XXIII. iar, und Fraw REYTZA, ſein ge„mahel: ligen beide zum *Heiligen Kreutz* „im Capitel in ainem grab.„

c) Ap. HANTHALER. l. c. Elog. VIII. §. VI. num. X. p. 389. ſeq.

obtigit. Oſſa inter ſe primum confuſa, at in ordinem redacta, ſcele- Tab. VI.
ton efficiebant unicum, idque viri, ſtaturæ, ut apparebat mediocris. Fractum eius aliquando fuiſſe brachium, ſanatumque, coaliti oſſis callus indicabat.

XXXV. Haud reſpondit unico huic cadaveri ſuperpoſiti tegumenti inſcriptura; ut quæ nomina ADALBERTI, iuxta ac ERNESTI præferens, ſpectatores non parum reddebat perplexos. Quanquam enim diem obitus utriusque, a) ut ſchema hic appoſitum docet, accurate referat, manifeſtum tamen eſt, alterum ex his nominibus expungendum. Qua in re haud diu deliberandum, conſiderantibus, quod cum ALBERTUS, ſeu ADALBERTUS, ut ſupra vidimus, ad triceſimum, & quod paullulum excedit, ætatis annum evaſerit, ERNE- Cui epitaphium haud reſpondet, corpore ADALBERTI ibi non reperto. Ætas ERNESTI.

a



STO fratri, qui anno vitæ, duodeviceſimo, teſte coævo RIKARDO *Newburgenſi* (qui eum XV. *Aug.* 1124. natum, ac XXIII. *Ian.* 1142. denatum b) perſcribit) nondum adulto, extinctus eſt, facile loco cedere poſſit; utpote quod ſtatura corporis mediocris, quin parva, qua- b
lem Principi, in hoc ſepulcro quieſcenti fuiſſe, exuviæ docuerunt, huic potius, quam illi congruat. Accedit ordo, & ſeries ſepulcrorum, ea ratione inſtructa, quod ſub calcem huius capitis oſtendemus, ut primi in medio, quod quidem ordo naturalis poſcebat, ſequentes ad latera eorum reponerentur. Quare cum ADALBERTUS II. ex quo monaſterium *S. Crucis* conſtrui cœpit, omnium inter ſuos primus e vita migraverit: conſequens eſt, ut eius exuviæ, ſi quidem hic depoſitæ fuiſſent, non ad latus, ſed in medio; utpote qui locus eidem honoris cauſſa haud dubie tribuendus fuerat, quærendæ forent. LEOPOLDUS certe *Largus*, ADALBERTI frater, qui quatuor poſt illum annis deceſſit, medium plane in linea prima locum obtinet, ac reliqui poſt ipſum ita diſpoſiti ſunt, ut ad medium hoc buſtum reſpectum habere, manifeſte appareat. Quod quid indicat? quam LEOPOLDI *Largi* ſepulcrum omnium eſſe primum.

XXXVI.

a) Vid. cap. præced. §. XVI. ſeq. p. 33. & hic not. ſeq.

b) Loc. cit. p. 1311. „ERNESTUS adoleſcens „(LEOPOLDI *Pii* filius ultimus) naſcitur „XVIII. Kal. *Septembris* an. MCXXIV. „obiit in flore (ætatis) X. Kal. *Februarii* „MCXLII.„ Conſentiunt quo ad diem ſæpe citata Necrologia *Mellicenſe*, & *Cl-Neoburgenſe*, ubi ad menſem *Ianuar.* legimus: X. Kal. (Februarii) ERNESTUS, *filius Marchionis Auſtriæ* LIUPOLDI.

Tab. VI. Quod, adductis quoque teſtibus, firmatur.

XXXVI. Cum monumentis congruunt quoque Scriptores, diſerte docentes: ADALBERTUM noſtrum *Cl-Neoburgi* funeratum, ut ſunt chronicon, a) & tabulæ b) eiusdem Archiſterii, *Vitus* ARENPECKIUS, c) & HASELBACHIUS, d) &, qui his omnibus antiquior, nec ætati inſcripturæ *San-Crucenſi* forte impar eſt, auctor *narrationis genealogicæ poſterorum Sancti* LEOPOLDI, conceptis verbis aſſerens: e) *Primogenitus* ADALBERTUS -- *poſtquam obiit, ſepultus eſt cum patre, & matre in Clauſtro Neoburgenſi.*

a b c d e

Aliud argumentum, ab originibus monaſterii *San-Crucenſis* petitum.

XXXVII. Ad hæc animum ſubit argumentum aliud, non minus ſuſpiciendum, ac ab exſtructione ipſius monaſterii *San-Crucenſis* deductum. Nam cum certum ſit, operi manum ante annum 1134. quo prima colonia e *Morimundo* evocata, in *Auſtriam* venit, admotam haud fuiſſe: f) dubium ſaltem haud leve relinquitur, an monaſterii, ſeu Eccleſiæ, ac præprimis adiunctæ ipſi Domus *Capitularis* ſtructura an. 1137. quo Marchio noſter ſub diem VIII. *Novembris* animam reddidit, ad eum iam perfectionis gradum deducta fuerit? ut recipiendo funeri accommoda eſſet. Neque enim veteres illi in exſtruendis ædificiis feſtinabant nimium. Nam, ut vel in ſola *Auſtria* maneamus, integrum antiquiſſimi, de quo hic agimus, monaſterii opus non niſi poſt tres, vel quatuor, & viginti annos abſolutum eſt. g) Clauſtrum *Neoburgenſe*, an. 1114. inceptum, h) non ante annum 1136. conſummatum fuit. Abbatia *Campilienſis*, ſuis e fundamentis an. 1202. exurgens, i) anno primum 1230. ad colophonem uſque deducta fuit. k)

f g h i k

Quibus non obſtantibus ADALBERTUM ad *S. Crucem* ſepultum, veriſimilius videtur.

XXXVIII. Verum, ut ut rationes iſtæ graves ſane, atque ſolidæ videri debeant: quia tamen ad decidendam ſepulturæ cuiusdam veritatem, argumentum fortius nullum proferri poteſt, quam cadaver ipſum ibi repertum: diſſimulare nec poſſumus, nec debemus in tumulo huic contiguo, corpus, ut mox videbimus, repertum fuiſſe, quod

a) Loc. cit. col. 441. d.
b) Ib. col. 1013. b.
c) Ib. col. 1194. b.
d) Ib. tom. II. col. 705. a.
e) Ib. tom. I. p. 574.

f) Litteræ fundationis, ut hic ſupra §. I. nota a. videre eſt, anno primum 1136. datæ ſunt, quanquam ædificium biennio ante inceptum ſit. ORTILO ad an. MCXXXIV. p. 1286. „LIUPOLDUS *Pius*, Marchio, antea rogatus a ſuo filio OTTONE in *Morimundo*, ut Ordinem *Ciſtercienſem* in patria ſua inducere vellet, elegit locum *Sattelbach*. Ad quem OTTO hoc anno ex *Morimundo* miſit GOTSCHALCHUM Abbatem, & WILHALMUM Priorem, cum undecim monachis: quos Marchio aluit, & *ſtatim monaſterium conſtruere cœpit*.„

g) Idem ad annum MCLVII. p. ſeq. *Dux vero* (HENRICUS cognomento *Iaſomirgott*) *ædificium Clauſtri in* SATTELBACH *perfecit.*

h) Idem cit. p. 1286. ad annum MCXIV. „Pius Marchio, LIUPOLDUS quartus, primum lapidem poſuit apud Eccleſiam ſuam „in *Nuwenburch*.„

i) Idem ORTILO de exordio *Campililii*, cuius alumnus erat ad an. MCCII: „Verno huius „anni tempore, cum tanta copia neceſſariorum iam convecta eſſet, ut ad initium „ſtructuræ ſufficeret: Dux *Auſtriæ* (LEOPOLDUS VII.) -- primum lapidem fundamentalem Eccleſiæ, manu ſua propria admota, ipſe in terram dimiſit.„

k) Idem ibid. p. 1304. ad an. MCCXXIX. *Ingruente iam hyeme, perfecta eſt Eccleſia noſtra uſque ad campanile, & altaria prædicta*, & ad annum ſequentem, p. 1306.„ „Sepulturæ dies a Duce FRIDERICO idem „deſtinatus fuit, qui conſecrationi Eccle„ſiæ noſtræ, ultima *Novembris*.„

quod niſi ADALBERTO II. vix, ac ne vix quidem alteri attribui po- TAB. VI.
teſt. Certum enim, atque indubitatum cum ſit, domum hanc *Capitularem*, a primæva ſui conſtitutione, non niſi Principibus provinciæ excipiendis deſtinatam, nec adeo alteri, quantavis dignitate, ac natalium ſplendore eminenti, viventibus præſertim, ac rerum in *Auſtria* ſummam tenentibus *Babenbergicis*, locum in ea conceſſum fuiſſe: cadaver, illic repertum, illi adſcribatur, neceſſe eſt, cui commode, ac ceteris paribus adſcribi poteſt. Omnium ergo ceterorum loculamenta propria cum hucuſque detecta fuerint, ac pauca, quæ reſtant, adhuc detegenda ſint, latentiaque in iis cadavera nominari poſſint: reliquum eſt, ut num. I. haud alium, ac ADALBERTUM, qui numero hoc II. mentiente lapide deſideratur, reconditum fuiſſe ſentiamus. Quo vero pacto id contigerit ex ipſa turbatione duorum horum buſtorum num. I. & II. diſcretorum, dimetiendum eſt. His enim vel ab irrumpentibus forte *Turcis*, a) theſauros ſub iis quærentibus, aut aliis a
hoſtibus, prædæ inhiantibus, aut alia qua demum cunque occaſione effoſſis, commixtisque, quid proclivius erat? quam ut oſſa ADALBERTI, antea cum oſſibus ERNESTI fratris cubantia, in loculamentum proximum concederent, remanente in primigenio, quod loco moveri haud poterat, eiusdem epitaphio. Sit igitur ſepulcrum eius, ubi illud modo conſtituimus, reſpectu ad LEOPOLDUM *Largum* ſub N. V. deliteſcentem, ac medium, atque adeo omnium primum locum occupantem, paullo extra ordinem poſitum: ſit etiam, ut ADALBERTUS a Scriptoribus non infimæ auctoritatis, & fidei, *Cl-Neoburgi* humatus dicatur: ſit denique, ut domus *Capitularis San-Crucenſis* ſtructura, deceſſus eius tempore haud dum ad culmen perducta fuerit: ſingula hæc combinandi adhuc via, ac ratio ſupereſt. Nam quod ad primum, & tertium pertinet, eo ipſo, quod monaſterium *San-Crucenſe* nondum ad faſtigium, quin fortaſſis ad modicam adhuc altitudinem pervenerit: facile contigit, ut funus interim apud Clauſtrum *Neoburgenſe* deponeretur, poſt annos quatuor, cum ERNESTO fratre ad *Sanctam Crucem* recondendum. Unde & Scriptoribus facile condonamus, iis præſertim, qui factum primi aut in Annalibus, aut Necrologiis, unde ſequiores ſua hauſerunt, memoriæ tradiderunt, aſſerentibus, ADALBERTUM *Cl-Neoburgi* quieſcere; quippe quod hoc primitus, ut ex hac hypotheſi conſequitur, fieri potuerit. Quod ſi vero hæc coniectura minus arrideat, neceſſe ſane haud eſt, ut, ad ſtatuendum ordinem, LEOPOLDUM *Largum* in medio ſtatim loco collocatum fuiſſe dicamus; cum arbitrarium fuerit, ADALBERTUM ſive in medio, ſive ad latus, ubi revera exuviæ viri repertæ fuerunt, componi, ac poſt centum circiter annos GERTRUDEM *Brunſuicenſem* adiici. Utcunque ſit, corpus virile, num. I. reper-

a) Fieri hoc potuit ultima *Wiennenſis* urbis obſidione, qua occaſione & FRIDERICI II. cognomento *Bellicoſi*, ſtatuam marmoream læſam, ac confractam fuiſſe, tom. I. p. 67. docetur.

Tab. VI. pertum, nemo facile alteri, ac ADALBERTO tribuere poterit, *Ciſtercienſes* præterea, ut hoc addamus, quemadmodum nullo non tempore, ita hoc præprimis, prælucente etiamnum S. BERNARDO, tanta orbi Chriſtiano virtutum dabant documenta; ut Principes, aliæque Illuſtres perſonæ, certatim apud eos poſt fata requieſcere cuperent, ut argumento ſunt tot inſignia, quæ apud eos ſupérſunt, ſepulcralia monumenta.

Sepulcri num. I. diſtincti apertura.

XXXIX. ERNESTI oſſibus in locum ſuum reſtitutis, ad ſepulcrum proximum acceſſimus, a nobis numero primario notatum. Ibi non modo ſaxum amoliti, ſed & proxime adiacentes utrinque pavimenti teſſellas, ſolum circum undique fodiendo, ſcrutati ſumus. In hoc labore magna demum occurrit oſſium ſub ipſo partim ſepulcrali marmore, partim ſub aliis ſaxis diffuſorum copia, quam quidem eductam, ita ordinavimus, ut bina ex iis exurgerent ſceleta, iuſtæ ſtaturæ integra; alterum, ADALBERTI ſcilicet, iudicante chirurgo, maris, fœminæ alterum. Plura inſuper alia inventa ſunt oſſa, atque inter ea duæ diverſorum corporum maxillæ. Patet exinde, has olim reliquias perturbatas, ac loco ſuo primævo motas fuiſſe. Lateritium hic quoque ſpectabatur opus, in quo tamen oſſa haud ſingula, ſed ſub aliis etiam lapidibus, ſepulcrum haud obtegentibus, inventa fuerant.

Cuius epitaphium profertur, duas fœminas indicans.

XL. Lapidis, ſuperne fracti, ac crucis oblongæ, parumper extantis figuram præferentis, inſcriptio docet: *XIII. Kal. Maii* GERTRUDEM *de Brvnſwig*, *Dvciſſam Avſtrie*, ac *VI. Kal. Mart.* RICHARDIM, *Landgraviam de Walersdorf* obiiſſe.



Quarum prima an. 1226. obiit, XIX. *April.*

XLI. De GERTRUDE diximus tomo præcedenti, a) eam ex ſanguine Ducum *Brunſuicenſium* deſcendere, id quod inſcriptura hæc confirmat. De die exceſſus, quem epitaphium XIII. Kal. *Maii* illigat, haud ſatis convenit, bene vero de anno, quem MCCXXVI. fuiſſe, ſat conſtanter affirmant. ORTILO b) ad dictum annum de LEOPOLDO VII. *Glorioſo* agens: FRIDERICO *alteri filio*, ait, *uxorem*, *dat* GERTRUDEM *de* BRUNSWICH, *ſed altero menſe defunctam.* Nuptias has

a b

a) P. I. proleg. II. p. XXXIV. §. XLI. b) De exordio *Campililii* p. 1303.

has ad annum 1226. pariter conſignant chronicon *Auſtrale*, & *Henricus* STERO, a) qui cum ipſiſſimus annus emortualis fuerit, planum eſt, eosdem ſuffragari. At Necrologium *Campilienſe* ab epitaphio, ut ut illud tam IONGELINUS, quam SARTORIUS ap. laudat. HANTHALERUM b) conſentire exiſtimaverint, diſſentit, cuius verba hæc ſunt: *XV. Cal. Maii obiit* GERTRUDIS, *Duciſſa de Brunswick*, FRIDERICI *Ducis A. & S. uxor prima, ſtatim defuncta.* Utri horum adſtiqulandum ſit, Lectoris iudicium eſto. Nobis auctoritas lapidis, non multo poſt fata tempore poſiti, plane potior eſt. TAB. VI. a b

XLII. Altera inſcriptionis parte RICHARDEM, Landgraviam de *Walersdorf* legimus, quæ VI. Kal. *Martii* obierit. Hac HENRICI *Crudelis*, LEOPOLDI VII. *Glorioſi* filii natu maioris uxorem indicari ſuſpicatur STEYERERUS, c) quibus vero argumentis? nos equidem fugit. Attamen coniecturam eius non de nihilo eſſe, ex modo dicendis apparebit. Licet enim aliis Scriptoribus, & quidem potiſſimis, non RICHARDIS, ut habet epitaphium, ſed AGNES d) audiat, ſæpe tamen innuimus, illuſtres fœminas nomina ſua, in baptiſmo impoſita mutaſſe, aut, ut mutarentur, paſſas fuiſſe, aut certe binomias fuiſſe. e) Ipſæ ſane huius ſorores hunc morem ſuo ipſarum exemplo comprobant. Docet id genealogicum veterum *Thuringiæ*, & *Haſſiæ* Landgraviorum ſchema, a PISTORIO ex monumentis antiquis, ac idoneis concinnatum, f) ubi IRMENGARDEM, aliis MARGARITHAM; HEDWIGEM, alio nomine SOPHIAM, ambas AGNETIS ſorores, legimus. Unde ARENPECKIO, eandem poſt SUNTHEMIUM, RICHARDAM vocanti, g) fidem haud difficulter adhibemus. „ Anno Chriſti „ 1225. (ait) Domina RICHARDA, ſoror LUDOVICI, Landgravii „ *Thuringiæ*, mariti S. ELISABETH, - - - fuit deſponſata Duci HEIN- „ RICO. „ Eidem ONUPHRIUM quoque RICHARDÆ nomen tribuiſſe, in eadem tabula obſervamus. Altera RICHARDIS, HENRICI *Crudelis* uxor oſtenditur. c d e f g

XLIII.

a) Ap. Clar. HANTHALER. l. c. Decade III. p. 713. ubi & in rem ſuam auctores chronici *Neoburgenſis*, *Leobienſ.* aliosque allegat. Supra laudatum chronicon *Garſtenſe* MS. ad eundem annum hæc habet: FRIDERICUS, *filius Ducis Auſtrie*, *in* BRUNSWICH *nuptias celebravit.* Certe non diu ſupervixiſſe, patet ex verbis huius chronici ſubſequentibus ad an. 1229. „ FRIDERICUS, filius Ducis *Au-* „ *ſtrie*, neptem Regine *Ungarie* repudiavit, „ que copulata ei erat in coniugio. „

b) Ibid. num. XXVII. pag. ſeq.

c) Teſte Cl. CALLESIO, *Annal. Auſtr.* tom. II. in indice I. ubi ait: „ AGNES, ab aliis RI- „ CHARDIS dicta, creditur eadem cum illa, „ cuius epitaphium ad *S. Crucem*, ubi re- „ quieſcit, affertur a R. P. *Antonio* STEYE- „ RERO noſtro ſequens: *VI. Kal. Martii* „ RICHARDIS *Landgravia de Waltersdorff.* „

d) Chronicon *Mellicenſe* ad an. 1226. l. c. col. 238. b. „ HEINRICUS filius LIUPOLDI „ Ducis, AGNETEM, filiam Landgravii de „ *Turingia*, duxit uxorem. „ Eadem ad hunc ipſum annum affirmat chron. *Cl-Neoburg.* ibid. col. 452. d. nec non Anonym. *Leob.* col. 808. Supra vero laudatus chronographus *Garſtenſis* duobus annis excedit, annum 1227. aſſignans, de cetero iisdem verbis, quibus chronicon *Mellicenſe*, uſus. Nomen quoque prodit Anonymus *Erphersfordenſis*, hiſtor. de Landgrav. *Thuring.* cap. XXX. apud PISTOR. *rer. Germ.* tom. I. p. 1319. & apud ECCARDUM, *Hiſt. Genealog. Principum Sax. Super.* col. 407. ubi ait: *Item genuit* (HERMANNUS Landgravius *Thuringiæ*) - - AGNETEM - - *quæ poſtea duxit Ducem Auſtriæ.*

e) Vid. ſupra cap. I. §. XXII. p. 14.

f) Apud PISTOR. loc. mox cit. p. 1374.

g) Loc. cit. col. 1210. c.

TAB. VI. XLIII. Accedit *Landgraviæ de Walersdorff* titulus, qui tantum abeſt, ut nobis (quod quidem videri queat) obſit, ut rem potius haud parum roboret. Pergit enim ARENPECKIUS: „Eodem die „HAINRICUS, Rex *Romanorum*, cum ſua ſponſa MARGARITHA, „ſorore dicti Ducis HAINRICI de *Medling*, ſponſi (nuptias) in eo- „dem loco (*Norimbergæ*) regaliter celebravit.„ Et paullo ante a- pertius: „HAINRICUS *Crudelis*, homo furibundus, LEOPOLDI, „Ducis *Auſtriæ*, & *Stiriæ*, ſecundus (primus) filius, habitavit in Ca- „ſtro *Medeling*, & dictus fuit Dux HAINRICUS de *Medling*.„ Re- iiciunt, & quidem haud immerito, *Arenpeckianum* hoc commen- a b tum Cll. Duumviri HANTHALERUS, a) & poſt eum CALLESIUS, b) certum eſſe demonſtrantes: HENRICUM Iuniorem, Ducem de *Med- lico*, cui hoc pacto in Dominatu ſuccedere debuiſſet HENRICUS *Crudelis*, eidem anno 1232. ut infra videbimus, tribus ſcilicet, aut quatuor poſt eius fata annis, adhucdum ſuperſtitem fuiſſe. Quare Scriptorem hunc, affinitate nominum deceptum coniectat HANTHA- LERUS. Verum huic errori multo veriſimilius occaſionem dederit vitalitium AGNETIS, ſeu RICHARDIS, ad ſuſtentandam ſuam ipſius viduitatem, in *Medlicenſi* Dominatu aſſignatum, de quo idem A- c RENPECKIUS: c) „Habitavit (HENRICUS Senior) in caſtro *Med- „ling*. Poſſedit caſtra ſub montanis *Neudorff*, *Medling*, *Salenau*, d „*Dreskirchen*, WALTERSDORF, & *Keyſersperg*. d)„ En tibi *Wal- tersdorff*, ſeu *Walersdorf*, a quo RICHARDIS in ſepulcrali marmore cognominatur, inter loca, ad dominatum *Medlicenſem* pertinentia, quem quia veriſimiliter inhabitaverit, ab eodem *Landgravia* de *Wal- tersdorff*, ab aliis vero de *Medlico* facile vocata fuit, unde AREN- PECKIUS etiam maritum eius ibidem habitaſſe exiſtimaverit. Tem- pus migrationis eius in obſcuro latet, poſt HENRICUM tamen Iu- niorem de *Medlico*, qui ea dominia, ex paterna hereditate, ante ipſam poſſederat, obiiſſe neceſſe eſt.

Id quod amplius firmatur. Tempus vero obi- tus eius incogni- tum.

Eadem ta- men ſub hoc lapi- de haud condita videtur.

XLIV. Hæc vero, ut ut ita ſint, nobis haud credibile videtur, eam ſub hoc aliquando lapide conditam fuiſſe; quippe quod præter cadaver maſculinum, fœmineum unicum hic repertum ſit. Nam quod ad duas illas diverſorum corporum maxillas, oſſaque, in eo- dem loculamento abundantia pertinet, aliena, & ad Principes *Baben- bergicos* fortaſſis haud ſpectantia videntur, ac fortuito tum primum hic repoſita, cum ſepulcra hæc duo, ac præſertim illud num. I. poſt ſui deſtructionem reſtituta fuere. Quare RICHARDIM, ſeu AGNE- TEM in monumento num. XI. ſequenti quærendam eſſe exiſtimamus.

Tumu- lus, N. VI. notatus, aperitur.

XLV. Obtectis oſſibus illis, horis pomeridianis eiusdem diei ad lapidem num. VI. inſcriptum, acceſſimus, qui cruce quidem oblon- ga inſignitus, at inſcriptione deſtitutus eſt. Terra altitudine pedum quin-

a) Loc. cit. Decad. III. §. I. num. XXIV. p. 711. ſeq.
b) Loc. cit. tom. II. p. 241. in not. col. 1.
c) Loc. cit. col. 1205. b.
d) Conf. dicta ſupra.

quinque, & dimidii effoſſa, integra, & nondum dimota, viri, ſtatura grandioris, ſceleton, complicatis ſupra pectus manibus prodiit. Loculamentum, ex lateribus concinnatum, ſex pedes *Auſtriacos* longum, nonnulla quoque ſolii lignei ſegmenta continebat. Sceleton ipſum fovea non multo brevius erat, coniectabantque nonnulli adſtantium, oſſa eſſe HENRICI, cognomento *Crudelis*. TAB. VI.

XLVI. At huic opinioni quo minus adſtipulari poſſimus, duo ſunt, quæ prohibent: ſtatura nimirum pedum ſex, ac ſepulcrum numero denario notatum, quo HENRICI illius oſſa contineri, poſtea docebimus. Primum autem, id eſt corporis ſpecies, dum viveret, auguſtior, HENRICO *Crudeli* ideo minus congruere exiſtimamus, quod teſte auctore coævo, ut paullo infra dicemus, ætatem non niſi ad annos viginti, menſes quatuor, paucosque dies perduxerit. Atqui ſingulare quid fuiſſet, iuvenem, cui anni ad augeſcendum quatuor ſupererant, iam tum ad tantam excreviſſe proceritatem. Qui non HENRICI *Crudelis*,

XLVII. Attamen ad quemnam demum cadaver illud pertineat? quæſtio difficilis eſt. Quod ſi tamen coniecturis, at probabilibus utendum, HENRICUM *Iuniorem* de *Medlico* hoc loco tumulatum fuiſſe exiſtimamus. Facit id proceritas, ex reliquiis eius haud obſcure elucens. Enimvero illum corporis ſpecie excellenti, ad quam proceritas una facit, fuiſſe, ex ARENPECKIO a) intelligimus, ſcribente: HENRICUS *de Medling Iunior*, SPECIOSUS PRINCEPS, HENRICI de MEDLING *unicus natus*, *venationibus delectabatur*. Sed huic tamen opinioni obſtare, dixeris tempus obitus eius, quem poſt annum 1232. quo binas chartas b) in gratiam monaſterii *San-Crucenſis* datas, ſignavit, eveniſſe, recte iudicant. Hoc enimvero poſito, ac inſuper ſtante, quod ſupra obſervavimus, funera horum Principum in conditorio hoc *San-Crucenſi* non ſine ordine collocata fuiſſe, loculus ei non num. VI. ſed I. vel X. deberetur; utpote cum tam poſt GERTRUDEM *Brunſuicenſem*, quæ ſub num. I. quam HENRICUM *Crudelem*, qui ſub num. X. cubat, ex hac vita migraverit. Verum his reponimus, fieri potuiſſe, ut HENRICUS, qui ad latus patris HENRICI III. ſeu Senioris, ſub num. III. quieſcentis, ob anguſtiam loci commode ſepeliri non poterat, ex oppoſito ſaltem ſepulcri paterni, exigente id præterea ſymmetria, locum ſibi reſervarit. Exemplum ſimilis optionis habemus in FRIDERICO *Catholico*, quem ad latus patris ſui humari petiiſſe, obtinuiſſeque, hic ſupra animadvertimus. Obſtat tamen, præter hæc, ARENPECKII poſt SUNTHEMIUM, cuius ille vitula aravit, aſſertum, HENRICUM hunc noſtrum *Neoburgi* quieſcere, affirmantis, quocum etiam laudatus P. FISCHER c) facit. Sed præterquam, quod nullum ibi eiusmodi ſepulcri veſtigium appareat: ex dicen- Sed HENRICI potius *Iunioris* de *Medlico*.

a) Loc. cit. col. 1210. a. b.
b) Edidit eas Cl. P. *Bern.* PEZIUS Cod. dipl. epiſt. P. II. p. 82. n. 138. & 139.
c) In brevi notitia urbis *Vindob.* P. III. p. 4. a noſtra ſententia, ab ARENPECKIO, & tabulis *Cl-Neoburg.* ni fallimur, deceptus, p. 14. iterum abiens.

Tab. VI. dicendis eluceſcet, Scriptores illos, ſeu illum potius, in aſſignandis Principum noſtrorum ſepulcris non raro hallucinatos, tantumque non certiſſimum eſſe, eos quoad ſepulcrum HENRICI *Crudelis* a vero pariter diſceſſiſſe. Nam cum argumentum ſepulti alicubi corporis, ut iam obſervavimus, certius eſſe nullum poſſit, quam cadaver ipſum, ibidem repertum: non videmus, quei *San-Crucenſi* ſepulcreto non plurimum deferendum ſit, ubi quidem corpora abundant, *Cl-Neoburgi* contra pauciſſima inventa fuere. Accedit, quod HENRICI parentes ibidem conquieſcere, exploratum ſit. Diem mortis eius ad XI. Kal. *Iunii* reponendam eſſe, hic ſupra num. XXXI. docuimus.

Quid abacus, num. X. notatus?

XLVIII. Octavo Iduum *Maii* laborem proſecuti, abacum, numero denario inſignitum, ac HENRICI *Crudelis*, ut incolarum cœnobii traditio fert, exuvias contegentem, amoventes, ſubtus intervallo pedum quinque, & pollicis, ſceleton repererunt, deflexis manibus decumbens, nullaque ſui parte, coſtas, & vertebras ſi excipias, fatiſcens. Ad latus ſiniſtrum gladius ſeſe obtulit, pedes unum, atque dimidium longus, ferrugine undique obductus, & corroſus: ſub pedibus vero ferri fruſtum, rubigine ita dilapſum, ut, quid rerum fuiſſet, dignoſceret nemo: ad munimina tamen ferrea loculi lignei, putredine iam pene conſumpti pertinuiſſe, viſum nobis eſt. Corpus ſtaturæ fuiſſe infra mediocritatem, nec quinque pedes æquantis, reliquiæ monſtrabant. Lateritiæ ſtructuræ hic nihil, cumque evidentibus ſignis appareret, ſepulcrum a prima ſui conſtitutione intactum permanſiſſe, id etiam elucebat, corpus iam olim, atque ſub ipſam humationem, ſolio ligneo incluſum fuiſſe.

Itemque cineres, ibidem reperti,

XLIX. Notatu præterea dignum fuerat, non ſolum vas illud, de quo alibi acturi ſumus a) cineribus, intermixtis carbonibus, repletum, ſed etiam loculum ipſum, eadem utraque materia conſperſum

a apparuiſſe. Factum id ad arcendos, vel mitigandos ſaltem humores, adeoque tam corpus ipſum, quam & eius ſandapilam diutius conſervandam, videri voluit nonnullis circumſtantibus: cum alii rem, ad ſuffocandum fœtorem, adinventam fuiſſe exiſtimarent. Hi etſi a vero non admodum aberraſſe videantur, nobis tamen modo alia, atque alia ſuccurrunt. Perſuaſi nimirum ſumus, Principem hunc peregre mortuum, atque adeo longiori itinere in *Auſtriam* revehendum, quo tolerabilior evaderet fœtor, cinere obrutum fuiſſe. Facit huc luculentus Anonymi *Leobienſis* locus, de funere HENRICI *Placidi*, Ducis

b *Auſtriæ*, ex ſtirpe *Habsburgica*, ita differentis: b) „HAINRICUS „Dux poſt captivitatem raro perfruens ſoſpitate, noviſſime in *Prukka* „*Stirie* in die BLASII moritur, & in *Graetz* apud Minores a FRIDE„RICO glorioſis exequiis ſepelitur; poſt incinerationem vero a con„ſorte ELISABETHA cum Religioſis viris ad *Campum Regis* transfer„tur, & ibi ſolemniter tumulatur. „ *Poſt incinerationem*, inquit, qua pro-

a) P. II. Differt. de urnis extor. & cord. b) Loc. cit. col. 926. d.

procul dubio non *reſolutio in cineres*, qualiter a medii ævi Scriptoribus apud DUCANGIUM accipitur, intelligi debet, ſed dicta notione, qua ad arcendam in tempus putredinem, ac præcavendum fœtorem, corpora defunctorum ad loca, longius remota, deportanda, cineribus immerſa fuerunt. Id quod tum artis, qua hodie ad veterum *Ægyptiorum* imitationem corpora condiri ſolebant, vices, ut videtur, ſubire debuerat. Quanquam enim illam tum temporis non omnino ignotam, probe ſciamus, raram tamen fuiſſe, adque hodiernum perfectionis gradum minime perductam, æque cognitum eſt. Quin vel hodie infra *Ægyptiorum* perfectionem eſſe, docent harum rerum periti. Porro HENRICI huius cadaver, iuxta ac teſtatur *Leobienſis*, revera cineribus obrutum, ſicque *Kœnigsveldæ* repertum fuiſſe, libro ſequenti referemus. Simile fere exemplum ibidem proferemus de ANNA, RUDOLPHI I. R. R. uxore prima, *Vindobonæ* mortua, indeque *Baſileam* translata; ut de qua Annales *Colmarienſes* teſtantur, a) faciem quidem balſamo linitam, at ventrem exenteratum, ſabuloque, & *cineribus* repletum fuiſſe. Nulla quidem in his duobus monumentis urna, cinere, aut ſabulo repleta, inventa fuit. At id in hoc, de quo nunc agimus tumulo, ideo forſitan neceſſe fuit; quod corpore cineribus conſperſo, pannis, aut ligaturis, quibus illi continerentur, haud ſatis caute munito, ſolutis crebra vehiculi agitatione nexibus, cineres, carbonesque, cum illud de curru depoſitum fuit, effluerent. Qui deinde collecti, ollæ huic immiſſi videntur, ne quid, mortuum Principis corpus contingens, periret, aut omnino inter reiectanea computaretur. Tab. VI. a

L. Hæc ita poſita, viam nobis aperiunt, funeris huius nomen, & fata propius inveſtigandi. Tres nimirum *Babenbergicorum* Principum, monaſterii *San-Crucenſis* dormitorio illatorum, peregre mortui, in *Auſtriam* revecti ſunt. LEOPOLDUS videlicet VI. & FRIDERICUS *Catholius*, de quibus ſupra, nec non HENRICUS *Crudelis*. De prioribus dubium non vertitur, de poſteriori aſſertum noſtrum iam firmandum eſt; maxime cum *Cl.* P. HANTHALERUS coniectet, eum vel in vicinia *Cl-Neoburgenſis*, vel omnino in loco ipſo b) obiiſſe, ubi &, ſecundum ARENPECKIUM tumulum nactus ſit: R. P. FISCHER c) vero illum in crypta hac *San-Crucenſi* quidem depoſitum, ſed in *Moravia* mortuum perſcribat. At nobis probabilius evadit, animam ei in *Suevia* ereptam fuiſſe. HENRICI *Crudelis* ſepulcrum eſſe, docent. b c

LI. Referunt *Boicarum rerum* Scriptores, aliique, LUDOVICUM, Ducem *Bavariæ*, anno MCCXXVIII. *Straubingæ*, quod oppidum decennio ante conſtruxerat, invitatis eo *Germaniæ* proceribus, quin ipſo Rege *Romanorum* HENRICO præſente, OTTONEM filium ſuum, pro more illorum temporum, baltheo militari, enſeque accinxiſſe Qui cum patre *Straubingam*,

a) Rer. Germ. Scriptor. URSTISII P. II. p. 47.
b) Decad. III. num. XLI. p. 724.
c) Loc. cit. p. 12.

Tab. VI. ſe. a) Huic ſolemnitati cum & LEOPOLDUS, Dux *Auſtriæ*, una
a cum filio HENRICO, præſens adeſſet, inter magnifica ludorum, ſpectaculorumque munera, vitæ diſcrimen adiit, culpa a nonnullis in Ducem
b *Bavariæ*, aliosque Nobiles, ab aliis autem, & quidem verius b) in filium HENRICUM, impietatis in matrem biennio antea reum, in-
c iecta. c) HENRICUM non multo poſt hoc facinus e vita migraſſe,
d ORTILO, contemporaneus, auctor eſt. d) „ Idem Dux (LEOPOL-
„ DUS) in *Strauwinge*, ait, vitæ periculum habuit: ſed, protegente
„ ſe Deo, incolumis evaſit. Putabant hoc procuraſſe filium HAINRI-
„ CUM, qui inquietus erat. Sed incidit in foveam, quam fecit, di-
„ ſponente Deo in pœnam ſalutarem. Ipſe enim hoc anno ex morbo
e „ obiit, multum contritus, VI. Kal. *Octobris.* e) „ Quare mox laudato P. FISCHERO loco, ubi ſupra, ex inſcriptione, in imagine quadam, non vero in lapide lecta, IV. Non. *Iulii* prodenti, accedere nequimus, ORTILONIS coævi auctoritatem præferentes.

Inde vero *Eſslingam*, & *Nordlingam* profectus, mortem obiit.

LII. LEOPOLDUS inde longius progreſſus, cum HENRICO Rege, genero ſuo, *Sueviam* petens, *Eſslingæ* IX. Kal. *Sept.* tabulas ab eo obtinuit, præcipuis erga ſe, & ſucceſſores ſuos, favoribus, ac prærogativis refertas. f) Tum vero *Nordlingam* perveniens, diploma, in monaſterii *Laureacenſis* gratiam, ab eodem Rege ſubſcriptum, ſigillo ſuo una roboravit VII. Idus *Sept.* g) In hoc itinere filium ſibi
f g comitem habuiſſe, argumento nobis eſt imprimis HENRICI attentatum. Demus enim, in ambiguo tum adhuc fuiſſe, utri illorum, Duci nimirum *Bavariæ*, an HENRICO filio illud adſcribendum ſit? fieri tamen haud potuit, ut ne in hunc, ob notorium ſcelus, ante commiſſum, maxima, & præcipua ſuſpicio caderet. BRUNNERUS certe ru-

a) *Henricus* STERO, ſeu chronica *Auguſtenſis* ap. FREHER. tom. I. ad an. 1228. p. 523. „ OTTO filius Ducis LUDWICI *Bavariæ*, a- „ pud *Straubing*, præſente Rege HENRICO, „ & multis aliis Principibus, in feſto Pen- „ tecoſtes gladio accingitur. - - Iſti autem „ Principes interfuerunt: HEINRICUS Rex, „ filius FRIDERICI Imperatoris, LUDWICUS „ *Bavariæ*, LEUPOLDUS *Auſtriæ*, BERNAR- „ DUS *Carinthiæ* - - Duces. „

b) Chron. *Auſtr.* cit. ad an. 1226. p. 452. cum ſcelus illius, eo anno in matrem perpetratum, retuliſſet: *Deinde idem filius*, ait, *vitæ patris ſui multimodis inſidiatus eſt.*

c) Ibid. ead. pag. ad an. 1228. „ Dux *Bava- „ riæ*, atque alii multi ex nobilibus per *Ba- „ variam*, LEOPOLDO, Duci *Auſtriæ*, & *Sty- „ riæ* inſidias mortis parabant, quas tamen „ per DEI gratiam ſine læſione evaſit. „

d) De exordio *Campilil.* p. 1303. ad annum MCCXXVIII.

e) Supra memoratum chron. Ducum *Auſtriæ* MS. ad an. MCCXXVIII. HENRICUS *idem*, LEWPOLDI *filius Auſtriæ, miſere obiit.* Chronicon MS. *Garſtenſe* ad h. a. HENRICUS, *filius Ducis* LEUPOLDI, *obiit.*

f) Extant ap. LUNIG. P. Spec. continuat. I. *Fortſez. I. Abſaz IV. p. 6.* Item ap. ARENPECKIUM, BIRCKENIUM, aliosque. Aſſervamus quoque in Archivo noſtro *San-Blaſiano* diploma eiusdem HENRICI VII. R. R. *XI. Kal. Sept. Eſslingæ* datum, quo *conſilio*, & *inductu*, ut loquitur, tam Ducis *Bavariæ*, quam Ducis *Auſtriæ*, monaſterio noſtro libertatem, ac immedietatem Imperii reſtaurat. Appenduntur in medio Cæſaris, atque hinc Ducis *Auſtriæ*, inde Ducis *Bavariæ*, raro alias exemplo, ſigilla. Unde illud, etſi hæc ſigilla, eo quod detrita ſint, delineari haud poſſint, tum in huius rei, tum & Eruditorum gratiam edendum putavimus. Vid. *Auctar. Dipl.* Vol. ſequenti num. I.

g) Extat apud BESOLDUM, *Document. rediviv. Wirtenberg.* tom. I. p. m. 451. Huic quoque prædictorum Ducum ſigilla appenſa fuiſſe, patet ex eius ſubſcriptione, quæ ſic habet: *Ad maiorem itaque ſecuritatem præſentem paginam celſitudinis noſtre ſigillo, nec non venerabilis* HERBIPOLENSIS *Epiſcopi*, AUSTRIE, & BAVARIE *Ducum, iuſſimus communiri. Datum apud* NORDELINGEN, *Anno Dominice Incarnationis M. CC. XX. Octavo, Septimo Idus Sept. indictione prima.*

rumoribus, facinus Duci *Bavariæ* impingentibus, fidem adhibere, me- Tab. VI.
rito dubitat; a) ut *quorum neque cauſſa*, ait, *apparet*, *neque ultio ſe-* a
cuta eſt. Qua in re faventem ſibi habet ORTILONEM, qui invidiam omnem in ſolum HENRICUM, ut mox vidimus, coniicit. Quare tantum abfuit, ut eum pater interim in *Auſtriam* remittere poſſet, ut eum tum potius apud ſe continere, ac tum ſui ipſius, cum aliorum ſibi fidorum oculis obſervare, neceſſe haberet, non ignarus, quid, ſe abſente, ante biennium, dominium affectans, tam contra ſe, quam matrem molitus ſit. b) Cum igitur LEOPOLDUS, ſecundum b
allegata diplomata, die 23. & 24. *Auguſti Eſslingæ*, ac ſeptimo adhuc *Septembris*, & quis ſcit, an non pluribus etiam diebus ſubſequentibus? *Nordlingæ*, comitante filio, cum Cæſare verſatus fuerit, eius autem mors ad 26. eiusdem referatur a Scriptore coævo, veriſimillimum ſane evadit, hunc non in *Auſtria*, ſed in *Suevia* aut in reditu conſtitutum occubuiſſe. Nam etſi Duces poſt dictum VII. *Septembris* ſtatim rediiſſe, ac ante morbum, & mortem Principis in *Auſtria* adventaſſe, nec negari, nec affirmari poſſit: accedentibus tamen ſignis, in hoc ſepulcro repertis, quorum cauſſa vix, ac ne vix quidem alia, quam a nobis prolata, aſſignari, nec ita alteri ex Principibus hic ſepultis, congruere poſſint: plane concludendum videtur, loculum illum HENRICI *Crudelis* eſſe, qui peregre defunctus ſit. His accedit corporis modus, infra mediocrem computandus, aliquot nempe digitis ſupra quinque pedes minor. Id quod homini, anno 1208. XVIII. *Maii*, teſte ſæpe laudato ORTILONE, nato, & an. 1228. die XXVI. *Septembris* denato, adeoque annos vitæ non niſi viginti, menſes quatuor, dies octo numeranti, apprime congruit. Ut adeo omnia & ſingula apte conveniant, diſcoveniat nihil, resque confirmetur adhuc perpetua loci incolarum traditione, ferente: HENRICUM *Crudelem* ſub hoc abaco deliteſcere.

LIII. His tamen omnibus adiiciendum eſt argumentum aliud, il- Pœnitentiam agens.
ludque haud paullo gravius, a ritibus Eccleſiaſticis petitum, ubi homines, maxime pœnitentes, ſupremum ducentes ſpiritum, cineri, & cilicio ſuperponi, quin & carbones, inter ſepulturæ ceremonias, thuri incendendo adhibitos, una in ſepulcro reponi, conſueviſſe legimus. Auctor eius rei eſt *Ioannes* BELETHUS, Scriptor quo ad hoc argumentum non ignobilis, temporibusque, de quibus hic agimus, vicinus. „Quando ergo (ait c) iam aliquis animam agere videtur, humi col- c
„locari oportet ſuper cineres, vel paleas, quo innuitur, quod cinis „eſt, & in cinerem revertetur.„ Et infra: „Thus autem apponitur „pro-

a) Annal. *Boic.* P. III. lib. IV. p. m. 166.

b) ORTILO l. c. ad an. MCCXXVI. „Dux „L. *eopoldus* cum Rege HAINRICO in *Ita-* „*liam* proficiſcitur ad Imperatorem. Inte- „rea HAINRICUS, ſenior filius ſuus, ma- „lorum conſilio ſeductus, arma ſumit, & „caſtrum *Haimburgum* occupat, cum in- „iuria Dominæ THEODORÆ matris, quam „violenter expulit. Redux L. *eopoldus* Dux „pater, caſtrum iterum vindicat, ſed filio „parcit.„ Add. verba chronici *Auſtralis*, num. præcedenti nota c. allata.

c) De Divin. offic. cap. CLXI. p. 567. adverſa, edit. *Lugdun.* an. 1584.

Tab. VI. „ propter corporis fœtorem removendum, & prunæ, ad deſignandum, „ quod terra illa in uſus communes amplius redigi nequeat. *Diu-* „ *tius* enim *carbo ſub terra conſervatur.*„ Eadem repetit GULIELMUS DURANDUS, a) ubi & addit: „ Quidam vero cilicio inſuun- „ tur, ut hac veſte inſignia pœnitentiæ repræſentent; nam *cinis*, & „ *cilicium* arma ſunt *pœnitentium.* b) „ Apte hæc in HENRICUM *Crudelem*, ſive denique domi, ſive foris mortuus ſit, quadrant; ut cui ſceleſta in parentes facinora pœnitendi argumentum ſat amplum dederunt, ac revera etiam pœnituiſſe, ex verbis ORTILONIS, paullo ſupra adductis intelleximus.

a

b

Sepulcrum numero XI. apertum,

LIV. Eodem die monumentum e regione prioris, ad latus Evangelii viſendum, ac numero XI. a nobis notatum, recluſum fuit. Ad altitudinem pedum quatuor ſubtus in conſpectum venit ſceleton, quinque pedes, tresque pollices longum, complicatis manibus, pedibus autem altare, ſeu Orientem verſus, porrectis decumbens. Maxillæ arctiores, ac caput decuſſantium ſe expers futurarum, cadaver fœmineum fuiſſe indigitabat. Dentes candidi, & nulla putredine arroſi: reliqua quoque oſſa, coſtis, vertebrisque exceptis, quæ tacta, dilabebantur, ſuo adhuc conſtabant nexu. Sepulcrum, lateritio opere carens, ipſaque terra contectum, ſuoque ordine diſpoſitum, inveſtigantibus, nondum præpanſum fuiſſe arguebat.

Richardi, ſeu Agneti, Henrici *Crud.* coniugi, adſcribitur.

LV. Cuinam ex *Auſtriæ*, ſequioris ſexus Principibus, cadaver iſtud tribui oporteat, nulla rem decidente inſcriptura, nobis ſane ambiguum foret, ſi AGNETIS, ſeu *Richardis*, de qua ſupra num. XLII. ad XLIV. egimus, corpus ſub numero I. ut lapis aliquando, unacum loculo, & inſcriptura, deſtructus vult, repertum fuiſſet. Illo igitur haud viſo, facile in animum inducimus noſtrum, eam e regione mariti ſui, HENRICI *Crudelis*, depoſitam fuiſſe; maxime cum id etiam ordo poſtulet; quippe quod conſtet, eam nedum poſt GERTRUDIS *Brunſuicenſis*, ſed & longius poſt viri ſui fata, ex hac vita migraſſe.

Ordo funerum, de quibus hactenus diſſeruimus,

LVI. Atque hæc quidem funebria *Babenbergicorum* Principum monumenta, in Celeberr. *San-Crucenſi* S. Ordinis *Ciſtercienſis* Abbatia reperta, ac detecta fuere. Ordinem funerum, velut totius capitis anacephalæoſin, ſi quis poſtulet, duo nobiſcum haud gravate perpendet: epitaphia primum, deinde & ſitum, atque œconomiam monumentorum. Et epitaphia quidem, etſi maximam partem nec coæva, nec ab omni mendo vacua eſſe, perſuaſum teneamus, velut tamen filum Ariadneum fuerunt, verum inveſtigandi propius. Quibus cum ordo

a) Rational. Divin. offic. Lib. VII. cap. XXV. p. 456. averſ. eiusd. edit.

b) Add. BERNARD. *de Montf.* in conſuetud. *Cluniac.* MSS. cap. 64. ubi: „ Cineres, qui in Capite ieiunii fratrum, olim *Pœnitentium*, hodie fidelium omnium capitibus imponuntur, ex induſtria fiunt de cremiis ſarmentorum, qui etiam ſtudioſe mundantur, & cribrantur, & benedicti conſervantur ab Infirmario, ut *morientibus fratribus cum cilicio ſubſternantur.*„ Vid. additament. PP. Benedictinor. ad gloſſar. *Cangian.* voce: *Cinis.*

ordo utcunque etiam reſpondeat, non poteſt nos noſtræ pœnitere operæ. Viſo enimvero, LEOPOLDUM *Largum*, qui primus omnium, poſt inceptum *San-Crucenſe* monaſterium, dempto LEOPOLDO *Pio*, qui *Cl-Neoburgum* conceſſit, & ADALBERTO, qui & ibidem interim depoſitus fuiſſe videtur, e vita exceſſit, in medio: ERNESTUM vero, qui ſecundo loco obiit, a latere cubare: viſo etiam ſub lapide num. III. revera virum, fœminamque, HENRICUM ſc. III. & REIZAM, uxorem eius, quieſcere, atque adeo lapidem vera elocutum fuiſſe: num. VII. LEOPOLDUM *Virtuoſum*, abſciſſi pedis ſigno internoſcendum, adque latus eius filium eius, FRIDERICUM *Catholicum*, ex cumulo oſſium eius diſcernendum, compoſitos eſſe, hisque ſingulis epitaphia reſpondere ad unguem; non potuit non reliquis, atque inter ea iis etiam, qui inſcriptionibus carent, lux accendi; quod quidem ut magis pateat, ſequentem, ex dictis, catalogum, ſeu Necrologium contexendum duximus.

LVII. Itaque in medio num. V. omnium primo loco ſitus eſt LEOPOLDUS V. cognomento *Largus*. Ob. XVIII. *Octobr.* 1141. Vid. §. VII. Et anacephalæoſis totius capitis.

A dextris huius ERNESTUS IV. Obiit XXIII. *Ian.* 1142. nec non ADALBERTUS II. qui tamen, deſtructo hoc ſepulcro, in proximum migraſſe videtur. Ob. VIII. *Nov.* 1137. §. XXXIV.-XXXVIII.

Ex adverſo a ſiniſtris num. VII. æquali diſtantia, LEOPOLDUS VI. cognomento *Virtuoſus*. Ob. ult. *Decembr.* 1194. §. X. ſeqq.

Ad huius latus ſiniſtrum num. VIII. FRIDERICUS I. agnomento *Catholicus*. Ob. XVI. Kal. *Maii* 1198. hic quidem extra ordinem, at ad latus patris, ut petierat. §. XXII. ſeqq.

Hunc excipit num. III. HENRICUS III. *Medlicenſis*, ſenior. Ob. XIX. *Ianuar.* 1223. Immixtus is quidem, ſed exigente ſpatio, ac ſymmetria minime turbata. Cum eodem decumbit, & uxor REIZA, eodem anno, ut videtur defuncta. §. XXIX. XXX. XXXI.

E regione num. VI. HENRICUS IV. *Medlicenſis*. Vixit adhuc an. 1232. & hic quidem paullo extra ordinem, ſed cuius rei rationem reddimus §. XLVII. Ubi etiam eos notamus, qui eundem *Neoburgi* ſepultum volunt.

Numero I. GERTRUDIS *Brunſuicenſis*, FRIDERICI II. uxor I. Obiit XIX. *April.* 1226. §. XL. Huic ex poſt temporis acceſſiſſe coniicimus ADALBERTUM II. §. XXXVIII.

In ſecundo ordine ad latus, quod intrantibus a dextris eſt, num. X. HENRICUS *Crudelis*. Obiit viceſimo ſexto *Septembris* 1228. §. XLVIII. ſeqq. Medium is, etſi ante FRIDERICUM II. qui illum obtinet, in hoc ordine locum haud occupat, ſed vel ipſum agnomentum impietate erga parentes a ſe promeritum, documento eſſe poteſt, honorem hunc illi haud iniuria denegatum fuiſſe.

Idem fere ſentiendum de AGNETE, ſeu RICHARDA, coniuge eius, num. XI. ex adverſo poſita, de qua tamen incertum, an poſt, vel

ante

ante FRIDERICUM II. cognomento *Bellicoſum*, ſub num. IX. deliteſcentem, qui & hunc ſibi locum, tanquam Princeps regens, facile reſervarit, emortua ſit. §. LIII. ſeq. Quare is in medio ſub dicto numero cubat. Ob. XV. *Iunii* 1246. §. XVII. ſeqq.

His accedunt, qui omnium ultimi huc deportati ſunt: RUDOLPHUS, & HENRICUS fratres, OTTONIS, Ducis *Bavariæ Inferioris*, ex CATHARINA *Habsburgica*, filii, ſub num. IV. primæ ſeriei, requieſcentes, & reliquis inſerti. Obierunt circa annum 1280. §. XXVI. ſeq.

CAPUT V.

DE OTTONIS, FRISINGENSIS EPISCOPI, S. LEOPOLDI FILII, SEPULTURA, MORIMUNDI IN GALLIA.

§. I.

OTTO, *Friſingenſis* Ep. *Morimundi* in *Gallia* mortuus.

Præter iam recenſitos S. LEOPOLDI poſteros, maximam partem in monaſteriis *San-Crucenſi*, & *Cl-Neoburgenſi* conſepultos: ſuperſunt utriusque ſexus alii, variis in locis cum mortui, tum humati. Inter eos primum locum hic ſibi vendicat OTTO, naſcendi ordine tertius, ac ex monacho, & Abbate Ord. *Ciſterc.* Epiſc. *Friſingenſis*, qui cum ad monaſterium ſuum *Morimundum* a) inviſeret, gravi conſtrictus morbo, animam ibidem poſuit. Rem narrat RADEVICUS b) Canonicus *Friſing.* ac comes itineris: „ Anno ergo ab Incarnatione Domini „ MCLIX. inquit, indictione VII. regnante ſereniſſimo Imperatore FRI„ DERICO, anno Imperii eius III. regni V. memoratus Antiſtes ab hac „ luce, DEO vocante, migravit. „ Tum vero pluribus interiectis, ſic pergit: „ Occaſione viſitandi *Ciſtercienſe* Capitulum, viam carpit, & „ iam dudum languore, ac debilitate corporis invalidus, laborioſo „ itinere, nihil tamen adhuc ſuis, qui ſecum erant, metuentibus, ad „ prænominatum *Morimundenſe* monaſterium pervenit. Ibi per ali„ quot dies lecto cubans, & iam de obitu ſuo nequaquam dubius, „ dum ſacro liquore olei, ſicut moris eſt, perunctus fuiſſet, & de „ pecunia ſua laudabili teſtamento ordinaſſet, inter cætera, quæ, ſol„ licitus de ſalute ſua prævidebat, etiam hunc codicem c) manibus „ ſuis

a) Eſt autem *Morimundus*, teſtante *Gallia Chriſtiana* tom. IV. col. 814. „ *Ciſtercii* filia „ quarta, ſita in *Baſſigneyo*, *Campaniæ Fran„ cicæ* regione, ita fines *Lotharingiæ*, & „ Comitatus *Burgundiæ* attingens, ut in „ eius territorio lapidea ſit tabula, limitem „ trium Epiſcopatuum deſignans: *Lingonen„ ſis*, *Tullenſis*, & *Biſuntinenſis*, in valle „ ſatis anguſta, & profunda. Fundatur au„ tem an. 1114. V. Idus *Iulii*. „

b) De geſtis FRIDERICI I. Imp. cap. XI. inter Scriptor. *Urſtiſianos* P. I. p. 513.

c) Alludit ad librum eius I. *de geſtis* FRIDERICI I. *Imp.* præſertim caput XLVII. ubi cum duriuſcule, ut Doctiſſimi *Galliæ Chriſtianæ* auctores, mox citati, obſervant, locutus fuiſſet adverſus BERNARDUM CLAREVALL. *& pro* GILBERTO PORRETANO *indulgentius, hæc morti proximus, a viris doctis, & prudentibus emendari, rogavit vir æqui ſtudioſiſſimus, & amantiſſimus religionis.*

„ ſuis offerri præcepit, eumque litteratis, & religioſis viris tradidit, „ ut, ſi quid pro ſententia Magiſtri GILBERTI dixiſſe, viſum eſſet, „ quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigere- „ tur, ſeque Catholicæ fidei aſſertorem iuxta ſanctæ *Romanæ*, immo „ & univerſalis Eccleſiæ regulam, profeſſus eſt.„ Hæc RADEVICUS, OTTONI familiaris, qui & eidem ſuprema lumina ſe clauſiſſe, teſtatur.

II. At hoc non obſtante, annum emortualem male hic putari PAGIUS oſtendit, a) non auctoris vitio, ſed librarii. Nam etſi illum duo quoque chronica, fere æqualia, apud LINCKIUM, b) quibus & ipſe ſubſcribit, nec non & *Mellicenſe* c) præferant: chronicon tamen *Cl-Neoburgenſe*, d) tum & ORTILO, e) ac LEUPOLDUS de *Newburga* f) anno præcedenti 1158. adſtipulantur. Quin ipſe RADEVICUS, quem vix quidquam eorum, quæ ad res OTTONIS pertinebant, fugere poterat, in conſequentibus conſentit, cap. XII. ſubiiciens: „ OTTONE Epiſcopo X. Kalend. *Octobris*, quod eſt circa ſolſtitium bru- „ male (æquinoctium autumnale) defuncto, paucis poſt menſibus „ Non. *Aprilis*, quæ tunc fuit Dominica *Palmarum*, id eſt, circa ſol- „ ſtitium æſtivale (æquinoctium vernum) hora matutina, civitas *Fri-* „ *ſingenſis* penitus, & penitus incendio conflagravit.„ Atqui Dominica *Palmarum* non alio vicinæ ætatis anno in diem V. *Aprilis* inciderat, quam an. 1159. ut adeo OTTONEM, qui menſibus aliquot antea defunctus eidem dicitur, anno præcedenti obiiſſe neceſſe ſit. Omittimus, ut in re iam extra controverſiam poſita, argumenta reliqua, apud laudatos PAGIUM, & MEICHELBECKIUM, nec non HANTHALERUM, & CALLESIUM legenda.

Et quidem an. 1158. a b c d e f

III. Funus in eodem *Morimundenſi*, ſeu *Morimontenſi* cœnobio, ubi obiit, & ubi antea monachum indutus, Abbatis dignitate præeminebat, compoſitum fuit. Petierat quidem piiſſimus Antiſtes foras templum, ubi ab introeuntibus pedibus calcaretur, humari: at eius modeſtiæ, voluntatique haud deferendum putantes monachi, ſepulturam illi in ipſa domo Divina ante aram ſummam dare decreverunt, g) ubi ad ſua uſque tempora tumbam eius elatam conſpici, HENRIQUEUS apud HANTHALERUM h) perſcribit. At Reverendiſſimus Abbas *Morimontenſis*, NICOLAUS, litteris ad infra laudandum D. Baronem de REISCHACH datis, ipſe teſtatur, vidiſſe ſe quidem aliquando capulum plumbeum, at ſepulcrum nullum vidiſſe.

Sepultus *Morimundi*. g h

IV.

a) Apud Doctiſſ. P. *Carolum* MEICHELBECK Hiſt. *Friſing.* ſecul. V. p. 348.
b) Annal. *Auſtrio-Clara-Vallenſ.* tom. I. p. 175. not. 5.
c) Col. 233. b.
d) Col. 446. a.
e) p. 1288.
f) Loc. cit. p. 1311.
g) RADEVICUS ubi ſupra p. 514. „ Cum autem adhuc vivens, locum ſepulturæ ſuæ „ fratribus digito præmonſtraſſet extra ecclefiam in loco humili, ubi ſcilicet ab „ omnibus fratribus calcari debuiſſet, huic „ eius ultimæ voluntati obviandum (haud) „ putabatur, & infra ſepta Eccleſiæ iuxta „ maius altare honorifice tumulatus eſt.„
h) Loc. cit. p. 240. num. XXII.

Epitaphium, a Radevico poſitum.

IV. Epitaphium Ottoni laudatus Radevicus honorarium poſuit, & tumulo eius, ſeu cenotaphio, *Friſingæ* nimirum poſito, inſcribi curavit. Quod etſi pridem editum, a) exigente inſtituti noſtri ratione huc quoque transferendum putavimus.

a

Libram Phæbus ſubiit cum falcitenente,
Luci mox prævaluit, die decreſcente,
Vitæ minus habuit, morte prævalente,
Otto quando corruit raptus, heu repente.
Hic, ſi gradum conſulis, præſul dignitate.
Formam: decens, habilis, iuvenis ætate.
Genus: alta, nobilis regum maieſtate.
Mores: commendabilis mira probitate.
Monachum ſe præbuit, ſi religionem.
Ideas aſſeruit, ſi poſitionem.
Virgo, cuius meruit interceſſionem,
Eius ad quem genuit, agat mentionem:
Cuius frequens otium in philoſophia,
Maius exercitium in theologia,
Fœdus ſibi mutuum cum philologia,
Nunc ſit ei ſpeculum ſumma theoria.
Plangat hunc *Germania* planctu generali,
Magis tu *Friſingia*, orba viro tali,
Cui tot privilegia dono ſpeciali,
Iugi querimonia debes lamentari,
Huius in te ſtudio ſtudium vigebat:
Grata diſceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio, nemo non videbat:
Fraus, & cavillatio latens non latebat.
Hic ſacrum eccleſiæ ſublimavit cultum.
Ipſe dedit ſtrepere logicum tumultum:
Hoc in eius cinere totum eſt ſepultum:
Talem nemo plangere poteſt ſatis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?
Aut quis elegantiam dictis aſſignabit?
Quis ad conſequentiam tropos revocabit?
Heu qualem ſententiam ſchola vento dabit?
Quid rerum compactio ſagax, dum rimatur.
Matheſis abſtractio quid, dum contemplatur,
Quod nihil privatio per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio, morte ſcire datur.
Huius necem patria iuſte dedignata.
Clara dolens atria rectore privata:
De ſe bene meritum cernens in favilla,
Ivit in interitum pariter & illa.
Tantas ad exequias turba populorum
Pias fundat lacrymas, mœſtum ducens chorum.
Ac preces continuas, & lamenta quorum
Illum ſolvet, animas qui beat iuſtorum. Amen.

ALIUD METRUM.

Quicquid in orbe beat præclaros & meliores,
Præſulis Ottonis mire cumulavit honores.
Si proavi, vel avi probitas, ſacer ordo, poteſtas,
Deberent mortis furias cohibere moleſtas,
Non moriturus erat præclare præditus illis.
Heu talem communibus acceſſiſſe favillis,
Quam facunda viri vox, qualis philoſophia,
Hortatu regum docet edita chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina;
Propitietur ei DEUS, & pia virgo Maria.

Edidit hæc elogia laudatus *Carolus* Meichelbeckius, adiectis nonnullis lectionibus variantibus, ex codice *Tegernſeenſi*, parvi tamen momenti. b) Reperiuntur quoque tanquam cenotaphio *Friſingenſi* inſcripta, apud *Tobiam* Fendi in opere haud obvio, cuius titulum in calce huius paginæ damus. c)

b

c

Idem *Morimundo* ſubmiſſum, ſed truncatum.

V. In dicto *Morimundenſi* monaſterio, ubi cineres Ottonis quieſcere diximus, pilæ prope aram principem epitaphium appenſum erat, non niſi membranæ inſcriptum, ſed vetuſtate, humiditateque eccleſiæ pene dilapſum, uti nos per litteras edocuit Illuſtr. Baro de Reischach, ille, qui legationis apud fœderatos *Belgas* multis annis fungens, fidem erga Auguſtiſſ. Domum *Auſtriacam* tamdiu iam pro-

a) Ap. Urstis. l. c. p. 514.

b) Irrepſit nonnunquam etiam ſphalma typographicum, uti certe in iſto verſu metri ſecundi, quo *facunda viri non*, ubi certe legendum *vox*. Nos Urstisii editionem ſequimur.

c) Inſcriptio libri hæc eſt: „Monumenta ſe„pulchrorum, cum epigraphis, ingenio, „& doctrina excellentium virorum, alio„rumque tam priſci, quam noſtri ſæculi „memorabilium hominum, de Archetypis „expreſſa, ex liberalitate Nob. & Clariſſ. „D. *Sigefridi* Rybisch &c. Cæſarei Con„ſiliarii, per *Tobiam* Fendi pictorem, & „civem *Vratislavienſem*, in æs inciſa, & „edita anno Chr. MDLXXIIII.„ Præfatio, operi præmiſſa, Rudolpho, *Hungariæ* Regi, & Archiduci inſcripta eſt.

probavit, addens præterea: ſupra laudatum Abbatem *Morimundenſem* ultro adpromiſiſſe, operam ſe daturum, ut elogium illud, tabulæ æneæ inſculptum, ad locum priſtinum reſtituatur. Num vero (nam id interim executioni datum fuiſſe, haud ambigimus) operæ pretium fecerit, merito dubitamus; quippe quod elogii integri, ex RADEVICO modo allati, fragmentum duntaxat ſit, ex ambobus metris, translocatis verſibus, conſarcinatum. En tibi textum ipſum:

Quam facunda viri vox, qualis philoſophia,
Hortatu Regum docet edita chronographia,
Majus exercitium in theologia.
Si proavi, vel avi probitas, ſacer ordo, poteſtas,
Deberet mortis furias cohibere moleſtas,
Non moriturus erat, præclare præditus illis:
Heu talem communibus acceſſiſſe favillis.
Hic ſacrum eccleſiæ ſublimavit cultum,
Talem nemo plangere poteſt ſatis multum.
Plangat hunc *Germania* planctu generali,
Magis tu *Friſingia*, orbata viro tali.
Pias funde lachrymas, mœſtum ducens chorum,
Ad quorum preces continuas, & pia lamenta
Propitietur ei DEUS, & pia Virgo MARIA. Amen.

VI. Sunt, qui OTTONEM Sanctis adnumerant, quos inter *Ioannes* STABIUS, & *Iacobus* MANLIUS, apud RADERUM, in *Bavaria Sancta*. a) Signis claruiſſe, ARENPECKIUS quoque perſcribit. Denique ex Menelogio *Ciſtercienſi* MALINKROTIUS hæc affert: „ *Mori-* „ *mundi* in *Gallia* depoſitio B. OTTONIS, admirandæ ſanctitatis vi- „ ri, qui nobilitatem generis, & ſeculi delicias contemnens, ibidem „ habitum religionis aſſumpſit, -- & poſt multa ſanctitatis opera in „ proprio monaſterio feliciter vitam finivit.„ Verum, nihil definiente Eccleſia, hæc ſuo loco relinquenda ſunt. Ceterum chronotaxin vitæ eius luculentam ſane, ſæpe laud. concinnavit LEWPOLDUS *Campilil.* contemporaneus, quam, cum ſupplere poſſit, quod adductis epitaphiis deeſt, huc afferendam duximus. „ OTTO natus, inquit, anno MCIX. Non. *Dec.* valde pius, fit Præpoſitus in *Newnburch*, Canoniæ integræ; non Regularis. Sed ſtatim it *Parrhiſios* ad ſcholas an. MCXXII. Fit monachus griſeus in *Morimundo* an. MCXXVI. Abbas ibi an. MCXXXI. Mittit monachos ſuos ad patrem (coloniam nempe pro monaſterio *S. Crucis*, de quo cap. præced.) an. MCXXXIV. Fit Epiſcopus *Friſingenſis* ann. MCXXXVII. Obiit X. Kal. *Octobr.* an. MCLVIII. „ Ex his HANTHALERUS b) computat, vixiſſe illum annis 48. menſes novem, dies ſeptendecim.

OTTONIS ſanctitatis opinio, ac vitæ eius chronotaxis.

a

b

CAPUT VI.

S. LEOPOLDI PROLES RELIQUÆ.

§. I.

CONRADUS, inter S. LEOPOLDI filios adultos naſcendi ordine quintus, natus Non. *Iunii* (verba ſunt LEWPOLDI *Campilienſis* c) anno MCXVIII. -- Mittitur *Parrhiſios* anno MCXXXIII.

CONRADI, Archiep. *Salisburgenſ.* S. LEOPOLDI fil. mors, &

c

a) Teſtatur de his MEICHELBECKIUS l. c. p. 347. RADEVICUS, ubi ſupra, adiicit: *Eiusque ſepulcrum a cunctis fratribus honore, ac veneratione dignum habetur.*

b) Loc. cit. p. 239.

c) Ex RIKARDO, Canonico *Newburgenſi*, l. c. p. 1311.

sepultura, an. 1168. XXVIII. *Sept.*

„ MCXXXIII. Fit monachus griseus ad *Sanctam Crucem* in *Sattelbach* „ an. MCXXXVII. Abbas ibidem an. MCXLI. Episcopus *Patavienſis* „ an. MCXLVIII. Archiepiscopus *Salzeburgenſ.* an. MCLXIV. Obiit „ an. MCLXVIII.„ Nimirum infesto sibi FRIDERICI Imp. exercitu, a ut alibi diximus, a) *Frisaci* in *Carinthia* exulare coactus, rebus demum compositis, in monasterio *Admontenſi* Ord. S. BENED. quod vivus in oculis ferebat, dolore calculi extinctus est, quo se paullo ante deportari voluit, IV. scilicet Kal. *Octobr.* quem diem præter chro- b nicon *Reicherspergenſe*, b) cuius verba ad calcem paginæ adducimus, c etiam Necrologia, teste HANSIZIO, c) confirmant. Sed & ORTILO *Campilienſis*, chronicon *Admontenſe*, aliique conveniunt. Locus sepulturæ eius hodie latet. Nescitur præterea, an unquam augustiori quodam opere honestatus fuerit? Cuius rei caussam Ven. *Admontenſes* alumni in temporum iniquitatem reiiciunt, monasterium eorum, testibus codicibus MSS. circa ea tempora adeo vexantem, *ut nec Abbati, nec fratribus per aliquot annos ſecuris eſſe licuerit.*

Item BERTHÆ, fil. S. LEOPOLDI primæ,

II. Idem Annalista *Admontenſis* CONRADO tres duntaxat sorores attribuit; cum quinque admodum fuisse, modo satis exploratum sit. De earum fatis nunc agere animus est, brevibus tamen, quoad eius fieri potest, ut qui nonnulla tomo præcedenti, d) iam occupavimus. d Itaque BERTHA inter eas primo loco anno MCX. nata, e) uxor HEN- e RICI II. Comitis de *Steffaning* & *Riettenburg*, Burggravii *Ratisponenſis* fuisse dicitur. Nam quod Comiti cuidam de *Andechs* nupsisse f putetur, minori nititur fundamento. f) Difficultatem tamen hic mo- g vet Clar. CALLESIUS. g) „ Nam si cum eodem FALCKENSTEINIO, h „ quem paullo ante excitaverat, h) HENRICO I. de *Stephaning* & *Riet-* „ *tenburg* (inquit) tribuamus RICHARDAM coniugem, LEOPOLDI „ *Pulchri Auſtr.* filiam, horum autem ex OTTONE filio nepotem „ HENRICUM II. maritum BERTHÆ, S. LEOPOLDI filiæ, constitua- „ mus; filia S. Marchionis cum nepote sororis eius (quod sine legis „ venia fieri non potuit) coniungetur. Eadem tamen difficultas per „ se

a) Pinacoth. *Auſtr.* P. I. proleg. II. p. XXV. §. XX.

b) Narrat id luculenter chronicon *Reichersbergenſe* ap. LUDEWIG. *Scriptor. rer. Germ.* tom. II. col. 295. „ Anno (ait) MCLXVIII. „ CHUONRADUS, *Salzburgenſis* Archiepiscopus „ post multa gravamina, quæ passus est a fra- „ truele suo Imperatore FRIDERICO, ob de- „ fensionem sanctæ ecclesiæ, & post plurimas „ infestationes iniquorum hominum, contra „ eum, & ecclesiam suam, pro iussu, & vo- „ luntate Imperatoris servientium, tandem „ adiutorio DEI, eiusque nobili providentia, „ ac industria, sopitis omnibus maioribus, „ & minoribus, qui adversum eum arma „ tulerant, & in gratiam receptis, ab ex- „ communicatione quoque, qua eos alliga- „ verat, absolutis, ipse dolore calculi labo- „ rans, feliciter obiit IV. Kal. *Octob.* apud „ cœnobium *Admuntenſe*, ibi sepultus est „ iuxta petitionem eius. „

c) *Germ. Sacr.* tom. II. p. 282.

d) P. I. proleg. II. §. XXXIII. p. XXX. seq.

e) RIKARD. *Newburg.* l. c. p. 1311. „ BERTHA, „ nata an. MCX. *nupsit* HENRICO, Burg- „ gravio *Ratiſpon.* a. MCXXXIII. „ Subscribit HASELBACHIUS col. 706. b. *Primogenita* BERTHA *Burggravio nomine* HENRICO -- *Ratisbonenſi, coniugio traditur.* Concordant ceteri, quos inter præcipuus cit. auctor *Narrat. Genealog. posteror.* S. LEOPOLDI.

f) Conf. Illustriss. S. R. I. Com. de CRONBERG *Tentamen Geneal- Chronolog.* Comitum, & rer. *Goritiæ* p. 74. tab. II. ubi certe inter Comites *Andechſios* nulla BERTHA comparet.

g) Annal. *Auſtr.* P. I. p. 492. not. b.

h) Antiq. *Nordgav.* tom. II. p. 370.

„ſe deſineret, ſi oſtendi poſſet, OTTONEM, HENRICI II. patrem, ex „alia, quam RICHARDA, coniuge, priori ex matrimonio fuiſſe na„tum.„ Addimus nos: OTTONEM, quem inter Comites *Riettenburgenſes* unicum reperimus, HENRICI II. Burggravii *Ratisponenſis*, non patrem, ſed, quo ſanguinis nexus arctior evaderet, fratrem fuiſſe. a) Unde tenendum potius, utrosque HENRICOS, alterum RICHARDIS, de qua ſupra cap. II. §. ult. maritum, BERTHÆ alterum, ſi quidem ambo Comites de *Riettenburg*, diverſæ tamen lineæ fuiſſe. b) Quin HENRI-

a) Chartæ traditionis Canoniæ *Reichersbergenſis*, Monum. *Boicor.* vol. III. p. 456. num. CXII. data quidem an. 1177. mentionem facit traditionis cuiusdam, factæ an. 1161. cuius inter ceteros teſtes ſubſcripſerunt: *Prefectus urbis* RATISPONENSIS HEINRICUS, *& frater eius* OTTO. Et pag. 294. num. CLVII. inter teſtes chartæ traditionis *Ranshofanæ* circa an. 1182. HAINRICUS *Burgravius*, OTTO *Lantgravius*. Patrem eorum, HENRICUM I. charta prodit Canoniæ *Subenenſis*, ibid. vol. IV. p. 519. num. IV. ubi ſic: *Huius rei teſtes ſunt:* SIGEBOTTO *Comes*, HENRICUS, *Comes Ratisponenſis. Facta eſt autem hec tradicio - - An. Incar. Dom. MCXXVI. Ind. IV. VII. Kal. Sept. Salzburch.* Enimvero HENRICUM II. tum nondum *Burgravii* munere honeſtatum, atque adeo hæc de HENRICO I. capienda eſſe, colligitur binis ex chartis, circa an. 1130. conſcriptis, quarum prior ex tabulario Canoniæ *Chiemſeenſis* educta, dictorum Monument. vol. II. p. 295. num. XLIII. comparet, & ubi HEINRICH, *filius urbis Præfecti de* REGENSPURCH, tanquam inter teſtes unus, ſubſcribitur. Altera, ad Abbatiam *Formbacenſem* ſpectans, ibid. vol. IV. num. LXIII. p. 48. his teſtibus roboratur: ADELBERTUS, & LEOPOLDUS, *filii Marchionis* LEOPOLDI - - - HEINRICUS, *filius prefecti* RATISPONENSIS. Eundem vero mox circa an. 1145. defuncto patri ſucceſſiſſe, chartæ Canoniæ *S. Nicolaitanæ*, cit. vol. IV. p. 235. num. XXIV. eiusdem circiter anni indicant: *Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, quod Ratisbonenſis Comes* HEINRICUS, *& uxor eius* PERTHA *tradiderunt.* Atqui PERTHA, ſeu BERTHA, HENRICI II. non I. uxor erat. Quin & huic FRIDERICUM præceſſiſſe, fidem facit Donatio HENRICI *Nigri*, Ducis *Bavar.* Canoniæ *Ranshofanæ* facta, Vol. III. p. 314. num. V. hoc modo ſubſcripta: *Actum Ranshoven anno MCXXV. Indictione III. preſente* OTTONE *Palatino*, FRIDERICO, *Comite de Regennesberc, Advocato.*

b) Evincunt id chartæ duæ. Prima, ibid. Vol. III. p. 483. num. CXXXVI. legenda, ac circa annum 1160. obſignata, ſic inchoat: *Notum ſit cunctis fidelibus Chriſti, quod Dominus* HAINRICUS, *Comes provincialis, cum conſenſu uxoris ſue, Domine* RICHARDIS, *delegavit* &c. Hunc enim alium eſſe ab HENRICO II. ut quem *Burggravii Ratisponenſis* munus iam intra annos 1130. & 1145. adiiſſe, ex adducta huius anni charta intelleximus, *Comitis provincialis*, ſeu *Landgravii* titulus manifeſtum facit. Diſtinguuntur præterea ex coniugio, ut quorum alteri BERTHA, ſecundum eandem chartam, dicta noſtra confirmantem, RICHARDIS alteri, ut in præcedentibus vidimus, & hæc ipſa charta iterum roborat, coniuncta fuerat. Quamdiu vero poſt hunc annum ſuperſtes fuerit alter hic HENRICUS, nobis incompertum eſt. Occurrit tamen HAINRICUS, *Landgravius de Rittenburch* adhuc circa annum 1198. in charta traditionis Canoniæ *Chiemenſis*, ibid. vol. II. num. CCXXI. p. 357. Sed hunc inter poſteros aut HENRICI II. aut OTTONIS, eius fratris, haud abs re computamus; quanquam de BERTHA, illius coniuge, HASELBACHIUS, loco paullo ſupra allegato, dicat: *An habuerit prolem, vel non? non conſtat.* Huc denique facit charta traditionis vol. IV. pag. 286. num. LXXXVI. circa annum 1170. reponenda, vi cuius *Comes* OTTO *de* STEVENINGEN *tradidit duos ruſticos eccleſiæ* San-Nicolaitanæ - - *Huius rei teſtes ſunt* - - ERECHO, & ARBO, *fratres eius de* STEVENINGEN. Occurrit quoque OTTO de *Steveningen, Canonicus de Babenberch* in codice traditionum monaſterii *Rotenſis*, vol. I. p. 366. num. XI. circa an. 1179. Comitem porro HENRICUM de *Steveningen*, ſeu *Steffaningen*, & *Riettenburch*, RICHARDI, LEOPOLDI *Pulchri* filiæ, matrimonio coniunctum fuiſſe, ſupra dictum eſt. At *Stephaningos* a Comitibus *Riettenbergenſibus*, qui Burggraviatum *Ratisponenſem* tenuerunt, familia ſaltem, ſeu linea collaterali diſtinctos fuiſſe, ex his chartis, ubi OTTONES duo, uno cum OTTONE Landgravio tempore viventes, ac præterea duo fratres prioris OTTONIS memorantur; ut adeo nexus ſanguinis arctior, ex his duobus coniugiis repullulans, haud pertimeſcendus videatur. E re ſane fuiſſet, laudatum CALLESIO FALCKENSTEINIUM inſpicere, at is modo ad manus non fuerat. Quare haud ægre condonabit L. B. ſi quid hic ſecus dictum fuerit.

HENRICUS ille prior de *Stephaning* Landgravius quidem, at Burggravii *Ratiſponenſis* munere nunquam functus eſt, id quod ſubiunctæ notæ planum faciunt.

Ratiſponæ poſt an. 1145. ſepultæ.

III. Extabat olim extra muros *Ratiſponenſes* monaſterium *Scotorum*, S. PETRO conſecratum, nomine vulgo *Weyh S. Peter*. Illud poſtea intra muros receptum, & ad S. IACOBUM vocatum fuiſſe, docet HUNDIUS ex AVENTINO, a) addens ex eodem, OTTONEM, Comitem *Rietenburgenſem*, Burggravium *Ratiſponenſem*, ac fratrem eius HEINRICUM cum uxore BERTHA, LEOPOLDI (*Pii*) Ducis *Auſtriæ* filia, eius translationis, & fundationis, unacum pluribus aliis, ſymbolas ſuas conferentibus, auctores eſſe, ubi BERTHA, quæ vineas in *Auſtria* donaverit, ſepulcrum, cuius tamen hodie veſtigium nullum reperire potuimus, nacta ſit. Verum, quemadmodum hoc ultimum facile largimur: HENRICUM tamen II. *Burggravium Ratiſponenſem*, & OTTONEM, *Landgravium* (ſic ponere debuerat AVENTINUS) fratrem eius, eiusdem monaſterii fundatores, ut credamus, Diploma HENRICI IV. rectius V. prohibet, ibidem productum, datumque VII. Kal. *Aprilis* an MCXI. ubi legimus: monaſterio, ſeu eccleſiæ *Scotenſi*, quam OTTO *Rittenburgenſis* (ſunt verba diplomatis) *urbis Præfectus*, operas, & ſymbolas ſuas conferentibus quoque aliis, ſupremam manum, dicto, ac fortaſſis pluribus annis antea impoſitam iam fuiſſe. Quod quidem cum Comitis HENRICI II. temporibus haud congruat, planum eſt, OTTONEM hic alium, atque adeo veriſimiliter FRIDERICI, de quo nota a. §. præcedenti, prædeceſſorem, intelligendum eſſe. BERTHAM noſtram Cl. CALLESIUS l.c. ex MS. chronico Colleg. *Wienn. S. I.* an. 1141. obiiſſe, ſuſpicatur, ſed ex ſupra adducta charta traditionis *San-Nicolaitanæ* intelligitur, eam an. 1145. adhucdum inter vivos adnumeratam fuiſſe.

AGNETIS filiæ S. LEOPOLDI ſecundæ, fata.

IV. Altera, AGNES nomine, anno 1115. edita, ac WLADISLAO *Polono*, *Sileſiæ* Duci, iuncta, vitam poſuit an. 1139. laudato RIKARDO teſte. b) Diem emortualem aſſignat Necrologium *Campililienſe* apud HANTHALERUM his verbis: *VI. Kal. Octob.* AGNES, *uxor* WLADISLAI, *Ducis Zlezorum*, *filia fundatoris. S.* †. HASELBACHIUS eum POLESLAUM, Ducem *Poloniæ*, haud male tamen vocat. Quo loco humata fuerit, haud conſtat.

Nec non GERTRUDIS, fil. eiusdem tertiæ.

V. GERTRUDIS tertio loco VII. Kal. *Martii* an. 1119. eodem teſte, nata, WLADISLAO itidem, Duci *Bohemiæ*, ac ſubinde Regi, an. 1140. matrimonio elocata fuit. Obitus diem RIKARDUS haud annotavit. At tam annum, quam diem, & ſepulturæ locum, BALBINUS ap. Cl. CALLESIUM prodidit, c) hanc in ſententiam: „GER„TRUDIS (S. LEOPOLDI *Auſtr.* March. filia) Virgineum cœnobium „*Doxanæ* fundavit, ibidemque eſt ſepulta an. 1151. V. *Auguſti*, ut „ha-

a) Metropol. *Salisburg.* tom. III. p. m. 65.
b) Loc. cit. p. 1311.
c) Loc. cit. p. 492. not. d.

„ habet Mortuarium MS. *Doxanenſe* his verbis: *Obiit piæ recorda-* „ *tionis* GERTRUDIS, *fundatrix noſtra, quæ primitias Ordinis noſtri* „ (Præmonſtratenſis) *in terram hanc introduxit.* „ Hæc BALBINUS, qui & lib. VII. cap. XXVI. ab eadem *Teplicenſem* Parthenonem Ord. S. BEN. conſtitutam fuiſſe aſſerit. Aliter nonnihil loquitur HASELBACHIUS, a) monaſterio illi nomen *Syon* attribuens: „ GERTRUDIS, a „ & eius maritus, ſepulti ſunt (ait) in monaſterio, *Syon* dicto, eorum „ fundatione. „ At niſi *Doxanenſi* monaſterio duplex nomen fuit, ſtandum eſt fide BALBINI, Necrologium *Doxanenſe* alleganti. Sita eſt *Doxana* in circulo *Bohemiæ Slanenſi*, hilari, & amœna regione.

VI. GERTRUDEM excipit LEOPOLDI Sancti filia quarta, ELI- Item ELI-
„ SABETHA nomine. De ea citatus RIKARDUS *Newburgenſis:* ELI- SABE-
„ ZABETHA nata Kal. *Septembr.* an. MCXXIII. nupta HERMANNO THÆ, in-
„ de *Wirzeburg*, *Thuringiæ* Landgravio, an. MCXLII. in primo par- ter filias
„ tu cum prole obiit. „ Ubi dubium eſt, an HERMANNUS ille iu- quartæ.
nior, aut ſenior fuerit? Pro priori, poſt HANTHALERUM, CALLESIUS ſtandum eſſe putat, quibus & nos accedimus. Locus ſepulturæ eius hactenus in obſcuro manſit.

VII. GUTHA, ſeu IUTHA, immo & IEITHA, LEOPOLDI *Pii* Ac deni-
filia ultima, WILHELMO, *Montis Ferrati* Marchioni, REGINGERI que GU-
filio, nuptiali fœdere iuncta fuit, demonſtrante id ſæpe laudato CAL- THÆ, fil.
LESIO. RIKARDUS *Newburgenſis* de ea loc. cit. hæc duntaxat ha- eiusdem
bet: „ IUTHA nata prid. Id. *Iulii* an. MCXXVI. nupta WILHELMO, ultimæ.
„ Marchioni de *Monteferat*, an. MCXLVI. „ Locus quietis eius pariter ignoratur.

CAPUT VII.

DE HENRICI II. INTER DUCES I. COGNOMENTO IASOMIRGOTT, FUNERE AD SCOTOS VINDOBONÆ.

§. I.

Inſignis Abbatia, Ord. S. BENEDICTI *Vindobonæ*, ad *Scotos* dicta, HENRIauctorem, ac fundatorem habet HENRICUM, agnomento *Iaſo-* CUS II.
mirgott, LEOPOLDI *Pii*, ſeu Sancti filium, quarto ſuos inter fra- fundat
tres loco in hanc lucem editum. De eo ſæpe laudatus RIKARDUS monaſte-
de *Newenburga*: b) „ HENRICUS naſcitur -- IV. Non. *April.* an. rium *Sco-*
„ MCXIV. ſucceſſit fratri LEOPOLDO in *Marchia*, & Ducatu *Bava-* *torum*
„ *riæ* -- Factus miles an. MCXXXI. fundavit *Scotos Viennæ*, & *Viennæ.*
„ ibi primam curiam poſuit. Obiit an. MCLXXVII. „ b

II.

a) Loc. cit. col. 706. b.

b) Loc. cit. p. 1311.

Quo anno, & pro quibus ?

II. Quoad epocham huius fundationis non convenit inter veteres: MARTINO eiusdem cœnobii Abbate a) annum 1150. chronicis contra *Auſtrali*, b) quod & CUSPINIANUS probat, ac *Cl-Neoburgenſi* c) 1155. conſignantibus. Hinc plerique, dimiſſis auctoribus, primum fundationis diploma, d) anno 1158. obſignatum, ſecuti, origines, atque fundationem illius, ad eundem annum tutius reponi exiſtimarunt. Verum plus ſimplici vice monuimus, frequenter accidiſſe, ut novi cuiusdam monaſterii fundamentis pridem iactis, fundationis diploma non niſi poſtea expediretur. Cuius rei vel nunc etiam documento eſſe poterit monaſterium *San-Crucenſe*, de quo ſupra, e) & *Campililienſe*, cuius primum lapidem etſi anno iam tum 1202. poſuerit LEOPOLDUS VII. cognomento *Glorioſus*, fundationis tamen litteras anno primum 1209. edidit. f) Quare laudatos auctores id, quod verum eſt, attigiſſe, facile credimus, ſic tamen, ut alii de primo poſito lapide, alii de introductione monachorum, ac alii fortaſſis demum de abſoluto opere capiendi ſint. Evincit id diploma ipſum; ut quod non uno loco quaſi de opere iam perfecto, verba facit. Inter cetera de conſecratione cemeterii loquens: *Ceterum utique in die conſecrationis cimeterii*, ait, -- *obtinuimus* &c.

a b c d

e

f

Henricus ibi ſepultus, loco tamen hodie incerto.

III. In hoc monaſterio HENRICUM noſtrum, ad ceterorum Principum, loca pia conſtituentium, imitationem, ſepulturam ſibi, ſuisque elegiſſe, dubio caret. g) Teſtantur id namque præter RIKARDUM de *Newburga*, mox allegatum, Duci æqualem, aliosque bene multos, antiqua documenta litteraria, ibidem aſſervata. At locus funeris hodie tanto minus ſcitur, quanto certius eſt, iam ante trecentos, & amplius annos, hominum conſpectui pene ſubductum fuiſſe. h) Tem-

g

h

a) Inter Scriptor. *rer. Auſtr.* PEZII tom. II. col. 648. a.

b) Inter Scriptor. FREHRRI tom. I. p. 445.

c) Loc. cit. col. 445. d.

d) Extat ap. *Bern.* PEZ. *Cod. Dipl. epiſtolar.* P. I. col. 383. num. CXLIII. Reliqua duo ibid. col. 435. & 37. leguntur. In primo ſe ſolis *Hibernienſibus* monaſterium illud tradere conſtituiſſe aſſerit, quos in poſterioribus duobus *Scotos* nominat. Id quod eodem recidit. Vid. Ven. BEDÆ Hiſtor. Eccl. gentis *Anglorum*. Opp. tom. III. cap. I. p. 2. Add. ſi lubet, lib. II. cap. IV. p. 35. ac lib. III. cap. III. ac alias paſſim.

e) Cap. IV. §. XXXVI. not. f. p. 52.

f) Vid. ORTILONIS, coævi, libell. de exordio *Campilil.* p. 1295. & 98.

g) Sic enim ipſe in cit. diplomate ultimo an. 1161. X. Kal. *Maii* dato: „Nos quoque, „& omnem poſteritatem noſtram, univerſam familiam noſtram, in eodem monaſterio ſtatuimus, ſepeliri.„

h) Anonymus *Scotenſis* MS. in *Memoriali Scotorum*, vergente ſeculo XV. ſcripto: „Fundator autem monaſterii *Scotorum* fuit HENRICUS primus, Dux *Auſtriæ*, & iacet ſepultus in medio eccleſiæ, unacum uxore „ſua, & filia: & dicebatur, quod teſtudo „una eſſet in ſepultura ſurſum uſque ad „ſummum altare, ſed non eſt ita; quia „tempore MARTINI Abbatis (obiit is Abbas ante an. 1470. cum iam circa annum 1455. abdicaſſet, docente Cl. *Hier.* PEZIO Scriptor. *rer. Auſtr.* tom. II. p. 624.) „propter novum chorum, quia terra exportabatur, aperiebatur ſepultura, & diligenter „inquirebatur in ſepulcro, an ita eſſet? ſed „non inveniebatur aliqua teſtudo, ſed ſolum ſub illo lapide eſt ſepultura, ubi iacent oſſa ſolum, ſed fundatoris oſſa fuerunt ſeparatim poſita. Sed poſtea illa, quæ „fuerunt in ſepulcro, coniunxerunt ceteris oſſibus, & *ſi in futurum unquam aperirentur, & non invenirentur*. Poteſt „de hoc ulterius inquiri; quia tempore meo „fuit aliqua opinio de eius ſanctitate; quia „vidi frequenter luminaria accenſa ponere, „ubi ſepultus iacet, & dicebatur, quod unus de fratribus frequenter ieiunaret, ut „deveniretur in notitiam ſue ſanctitatis ---, Et ſic tandem Abbas iuſſit, in civitate manifeſtare.„

Templo præterea veteri deſtructo, novum cum ſucceſſerit alio in loco, monaſterio propiori erectum, mirum ſane haud eſt, latere modo, ubinam altare ſummum, tempore, de quo Anonymus *Scotenſis* loquitur, MARTINI Abbatis ſitum fuerit. His accedit, quod an. 1590. templum cum monaſterio, horribili terræ motu totam civitatem ſuccutiente, pariter corruens, ex eo primum tempore novum aſſurgere cœperit; quo & dictum ſepulcrum, ſi quid eius uſquam reliqui fuiſſet, vel tum etiam dilabi potuerat. Chorum quidem ea tempeſtate ad iſtum uſque locum, qui *Freyung* vulgo vocatur, pertinuiſſe, haud ſine veritatis ſpecie traditur; at cum urbem *Wiennenſem* inter, & monaſterium lis hactenus fuerit, ſilentio etiam ab excelſo *Auſtriæ Inferioris* Regimine utrinque impoſito, dictum locum circumfodere, atque adeo litem reſuſcitare, haud licuit.

IV. Tantis igitur obſtaculis ſeſe obiicientibus, ad Scriptores recurrendum fuit. Hos inter HASELBACHIUS a) diſerte ait: HENRICUM *in monaſterio* SCOTORUM WIENNÆ, *ſua fundatione, ante chorum in ſepulcro elevato ſepultum quieſcere.* At id qua notione accipiendum ſit, verba illius, e veſtigio ſubiuncta declarant, quibus innuit: LEOPOLDUM *Largum ad S. Crucem in Capitulo in ſepulcro* pariter *elevato*, conditum eſſe. Vidimus autem ſupra, LEOPOLDI huius ſepulcrum in dicta Abbatia non niſi planum, ac terræ æquatum, in hodiernum uſque diem extare. Quod ſi tamen HASELBACHII verba; ut qui Profeſſor publicus *Wiennenſis* tumulum illum ſæpius oculis uſurpaverit, de opere quodam extante intelligenda ſunt, id forte ad normam ſepulcri FRIDERICI *Bellicoſi*, corporis eius, ut diximus, ſpeciem referentis, factum fuiſſe videtur, quod HASELBACHIUS forſan pro ſepulcro LEOPOLDI *Largi* habuerit. Id enim teſtari videtur ENENCKELIUS, auctor HASELBACHIO haud parum vetuſtior, cuius verba, rhytmicis vernaculis concepta, in inferiorem marginem reiecimus. b) Nam ibi verba illa: *Sein Schein in einem Stein erhaben,* manifeſte de corporis eius ſpecie, e lapide exſculpta, capienda ſunt.

Quæ olim forma ſepulcri? a

V. Singulare eſt, *Scotenſibus* noſtris *bullam* olim *indulgentiarum* conceſſam fuiſſe, datam *Reate* anno Domini MCCLXXXVIII. Pontificatus NICOLAI *Papæ anno primo*, qua dies XL. de iniunctis pœnitentiis relaxantur CHRISTI fidelibus, „qui (ut contextus habet) „ pro anima HENRICI, Ducis *Auſtriæ*, fundatoris eccleſiæ S. MARIÆ „ in *Wienna*, *Patavienſis* diœceſis, cuius corpus requieſcit in præ„ dicta eccleſia, & pro animabus omnium, quorum corpora requie„ ſcunt in cimiterio eccleſiæ ſupra dictæ, & pro animabus omnium „ fide-

Indulgentiis beatur.

a) Loc. cit. col. 705. b.

b) pag. 68. ubi hunc in modum:
Ich wil ew auch daz chunt tun,
Daz er waz herzogen HAINREICZ ſun,
Der der erſt Herzog waz
In *Oſterreich*, alz ich daz laz,
Und noch heut zu den *Schotten* iſt begraben,
Sein Schein in einem ſtein erhaben,
Der mitten in dem münſter ſtat,
Sein grab man dikh geſehen hat.

„ fidelium defunctorum, orationem Dominicam, cum ſalutatione „ Angelica, quotiescunque, & quandocunque, pia mente dixerint.„ Quod quidem, cum gratitudinem virorum illorum Religioſorum erga fundatorem ſuum luculenter demonſtret, prætereundum haud videbatur.

Genus, a

VI. Genus mortis fere in incerto cubat. DUBRAVIUS a) fide aliorum refert, illum a SOBIESLAO, *Bohemiæ* Duce, unacum *Znoymæ* Marchione, cui contra HENRICUM auxilium tulerat, *Auſtriam* devaſtante, prœlio victum, ac fugam ſeorſim capeſſentem, rupto ſub pedibus equi ponte ſublicio, fracto crure, tertia poſt die morti victimam ceſſiſſe. Verum cum SOBIESLAI in *Auſtriam* irruptio in æſtatem anni 1176. incidat, HENRICUS autem annum ſequentem adhuc attigerit: merito præferimus auctoritatem ORTILONIS b) æquævi, dicentis: „ MCLXXVII. HAINRICUS, Dux *Auſtriæ*, obiit, equo „ lapſus, & in fundatione ſua monaſterii *Scotorum Wiennæ* requieſcit.„ Res circumſtantes plures addit HASELBACHIUS. c) „ Idus *Ianuarii*, „ (ait) in oppido *Wiennæ* obiit, & ibidem in monaſterio Beatiſſimæ „ DEI genitricis MARIÆ, & S. GREGORII Papæ, quod ipſe fun„ daverat, decimo octavo Cal. *Februarii* in medio Eccleſiæ ſepeli„ tur an. 1177. Quem quidem per caſum de equo, in quadam „ glacie, in qua incaute curſum agitaverat, aſſerunt, ſic lethaliter „ offenſum, aut alias in ſolatiis, cum ſuis militibus habitis.„

b

c

Et epocha mortis an. 1177. XIII. *Ianuar.*

VII. Annus, & dies obitus haud paullo certior eſt. Nam etſi nonnulli cum BIRCKENIO, an. 1172. diem vero primum *Februarii* deſignent: maior tamen haud dubie fides eſt mox allegati ORTILONIS, HASELBACHII, & chronici tam *Admontenſis*, quam *Cl-Neoburgenſis*, ubi annus 1177. conſtanter legitur: quibus addi poſſent ARENPECKIUS, & SUNTHEMIUS. Necrologia præterea *Scotorum Wiennæ*, & *Cl-Neoburg.* de Idibus *Ianuarii* conveniunt. Quibus, ut vidimus, HASELBAGHIUS in adducto loco adſtipulatur, adiiciens inſuper: ſepulturam XVIII. Kalendas *Februarii*, tertio nempe poſt obitum die, ſuſceptam fuiſſe.

GERTRUDIS, primæ HENRICI uxoris, locus ſepulturæ dubius.

d

VIII. Ex binis HENRICI II. coniugibus priori, GERTRUDE nomine, LOTHARII II. Imp. filia, ac proſcripti HENRICI *Superbi*, *Bavariæ*, & *Saxoniæ* Ducis vidua, dubium eſt, quo in loco requieſcat. Enimvero teſte ARNOLDO, Abbate *Lubecenſi*: d) „ Dux (HENRI„ CUS LEO) -- proceſſit in regnum *Orientale*, ad Vitricum ſuum, no„ bilem Ducem HENRICUM. Qui totus feſtinus occurrit in caſtro *Nu„ enburg* (Præpoſitura *Cl-Neoburg.*) cum maximo Cleri, plebisque tri„ pudio, ubi mater eius Domina GERTRUDIS memorabilem ſortita eſt „ ſepul-

a) Rer. *Bohem.* lib. XIII. p. m. 105. edit. *Freher.*
b) Loc. cit. p. 1288. Notul. poſterior.
c) Loc. cit. col. 711. b.
d) Scriptor. rer. *Brunſuicenſ.* LEIBNITII tom. II. p. 631.

„ſepulturam.„ Eidem fere conſentiunt chronicon *Luneburgicum*, a) quod illam in itinere *Bavariam* verſus conſtitutam, ex difficultate partus obiiſſe, & *Conradus* BOTHO, b) qui eam in *Auſtria* humatam fuiſſe, diſerte teſtatur. Verum enimvero diſſentit cum hiſce chronica Regia S. PANTALEONIS, c) cuius verba ad an. MCXLIII. ſunt hæc: „Domina GERTRUD -- coniux HENRICI, fratris Regis, ob „difficultatem partus diem clauſit extremum, & apud patrem, & „matrem, & priorem coniugem ſuum HENRICUM, cum mœrore „totius *Saxoniæ* ſepelitur apud LUTHERON.„ Clar. HANTHALERUS, his expenſis, in eam opinionem propendet, ut pro *Auſtria* ſtandum exiſtimet. Nobis coniectura placet *Calleſiana*, qua eam fors *Neoburgi* in *Auſtria* terræ primum concreditam fuiſſe putat, tum vero ab HENRICO *Leone* filio, *Lutheram* translatam. Chronica certe Regia S. PANTALEONIS, ceteris documentis vetuſtior, quin coæva, aut, ſi minimum, ſuppar; utpote in anno 1162. finiens, præponderare videtur. Adde Scriptorum *Auſtriacorum*, *Cl-Neoburgenſium* præſertim, ſilentium. a

IX. Minor ſeſe difficultas exſerit quoad obitus æram. Nam etſi laudatus BOTHO id ad an. 1146. referat, de anno tamen 1143. ſatis conveniunt chronicon *Mellicenſe*, chronicon auctoris incerti, nec non & *Zwetlenſe*, ap. ſæpe laudatum PEZIUM. RIKARDUM *Neoburgenſem* ſane, GERTRUDIS morti an. MCXLII. aſſignantem, de anno etiam ſequenti accipiendum eſſe, ex hoc colligitur: quod eam *anno altero*, poſt nuptias nempe, quas anno 1142. celebratas fuiſſe, auctores mox excitati, uno ore tradunt, obiiſſe ſcribat. d) Quoad diem differunt Necrologium *Mellicenſe*, quod XII. & *Cl-Neoburgenſe*, quod XIV. Kal. *Maii* conſignat, exiguo quidem diſcrimine, quorum tamen alterum fortaſſis de die ſupremo, alterum de ſepultura, ut exempla non deſunt, intelligi debet. At mortis epocha certior. 1143. b c d

X. Alteram HENRICI Ducis uxorem, THEODORAM, MANUELIS, *Græcorum* Imp. filiam, an. 1149. ductam, apud maritum in laudata *Scotenſi* Abbatia ſepultam fuiſſe, cum SUNTHEMIO e) ARENPECKIUS f) his verbis docet: „Domina autem THEODORA, vidua „ſua, diem obiit anno Chriſti 1182. Similiter Domina AGNES, filia „eorum. Ambæ ſepultæ ſunt apud dictum Ducem HEINRICUM fe„licis recordationis apud *Scotos*.„ Annum 1182. conſignat quoque chro- THEODORA, altera eius uxor, apud maritum humata 1184. e f

a) Scriptor *rer. Germ.* ECCARDI tom. I. col. 1378. „Darna quam de Koning oc to *Brun„neſwic*, dar werd he herrlike untfangen „ván der Hertoginne GERTRUDE, di ſtarf „darna ſchere mit eneme Kinde upeme we„ge, do ſi wolde varen to *Baieren*.„

b) Chronic. *Brunſuic.* picturat. dialecto *Saxonica* conſcript. apud eundem LEIBNIT. tom. III. p. 344. ad an. 1146. „In duſſem jare „ſtarff GERTRUDIS in dem Kindelbedde, „Hertoghen HINRIKES fruwe to *Oſterik*, „unde warde in *Oſterik* begraven, dat war „Hertoghen HINRIKES moder des LAU„WEN.„ HENRICI nempe *Leonis*.

c) Apud cit. ECCARD. col. 931.

d) Loc. cit. p. 1311. *Prima eius* (HENRICI) *uxor*, GERTRUDIS, *an.* MCXLII. *anno altero obiit in partu.*

e) Col. 1014. d.

f) Col. 1198. a.

a chronicon *Zwetlenſe*, a Doctiſſ. P. *Hier.* PEZIO a) editum. At aliud b eiusdem nominis, a Reverendiſſimo LINCKIO b) excitatum, ad an. 1184. hæc habet: „THEODORA, nobiliſſima Duciſſa *Auſtriæ*, uxor „pii Ducis HEINRICI, obiit IIII. Non. *Ianuar.*„ Cum eodem facit c d chronicon *Cl-Neoburgenſe*, c) & *Auſtrale Freherianum.* d) Quæ quidem nobis potiora ſunt, maxime vero *Zwetlenſe* LINCKII; ut quod non niſi ad annum 1189. procedit, nec non & *Cl-Neoburgenſe*, plurimum auctoritatis habens; quanquam & *Mellicenſe*, non minus ſuſpiciendum, annum unum ſuperaddat. Cum quarto Non. *Ianuarii* conſpirat quoque Necrologium *Neoburgenſe*, *Mellicenſi* contra III. Nonas præferente, quod fortaſſis iterum de ſepultura, aut anniverſario intelligendum eſt. Equidem HOFFMANNUS, cui adſtipulatur e HANTHALERUS, e) ex diplomate *Peziano* eruiſſe ſibi videtur, Principem noſtram vitæ filum aduſque annum 1188. protaxiſſe. At f Cl. CALLESIUS f) argumentis ſat firmis oſtendit, diploma illud minime autographum, quin non uno loco mendoſum adeo eſſe; ut ei iure, meritoque fides denegetur.

Nec non & filia AGNES, eodem anno.

XI. Parem ſepulturæ locum ſortitam fuiſſe AGNETEM, HENRICI, & THEODORÆ filiam, iisdem Auctoribus, SUNTHEMIO nimirum, & ARENPECKIO tenemus. Illam, quæ STEPHANO III. *Hungariæ* Regi, an. 1167. g) in matrimonium elocata, orbata viro, in g *Auſtriam*, ut videtur, rediit, pia ibi morte exceſſura. Quo anno? pro incerto habetur apud Scriptores rerum *Auſtriacarum* noviſſimos, HANTHALERUM, & CALLESIUM: at ſi ARENPECKIO, poſt SUNTHEMIUM, fides, eodem, quo & mater eius, ut ex illius verbis, paullo ſupra productis, haud obſcure intelligimus.

CAPUT VIII.

DUCIS LEOPOLDI GLORIOSI, EIUSQUE FILIÆ MARGARITHÆ TUMULI, IN ABBATIA CAMPILILIENSI, LOCIQUE SEPULCRALES CETERORUM IPSIUS LIBERORUM.

§. I.

Origines *Lilienveldenſes*, eoque iter ſuſceptum.

Celebris in *Auſtria* Inferiori Abbatia Sacri Ordinis *Ciſtercienſis*, *Lilienvelda*, ſeu *Campus Liliorum* nomine, aliquibus etiam Ducum *Auſtriæ* funeribus, ibi reconditis, amplius celebratur. Auctor, ſeu fundator illius erat LEOPOLDUS VII. cognomento *Glorioſus*, ſeu *Honorificus*, ſub an. MCCI. quam epocham *Faſtorum Campililienſium* conditor Doctiſſimus, nobisque ſæpe laudatus P. *Chry-*

a) Scriptor. rer. *Auſtr.* tom. I. col. 975. c.
b) Annal. *Auſtrio-Claravall.* tom. I. p. 211.
c) Col. 447. c.
d) Tom. I. p. 447.
e) Elog. VIII. p. 388. num. VIII.
f) Loc. cit. P. II. Lib. II. p. 72. not. c.
g) Teſte auctore incerto in appendice ad RADEVICUM ap. *Urſtiſ.* p. 559.

Chryſoſtomus HANTHALER a) ſtatuit, quanquam lapis operi angularis anno primum ſequenti, die vero X. *Aprilis* ab eodem Principe, teſte ſuperius memorato ORTILONE, poſitus fuerit. Nomen a Nobilibus de *Lilienveld*, vallis illius, & caſtri, nunc in ruinis iacentis, Dominis accepit, quod, etſi Sereniſſ. conditor in primis fundationis litteris, an. MCCIX. promulgatis, in titulum *Vallis Beatæ Virginis* mutaverit, etiamnum tamen conſervat. Ipſi nos anno 1739. X. Kal. *Iulii* in hoc monaſterium contulimus, ubi a Reverendiſſimo D. Abbate, & cœtu Religioſorum liberaliter accepti, præſertim etiam gaviſi ſumus, R. P. *Chryſoſtomi* HANTHALERI, viri pereruditi, & laboris indefeſſi, Annales tum monaſterii typis parantis, colloquio frui. a

II. In medio hic chori, ante ſummum altare, vario marmore excitatus conſpicitur tumulus, pedes octo, & quatuor, cum dimidio pollice longus, quatuor pedes, totidemque pollices largus, tres pedes, & quinque pollices altus. Clauduntur in eo oſſa Fundatoris: ceterum figuris deſtitutus, inſcriptione inſuper, & inſignibus caret. Annexæ quidem ſunt, hinc inde ad latera eiusdem inſcripturæ duæ, in membranis exaratæ, latina altera, altera vernacula lingua, cauſſas condendi monaſterii exponentes. Verum cum mendis, & erroribus immunes haud ſint, nec proxime elapſo ſeculo ſuperiores, ab iis manum abſtinendam duximus. Proxime monumentum iacet tabula marmorea, rubri coloris, pavimento æquata, quæ oſtium ſepulcri claudens, brevem hunc litteris antiquis, in ſchemate noſtro expreſſis, oſtendit titulum: HIC APPERITUR SEPULTURA. Ubi ſepulcrum LEOPOLDI VII. Duc. *Auſtr.* TAB. VII.

III. Hoc monumentum non longe poſt exceſſum Ducis collocatum fuiſſe, cum ex ſtructuræ genere, tum vero præcipue ex ORTILONIS verbis comperimus, b) aſſerentis: ſe, dum eidem (Duci fundatori) tumulus *marmoreus*, *& carmen mortuale præparatur*, calamo depoſito, ætate, ac viribus fractum, ſepulcrum ſuum cogitare. Nobis præſentibus apertum haud fuit, cum id paullo, ante noſtrum adventum, prædicti anni menſe *Aprili*, a monaſterii incolis factum ſit, exploraturis, verumne ſepulcrum eſſet, an cenotaphium duntaxat? ut, ſi hoc ultimum foret, novum altare ſupremum, mutato tumuli loco, commode conſtitueretur. Verum, cum oſſa Conditoris ibi reperta ſint, nefas viſum eſt, ea perturbare. Patefacientibus autem occurrebat ſcala parva, ad cryptam ſubterraneam ducens, cuius fornix aliquantum ſupra pavimentum aſcendens, dorſum fere, ſive operimentum tumuli contigit. Arca funerea in hoc ſepulcro ſtabat intacta, ligno craſſiori *Italico*, non dedolato, in qua oſſa cadaveris naturali ſitu cubabant. Nonnulli aperturæ præſentes, calvam nigro quodam pannario obtectam conſpicati, funus cucullo *Benedictino* adornatum, in eoque habitu ex *Italia*, ubi eundem obiiſſe, mox dicemus, Eius antiquitas, ac apertura. b

trans-

a) Decad. I. §. III. num. XV. & XVI. p. 568. b) De exordio *Campililii* p. 1307.

Tab. VII. transvectum fuiſſe, coniectabant, laudato contra HANTHALERO non cucullum monaſticum, ſed aromata fuiſſe, iudicante. Verum *Itali* cadaver LEOPOLDI in partes, ut mox videbimus, ſectum, decocta carne, depoſitisque in monaſterio *Caſinenſi* inteſtinis, non niſi oſſa nuda ſepulcro *Lilienveldenſi* reliquerunt. Quamobrem ſic macerata, ac denudata oſſa, vix amplius uncta fuiſſe, ſeu aromatibus conſperſa exiſtimamus. Propius fidem videtur, ea velamina fuiſſe textilium, & faſciarum, quibus oſſa, in transvectione non labefactanda, continerentur. Nam eam curam transmittendis funeribus nonnunquam adhibitam fuiſſe, cryptæ demonſtrant ſepulcrales *Kœnigsveldenſis*, & *Vindobonenſis*, de quibus infra. Ceterum in ſolio Ducis noſtri nec gladius, nec lamina litterata, nec aliud quidquam monumenti repertum fuit.

Inteſtina, cum carne LEOPOLDI in monte *Caſino* ſepulta, a

IV. Epitaphiorum defectum ſæpe memoratus ORTILO abunde compenſat, tam hiſtoriam mortis eius, quam & funeralium, ſat perſpicue referens. Qui cum coævus, inſuper funerationi præſens ipſe adfuerit, hic loci omnino audiendus erit, ſi prius in memoriam reducere dignetur L. B. quod alias a) retulimus, opera præcipue LEOPOLDI noſtri pacem, & amicitiam GREGORIUM IX. Papam inter, ac FRIDERICUM II. Imp. reſtitutam fuiſſe, cuius conciliandæ gratia idem in *Italiam* abierat. Poſt hæc, ut ad annum MCCXXX. proſequitur ille, „ infirmatus in *S. Germano* in *Apulia*, propter inſuetum aerem -- „ ad extrema cum omnium luctu pervenit. - - Deinde vitam bo„ nam bono fine concludens, prompte redivit ad creatorem ſuum „ V. Kl. *Auguſt*. - - Voluit, cor ſuum, & viſcera requieſcere in tem„ plo S. Patris noſtri BENEDICTI, cuius filios omni tempore dile„ xit: oſſa vero apud nos in monaſterio ſuo. Propter hoc viſcera „ eius, & carnes frixas, ut oſſa ſeparari poſſent, in dicto *Monte Caſino* „ ſepulta ſunt, -- ſed oſſa Miniſteriales Ducis triſtes, & flentes in *Au„ ſtriam* ſuam reduxerunt.„ Concordant cum hoc die, anno, & loco
b Scriptores reliqui, ac præſertim RICHARDUS a S. *Germano*, b) ad annum 1230. „ LIMBULDUS, Dux *Auſtriæ*, & *Stiriæ* (ait) die Do„ minico, in feſto Sanctorum NAZARII & CELSI, apud *Sanctum* „ GERMANUM naturali morte defecit, cuius oſſa delata ſunt more „ *Theutonico* in *Theutoniam*, & caro apud CASINUM cum honori„ ficentia tumulata. „ Sepulturæ locum propius definit GODEFRIDUS
c *Colonienſis*, c) illius *viſcera, & carnes, in Capitulo S.* BENEDICTI *montis Caſinenſis* tumulata fuiſſe, memorans.

V.

a) Pinacoth. *Auſtr.* P. I. proleg. II. §. XXVII. p. XXVIII.

b) Scriptor. rer. *Italicar.* MURATOR. tom. VII. col. 1022. b. & apud UGHELL. *Ital. Sacr.* tom. X. inter Anecdot. col. m. 218.

c) Scriptor. rer. *Germ.* FREHERI tom. I. p. 398. HASELBACHIUS col. 716. d. locum obitus eius urbem *Neopolitanam* conſtituit, reclamantibus uno ore Chronographis ceteris, maximam partem coævis, aut illo ſaltem multo vetuſtioribus.

V. Quanto publico cum luctu, quantaque præter EBERHARDUM, Archiantiſtitem *Salisburgenſem*, Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, Comitum, Baronum, populique frequentia, oſſa eius ultimo *Novembris Campililii in presbyterio ad cryptam - - in locum quietis ſuæ repoſita* fuerint, aliquanto fuſius enarrat ſæpe laudatus ORTILO, cui cum nemo, quoad ſciamus, antiquorum contraveniat, nihil addendum duximus. Ad ſupplendum tamen epitaphium has de rebus Principis cum HANTHALERO ſtatuimus epochas. Natus cum ſit XV. *Octobris* an. 1176. die vero XXVIII. *Iulii* 1230. denatus, conſequens eſt, eum annos vitæ tres, & quinquaginta, menſes novem, dies autem tredecim abſolviſſe. *Styriæ* a morte patris, quæ die poſtremo an. 1194. obtigit, annis quinque, & triginta, menſibus ſeptem, *Auſtriæ* vero a morte fratris, medio *Aprili* 1198. eveniente, annis duobus, & triginta, menſibus tribus præfuit. Tab. VII. Oſſa *Campililii*, an. 1230. ult. *Novemb.*

VI. Alter tumulus, tabula VII. loco ſecundo viſendus, ad MARGARITHAM, ſeu MARGARETAM, prælaudati LEOPOLDI filiam, pertinet. Hæc anno 1205. X. *Aprilis* in lucem edita, 1225. HENRICO VII. R. R. FRIDERICI II. Imp. filio, nuptui tradita, ac biennio poſt coronata, eo in carcere defuncto, OTTOCARO, *Bohemiæ* Regis filio, an. 1252. obveniens, ab anno 1261. repudiata fuit. Extat in periſtilio templi *Campilienſis* tumulus lapideus, forma plutei devectus, inſcriptione & figuris deſtitutus. At ſiniſtrorſum inde, altitudine quaſi quinque pedum, in pila conſpicitur inſcriptio, cuius in tabula noſtra exemplum vides, forma litterarum archetypi expreſſum. Super hanc inſcriptionem ſuſpenſa eſt membrana, regulis incluſa, nomina notans Epiſcoporum, nec non ceremonias, in prima dedicatione templi adhibitas. Inſuper in pila lapidi inſculpta legitur epocha fundati templi, & monaſterii, his verbis: Tumulus MARGARITHÆ, eius filiæ. Ibid.

ANNO DOMINI MCCII. IV. IDUS
MARTII FVNDATA EST HEC DOMVS.

VII. Epitaphium ipſum manifeſte docet: *anno Domini MCCLXVII. V. Kalend. Novembris, obiiſſe Dominam* MARGARETAM, *quondam Romanorum, & Bohemorum glorioſam Reginam, filiam fundatoris noſtri* (Campililii) *& hic ſepultam.* Cum epitaphio quoque faciunt Annales, ac præſertim PERNOLDUS, lucubrationem ſuam cum morte Reginæ claudens. Quare emendandus venit CZERWENCKA, a) qui auctoritate BROWERI, deſultorie tamen, ut videtur, lecti, motus, MARGARETAM, poſtquam ab OTTOCARO reiecta fuiſſet, deſiderio progenitorum ſuorum, quorum aliqui *Treveris* ſepulti iacent, ibidem in monaſterio B. CATHARINÆ, S. DOMINICI *inſtitutum amplexam*, & in eodem vivere deſiiſſe. Verum BROWERUS hoc non dicit: vult duntaxat, id ante ſecundas cum OTTOCARO nuptias factum, tumque primum S. Pontificis imperio monaſterio detractam Ac epitaphium, a

a) Piet. *Auſtr.* lib. II. cap. I. p. 224.

TAB. VII. tractam, nuptamque, ſed poſtmodum repudiatam, mœrore conſumptam fuiſſe. a) Sed & hic tamen correctione opus eſt, ex PERNOLDO b) afferenda, diſerte teſtante, MARGARETAM monaſticum inſtitutum nunquam acceptaſſe; quanquam OTTOCARUS, ut repudio colorem induceret, id deinde commentus fuerit.

Et mortis genus. VIII. Mortis genus in dubio verſatur; pluribus illam veneno, ab OTTOCARO propinato, aliis naturali morte extinctam fuiſſe memorantibus. *Thomas* HASELBACHIUS c) „MARGARETA (inquit) ſe„dit diu private in *Crembs*, donec hauſto veneno, vitam finivit, & „in *Campo-liliorum* cum patre ſepelitur.„ Eidem ſubſcribunt tabulæ *Cl-Neoburgenſes*, d) ARENPECKIUS, e) HORNECK, f) Continuator MARTINI *Poloni*, g) qui omnes hauſti veneni mentionem faciunt. Verum his dubium inducit PERNOLDI ſilentium, h) mortis circumſtantias Reginæ hoc modo referentis: „OTTACARUS - - auſus „eſt facere (ait) quod diu iam animo coxit, & Dominam MARGA„RETAM, cuius oderat ſenectutem, ſua voluntate, ſine auctoritate „Eccleſiæ, repudiavit, non ſolum conqueſtus de ſterilitate eius, ſed „etiam falſo ſpargens in vulgus, quod certe iam ſciret, eam eſſe Mo„nialem profeſſam. Iuſſit eam ſedere in *Crembis*, i) deditque ei ca„ſtrum *Chrumpenawe*, villam *Grevenperch*, & alia. - - Afflicta „Regina, cum honeſta tamen Curia vixit uſque ad an. MCCLXVII. „ubi V. Kl. *Novembris* pie obiit, ſepulta in monaſterio *Lilienvelt*, „griſeorum monachorum.„ Siluiſſe PERNOLDUM rem adeo execrabilem, etſi vivente etiamnum, atque *Auſtriam* uſurpante OTTOCARO, mirum ob illius metum, haud ſit: fatendum tamen, in iſtiusmodi caſibus non ultimas partes ſibi ut plurimum vendicare rumorem, qui cum ſæpe incertus ſit, certi aliquid vel hic etiam ſtatuere prohibet.

IX.

a) Annal. *Trever.* tom. II. p. 164. ad an. 1278.

b) Loc. cit. p. 1319. „Hanc autem (ait) FRI„DERICUS Imperator, poſtquam eius ma„ritum Regem, & duos filios in carcere „perire fecit, non dimiſerat ex *Apulia* (quo „migrare, iuſſa fuerat) quamdiu fratri eius „FRIDERICO inimicus fuit: ne ſuo fletu, „& obſecratione, quosdam Principes in „eius auxilium commoveret. Sed anno „MCCXLV. cum ſuis theſauris, multisque „donis dimiſſa, intravit in *Germaniam.* Et „licet ubique cum honore excepta, quia „tamen ex tantis malis ſuis magnum glo„riæ humanæ tœdium concepit, & omnia „in *Auſtria* eſſe inquieta, audivit, ac in„ſuper pia Domina erat; ad monaſterium „Monialium Sanctæ CATHARINÆ Ordinis „Beati DOMINICI apud *Trevirim* receſſit, „*non Monialis facta, nec Ordinem profeſſa,* „*ſed in domo ſancta pie, & quiete victura.* „Hæc PERNOLDUS, ipſi Reginæ a ſacris. Quam veritatem pluribus evincit HANTHALERUS Decad. VII. §. I. num. V. ſeqq. p. 1005. & poſt eum CALLESIUS Annal. *Auſtr.* tom. II. lib. VI. p. 448.

c) Col. 731. b.

d) Col. 1041. a.

e) Col. 1222. a.

f) Cap. LXXIX. pag. 92. ubi hæc:

Dew Kunigin MARGRET
Daz ſew der Kunig verchoren het,
Und jrs Eribs ſew verſtiezz,
Daz Chremſſs er ſew ſiczen liez
Mit ungemach, und mit Not:
Und do ſy nicht wolt ligen tod,
Wann jn deucht ze lang ir leben,
Do hiez er jr vergeben.

g) Corp. hiſt. med. ævi *Eccardian.* T. I. col. 1423.

h) PERNOLDI ſilentium imitatur chronicon *Mellicenſe* col. 242. a. *Zwetlenſe*, & nonnulla alia eiusmodi monumenta apud LINCKIUM, nec non & HASELBACHIUS col. 731. b.

i) Non tamen ſine auctoritate aliqua fuiſſe, patet ex diplomate, monaſterio *Zwetlenſi* an. 1264. tradito, quod in Auctuario diplomatum P. II. ſuo loco vulgamus.

IX. E regione memorati modo ſepulcri a cornu Epiſtolæ, una pilarum chori aliam inſcriptionem oſtendit, litteris item *Gothicis* efformatam, qua continetur epitaphium FRIDERICI *Bellicoſi*, cuius tamen infra nullum aliud monumentum apparebat. Sed ea ſcriptura, poſtmodum expuncta, hodie non amplius cernitur, monachis nempe, noſtræ ætati vicinioribus, animadvertentibus, quod erat: FRIDERICUM nimirum non apud ſe, ſed in Abbatia *S. Crucis* ſepultum. Quod quidem ideo hic monendum duximus, ut oſtendamus: non omnibus ubique epitaphiis, utut ſæpe vetuſtatem præferentibus, ſine prævia diſcuſſione fidendum eſſe. Tab. VII. Aliud epitaphium ſuppoſititium.

X. Inter LEOPOLDI VII. filias ſecundo loco nata erat AGNES, qua de cum parci admodum ſint Scriptores, iam alibi a) omnia diximus, quæ de ea dicenda ſuppetebant: natam videlicet anno 1206. XIX. *Iulii*, ante annum 1248. valedixiſſe mundo; eo quod eod. anno, cum relictum ſibi a parentibus inter ſe herciſcerentur theſaurum ſorores, nulla de ea amplius mentio fiat. Diem XXIX. *Auguſti* eidem ultimum fuiſſe, ex Necrologio *Cl-Neoburgenſi* comperimus. Sepulturæ locus nondum detectus fuit. Agnetis Leopoldi filiæ ſecundæ, fata. a

XI. Tertio loco CONSTANTIA numeranda, de cuius rebus eodem loco nonnulla retulimus. Quod autem ad ſepulturæ locum attinet, *Paulus Martinus* SAGITTARIUS b) docet: eam in *Cella Veteri* ad *Muldam Freibergenſem*, ab OTTONE *Divite*, Marchione *Miſniæ*, anno 1164. exſtructa, ad latus HENRICI III. Ducis, mariti eius, cubare. Erat hoc monaſterium Ord. *Ciſterc.* tribus milliaribus a *Freiberga Miſniæ* diſtans. Multi ibi Duces ſuam nacti ſunt ſepulturam. At an. 1676. templo monaſterii labente, IOANNES GEORGIUS II. Elector, progenitorum ſuorum reliquias in excitatam a ſe capellam transferri curavit. Annales *Vetero-Cellenſes*, c) unacum chronico eiusdem nominis minori, d) mortem eius cum anno 1244. componunt, ſequaces nacti recentiores quosdam, non infimæ auctoritatis. e) Sed, ut loco citato diximus, potior nobis eſt *Samuelis* REYHERI, & *Ant.* STEYERERI auctoritas, *Non. Iulii* an. 1262. computantium. Accedit mox laud. SAGITTARIUS, ibidem hoc nomine ALBINUM quoque, qui annum 1242. voluit, emendans. f) Constantiæ, ordine tertiæ, b c d e f

XII. GERTRUDIS, filiarum quarta, in hanc lucem, teſte ORTILONE, anno 1214. VII. *Ianuarii* edita, ac ſubinde, id eſt, 1239. mengen Nec non Gertrudis, filiæ quartæ,

a) Pinacoth. *Auſtr.* P. I. proleg. II. §. XLV. p. XXXV. ſeq.
b) Scriptor rer. *Saxonic.* MENCKENII tom. II. col. 799. b.
c) Ibid. col. 405. d.
d) Ib. col. 440. a.
e) FABRIC. orig. *Saxon.* p. 576. WECKEN deſcript. civitat. *Dreſdenſis* pag. 401. SCHLEGEL. de *Veteri Cella* §. XXXVII. p. 48.
f) PERNOLDUS ad an. 1251. „ cum obiret „ HERMANNUS (*Badenſis* nimirum, ait) „ Domina GERTRUDIS, uxor eius, propter „ tumultus in *Auſtria*, cum filio erat in „ *Miſnia*, apud amitam ſuam, Dominam „ CONSTANTIAM, ubi puerperium filiolæ „ egit. „ Quo igitur pacto octennio, vel ſexennio ante CONSTANTIA obiiſſe poterat?

menſe *Iunio*, HENRICO *Raſponi*, *Thuringiæ* Landgravio, enupta, vitæ curſum ante annum 1248. abſolviſſe, ideo videtur; quod de ea, haud ſecus, ac AGNETE ſorore, in dividundi theſauri negotio, eo anno ſuſcepto, altum ſileatur. Tumulus eius pariter latet.

Et reliquarum.

XIII. De FRIDERICO II. cognomine *Bellicoſo*, eiusque uxore GERTRUDE, ſeu AGNETE *Brunſuic.* ſupra cap. IV. §. XXXIX. ſeqq. p. 54. egimus. Reſtat coniux altera, SOPHIA nomine, THEODORI *Laſcaris*, *Græcorum* Imperatoris, filia, quæ cum anno 1226. ducta, triennio autem poſt repudiata fuerit, exiguam ſui nominis poſt ſe reliquit memoriam, humationis etiam loco, unacum mortis tempore, oblivione ſepulto. Similem divortii fortunam AGNES, OTTONIS, *Meraniæ* Ducis filia, experta eſt. Unde cum de ſepultura eius tantundem conſtet, L. B. ad dicta in Pinacotheca noſtra remittimus. Ibidem de GRRTRUDE, HENRICI V. cognomento *Crudelis*, filia, ut & de HERMANNO *Badenſi*, eius coniuge, qui an. 1250. IV. *Oct.* obiit, *Cl-Neoburgi* ſepultus, a) actum quoque eſt. Hic modo addendum: eam a tertio ſuo marito, ROMANO nomine, deſertam, ac poſtmodum etiam *Iudenburgo* exactam, in *Miſniam* denique profugam, inter ſacras DEO virgines, in cœnobio quodam, a Scriptoribus haud expreſſo, ad plures abiiſſe. „ Etiam Dominam GERTRUDEM ſupra di„ ctam (ait HASELBACHIUS, de OTTOCARO, Rege *Bohemiæ* agens) „ de *Stiria* eiecit, quæ tandem exul in *Miſniam* ad quoddam mona„ ſterium convolavit, ibique ad vitæ ſuæ terminum permanſit. b) „ De ea *Cl. P. Leop.* FISCHER c) hæc habet: „ GERTRUDIS HEN„ RICI *Crudelis* filia - - *Miſniæ* mortua eſt anno 1261. in monaſte„ rio, quod ingreſſa fuit, & ſepulta. „

a

b

c

Friderici, Gertrudis, ex Hermanno *Badenſ.* filii, fata, & epitaphium.

XIV. GERTRUDIS *Auſtriacæ* filius erat FRIDERICUS, ex patre HERMANNO *Badenſi*, anno 1249. procreatus. Is, quanquam nec ipſe, nec eius pater ab Optimatibus pro Principe *Auſtriæ* univerſim agnitus fuerit, a rerum tamen *Auſtriacarum* ruſpatoribus omitti haud ſolet. CONRADUM, ſeu CONRADINUM, FRIDERICI II. Imp. ex CONRADO IV. Rom. Rege nepotem, an. 1268. in *Italiam*, pro recuperando regno *Siciliæ*, comitatus, acceptaque clade, e fuga unacum ſocio retractus, anno ſequenti, die vero VI. Kalend. *Novembris*, (laudatus P. FISCHER 29. *Octobr.* loc. cit. ponit) parem cum eo vitæ finem, capitis abſciſſione, tulit. Corpora eorum eo ipſo, quo cæſi ſunt, loco, tumultuario acervo lapidum contecta, poſtea vero in ædicula, Sanctis ELIGIO, & MARTINO ſacra, ſepulcro cohoneſtata fuere. d)

d

Multo

a) PERNOLDUS, ſupra laudatus, ad an. 1250. „ Hoc anno Marchio *Badenſis* - - obiit cum „ initio menſis *Octobris*. „ Chron. *Auguſtanum*, ut & Necrologia *Cl- Neoburg.* & *Scotorum Vindob.* IV. Non. *Octob.* ponunt. Chron. *Auſtral.* ad eund. an. „ HERMAN„ NUS Marchio obiit, in *Niwenburga* ſepe„ litur. „

b) Loc. cit. col. 729. Similia habet ARENPECKIUS col. 1218. & HAGENUS col. 1077. add. HORNECK. cap. LVI. pag. 69. ſeq.

c) Loc. cit. p. 10.

d) Teſte RICOBALDO *Ferrarienſi* Hiſtor. Impp. apud MURATOR. rer. *Ital.* tom. IX. col. 138. & apud ECCARD. *Corp. hiſtor. medii ævi* tom. I. col. 1181. Quem hac in re, etſi

Multo vero poſt tempore *Coriariorum*, quod *Neapoli* eſt, collegium epitaphium poſuit, quod ex BZOVIO truncatum adduxit *Clar.* CALLESIUS. Nos integrum textum ex SUMMONTIO a) damus: a

OSSIBUS, ET MEMORIAE
CONRADINI DE STOYFFEN, VLTIMI EX SVA PROGENIE SVEVIAE DUCIS, CONRADI ROM. REGIS F. ET FRIDERICI II. IMP. NEPOTIS, QUI CVM SICILIAE, ET APULIAE REGNA EXERCITV VALIDO, VT HEREDITARIA VINDICARE PROPOSVISSET, A CAROLO ANDEGAVIO I. HVIVS NOMINIS REGE FRANCO COEPERANI IN AGRO PALENDO VICTVS, ET DEBELLATVS EXTITIT, DENIQUE CAPTVS CVM FRIDERICO DE ASBVRCH, VLTIMO EX LINEA AVSTRIAE DVCE, ITINERIS, AC EIVSDEM FORTVNAE SOCIO, HIC CVM ALIIS (PROCH SCELVS!) A VICTORE REGE SECVRI PERCVSSVS EST.

PIVM NEAP. CORIARIORVM COLLEGIVM, HVMANARVM MISERIARVM MEMOR, LOCO IN AEDICVLAM REDACTO, ILLORVM MEMORIAM AB INTERITV CONSERVAVIT.

ubi pro nomine *Asbvrch*, vel *Habsburg*, *Baden*, vel *Auſtria*, vel utrumque, ponendum fuiſſe, nemo non videt.

XV. Idem vere eſt cum AGNETE, HERMANNI *Badenſis*, ex GERTRUDE, filia poſthuma, nata anno 1250. b) ducta vero ab ULRICO, Duce *Carinthiæ* an. 1263. c) nulla ex eo ſuſcepta prole. Ex marito tamen poſteriore, priori cognomine, Comite de *Heimburg*, ſeu *Heunburg*, vel, ut diplomata præferunt, *Heunenburch*, cui ab OTTOCARO Rege, in *depreſſionem generis*, ut loquuntur Annaliſtæ, d) coniuncta fuit, FRIDERICUM, & HERMANNUM, AGNES, HERMANNI *Bad.* filia, mortua 1295. II. *Ian.* b c d

cetera non raro fabuloſum, idoneum teſtem eſſe, ex iis, quæ ſubiungit, intelligimus. „ „ Hæc ego, quæ ſcripſi (ait) accepi a IOACHIMO, iudice cive regio, tunc in comitatu, & familia iam dicti GUIDONIS „ de *Sucaria*, qui his præſens, ut dixit, ſe „ hæc audiviſſe, & vidiſſe, mihi retexuit. „ Eſt hic ipſe GUIDO, qui a CAROLOO *Andegavenſi* de pœna, CONRADINO, & FRIDERICO infligenda, conſultus, abſolvendos reſpondit. Idem, ibid. „ Cadavera maris li„ tore ſunt humata modo cadaverum, pe„ lago eiectorum, nec licuit cuiquam reli„ gioſo ea cymiterio condere. - - At vero „ huius pii KARULI nutu, ſuperioris KA„ RULI filii, ſuper illorum tumulos con„ ſtructa eſt Eccleſia, quam Fratres de *Car„ melo* concelebrant. „ Add. *Ioan.* VILLANI Hiſt. Univ. lib. VII. cap. XXIX. col. 253. Errant igitur, qui factum ad an. ſequent. referunt.

a) Hiſtor. *Neapol.* tom. II. lib. III. p. 257.

b) Docet id laudatus PERNOLDUS ad an. MCCL. p. 1321.

c) Chron. *Auſtr.* ad an. 1263. Item chron. *Cl-Neoburg.* & Anonym. *Leob.* ad eund. an. HORNECK. cap. XXVII. p. 37. col. 1.

d) Anonymus *Leobienſis* l. c. col. 832. d. ad an. 1270. „ Eo anno Illuſtris Domina A„ GNES, pronepos (proneptis) Inclyti LEU„ POLDI, Ducis *Auſtriæ*, relicta ULRICI, „ Ducis *Karinthiæ*, *ad generis depreſſionem*, „ ab OTAKERO, Rege *Bohemiæ*, cuidam „ Comiti ULRICO de *Haynburg* tradita eſt „ in uxorem. „ Eadem habet chronica *Auſtralis* ad hunc annum, nec non ARENPECKIUS chron. *Auſtral.* col. 1211. c. d. Tabulæ *Cl-Neoburg.* & HORNECKIUS cap. XXVII. & XXVIII. pag. 37.

Ze chonon man di Frawen geit
Von *Hewnburg* Graf ULREICHEN &c.

a NUM, Comites *Heunburgicos* ſuſtulit, a) nec non & duas filias, quarum altera ALBERTO III. Comiti *Goritiæ* an. 1283. adpromiſſa, b) altera, MARGARETHA nomine, ULRICO, Comiti de *Pfannenberg*, in manus convenit. c) Locum ſepulturæ AGNETIS HORNECKIUS, & HAGENUS neſciri quidem ſcribunt: at in choro Fratrum Minorum *Wiennæ* quieſcere, ex appendice d) ad Necrologium illorum, diſcimus, ubi legitur: *Sepulchrum Dominæ* AGNETIS, *Comitiſſæ de* HEUMBURG, *quæ obiit an. MCCXCV.* In apochis ULRICI Com. de *Heimburg*, & dicti ULRICI, Comitis de *Pfannenberg*, quas in nota hic lit. c. allegamus, an. 1287. & 88. adhucdum vivis adnumeratur; ut adeo appendici etiam quoad epocham mortis eo tutius fidi poſſit. Secundo *Ianuarii* exceſſiſſe, teſtatur Necrologium ipſum, e) ubi hæc: „ IV. Non. (Ian.) Domina AGNES de „ *Hamburg* (*Heimburg*) Comitiſſa, hic ſepulta in choro noſtro, cu„ ius anniverſarium celebratur, quæ obiit anno Domini MCCCXLV.„ manifeſto quidem in notis chronologicis errore, ſed ex dicta appendice facile emendando.

Non erat uxor MAINHARDI IV. Comit. *Tirolenſis.*

XVI. Hæc ſatis eſſe poſſent, ad convallendam quorundam opinionem, ſcribentium: f) AGNETEM, defuncto priori coniuge ULRICO, Duci *Carinthiæ*, MAINHARDO IV. Comiti *Tirolenſi*, coniunctam fuiſſe, ex eoque coniugio prodiiſſe ELISABETHAM, ALBERTO deinde I. *Habsburgico*, futuro Rom. Regi, elocatam. Cum enim certum ſit, ULRICUM, Ducem *Carinthiæ*, non ante annum 1269. aut 70. obiiſſe, g) ac ALBERTUM matrimonium cum ELISABETHA *Tirolenſi* iam tum an. 1276. ut alibi docemus, h) iniiſſe, nemo non perſpicit, gratis hoc aſſeri. Accedunt diplomata, & chartæ, teſtes videlicet, omni exceptione maiores, quas ea propter numero haud exiguo vulgamus; ut ne id ulli deinceps Eruditorum in mentem venire queat. i) CA-

Patet id quoque ex eo, quod *Heimburgenſes* Comites, Ducum *Carinthiæ* vaſalli fuerint, ut ex diplomate, an. 1264. IV. Kal. *Aug.* ſignato, & a nobis in cit. Auctario Diplomat. ſuo loco vulgato, videre eſt: ubi ULRICUS, Dux *Carinthiæ*, ULRICUM hunc, futurum, poſt eius mortem, AGNETIS noſtræ coniugem, *dilectum fidelem ſuum* appellat.

a) Probat id charta, a nobis loc. cit. ad an. 1306. IV. *Iulii* producta.

b) Huius rei fidem facit charta anni 1283. XX. *Febr.* ſignata, & a nobis ad h. a. edita.

c) Vid. diploma eiusdem, de an. 1287. XII. *Iun.* nec non aliud an. ſeq. II. *Maii* obſignat. quæ cit. Auctar. ad hos annos proferimus.

d) Scriptor. rer. *Auſtr.* PEZII tom. II. col. 509.

e) Ibid. col. 472.

f) *Ioan. Gvil.* HOFFMANNUS l. c. p. 67. quanquam haud aſſertive, ſed ex mente duntaxat, fideque LAZII. HÜBNER. in tab. Geneal. ac non ita pridem Doct. hiſt. *Badenſis* parens, SCHOEPFLINUS, tom. I. lib. III. §. VI. p. 329.

g) Docente id PESLERO in ſerie Ducum *Carinthiæ* §. XVIII. p. 73. ſeq. Quare relictis *Henrico* STERONE p. 556. & PALTRAMO chron. *Auſtr.* ap. PEZ. tom. I. col. 717. mortem eius ad an. 1269. referentibus, fide potius chronici *Auſtral.* & *Cl-Neoburg.* ſtandum videtur, mortem eius ad annum uſque ſequentem prorogantium.

h) Cod. epiſt. *Rudolph.*

i) Vid. Auctar. noſtrum dipl. Vol. ſeq. ubi varia, quæ rem extra omnem dubitationis aleam ponunt, adducimus monumenta. His addi poteſt, quod ſæpe laudat. Illuſtr. CRONBERGIUS, loc. cit. p. 145. & 146. demonſtrando docet: MAINHARDI IV. uxorem fuiſſe ELIZABETHAM, OTTONIS *Illuſtris*, Ducis *Bavariæ*, ex AGNETE *Palatina*, filiam, ac CONRADI IV. *Rom.* Regis viduam, ductam *Monachii* an. 1259. die VI. *Octobris*, demortuam 1273. die IX. menſis eiusdem.

CAPUT IX.

TUMULUS OTTOCARI, REGIS BOHEMIÆ, AC DUCIS AUSTRIÆ, STYRIÆQUE, PRAGÆ IN TEMPLO S. VITI PALATINO CONSPICUUS.

§. I.

Monumentis *Auſtriaco-Babenberg.* OTTOCARI quoque ſepulcrum adnumerandum.

Funeribus *Auſtriaco-Babenbergicis* merito adiungimus OTTOCARI V. Regis *Bohemiæ* ſepulcrum; utpote ad quem, ſtirpe illa extincta, *Auſtria*, *Styria*que omnis, matrimoniali fœdere devoluta eſt. Nimirum cum MARGARITHA, FRIDERICI II. Ducis ſoror, vera *Auſtriæ* heres, poſt varia conſilia in nuptias tandem cum PREMIZL, ſeu OTTOCARO, *Bohemiæ* Regis filio, ac futuro Rege, ut ſupra innuimus, conſentiret, nemo unus dubitare poterat, illum tum *Auſtriam*, & quidquid illuc ſpectabat, iuſto poſſediſſe titulo. Quanquam, uxore poſtea repudiata, retenta dote, ex iuſto iniuſtus, ut ait PERNOLDUS, uſurpator evaſerit.

Quod deſcribitur. TAB. VIII.

II. In arcis igitur *Pragenſis* templo metropolitano ſacellum eſt, Orientem verſus reſpiciens, ac a dextris, ſeu ad cornu, quod vocamus, Evangelii, poſitum. Nomen illi ab Annuntiatione B. MARIÆ Virginis inditum, vulgo etiam *Sternbergicum* appellatur. Ibi dicti PRIMISLAI III. ſeu OTTOCARI Regis *Bohemiæ*, Marchionis *Moraviæ*, ac Ducis *Auſtriæ* mauſoleum cernitur. Ex albicante lapide polito, marmoris prope ſimilitudinem referente, conſtructum eſt, tribus etiam clypeis ornatum, *Bohemiæ*, *Moraviæ*, & *Auſtriæ* inſignia exhibentibus. Præcipuum autem locum occupat imago Regis coronati, latum ex mure *Pontico* patagium, ac pallium induti, ſubſtrato ſub capite pulvino. Sub pedibus leo, quaſi cubans comparet, regni, ac fortitudinis ſymbolum. Parietem, a tumulo in altum aſſurgentem, varia ornant anathemata, ex voto, ac in memoriam S. IOANNIS *Nepomuceni* Martyris, recentiori ævo appenſa, quæ quidem, ut ad rem noſtram haud pertinentia, in delineatione hac negleximus.

In eo, & RUDOLPHI Senioris, Electoris *Saxoniæ* memoria.

III. Nec tamen prætermittendum putavimus velum panſum, coloribus recens depictum, ſcutum complectens coronatum, quadripartitum. Prima area leonem *Bohemicum* refert, ſecunda aquilam *Sileſiacam*, tertia faſciam *Auſtriacam*, quarta teſſeram *Moraviæ*, & in imo digma *Luſatiæ* comparet. In apice demum prædicti veli eminet inclinatus *Saxoniæ* clypeus, lapidi inſculptus, cui incumbit caſſis, corona, & cono, cum globo inſtructa, coloribus picta. Hæc in memoriam RUDOLPHI Senioris, *Saxoniæ* Ducis, CAROLI IV. Imp. avunculi, an. 1347. addita eſſe, ſuperpoſita inſcriptio docet.

Epitaphium haud coævum,

IV. Sub hoc ſcuto OTTOCARI noſtri epitaphium legitur, docens: anno Domini MCCLXXVIII. in die Beati RUFFI obiiſſe in bello, ſeu prœlio, PRIMYZLL, ſive PRIMISLAUM, qui & OTTO-

TAB. VIII. CARUS, Regem *Bohemiæ* quintum, Marchionem *Moraviæ*, *Auſtriæ*, & *Styriæ* Ducem, *Carniolæ*, *Portus Naonis*, & *Ægræ* (quæ vox non ſatis accurate expreſſa eſt a chalcographro) terrarum Dominum hicque ſepultum eſſe. Recentiori hæc itidem manu ſcripta ſunt, charactere tamen nigri coloris veterem formam imitante. Unde ſuſpicio nobis oboritur, illud imperante FERDINANDO III. Cæſare, cum templum iſthoc palatinum novam induit faciem, vel cum corpus S. IOANNIS *Nepomuceni* ſepulcro exemptum fuit, renovatum fuiſſe. Eo ſiquidem tempore ſacellum hoc, cum aliis locis vicinis, picturis, vitam, & res geſtas, albo Sanctorum recens adſcripti Divi Martyris repræſentantibus, ornabatur. Id demum certum, & indubitatum, epitaphium non ante annum 1347. poſitum eſſe; ut cuius litteræ eandem cum ſuperiori inſcriptione, ante eundem annum haud facta, formam præſeferunt.

Uti nec ſepulcrum ipſum. V. Huc facit cum mortis, tum ſepulturæ eius hiſtoria, a Scriptoribus fide dignis, litteris conſignata. Nimirum in decretoria cum RUDOLPHO I. pugna, qua OTTOCARUS, a ſuis turpiter deſertus, occubuit, cadaver eius, ſeptendecim vulneribus fœdatum, ac demum inventum, non *Pragam*, ſed *Marcheggium* oppidum, non multo antea a ſe conditum delatum fuit. Inde vero *Wiennam* deportatum, & apud *Scotenſes Benedictinos* depoſitum, altera die, ingenti quidem utriusque ordinis hominum comitatu, ſed cantu eccleſiaſtico nullo, nullo etiam æris campani ſonitu, nec Sacerdotibus cœleſtem pro eo hoſtiam immolantibus, aut ſolemnes preces fundentibus, ſed triſti ſilentio (quippe quod defunctus anathemate Pontificio innodatus eſſet) ad monaſterium Fratrum *Minorum*, cui a *S. Cruce* nomen, tumulandus deducitur, corpore tamen, ut ne ulli de eius morte dubium enaſci poſſet, denudata facie, omnium oculis expoſito. Poſtea vero eiectis, &, ut PALTRAMUS ſcribit, a) *innollatis* viſceribus pollinctum, ac byſſo, ac purpura, dono ab ANNA Imperatrice datis, amictum, terræ concreditum fuit. Sed neque hic diu permanens, ſeptimo menſe, *Bohemis* poſtulantibus, *Znoimam Moraviæ* devectum, & in monaſterio Fratrum eiusdem Ordinis conditum, cum ibi octo ſupra decem annos conquieſſet, clanculo ablatum, *Pragæ*, ut ait BALBINUS, ad S. FRANCISCUM depoſitum, tandemque, procurante filio WENCESLAO, in æde S. VITI metropolitana, honorifico, eodemque, quod hic exhibemus, lapideo tumulo exceptum eſt.

a) PALTRAMUS, Conſul *Vindobonenſis*, de quo in Codice noſtro Epiſtolari *Rudolphino* agimus, inter Scriptores rer. *Auſtr. Pezianos* tom. I. col. 719. c. d. „Iſte (OTTOCARUS Rex) poſt voraginem totius belli „in fine ab ignobilibus capitur, Princeps „tantus turpiter dehoneſtatur, VII. Kal. *Septembris* per manus peſſimorum inimicorum ſuorum occiditur, occiſus *Wiennam* „ducitur, ibique cunctis ſpectaculum miſeriæ efficitur (& quod dictu eſt horridum) iumentino more ſcinditur, ad inſtar piſcis exenteratur (verba hæc ira in „RUDOLPHUM Cæſ. PALTRAMO extorſit. „Vid. cit. Cod.) & ipſa exta *inollantur*, „& ſeparantur a corpore.„ *Exta inollantur*, ait, quibus forſitan indicare voluit, inteſtina ad morem fere eius ſeculi ita elixata fuiſſe, ut penitus conſumerentur. Conf. dicta hic cap. IV. §. XLIX. pag. 58. & cap. præced. §. IV. p. 78.

eſt. a) Unde patet, ſepulcrum iſthoc ante undeviceſimum, a cæde OTTOCARI, annum erectum haud eſſe, quin fortaſſis pluribus annis ſerius. a

VI. Cor Regis apud laudatos FF. *Minores Viennæ* in ſacello S. CATHARINÆ depoſitum fuiſſe, docent ipſi in libello, *ſeculum quintum* inſcripto, ac an. 1724. *Neoſtadii Auſtr.* in forma quadrata edito, cap. IV. p. 23. Sacellum iſthoc Hoſpitali Cæſ. integro poſtea iure adſcriptum, a Sacerdotibus ſecularibus adminiſtratur. Ceterum etſi diem S. RUFFI, ab epitaphio indicatum, in vulgatis martyrologiis non ad VII. ſed VI. Kal. *Sept.* legamus: alibi tamen b) oſtendimus, rem VII. Kal. obveniſſe. Unde credibile eſt, feſtum iſthoc in *Auſtria* tum non VI. ſed VII. Kal. *Sept.* celebratum fuiſſe. HASELBACHIUS c) certe utrumque opportune coniungit: *Septimo Kalendas Septembris*, ait, *quæ eſt* RUFFI *Martyris*. b c

Cordis ſepultura, ac epitaphii expoſitio.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER II.

COMPLECTENS MONUMENTA SEPULCRALIA

DUCUM AUSTRIÆ,

AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM,

A RUDOLPHO I. R.R. AD USQUE ALBERTUM II. COGNOMENTO SAPIENTEM.

CAPUT I.

RUDOLPHI I. R. R. MONUMENTUM SPIRÆ NEMETUM.

§. I.



Urbs S. R. Imperii, *Spira Nemetum*, perantiqua, Imperatoribus, Regibusque *Germano-Romanis* ſepulcretum olim præbuit. Locus ei chorus fuerat in templo principe, ſeu cathedrali, quod, teſtante LEHMANNO, d) DAGOBERTUM I. *Francorum* Templum cathedrale *Spirenſe*, ſepulturæ Impp. *Rom.* deſtinatum. d

a) Anonymus *Leob.* l. c. col. 852. b. „Rex autem „ *Bohemiæ* illa die, qua occiſus fuerat, nudus-- „ plauſtro impoſitus, & in *Marcheckam* duci- „ tur.-- De *Marchecka* vero ducitur in *Wien-* „ *nam*-- & ad *Scotos* ponitur. Mane de do- „ mo *Scotorum* cum toto Clero, & Religioſis, „ ſub ſilentio, ſine ullo cantu præmiſſo, nullis „ campanis pulſatis, ad domum Fratrum *Mi-* „ *norum* deportatur, ibique nuda facie omni- „ bus oſtenditur. Poſtea, eiectis interioribus, „ corpus ſpeciebus conditur, lineis mundis, & „ purpura, a Regina *Romanorum* datis, involvitur, & in capitulo Fratrum *Minorum* in- „ tumulatur: nullis, in fidelium obſequiis (fie- „ ri ſolitis) pro eo celebratis, & (nec) campa- „ nis pulſatis, nec Miſſis dictis, fere 30. hebdo- „ madis in feretro conſervatur. Deinde veni- „ entes ſui *Bohemi*, receperunt eum, & aſſigna- „ verunt eum Fratribus *Minoribus* in *Znoy-* „ *ma*, ibique iacet. Poſtea translatus in caſtrum (*Pragenſe*) ibi honorifice ſepelitur. „

b) Cod. Epiſt. *Rudolph.* ſeorſim edendo.

c) Loc. cit. col. 739. c.

d) Chron. *Spir.* Lib. I. cap. XXVIII. p. 39. b.

corum, ſeu *Auſtraſiæ* Regem, fundatorem agnoſcit : licet Chriſtaniſmum longe antea, ac ſub ipſa Apoſtolica tempora, iis in regionibus invectum fuiſſe, ibidem doceat. Conſtituit CONRADUS II. Imp. I. ut futuri in Imperio Succeſſores, in *Germania* decedentes, niſi alibi ſepulturam ipſi deligerent, in eodem templo humarentur; unde &
a ipſe unacum uxore ſua GISELA ibidem conditus eſt. a) Teſtatur ea de re tabula, a MATTHIA de *Ramingen*, Epiſcopo *Spirenſi*, qui an. 1479. e vita exceſſit, in choro templi ſuſpenſa, & a laudato LEH-
b MANNO b) conſervata. Ubi inter cetera legimus : „ CONRADUS, „ Rex *Romanorum* ſecundus, & Imperator primus huius nominis, - - „ Eccleſiam *Nemetenſem*, ſive *Spirenſem*, antiquitus conſtructam, - - „ diruit, & amovit, & Eccleſiam, quæ nunc cernitur, glorioſe ædifi- „ cari fecit. „ Recenſentur deinde, poſt aliquod intervallum, Principum utriusque ſexus funera, ibidem condita, ubi de RUDOLHPO I. ſequentia : RUDOLPHUS, *Romanorum Rex, origine Comes de* HABSBURG, *obiit anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, hic ſepultus.* Continetur quoque in eadem tabula ALBERTI I. memoria, de quo capite ſequenti tertio.

Inſcriptiones ex SWERTIO.

II. SWERTIUS c) inſcriptiones affert, ſupra ianuas chori eiusdem ſummi templi quondam poſitas, quas, cum laudata tabula breviores ſint, pro maiori huius conditorii elucidatione, integras hic
c attexendas duximus. Loquuntur autem hunc in modum :

CONRADUS II. Imp. Obiit an. 1039. II. Non. Iulii.
d GISELA Imperatrix, Obiit XV. Kal. Martii. d)
HENRICVS III. NIGER, Obiit an. 1056. III. Non. Octob.
HENRICVS IV. SENIOR, Obiit VII. Aug. anno 1106.
BERTHA Imperatrix, Obiit VI. Kal. Ianuar.
HENRICVS V. IVNIOR, Obiit V. Kalen. Maij anno 1125.

Famoſi Reges, clari Comitesque, Ducesque,
Et Reginarum nobilis uſque phalanx:
Hoc in magnifico, dum ſtabunt ſecula, templo
Veſtrarum laudum fama perennis erit.
Quippe domo noſtra, cui munera magna dediſtis,
Haud fruſtra placuit corpora veſtra tegi.
Speraſtis precibus animas quandoque levari,
Hic facilem ad ſuperos ſpes erat eſſe viam.
Vivite felices æterna laude ſepulti,
Quorum animas cœlum, corpora terra tenet.

Conveniunt hæ inſcripturæ cum prædicta tabula, niſi quod ea copioſior nonnihil, atque verboſior ſit.

III.

a) LEHMANN l. c. lib. V. cap. XIX. pag. 365.
b) Id. ibid. lib. VII. cap. XI. p. 648.
c) Select. Chriſt. orbis delic. pag. 424.
d) Auctores tamen, ſupra lib. I. cap. II. §. XI. p. 23. laudati, XVI. Kal. *Mart.* ponunt.

III. Omnia, & ſingula hæc ſunt, quæ de *Spirenſi* hoc dormitorio ex operibus editis comperire poteramus. Quare hodiernum eius ſtatum exploraturi, datis litteris, experiri tentavimus, quod longiſſimi itineris diſpendio commodum fieri nequibat. Quanquam præteriti ſeculi anno nono, ſupra octogeſimum, urbe cum templo exciſis, inanem fere operam luſuri videremur. Ac primum quidem non niſi brevem impetravimus commentarium, dicto anno 1689. conſcriptum, quo continebatur: inter cetera tum bellicæ crudelitatis facinora, ab hoſtibus *Gallis* perpetrata, Baſilicam ſacrilege direptam, argenteos Cæſarum ſarcophagos comminutos, militibus prædæ ceſſiſſe, ac ipſum denique Cathedrale templum, quo ſcrinia ſua, ſupellectilem, ac domuum ornamenta, tanquam in locum tutum comportaverant cives, exuſtum fuiſſe, atque ſubverſum. Ad hodiernum rei ſtatum explorandum, litteris datis.

IV. Iteratis vero litteris, exponentibus, ab immortalis modo memoriæ CAROLO VI. Imp. negotium nobis datum eſſe, opera haud adeo levi, ſed diligentia, & cura, quoad eius fieri poſſet, maxima, ſepulcra *Auſtriacorum* Principum inveſtigandi: ac quoad liceret, opusque fuerit, ſubmotis lapidibus, in terram eundo, funera ipſa inſpiciendi: urgente apud Reverendiſſimum Canonicorum Collegium Domino PELICANO, adminiſtro Camerali, facultas tandem id exſequendi obtenta fuit. Ac repetitis, apertio ſepulcrorum decreta fuit.

V. Itaque iam tum anno 1739. die duodetriceſimo *Iulii* ſub cura, & inſpectione laudati D. PELICANI, viri induſtrii, ac pro gloria Auguſtæ Domus perquam ſolliciti, cum D. GEIGERO, Illuſtriſſimi Collegii ædili, operi manus admota fuit. Ignorantibus autem cunctis cryptarum ſepulcralium aditum, conſilium demum ceperunt, in eo loco cameræ, choro Canonicorum ſubiectæ, ubi olim hoſtes, ut fertur, cadavera ſpoliare adgreſſi fuerant, periculum facere. Hic die integro necquicquam conſumpto, poſtridie tandem eo deventum eſt, quo *Galli* muro verſus cameram Altaris S. Crucis, ſeu chori Regii deiecto, ad altitudinem pedum ſex, ſed nec altius tamen penetraverant; unde & hac vice ulterius pervadere, incaſſum tentatum fuit. Hinc in ipſo choro, prope altare S. Crucis a locis ſuperioribus recta, ac eo quidem ſucceſſu deſcenſum fuit, ut altitudine octo pedum fodiendo, ſepulcra quædam inventa ſint, etſi crypta primaria nondum appareret. Id cum extemplo Dominis Canonicis, ac nominatim Reverendiſſimo Domino ZU-REIN, libero Baroni, ac Collegii Cuſtodi nuntiatum eſſet, nonnullis comparentibus, lapis, inſcriptione vacuus, ſupra arcam lapideam ſex pedes, octoque pollices longam, pedemque unum, & decem pollices latam, repoſitus, in eaque loculus plumbeus, ſex pedes unacum pollice longus, pedemque unum, & octo pollices latus, inventus eſt. Omnia hic ſat integra erant, oſſibus tamen nullis repertis; quare operimento ſollicite reſtituto, ad dextram itum eſt, ubi magnus ſeſe offerebat abacus, ſeu lapis ſepulcra- Cuius hiſtoria refertur.

lis ex marmore nigricante, polito quidem, ſed nonnihil diffracto. Inſcriptione præterea carens, ac inſuper oblique iacens, indicium haud obſcurum præbuit everſi a *Gallis*, ſpoliatique ſepulcri. Ulterius deinde progreſſi, oſſa primum humana, dein vero arcam lapideam, octo pedes, & duos pollices longam, latam vero pedes duos, totidemque pollices, repererunt, everſam pariter, & confractam, id quod iudicium, de hoc ſepulcro prolatum, confirmabat. Denique inter reliqua oſſa integra fere calvaria oblata, vulnus præſetulit, tres, & ſemis pollices cæſim impactum. Aderat & gladius, capulo ferreo inſtructus, cuius lamina duorum admodum pollicum latitudinem adæquabat. Ex quibus calvariam ALBERTO I. vulneribus, ut notum eſt, confecto, adſcribendam eſſe, recte iudicarunt. Animadverterunt præterea, ex aliis monumentis conſtare, PHILIPPUM, ADOLPHUM, & ALBERTUM proxime inter ſe, ac binos poſteriores, ne duas quidem ſpithamas alterum ab altero quieſcere. Ad hæc in Annalibus *Spirenſibus* traditum eſſe, iuxta ALBERTI funus, Auguſtam, nomine BEATRICEM, locatam, idque inde confirmari; quod ibidem gemina oſſa, ac vertebrarum compages, alia quidem aliis tenuiora, effoſſa fuerint. Unde dubio carere viſum, inter ſepulcra, tum aperta, loculum Imp. ADOLPHI quærendum. His ita peractis, die tandem dicti menſis prima, & triceſima, animis ad pietatem converſis, oſſium reliquias ſingulas, ac quidquid eo pertinere viſum eſt, in ſepulcro ALBERTI, quod ad eum pertinere, vix ambiguum eſſe poterat, religioſe collectum, perſoluta circa horam tertiam Synaxi Veſpertina, in arca, ac ſepulcro, iam reſtaurando, ſuperpoſito etiam marmore, recondi curarunt, frequente Clericorum cœtu, ac Reverendiſſimo NELLIO, S. Crucis Præpoſito, ſacra faciente. Hucuſque argumentum relationis laudati D. PELICANI.

Sed nova iniecta difficultate,

VI. Nobis equidem in votis erat, ad detegendos reliquos funerum loculos, operam eiusmodi continuari. Sed nova iniecta difficultate, nihil amplius ſuſcipiendum fore, niſi ea de re certum mitteretur mandatum, religioni ducentes, Auguſtam Maieſtatem porro fatigare, ſatius eſſe duximus, ambagibus abſtinere. Movebat præterea, quod lapides illos omni deſtitui inſcriptione, iam ex prima foſſione intelligentes, circa reliquas haud plura expectanda, nec adeo magnum operæ pretium fore videretur. Quare modo ad alia nobis recurrendum eſt.

Reliqua aliunde petenda fuere.

VII. Refert BIRCKENIUS, a) ſupra pavimentum chori Regii prope altare S. Crucis, tumulum marmoreum conſpici, cuius & delineationem, ære pictam, edidit. At cum multa huius auctoris ex fontibus haud limpidiſſimis hauſta, aut operarum vitio male ſaltem expreſſa fuerint, ab eius repetita editione abſtinere manum, conſultius duximus. In ſupra tamen memorato commentario, *Spira* nobis

a) Lib. III. cap. I. p. 257.

bis ſubmiſſo, refertur: ante vaſtationem duo extitiſſe Cæſarum monumenta ſepulcralia, ſupra ſolum excitata, quorum alterum quatuor regni *Romano-Germanici* moderatoribus: PHILIPPO *Suevo*, RUDOLPHO I. ADOLPHO, & ALBERTO I. ſacratum fuerit, reliquis alterum. Plura quoque ibidem commemorantur de communi Cæſarum crypta, quæ choro, ac prædictis duobus tumulis ſubiecta fuerit, eamque muro clauſam, non niſi Imperatoribus, *Spiram* adventantibus, oſtenſam fuiſſe. Sub tumulis item prædictorum octo Cæſarum ſtatuas, habitu Imperatorio in ſellis ſedentes, ſpectaculo fuiſſe, ac citra hanc cryptam adhæſiſſe quaſi cellam, ſeu capellam, in qua GISELA Imperatrix, ſupra memorati CONRADI II. inter Imperatores I. uxor, de qua nos lib. præcedenti, ſita fuerit, ac marmoreum lapidem cum imagine eius, proceritate corporis inſigni, conſtructam fuiſſe. Quæ ſingula, utpote ex commentariis, in ipſo loco ſepulturæ ſervatis, deprompta, apud nos quidem indubia ſunt. Confirmantur præterea ex HORNECKIO, a) de ſtatua RUDOLPHI, ex marmore faberrime ſculpta, ac ſupra eius tumulum poſt mortem erigenda, multa verba faciente, quæ in calce huius paginæ adſcribere viſum eſt. a

VIII. Epitaphium RUDOLPHI varii varie exceperunt, retulerunt-que. ALBERTUS *Argentinenſis* b) e ſilice exſculptum, ſepulcro impoſitum fuiſſe affirmat, hunc in modum: Epitaphia, b

ANNO DOMINI M. CC. LXCI. PRIDIE CALENDAS OCTOBRIS
OBIIT RUDOLPHUS DE HABSPURG, ROMANORUM REX.

ubi littera numeralis L. errore, ut credibile eſt, librarii, abundat. Cum ALBERTO *Argentinenſi*, dempta tamen hac ipſa littera, in Diſſert. de RUDOLPHO I. *Ioannes* BOECLERUS facit. *Paulus* HENTZNERUS c) ſic habet: RUDOLPHUS, *Romanorum Rex*, *origine Comes* c

a) HORNECK. c. CCCLXXVII. p. 344.
Ein chluger Stain-Mecz
Ein Pild ſawer, und rain,
Aus einen Merblſtain
Schön het gehawen,
Wer daz wolt ſchawen,
Der muſt jm dez jehen,
Daz er nye Pild het geſehen
Einem Manne ſo gleich.
Vivente autem adhucdum Rege, ſtatuam hanc eo fine elaboratam fuiſſe, ut mortui poſtea ſepulcrum exornaret, ex rhytmis ſequentibus patet:
Er het ſo gar gevedemt,
Und in ſein hercz pegedemt
Alle dez Kunigs Stalt,
Daz er die Runczen zalt
An dem Antlucze.
- - - - -
Nu het der Kunig pracht
Gepreſte manigvalder,
Und allermaiſt daz Alter,
Daz der Kunig Herr
Einer Runczen mer
An dem Antlucz gewan.
Daz wart dem Maiſter chund getan,
Der hub ſich auf ſein Straſſsen,
Und lewf hincz *Elſaſſsen*,
Da der Kunig da waz,
Da nam er aus, und laz
An den Sachen die Warhait,
Als man jm het geſait.
Und do er daz ervant,
Do chert er zehant
Gegen *Speyr* wider,
Und warf daz Pild nider.
Und macht ez aber geleich
RUEDOLFEN dem Kunig reich,
Der Stain ward nu ſein Dach.

b) Apud URSTIS. P. II. p. 159.

c) Itinerar. *Germ.* edit. *Norimb.* 1612. pag. 186.

mes de Habſpurgk, obiit anno Domini M. CC. XCI. hic ſepultus.

a BIRCKENIUS a) inſcriptionem adducit uberiorem, marmori albicanti inciſam affirmans, hanc in ſententiam :

† RUDOLPHUS DE HABISBURG. ROMANOR. REX. ANNO REGNI. SUI. XVIII. OB. ANNO. DNI M. CC. XC. I. MENSE. JULIO IN DIE. DIVISIONIS APLOR. †.

b c Cum BIRCKENIO faciunt CZERWENCKA, b) KIEFFERUS, c) ac ſupra memorata Acta *Spirenſia*, aliique.

Expenduntur. IX. Hæc inter ſe parum convenire, nobis etiam haud monentibus, nemo non perſpicit. Nam etſi quoad annum emortualem recte ſe habeant, quoad diem tamen poſterioribus magis, quam prioribus fidem arbitrandam, conſenſus Scriptorum cogit, affirmantium: RUDOLPHUM in die feſto *Diviſionis Apoſtolorum*, qui in XV. *Iulii* d incidit, inter vivos eſſe deſiiſſe. d) Neque enim inſcriptiones illæ tot teſtibus derogare queunt, planeque confirmant dicta a nobis paullo ſuperius, primævis lapidibus litteras inciſas fuiſſe nullas, atque adeo has recentiori ævo tribuendas, ac in tumulis, de quibus meminimus, ſupra ſolum erectis, aut fortaſſis alibi etiam legendas olim e fuiſſe. Coniectat quidem STEYERERUS, e) inſcripturas, *prid. Cal. Octobris* memorantes, de die ſepulturæ Cæſaris intelligendas eſſe, quo *cadaver in tumulum, ab artifice interim perfectum, illatum* fuerit. Verum cum, laudato HORNECKIO teſte, vel ipſa etiam ſtatua, ſepulcro eius imponenda, ſuperſtite etiamnum Cæſare, confecta fuerit, multo id magis de ſarcophago eius credendum eſt. Deinde cum de die obitus epitaphia illa diſerte loquantur, quo, quæſo, pacto de die humationis accipi poterunt?

Locus obitus, mortisque hiſtoria. X. Locum obitus eius Scriptores ut plurimum *Germersheimium* produnt, maxime iuniores. Et certe ibi integro ante exceſſum ſuum menſe, & quod forte paullulum excedit, commoratum, ac mortem præſtolatum fuiſſe, fidem faciunt diplomata duo, quorum alterum

III.

a) Spiegel der Ehren. p. 258.

b) Pietat. *Auſtr.* L. I. cap. XIII. p. 135.

c) De Orig. *Habsburg. Auſtr.* p. 95.

d) Ex pluribus adducere ſolummodo iuvat Necrolog. FF. *Minor. Conventual. Wienn.* apud *Hier.* PEZ, *Script. rer. Auſtr.* tom. II. col. 489. c. ubi: *Idus* (Iulii) *obitus Domini* RODOLPHI *Romanorum Regis celebretur;* nec non CONRADUM de *Wurmlingen* coævum apud CRUSIUM *Annal. Suevor.* P. III. lib. III. c. X. p. m. 861. Ed. Ger. narrantem: Cæſarem in vigilia RENSINDIS, ſeu REGINSWINDÆ virginis, unacum ſua, filiique ſui coniuge, Regis *Bohemiæ* ſorore, ac Duce *Bavariæ* LUDOVICO, aliisque Optimatibus *Spiram* venientem, poſtridie eius diei extinctum fuiſſe; id quod ſecundum BEDÆ, & ADONIS Martyrologia cum XV. *Iulii* coincidit.

e) Addit. ad ALBERT. II. col. 221. ſeq.

a) III. *Iunii Moguntiæ*, mox vero alterum b) *Germersheimii* XV. eiusdem menſis ſubſcripſit. At inter veteres Anonymus *Leobienſis*, & HAGENUS, ſupra allegati, *Spiræ* defunctum, memorant. Quibus accedit *Nicolaus* BURGMANNUS, c) qui hiſtoriam Imperatorum, & Regum *Romanorum*, *Spiræ* ſepultorum, data opera proſecutus eſt. Iisdem addi poſſunt *Ioan.* STEINDELIUS, d) ac MUTIUS, e) cuius verba hic proferre operæ pretium erit. „ Anno - - 1291. RUDOLPHUS Imperator ægrotus portatur *Spiram*, comitantibus eum multis Principibus, uxore item ſua, & filia, *Bohemiæ* Regina: ſed ubi *Spiram* pervenit, vectione irritato morbo, paucis poſt horis moritur, ſepultusque eſt in Eccleſia cathedrali, magno honore, & luctu. „ Sed nec Scriptores ſynchroni, quorum auctoritas reliquis potior eſt, deſunt; CONRADUS nimirum de *Wurmlingen*, ſeu liber, quem CRUSIUS ſæpe appellat *Sindelfingenſis*, cuius verba proxime adduximus, & HORNECKIUS, qui res, mortem Cæſaris circumſtantes, adeo copioſe, ac luculenter deſcribit, ut eidem hac in parte denegari fides haud poſſit. Eius verba, in inferiori margine f) apa b c d c f

poſita

a) Extat apud ROUSSET *Suppl. au Corps dipl.* tom. I. P. I. p. 157. Actum *Maguncіæ III. Non. Iunii an. MCCXCI.*

b) Apud BESOLD. *Document. rediviv.* tom. I. p. m. 288. *Datum in* GERMERSHEIM *anno Domini milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo primo. Idus Iunii.*

c) *Scriptor. rer. Boic.* Clar. OEFELII tom. I. p. 604. col. 2. ubi ait: „ RUDOLPHUS - - „ tandem in *Spira* diem clauſit extremum, „ & ibidem honorifice ſepultus eſt, anno „ Domini MCCXCI. „

d) Ibid. p. 212.

e) Ap. PISTOR. tom. II. lib. XXI. p. 818.

f) Cap. 375. pag. 341.

Dieweil der Kunig ze *Erfert* lag,
Und maniger Unmuſſe phlag,
Der dem Reich waz not;
Do pegund ſich der Tot
Machen auf ſein Spar,
Wo der Kunig gie vor,
Do ſlaich er jhm nach.
Do ſich der Kunig do verſach
Dez Leibs Crankchait,
Gegen Swaben er rait,
Wann er durch der Furſten Pet
Ainen Hof het
Geſprochen hincz *Frankchfurt.*
Do man dez Hofs Zeit ſpurt,
Da chomen dar gemain,
Die Furſten grozz, und chlain,
- - - - - - - -
So gar het jn daz Alter pracht
Von dez Leibes Macht,
Er belaib aber doch
Pey den Wiczen dennoch.
Nu waz half aber daz?
Do er der Chrefft wart ſo laz,
Daz jm der Leib pegund arigen,
Daz er der Purde der Sarigen
Selbe nicht mocht geheben:
Do empfalich er den Ratgeben,
Und den Churherren,
Daz ſi den Hof nach ſeinen Eren,
Und ſo ſie peſt mochten,
Ze einem Ende prachten,
Daz waz aber alles verlorn,
Do ſich der Kunig Hochgeporn
Nicht ſelber do vergwiſt.
- - - - - -
Do wolten lenger nicht
Do beleiben die Herren,
Man ſach ſew von danne chern
An Urlaub painczigen. *

* Id eſt: Alle und iede, omnes & ſinguli.

Et cap. 376. pag. 341.

Die Maiſter, von Gotes Gunſt,
Und darnach mit irr Chunſt
Hielten jn empor,
Und den Tod mit Gewalt vor
Wol ain Jar, oder mer.
Kunig RUEDOLF der Herr
Do er von *Frankchfurt* ſchied,
Sein Wille jm do riet
Auf ein Purkch veſt,
Germshaim genant,
Dohin fur er zuhant,
Do vertraib er die ſtund
So er peſt chunt.

Item cap. 377. pag. 343. RUDOLPHUM, accepto a Medicis mortis nuntio, ſic loquentem inducit:

Wol auf! ſo ſullen wir nicht mer
Beleiben alhie.
- - - - - -

poſita, huc redeunt: *Erfordiæ* verſatus RUDOLPHUS, ibique res, & negotia procurans Imperii, graviora ſupremi morbi, quo cum ante exitum ex hac vita anno integro, & ſupra, decertaverat, molimina ſentiens, indictis, rogatu Principum, *Francofordiam* comitiis, iisque brevi, ingraveſcente ibi eodem morbo, diſſolutis, *Spiram* verſus directo itinere, *Germersheimii* ſubſtitit. Medicis vero non longe poſt vicinam mortem denunciantibus, *Spiram* ſibi, ubi prædeceſſores ſui Cæſares ſepulti ſunt, properandum innuens, conſcenſo equo, inter duos Sacerdotes, hinc inde a lateribus equitantes, ac piis monitis animum eius paſcentes, eo ſe conferens, ad vitæ exitum, omnibus præſidiis Chriſtiano more comparatus, expiatusque, ad beatam immortalitatem demigravit.

Quæ amplius expenditur.

a

XI. His ita ſe habentibus, facile deſerimus CUSPINIANI, aliorumque opinionem, exiſtimantium, a) Cæſarem peractis *Francofordiæ* comitiis, *Argentinam* ſe primum, tum vero *Erfordiam* contuliſſe, ubi lethali morbo correptus fuerit. Contradicit enim HORNECKIUS noſter, ſatisque conſtat, comitia *Erfordienſia* anno ſuperiori habita fuiſſe. Addit CUSPINIANUS, illum febri hectica conſumptum interiiſſe, quod quidem inde veriſimile fit, quod eiusmodi morbus humana corpora lente admodum conſumere ſoleat, id quod HORNECKIUS integrum eidem, & quod excedit, annum tribuens, haud obſcure confirmat. XII.

Wil ich, ſprach er, an dieſer Friſt
Hincz *Speyr*, do ir mer iſt
Meiner Vorvarn,
Die auch Kunig warn,
Den wil ich in Beleibens-Siten
Zuchomen geriten,
So daz Mich Niement darauf furen dar.
- - - - - - -
Da mit er auf ſaz,
Und wolt von danne raiten,
An yetweder Seiten
Ein Pfaff bey jm rait,
Der jm von Got vor ſait,
Und unterweiſten jn gutes.
Der Kunig Edls Mutes
An Tugenten ſich verchert nicht,
Als noch manigem geſchiecht,
Der an Tugenden ſich verchert,
So er der chrafft Gevider rert
Gegen des Todes Mawſſe.
Recht als der Strawſſe
Macht lebenthaft
Mit ſeiner Geſicht-Chraft
Seiner todten Air Frucht;
Alſo ward alle dew Sucht,
Dew von Chrankcheit dez Muts chumpt,
Zefurt, und zegrimt
Den, den dew Seld geſchach,
Daz ſew der Kunig anſach,
Er Solt ſterben.
Darnach pegunden werben,
Die ſein Tugent erchanden,
Allenthalben in den Lannden
Pegunden ſi an den weilen
Zu der ſtraſſen eilen,
Daz er ſew ſach, und ſi jn.
Und do er chom gegen *Speyr* hin,
Do er ſich niderlegen,
Mit Fleiſſe ſach man jn phlegen,
Daz der Sele nucze waz,
Waz man jm vorlaz,
Daz jm nucze wer ze tun,
Damit er Gotes Suen
Und ſein hulde erwurb,
Daz tet er, e Er ſturb,
Er gab wider, und galt,
Waz man jm vor zalt,
Daz er ze gelten wer gepunden.
Darnach in churczen ſtunden
Emphieng er Gotes Leichnam,
Als jm wol geczam:
Und do der Tugentreich
Umb ſein Diener all geleich
Layn, und Pfaffen
Sein Ding het geſchaffen,
Daz Heylig Oel er emphie.
Und do alles an ym ergie,
Daz pileich ſchold ergan
An einem ſolchen Man;
- - - - -
Do gieng es an ein ſchaiden
Zwiſchen den paiden
Dem Laichnam, und der Sel.

a) De Cæſar. p. 355.

XII. Chronotaxis vitæ,& regni eius huc redit: Natus anno 1218. Kal. *Maii*, a) in *Romanorum* Regem electus eſt anno 1273. circa feſtum S. MICHAELIS, coronatus XXVIII. *Octobr.* anno eodem. b) Obiit anno 1291. die XV. *Iulii.* Ut adeo ætatem ſuam ad annos LXXIII. menſes duos, dies XV. regiminis vero, a coronatione eius computandi, annos XVII. menſes octo, dies vero XXVII. perduxerit. Ceterum cor eius ipſius iuſſu in parthenone, Ord. *Prædicatorum*, *Tullnenſium*, a ſe fundata, repoſitum fuiſſe, documenta, de quibus nos infra, teſtantur. Chronotaxis vitæ & regiminis, ac cordis ſepultura. a b

CAPUT II.

DE SEPULTURA ANNÆ, ET ELISABETHÆ, RUDOLPHI I. R. R. CONIUGUM, NEC NON TRIUM ILLIUS FILIORUM.

§. I.

Baſilea, urbs olim S. R. I. libera, poſtea vero fœderatis *Helvetis* iuncta, ampla iuxta, ac opulenta, cum uxorem RUDOLPHI I. Imp. primam, tum & filios eius HARTMANNUM, & CAROLUM, apud ſe humatos conſpexit. Extabant olim tumuli in Eccleſia Cathedrali, ſeu templo ſummo, nec tamen hodie conſtat, qua ſpecie, forma, aut ornatu tum inſtructi fuerint. Horribili enim terræ motu an. 1356. urbem infeliciter quaſſante, ac unacum templo magnam partem ſubvertente, ſepulcrum quoque ANNÆ, ut & HARTMANNI deſtructum, ac ex parte in proxime præterfluentem *Rhenum* deiectum fuiſſe, URSTISIUS c) memorat. ANNÆ ſepulcrum *Baſileæ*, c

II. Verum corpora tam Reginæ, quam filii CAROLI, adhucdum conſervata fuiſſe, ex alio eius loco d) diſcimus: „ Tumba hæc (ait) „ anno 1510. a Canonicis aperta, favillaceum Reginæ corpus exhi- „ buit, iuxtaque illud minutorum oſſium congeriem, pueri defun- „ cti reliquias. Argentea corona, auro inducta, caput eius redimi- „ tum, quam in *Hieronymi* BRYLINGERI, Sacellani, & Aſſiſii, ut „ vocant, chori, ædibus repurgarunt. Monile item, cum ſaphiro, „ pretioſisque lapidibus, a collo pendulum. „ Et revera Auguſtam noſtram huiusmodi cum ornamentis ſepulcro immiſſam fuiſſe, corona præſertim argenteo-inaurata, Chronicon *Colmarienſe* ſynchronum e) adſtruit, cuius verba, cum præterea ad hiſtoriam ſepulturæ Imperatricis faciant, hic pariter apponere viſum eſt. „ Poſt hæc (inquit) „ Regina moritur, exenteratur, & venter eius ſabulo, & cineribus „ impletur: facies eius balſamo linitur, totumque corpus panno ce- „ reo An. 1510. apertum, an. 1762. denuo inſpectum. d e

a) Conf. tom. præced. P. II. pag. 1.
b) Vid. dicenda in ſæp. cit. Codice *Rudolphino.*
c) Hiſt. *Baſil.* cap. VIII. p. 76.
d) In epit. lat. p. 78. Add CRUS. *Annal. Suevor.* P. III. cap. VI. p. 153. edit. Lat.
e) Inter Scriptores eiusd. URSTISII P. II. pag. 47.

„ reo circumdatur, ac ſericis veſtimentis induitur pretioſis. Caput „ eius albo ſerico peplatur, & corona ſibi imponitur deaurata. Poſt „ hæc in arcam, ex fago peroptime factam, ſuperne manibus ſuper „ pectus poſitis, imponitur, & ferreo clauditur inſtrumento. „ Coronæ, & monilis mentio deſiderium in nobis excitavit, ſepulcrum ipſum, prout hodie viſitur, aperiendi. Petita itaque, atque facile etiam ab ampliſſimo Magiſtratu obtenta facultate, manus operi anno 1762. die vero III. *Iunii* admota fuit. Aderant ex eiusdem Magiſtratus decreto Ducentumviri, Domini *Samuel* BURCHARDUS, nunc pie defunctus, ac *Daniel* BRUCKNER, I. U. L. urbis Archivarius, ad id ſpeciatim deputati: aderat & magna frequentia, quibus *Baſilea* abundat, virorum litteratorum, nec non & ad arcendum vulgus, militum manipulus, inclyta Republica impendia liberaliter admodum, ac generoſe ſuſtinente.

Deſcribitur. TAB. IX.

III. Itaque mane hora quinta, cum rei initium fieret, laudatam Eccleſiam intrantibus, tumulus ANNÆ in ſuperiori choro ad lævam prope primam feneſtram obiectus eſt. Eius delineationem BIRCKENIUS a) iam dederat, ex chronico *Baſileenſi* eductam, ſed a noſtra nonnihil abludentem. In operimento, chlatris ferreis cincto, exſculpta cernitur icon ANNÆ, ſublatis, iunctisque manibus, capite corona redimito, ac binis pulvinaribus acclinato. Velo præterea obtectum, ac reliquum corpus ſtola, pallioque amictum eſt. Superne, varia inter ornamenta, aquila apparet Imperialis expanſa, ad latus monumenti in medio repetita. Ad huius autem dextram ſymbolum *Auſtriacum*, ad ſiniſtram *Styriacum*, quemadmodum a fronte leo *Habsburgicus*, ac inferiori ex latere ſcutum Auguſtæ gentile ſculptum cernitur. Hæc ſingula in iugamento feneſtræ, nec non ad utrumque latus eius in pariete, ſcutisque ligneis, coloribus oleoſis adumbratis, eo cum diſcrimine iterantur, ut loco ſimplicis, aquila Imperialis duplex, indubium proximioris ætatis ſignum compareat. Ad latus Reginæ puerulus iacet, tunica oblonga indutus, ſublatis pariter iunctisque manibus, habens ſub capite pulvinar, ſub pedibus autem leonem cubantem, innatæ fortitudinis, nobilitatisque ſignum. Subtus ſcutum, cum leone *Habsburgico* cernitur.

a) Specul. honor. lib. I. cap. XIII. pag. 311.

Ibi præter Reginæ corpus integrum,

IV. Operimentum ſepulcri magno labore removentibus, Regia tandem funera in conſpectum venerunt. Auguſtæ corpus, compagibus licet diſſolutis, non tamen nullo ſine ordine iacebat. Caput pulvino ex panno ſerico praſini coloris, ſpithamæ præter propter magnitudine, adhuc ſatis integro ſuſtentatum, more ſolito ad Occidentem vergebat. Pelle præterea nigricante adhucdum pene totum obductum erat, uti & ex parte manus cum brachiis, itemque & pedes nonnihil, ſuperantibus dextræ manus tribus quoque unguibus. Ut adeo non ſolum caput (quod quidem laudatus ALBERTUS *Argenti-*

gentinenſis ſciſcit) ſed & manus, pedesque pollinctos fuiſſe, concludas. a) Dentes candidi, nec ulla putredine arroſi: reliqui vero corporis oſſa duntaxat ſupererant. Illud D. IOANNES IACOBUS de *Annone*, I. U. D. nunc eloquentiæ Profeſſor, vir in omni ſcientiarum genere verſatus, dimenſus, a ſpina oſſis ilii ad calcaneum $33\frac{1}{2}$. ad genu vero $18\frac{1}{6}$, a genu ad calcaneum $15\frac{1}{3}$, & a trochantere maiori ad condylum extremum $17\frac{2}{3}$ digitos, menſuræ *Francicæ*, reperit; unde totius corporis longitudinem, ſecundum optimarum anatomicarum tabularum regulas, pedes regios quinque, ac digitos tres adæquaſſe, iudicabat. Coronæ aureæ, monilis, aut lapidis pretioſi, nihil uſquam. Hinc coniiciendum, ſingula hæc vel an. 1510, vel alio tempore ſublata fuiſſe. Præter Reginæ corpus fere integrum, repertæ ſunt calvariæ tres, de quibus poſtea dicendi locus erit. His viſis, atque examinatis, operisque ſepulcri operimentum in priſtinum reſtituentibus locum, diſceſſum eſt, cum prius nobiscum concluderent ceteri, repertum eſſe, quod non quærebatur, calvarias nempe cum oſſibus, opinione plures: contra, quod quærebatur, repertum haud eſſe, corona ſcilicet, cum monili, & lapide pretioſo. a

V. In dicto pariete ex utroque latere epitaphia, ſeu inſcriptiones, litteris maiuſculis, in tabulis ligneis coloribus oleoſis expreſſæ, leguntur, quarum prior a dextris Latina ſic habet: Epitaphia Reginæ,

D. O. M. S.
ANNAE AVGVSTAE
BVRCHARDI COMITIS HOHENBVRGENS.
FILIAE
RODOLFI I. IMP. AVG. COMIT. HABSB.
CONIVGI
ET FOECVNDAE PARENTI
AVSTRIAE PRINCIPVM SERENISS.
ALBERTI PRIMI IMPERAT.
MATRI
VNA CVM CAROLO FILIO
ANN. DN. M. CC. LXXXI. XIX. MART.
HEIC SEPVLTAE;
S. P. Q. B.
QVVM S. HANC AEDEM NITORI SVO PRIST.
RESTITVENDAM CVRARET,
HONORIS ERGO, CIRCITER CCCXVI, VT ET CDXX,
POST EXEQVIAS
H. M. L. P.

VI.

a) Concordat HORNECKIUS, cap. 188. p. 174.
Darnach ward ane Paws
Gepalſent herleich
Die Kunigin reich.
Sy ward auch ze hannt
Gegen Paſel geſannt.
Itemque HAGENUS loco, mox infra producendo.

Expenſa. VI. Duæ hic epochæ obſervandæ veniunt, quarum altera monumentum hoc lapideum CCCXVI. circiter annis poſt exequias ANNÆ, atque adeo poſt magnum illum, de quo diximus, terræ motum, poſitum fuiſſe, innuitur; id quod in annum æræ noſtræ vulgatæ 1597. coincidit. Altera de anno poſt easdem exequias CDXX. quod cum anno 1701. congruit, loquitur. Quare mirum non eſt, ultimam
a b hanc æram apud TONIOLAM a) BIRCKENIUM, b) *Ioannem* BOE-
c d CLERUM, c) KIEFFERUM, d) ceteros, qui inſcriptionem eandem ante dictum an. 1701. ediderunt, haud extare. Leguntur tamen apud eos priora; unde extrema ſub reſtitutionis ultimæ tempus adiecta fuiſſe patet. Intelligitur & hoc: monumentum anno 1597. antiquius quidem haud eſſe, nec tamen anno primum 1701. poſitum, bene vero reſtitutum, ſeu exornatum fuiſſe; unde delineatio, in chronico *Baſileenſi*, ac apud BIRCKENIUM viſenda, cum hac noſtra utcunque reſpondet. Idem ſentiendum de epitaphio; quanquam id fortaſſis antiquiori, eidemque coævo, ſubſtitutum, ac dictis dein temporibus a Senatu *Baſileenſi*, aliis, atque aliis verbis reſtitutum fuerit. Stili ſane ratio, prout hodie legitur, ANNÆ exequiis æquale haud eſſe, aperte docet.

Alia inſcriptio vernacula recens. VII. Alterum eiusdem epitaphium, e regione prioris collocatum, litteris pariter maiuſculis, oleo pictis, ac hodierni ævi, exaratum eſt. Germanico præterea idiomate conceptum, atque in inferiorem marginem huius paginæ reiectum, e) Latine redditum, ſic ſonat: *Anno Chriſti* MCCLXXXI. *Viennæ obiit Romanorum Regis* RUDOLPHI I. *huius nominis, inclita coniux* ANNA, *nata Comitiſſa de* HOHENBERG, *hic ex teſtamento ſepulta die Iovis* XIX. *Martii.* Recenſentur dein filii, filiæque eius, quod, cum veritate hiſtorica haud conveniat, omittendum duximus. Ordo namque naſcendi inverſus eſt, omiſſusque CAROLUS, quem tamen inter ANNÆ, ac RUDOLPHI natos computandum fuiſſe, cum ipſum monumentum; ut in quo eius figura expreſſa eſt, tum & mox ſupra recitata Latina epigraphe docere poterant.

Mortis, & ſepulturæ hiſtoria. VIII. Cauſſam morbi, ANNÆ ſupremi, in abſentiam filiæ CLEMENTIÆ plerique coniiciunt, f) Hæc enim exeunte anno 1280. ad ſponſum ſuum CAROLUM *Salernitanum*, CAROLI *Andegavenſis* f filium, deducta, ferendo eius deſiderio impar, viribus deſtitui cœpit.

a) *Baſil. Sepult.* edit. an. 1661. pag. 2.
b) Lib. I. cap. XIII. pag. 115.
c) Diſſert. de RUDOLPHO I. Imp. §. 46.
d) Loc. cit. pag. 95.

e) Im Iahr Chriſti 1281.
Starb zu Wien im Oeſterreich des
Römiſchen Keiſers RUDOLFS des erſten dieſes
Namens löbl. Gemahlin Frau ANNA
gebohrne Gräfin von *Hohenberg*, und ward alhie ihrem begehren nach beſtattet, donnerſtags den
19. Mertzens.

f) Chronicon *Auſtrale plen.* & *Cl. Neoburg.* ſupra allegata. HAGENUS col. 1093.

pit. Itaque mortem prope abeſſe ſentiens, vocato ad ſe Sacerdote, conſcientiæ arbitro, de dirigenda ad cœlum anima, conſilium iniit. Is, ut erat pius, & prudens, auctor illi fuit, ut animo a rebus fluxis, ac caducis, quoad eius fieri poſſet, abſtracto, uni DEO intenta, cum eidem, tum proximo, pro contractis, dum viveret, debitis, ſatisfaceret. Quæ ſingula animo quam promptiſſimo exſequi ſtudens, conditis ſupremæ voluntatis tabulis, ſepulturam in ſummo templo *Baſileenſi* ſibi delegit, donata eidem, ut quidam ferebant, ingenti argenti vi, aut, quod veritati proximius, Collegio Canonicorum duabus, quas vocant, *præbendis* aucto; a) quatenus inſimul damna, a marito variis belli caſibus eidem Eccleſiæ illata, hac ratione reſarciret. b) His ita peractis, animam ad cœlum miſit, indicibile omnium ordinum poſt ſe relinquens deſiderium; Princeps quippe a modeſtia, pietate, beneficentia in pauperes, aliisque Chriſtianis virtutibus, omnis ætatis Scriptoribus laudatiſſima. Datis dein Reginæ inferiis, funus demum *Baſileam* magno cum apparatu, comitantibus corpus, præter nobiles fœminas, Fratribus Prædicatoribus binis, Minoribus totidem, qui rem Divinam, funebresque ceremonias toto itinere facerent, ut & equitibus non paucis, deductum eſt. Quo ubi pene perventum, convocatis ab Epiſcopo, funerique occurrere iuſſis Clericis tam regularibus, quam ſecularibus mille ducentis, tribusque Epiſcopis Sacra procurantibus, funus tandem paullo ante populo oſtenſum, terræ mandatum fuit XIII. Kal. *Aprilis*. c)

IX.

a) Vid. Auctar. Diplomatum P. II. ad an. 1285.

b) Chronicon *Colmar.* P. II. p. 47. „ Anno „ Domini MCCLXXXI. regina RUDOLFI re„ gis cœpit graviter infirmari. Propter „ quod accerſiuit Conſiliarium Confeſſorem„ que ſibi, inquiens: Mortis periculum ſen„ tio, mihi breuiter imminere. Rogo igitur „ vos, quomodo corpus, & animam ad cœ„ lum, & ad paradiſum Domini dirigatis. „ Qui dixit, omnes amicos veſtros, omnes „ divitias huius ſæculi, omnemque gloriam „ mundi de corde veſtro, quantum pote„ ſtis, a veſtra memoria repellatis, ac DEO, „ & hominibus ſatisfacere promittatis. Quæ „ dixit: libentiſſime faciam. Poſt hæc te„ ſtamentum condidit, & elegit in *Baſilea* „ in maiore eccleſia eccleſiaſticam ſepultu„ ram. Delegit autem locum prænomina„ tum, eo quod rex RUDOLFUS, anteceſ„ ſoresque ſui, *Baſilienſem* eccleſiam ſæpius „ damnificaſſent, ac eius Epiſcopos pertur„ baſſent. Ordinavit enim in teſtamento „ (ut quidam dixerunt) quod reditus dua„ rum præbendarum Monaſterio darentur, „ ut ſic DEO, & hominibus ſatisfaceret. Poſt „ hæc regina moritur &c. „ ut ſupra num. II. HAGENUS col. 1093. d. *Darnach nit lang Frau* ANNA *ſiech wurd, und ſchied mit groſsen Elend hindan, in groſser Andacht dicz Lebens: Die zu Wienn mit groſser Klag des Landvolcks ward gepiuelt erberleich, und darnach gewalſament, und gen* BASEL *zu der Begrebnus gefürt.*

c) Idem Chronicon. ibid. „ His expletis, in *Baſileam* cum equis XL. ducitur, &, ut credebatur, cum pecunia copioſa. Fuerunt in comitatu ſuo Fratres *Prædicatores* duo, *Minorum* duo, & Dominæ quas tres currus ducere potuerunt. Adiunxerunt autem ſe eis homines circiter quadringenti. Rex autem mandaverat Epiſcopo *Baſilienſi*, ut Reginam defunctam ſolemniter ſepeliret. Epiſcopus Clericos regulares, & ſeculares inuitauit *Baſileam.* Convenerunt igitur mille ducenti, qui omnes candelas in manibus habebant, & reginæ in proceſſione cum ornatu pretioſo ſolemniter occurrunt, & ad maius monaſterium pertulerunt. Tribus Epiſcopis ibidem Divina celebrantibus, reginæ corpus in tumba poſitum, erigitur, & omnibus præſentibus oſtenditur, & poſt Miſſam deponitur, & cum fletu nobilium ſepelitur. - - - Epiſcopus clericos omnes ad prandium inuitauit, & neceſſaria miniſtrauit.„ Hæc chronicon *Colmarienſe*, quocum concordant Annales eiusdem nominis, ſeu chronici *Colmarienſis* Pars prima pag. 17. eo cum diſcrimine, quod funus Auguſtæ *ab aliquot centum equis* deductum fuiſſe, memorent. Diem quoque humationis a-

Ut & epocha, ætasque.

IX. Hæc anno 1281. contigiſſe, ſatis convenit inter Scriptores antiquos æque, ac recentiores; a) nec etiam difficultas aliqua circa diem obitus obverſatur, *XIV. Kal. Martii* conſtanter aſſignantibus, niſi quod in chronico *Cl-Neoburgenſi* librarii oſcitantia, *Maii*, loco *Martii*, legatur. Maius diſcrimen eſt de die, & anno eius natali, quem cum veterum nemo prodiderit, aliis exputandum mittimus. Quod ſi tamen veritati congruit, quod, uno excepto *Gerardo* de Roo, b) tradunt multi, eam anno 1244. vel 45. nuptui datam, c) cumque aliunde conſtet, eam an. 1276. ultimum edidiſſe partum, præter propter quinquagenariam, aut paullo maiorem obiiſſe, exiſtimandum erit.

a
b
c

Caroli filii oſſa, in eod. monumento recondita,

X. Reliquorum funerum oſſa diſperſa partim, partim in cumulum congeſta iacuerunt, nec ſupererant integra. Inter hæc calvaria ſeſe obiiciebat, cuius maxilla duabus partibus conſtans, necdum concreta erat: rudimenta præterea dentium, alveolis incluſa, ac valde tenera, nec fontanella clauſa cum eſſent, indicium in arte anatomica peritis præbuit, eſſe infantuli unius circiter quartæ partis anni; id quod reperta tenuis admodum tibia confirmabat; quanquam dentes molares iam quatuor apparerent. Reliquias has eſſe Caroli filii, cuius ſchema in operimento ad latus matris expreſſum conſpici, ſupra retulimus, nobis equidem perſuaſum eſt, ut ut ex coxendicis, & claviculis nonnemo ſuſpicari voluerit, corpuſculum fuiſſe fœmineum.

Eiusque ortus; ac obitus:

XI. De eo Annales *Colmarienſes* d) ad annum 1276. „ Regi„ na Regis Rudolphi filium peperit elegantem in *Reinfelden*, feſto „ Valentini: hic breve tempus vixit.„ Mox vero, nonnullis interiectis, eundem mortuum denuntiant, ac in medio chori maioris Eccleſiæ *Baſileenſis*, funeris exequias cohoneſtantibus omnium ordinum hominibus, depoſitum: feretro nobili, ac pretioſo tegmine cooperto. e) De eodem quoque agit chronicon, ſeu pars Annalium *Colmar.* altera, f) ubi præterea legimus: puerum *Rhenofeldæ* ab Epiſcopo *Conſtantienſi*,

d
e
f

pertius innuunt, profeſtum ſcilicet S. Benedicti. Sed & Birckenius lib. I. cap. XIII. pag. 111. equites illos ad quadringentos determinat, cum contra Sacerdotum numerum nonniſi ad trecentos reducat. Quod ut ſuo loco relinquimus, ita Abbates omnino ſexaginta, ut dicit, conveniſſe, hoc tale eſt, cui nemo facile, niſi qui hanc regionem longe, lateque Abbatiis tum conſitam fuiſſe putaverit, fidem arbitrabitur. Eundem tamen errorem, ante Birckenium, *Gerardus* de Roo, lib. I. p. m. 33. unde ille ſua hauſiſſe videtur, erravit. Rem igitur multo propius tetigiſſe videtur Urstis. chron. *Baſil.* lib. III. pag. 140. non ſexagenarium, ſed ſenarium Abbatum numerum definiens. Mittimus Birckenii errorem alterum, ſepulcrum Annæ, ſupra deſcriptum, e marmore exſculptum fuiſſe exiſtimantis.

a) Vid. chron. *Cl-Neoburg.* apud Pez. tom. I. col. 467. b. Hagenus col. 1093. Necrologia, *Murenſe*, & *Wettingenſe*, in quo tamen ultimo, lapſu typographico, denarius numerus unus abundat.

b) Annal. *Auſtr.* lib. I. pag. m. 8.

c) Vid. hic infra §. XXVII-XXIX. nec non XLII.

d) Part. I. p. 12.

e) Verba Annalium ſunt hæc: *Fuit & feretrum coopertum nobili baldico* (in parte ſecunda legitur *baldichino*) *quod eccleſiæ reliquerunt.* Qua quidem voce haud tegmen aliquod penſile, aut geſtatorium, quod baldichinum, ſeu baldachinum proprie notat, ſed tegmen funebre, tumbis mortuorum imponi ſolitum, intelligendum venit; ut quo feretrum coopertum fuiſſe aſſerit.

f) Pag. 40.

ſtantienſi, Regis cognato, RUDOLPHO nimirum *Habsburgico*, ſacro regenerationis lavacro ipſo die Sabbathi Sancti, ſolemnitatem Paſchæ præcedente ablutum, eoque ſuſcepto, non niſi *paucis ſeptimanis* ſuperſtitem fuiſſe.

XII. Ex his haud magna opera eruere eſt infantuli ætatem. Cum enim dies, S. VALENTINO ſacer, in XIV. *Febr.* ſolemnitas autem Paſchæ eo anno in V. *Aprilis* inciderit: conſequens eſt, ut infans ante ſuſceptum ſacrum baptiſma, menſibus fere duobus, ac poſtea ultra hos paucis hebdomadis; atque adeo circiter quartam anni partem vixerit, quod quidem cum iudicio, ex eius reliquiis ſupra allato, apprime convenit. Quare audiendus haud eſt SCHOENLEBENIUS, ſuis in ephemeridibus Principi ſex menſium ætatem attribuens. Multo autem minus adſtipulari poſſumus BIRCKENIO a) coniicienti: illum *Vindobonæ* ortum, nec multo poſt unacum matre defunctum, *Baſileam* deportatum fuiſſe. Alia enim omnia perſuadent modo dicta, ex quibus licet aperte conſequatur, illum quinquennio ante matrem obiiſſe: fieri tamen facile potuit, ut e tumulo poſtea exceptus, matrique ſive ſub ipſas illius exequias, ſive poſt temporis, abſoluto videlicet ſepulcro, ſive denique poſt magnum illum, de quo diximus, terræ motum, appoſitus fuerit. Nec non & ætas. a

XIII. Tertiam calvariam, in eodem tumulo repertam, ad HARTMANNUM filium pertinuiſſe, adſtantium dubitabat nemo. Congruebant quoque oſſa iuſtæ magnitudinis, quæ tamen pauca adhuc reſtabant, reliquis fortaſſe dicto terræ motu, urbem, ac templum ſuccutiente, *Rheno* abſorptis, id quod præter URSTISIUM, ſæpe laudata inſcriptio, a Republica *Baſileenſi* ineunte hoc ſeculo in tabula lignea exarata, ac ad latus ſepulcri Auguſtæ ſiniſtrum in pariete ſuſpenſa teſtatur, b) cuius interpretationem in exterorum gratiam hic apponendam duximus: HARTMANNUS, *Alſatiæ Landgravius, Regis* RUDOLPHI *Habsburgici filius, tertio loco natus, prope Rhenoviam, in inferiori Thurgovia, fluvium traiecturus, ſubverſa per intercurrentem, ac e profundo aſcendentem glaciem, navi, cum tredecim nobilibus ſubmerſus eſt, ætatis ſuæ anno octavo decimo, hic loci ſepultus ultimo Decembris anno Chriſti* 1280. HARTMANNI reliquiæ cum epitaphio. b

XIV. In hac inſcriptione; utpote recentiori, nonnulla luce, atque emendatione indigent, idque eo magis; quod Scriptores veteres æque, *Rheno* ſubmerſus eſt XX. *Dec.*

a) Loc. cit.

b) Textus Germanicus autographus hic eſt:

> HARTMANN Landgraf im *Elſas* König RUDOLFS von *Habsburg* dritter Sohn, als er bey *Reinau*, im undern *Thurgaü*, über das Waſſer fahren wolte, gieng das Schiff vom Grundeys verſenckt, zu Boden: iſt ertruncken mit 13. Adels-Perſonen, an S. THOMAS-Abend, im 18. Iahr ſeines Alters, ward alhie den letſten *Chriſtm.* begraben, im Iahr Chriſti 1280.

que, ac recentiores, circa res, obitum HARTMANNI circumſtantes, multis modis varient. Atque inprimis caſum hunc lugubrem in pervigilio S. THOMÆ Apoſtoli, ſeu viceſimo *Decembris* accidiſſe, præter
a inſcriptionem, chronicon *Auſtrale* plenius, a) chronicon MS. *Neo-*
b c d *ſtadienſe* b) CZERWENCKA, c) TSCHUDIUS, d) SCHOENLEBENIUS in *Ephemeridibus*, aliique, ab eo laudati, perhibent. Contra
e vero Necrologium *Wettingenſe*, e) quod & noviſſimus *Annalium*
f *Auſtr.* auctor f) ſecutus eſt, uno die excedit, ipſum feſtum S. THOMÆ triſti huic eventui aſſignans. Verum, ut iam alibi obſervavimus, religioſis familiis non raro in more poſitum fuit, ut nomina eorum, qui poſt veſperas, id quod hic facile etiam obtigit obiiſſent, ad diem ſequentem ſuis in diptychis notarent.

Non anno 1280. XV. Quemadmodum igitur in hac parte a vero haud abit epigrammatis auctor, ita in aliis duobus non poteſt non aberraſſe: ſcilicet quod HARTMANNUM inter fratres adultos tertio loco natum
g exiſtimet; cum ei, ut alias g) obſervavimus, revera ſecundus debeatur. Deinde ſubmerſionis epocham, quanquam eidem nonnulli et-
h iam ex antiquis adſtipulentur, h) ad annum 1280. perperam con-
i ſignari, evincunt diplomata i) indubiæ fidei duo, quorum is alteri una cum fratre ſuo ALBERTO *Wiennæ anno Domini MCCLXXXI. feria V. poſt octavam Purificationis B. V.* MARIÆ, i.e. XIII. *Februarii* ſubſcripſit, alterum propria auctoritate in oppido *Wintertur* IX. Kal. *Octobris* anno eodem obſignavit.

Nec an. 1282. ſed 81. XVI. Sunt contra alii non ultimi ſubſellii Scriptores, ut inter ceteros Annaliſta *Colmarienſis*, k) ac ſupra allegata hiſtoria *Auſtralis*,
k rem

Ap. FREHER. edit. *Struv.* ad an. 1282. T. I. pag. 475. ubi ſic: „ Comes HINRANNUS „(HARTMANNUS) filius Regis *Rom. Rhenum* „ nauigio deſcendere cupiens, cum aliis XVI. „ Nobilibus ſubmergitur. „

b) Cuius verba eadem fere ſunt cum chronico *Auſtrali*: „ MCCLXXXI. HERMANNUS „(iterum HARTMANNUS) filius Regis *Roma-* „*norum*, *Renum* navigio tranſcendere cu- „piens, cum aliis XVI. Nobilibus ſubmer- „gitur XIII. Cal. *Ianuarii*. „ Ubi vides annum hic unum præverti.

c) Pietat. *Auſtr.* P. I. p. 96.

d) Chronic. *Helvet.* tom. I. p. 180.

e) Cuius verba hæc ſunt: „ Anno Domini „ MCCLXXXI. obiit HARMANNUS, Comes „ de *Habspurg*, in *Reno* ſubmerſus XII. „ Kal. *Ianuarii*. „ Vid. Genealog. Diplom. Vol. III. p. 848.

f) CALLESIUS Annal. *Auſtr.* tom. II. p. 582.

g) Pinacoth. *Auſtr.* Vol. I. Proleg. III. §. XIV. pag. LII. Add. verſus antiquos, infra num. XXVII. producendos, ac diplomata paſſim.

h) Ut ARENPECKIUS, col. 1229. b. HORNECKIUS cap. 186. p. 173. ubi HARTMANNUM ante matrem obiiſſe refert. BIRCKENIUS *Specul. honor.* lib. I. cap. XIII. p. 109. Longius aberravit Anonymus *Leobienſis* col. 853. c. rem ad annum 1277. referens.

i) Extant in Geneal. Diplom. Vol. III. num DXCVI. p. 494. & DCI. pag. 501. Extat quoque tertium apud Cl. OEFELIUM *Script. rer. Boic.* tom. II. p. 104. datum *Nurnberg Kalend. Aug. indictione IX. anno Domini MCCLXXXI.* ubi HARTMANNUS iſthic pariter inter teſtes occurrit.

k) „ Filius RUDOLPHI Regis, Landgravius *Al-* „*ſatiæ* (ait ad an. 1282. p. 18.) ſubmer- „ſus fuit in *Rheno* prope *Rinaugiam*, & ſe- „pultus fuit in *Baſilea* a quatuor Epiſcopis.„ Verum cum ſepulturam cum morte ſimul coniungat, ſane excuſandus, ſeu benigne interpretandus eſt; cum haud dubie, ad chronographi eiusdem nominis morem, veteri annum putandi ratione uſus ſit. Atqui HARTMANNUM ultimo *Decembris*, quo iam annus ſequens inceperat, humatum fuiſſe docet SCHOENLEBENIUS l. c. nec non inſcriptio *Baſileenſis*. Annaliſtæ tamen etiam accedit MENLIUS in Chron. Genealog. *Habsb.* MS.

rem anno 1282. illigantes. Quin noviſſime HANTHALERUS, laudatorum diplomatum auctoritate ductus, a) huic ipſi opinioni album, quod aiunt, calculum adieciſſe viſus eſt. At chartæ illæ, ultima præſertim, qua HARTMANNUS venditionem prædii *Hagenbuch*, a *Peregrino* de WAGENBURC monaſterio *Toſſenſi*, ſeu *Toeſſenſi* factam, apud *Wintertur*, ſeu *Vitodurum* (oppidum a monaſterio *Rhenaugienſi*, infra quod Princeps hic noſter tantum adiit infortunium, duobus duntaxat milliaribus diſtans) confirmat, non plus probant, quam illum ſub ea tempora, id eſt, ineunte autumno, iis in partibus verſatum fuiſſe. Unde tantum abeſt, ut ne, vertente eodem anno, adhuc interire potuerit, ut id maxime etiam ſuffragetur. Periiſſe autem ſub exitum eiusdem anni, in vigilia nempe, ut oſtendimus, S. THOMÆ Ap. evincit epiſtola RUDOLPHI, patris eius, data, & obſignata anno 1282. *in caſtris* AUCE, *&* ANEGGE *VI. Kal. Sept.* b) qua EDUARDO I. Regi *Angliæ*, in hæc verba perſcribit: „ Licet paren- „ telæ vinculum inter inclitam domum veſtram, & noſtram contra- „ ctum, per mortem illuſtris quondam filii noſtri, HARTMANNI Co- „ mitis, infauſto omine ſit ſolutum. Quod autem dudum ſuper eo „ vobis non ſcripſimus, cauſa fuit doloris immenſitas, quæ ex hu- „ iusmodi caſu lugubri noſtri cordis intrinſeca ingenti vulnere ſau- „ ciavit. „ Diutius ſe nuntium mortis filii ſui diſtuliſſe, ait; unde intelligas, illam etiam diutius præceſſiſſe, cumque conſenſu Scriptorum in fine anni evenerit, nec, ut oſtendimus, in annum 1280. retrahi poſſit, nemo non videt, annum hic intelligi debere 1281.

a

XVII. Locus, HARTMANNO fatalis, hucuſque pariter ambiguus fuit, aliis *Rhenaugiam* abſolute, ut Annaliſta *Colmarienſis:* aliis *Rhenaugiam Alſatiæ*, *Baſileam* inter, & *Argentoratum* ſitam, ac ipſam aliquando voracibus *Rheni* undis abſorptam, ut TSCHUDIUS: aliis, cum inſcriptione noſtra, *Rhenaugiam*, monaſterium, & oppidum inferioris *Thurgoviæ*, aliis cum HASELBACHIO, & URSTISIO, *confluentias*, *Helvetiæ* vicum, ad *Rheni* traiectum, a celebri *Rhenovienſi* O. S. B. Abbatia tribus circiter milliaribus diſtantem, memorantibus. Verum ut hic ultimus rumor inde facile oriri potuit; quod fortaſſis vel ipſius *Landgravii*, vel certe ſociorum eius, nonnulla corpora ad *Confluentias* illas reperta fuerint: ita viſcera ipſius in eodem monaſterio, id quod rerum *Auſtriacarum* Scriptores hucuſque fugit, condita, argumento ſane ſunt, pro eodem etiam ſtandum eſſe.

Et quidem prope Abbatiam *Rhenovienſem.*

XVIII. Docet id inſcriptio, in templo dicti monaſterii olim legenda, & ab alumnis exſcripta, conſervataque, hunc in modum: ANNO MCCLXXXII. IN VIGILIA S. THOMÆ APUD INFERIOREM PONTEM RHENI SUBMERSUS EST HARTMANNUS, RUDOLPHI I. IMP. FILIUS, CUM TREDECIM NOBILIBUS, CUIUS VISCERA HIC

Ubi eius condita ſunt viſcera.

a) Faſtor. *Campilil.* Decad. IX. §. I. num. X. ad an. 1282. Idem exiſtimat Cl. SCHOEPFLINUS, *Alſatiæ illuſtrat.* tom. II. p. 501.

b) Extat apud RYMERUM *Act. publ.* tom. I. P. II. p. m. 209.

HIC ANTE GRADUM ALTARIS S. BLASII M. SEPULTA SVNT. Hanc vero epigraphen, quamvis ſatis probet, quod volumus, inter reſtitutas tamen, duplici ex titulo computamus. Primum, quod RUDOLPHUM *Imperatoris* axiomate ornet, iis temporibus, in monumentis ſaltem publicis nulli, niſi aureo *Romæ* diademate inſignito, tribui ſolito: deinde quod æram 1282. erronee ſcribat, ut ex dictis eluceſcit. Quare illam poſt annum 1375. quo *Rhenovienſis* Eccleſia conflagravit, poſitam, aut reſtitutam fuiſſe, arguimus. Sed & poſt temporis eadem viſcera a magni nominis Abbate GEROLDO II. de *Zurlauben* ex liberis Baronibus de *Thurn* & *Geſtellenburg*, in novam Baſilicam, a ſe unacum monaſterio ab anno 1710. ad 28. a ſolo excitatam, translata, ac extra chorum, prope aram B. V. MARIÆ, recondita, lapideque, cuius litteræ hodie detritæ ſunt, obtecta fuere, immiſſo tamen parieti lapide nigro, cum inſcriptione, quam licet & ipſa tam quoad epocham emortualem, quam & naſcendi ordinem, ut de *Auſtriaci* titulo, quem Princeps ille nunquam geſſit, nihil dicamus, mendoſa ſit, apponendam duximus.

HARTMANNO
SEREN.MO PRINCIPI AUSTRIACO
COMITI HABSBURGICO LANDGRAVIO
ALSATIÆ
RUDOLPHI I. AUGUSTI IMPERATORIS
FILIO NATU MINIMO
QUUM
DEVASTATIS PRÆDONUM ARCIBUS
OPTATA QUIETE
TOTA GAUDERET GERMANIA
DIE 20. DECEMBRIS ANNO 1280.
CUM 13. NOBILIBUS HIC AD INFERIOREM
RHENI PONTEM
INFELICI NAUFRAGIO SUBMERSO
CUIUS VISCERA
CORPORE BASILEAM DEVECTO
HIC LOCI IN VETERI IAM DESTRUCTA BASILICA
ANTE ANNOS 430.
FUERE CONDITA
HOC PIUM ÆTERNÆ MEMORIÆ MONUMENTUM STATUIT
GEROLDUS II. ABBAS RHENOVIENSIS
CUIUS OPERA ET LABORE
NOVA HÆC SPLENDIDIOR BASILICA
EXTRUCTA FUIT ET CONSECRATA
ANNO 1710.

XIX. Supereſt, ut uno verbo de ætate huius Principis dicamus. Eum duodeviceſimo vitæ anno interiiſſe, tanto Scriptores conſenſu tradunt, ut iisdem refragari, vix non temerarium videatur. At dubium tamen nonnemini movere queat charta, qua RUDOLPHUS, pater eius, antequam ad Imperii faſtigium eveheretur, Abbatiæ *Wettingenſi* nonnullarum poſſeſſionum uſumfructum conſtituit, actum, & datum in *Brugga* an. MCCLXXIII. die vero XIII. *Ianuarii*, a) ubi cum HARTMANNI non minus, quam fratris eius ALBERTI, conſenſus requiſitus fuerit, annos ſaltem pubertatis tum utcunque aſſecutos fuiſſe, exiſtimari poſſit. Cum igitur HARTMANNUS an. 1281. vertente defunctus, inſtrumentum vero an. 1273. ineunte, expeditum fuerit, annis pubertatis quatuordecim integri novem addi deberent; unde anni ætatis præter propter duo, & viginti emergerent. Verum cum ibi quoque filiarum, tam puberum, quam impuberum, b) mentio fiat, quæ ad id negotium conſenſum quoque dederint, id ad HARTMANNUM quoque extendi poſſe videtur. De ætate HARTMANNI nonnulla.

XX. Præter iam recenſitas, quarta quoque in eodem ſepulcro ſeſe obtulit calvaria, cum nonnullis oſſibus, eidem correſpondentibus. Hanc ad puerum novem, aut decem circiter annorum pertinuiſſe, præſentes iudicabant Medici. At vero num ille inter Comites *Habsburgicos* adnumerandus? nobis plane ambiguum eſt. Lucem quidem nonnullam afferre videtur chronicon *Colmarienſe* c) ad annum 1276. in hæc verba: „ Puer quinque annorum, filius RUDOL„ PHI Regis, acutis febribus laborabat, ſed ſtatim reſtitutus eſt ſani„ tati. Hic iuſſerat veſtes pauperibus elargiri, & baldicum cuidam „ incluſæ. „ Cum enim ex filiis RUDOLPHI adultis; ut qui hoc tempore prope omnes, uti videbimus, quintum ætatis annum ſuperaverant, hic nullus intelligi poſſe videatur, prope conſectarium eſt, hunc ipſum, poſtea defunctum, hic loci ſepulturam nactum fuiſſe. Verum ex dicendis patebit: ſermonem hic eſſe de filio Cæſaris RUDOLPHO, natu inter adultos minimo. Quare calvariam illam adventitiam iudicamus, tum temporis Auguſtæ tumulo illatam, cum eccleſia cathedralis terræ motu collapſa, reliquiæ Auguſtorum funerum collectæ, ac ſepulcro, quo de hucuſque egimus, reconditæ fuere. Alia calvaria, adventitia.

XXI. Præter hunc, de quo modo egimus, HARTMANNUM, RUDOLPHO, & ANNÆ filium huius nominis alterum, qui *Tullnæ* Eccleſiam, a patre ædificari cœptam, perfecerit, atque ibidem cum fratre FRIDERICO humatus fuerit, Scriptores nonnulli iuniores tribuunt. HARTMANNUS II. confictus.

a) Extat in Geneal. Diplomat. Vol. III. num. DXXIV. pag. 433.

b) Verba contractus ſunt hæc: „ De conſen„ ſu iam dictæ uxoris noſtræ libero, & ex„ preſſo, & ALBERTI, & HARTMANNI, fi„ liorum noſtrorum, nec non & filiarum „ noſtrarum, tam *puberum*, quam *impube*„ *rum*. „

c) Part. II. p. 40.

a buunt. a) Verum cum veteres, ante CUSPINIANUM, de altero hoc altum ſileant, indicio nobis eſt, illos ex eo deceptos fuiſſe; quod apud nonnullos HARTMANNUM modo ſecundo, modo tertio, immo
b & primo loco natum legerint; b) unde & binos confinxerunt. Sa-
c ne apud *Tullnenſes* nulla illius memoria, c) & ſi HARTMANNUS hic alter unquam inter mortales verſatus eſſet, ad eam pertingens ætatem, ut opus, a patre orſum, conſummare potuiſſet; qui fieri quiverat, ut inter tot diplomata, & chartas, quæ extant, nomen illius nuſpiam occurreret? Et cur non PETRUS, Epiſcopus *Patavienſis*, in diplomate, mox citando, quo anno 1277. VIII. Kal. *Dec.* filiis Auguſti, ALBERTO, HARTMANNO, & RUDOLPHO, feuda *Auſtriæ* confert, nullam illius mentionem faceret, aut, cum iuxta laudatos Scriptores uterque adhuc inter vivos eſſet, iuniorem a ſeniore haud diſcerneret? Adde carmen coævum, infra num. XXVII. producendum, HARTMANNUM alterum plane ignorans. Quare HARTMANNUM hunc inter filios Regis ſuppoſititios iure merito amandamus.

Quemadmodum HERMANNUS & FRIDERICUS.

XXII. Eodem plane loco habemus HERMANNUM, & FRIDERICUM, quos RUDOLPHI Aug. filios TULLNÆ in *Auſtria*, cuius cœnobii origines infra capite V. deſcribemus, cubare, CZERWENCKA, de RUDOLPHO agens, opinatur, d) dicens: „ Ad conteſtandum ve-
d „ ro maiorem affectum erga ſacras virgines (*Tullnenſes*) facto ad id „ eleganti ex marmore mauſoleo, filios ſuos HERMANNUM, & FRI„ DERICUM ibidem tumulari voluit. „ Adſtipulatur eidem, quoad poſteriorem, GANSIUS in *Arboreto*. Verum cum litteræ feudales va-
e riæ e) ab anno 1277. ad 79. editæ, non niſi ALBERTI, HARTMANNI, & RUDOLPHI, filiorum Cæſaris, mentionem faciant, in huiusmodi autem chartis, quibus dominia genti cuidam in beneficium conferuntur, pueri, in cunis etiam vagientes, excludi nec ſoleant, nec poſſint: planum fit, nullum eorum his temporibus ſuperſtitem fuiſſe. Quod ſi hoc, quo pacto in monaſterio *Tullnenſi* ſepeliri potuerunt? ut quod anno 1279. fortaſſis vix, ut infra cit. cap.

a) GANSIUS in *Arboreto* pag 7. LAMBEC. Diar. itin. *Cellenſ.* p. m. 6. LEQUILE Excurſ III. Sect. II. ex GUILLIMANNO: „ Primus igi„ tur RUDOLPHI I. Imperatoris filiorum „ HARTMANNUS fuit, quem deſideravit. „ Translatum id nomen a Comitibus *Ki„ burgi*, proavis maternis. „

b) Ut præter adducta epitaphia, ſupra citati HASELBACHIUS, TSCHUDIUS, ac LEQUILEUS ex GUILLIMAN. loco, mox adducto, ſciſcunt.

c) In Necrologio eorum legitur duntaxat HARTMANNUM, filium RUDOLPHI fundatoris 19. *Decembris* obiiſſe.

d) *Piet. Auſtr.* lib. I. cap. XV. p. 82.

e) Extant apud HUNDIUM *Metrop. Salisb.* tom. I. p. 259. & ap. LUNIG. *Spicil. Eccl.* II. *Theil.* p. 788. & apud HANSIZ. *Germ. Sacr.* tom. I. pag. 418. num. XVI. eius argumenti litteræ PETRI, *Patav.* Epiſcopi, dat. *apud Novam civitatem VIII. Kal. Decembr. indictione VI. anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.* Nec non BERTHOLDI, *Babenbergenſis* Eccleſiæ Epiſcopi, dat. *apud Babenberg anno Domini MCCLXXIX. XV. Kal. Octobris.* Vidimus etiam ſimilis argumenti litteras CHUNRADI, *Friſingenſis* Epiſcopi, XIV. Kal. *Iunii*, LEONIS, *Ratisponenſis* XVI. Kal. *Iul.* ac FRIDERICI *Salisburg.* Archiep. XII. Kal. *Aug.* ſingulas an. 1277. ſignatas, ubi non niſi ALBERTI, HARTMANNI, & RUDOLPHI nomina exprimuntur.

cap. V. videbimus, e fundamentis ſurrexerat. Quod ſi dicas: fieri potuiſſe, ut interim ſepulti alibi, in novum monaſterium translati fuerint: id quidem haud negamus; ſed tamen nec laudati auctores hoc innuunt. Denique ex poſt temporis naſci, ac ibidem ſepeliri potuiſſe, ideo inficiamur, quod ANNAM Auguſtam, RUDOLPHO iam tum anno 1240. 44. aut 45. iunctam, poſt an. 1279. quo altera ex citatis feudalibus litteris emanavit, id eſt poſt quinque, & triginta annorum matrimonium, atque adeo ætatis anno 49. aut 50. duos filios peperiſſe, credibile haud ſit: matrimonium autem RUDOLPHI alterum fecunditate caruerit. Quare omnem hanc hiſtoriam nter commentitia iure meritoque referimus. Conf. hic infra §. XLII[i]

XXIII. Redeamus itaque ad filios ANNÆ certos, quos inter recte computamus patri cognominem RUDOLPHUM, natu minorem. De eo pluribus egimus tomo præcedente. a) Quoad annum obitus variant Scriptores, aliis annum 1289. b) aliis 1291. c) ac iterum aliis ſequentem d) proponentibus. Sed omne dubium tollit auctor chronici *Sampetrini Erfordienſis*, e) non modo coævus, ſed qui exequiis eius præſens adfuit, ut ex ſequentibus verbis clareſcet: „Item in„fra octavam *Aſcenſionis* Domini (ait ad annum 1290.) Dux *Au„ſtriæ* (RUDOLPHUS nempe) Regis *Romanorum* filius, obiit *Pra„gis* apud Regem, & Reginam *Boemorum*, ſororem ſuam, cui ad „petitionem dicti Regis celebravimus ſolennes exequias, tanquam „præſenti, in choro noſtro, præſentibus omnibus Conventibus „Religioſorum, & Capitulis Clericorum, & populo civitatis. Cui „celebravit primam Miſſam Epiſcopus *Lauentinus*, ſecundam CHRI„STIANUS, Epiſcopus *Samnienſis*, tertiam Dominus Archiepiſco„pus *Salzburgenſis*.„ Scilicet cum RUDOLPHUS, Auguſtus pater, eo anno, eodem auctore, aliisque bene multis, immo & diplomatis ibidem ſubſcriptis teſtibus, *Erfordiæ* Comitia Imperii ageret, laudati Epiſcopi inter ceteros aderant, resque adeo tanto certior fit, quo rectius omnia conveniunt. Subſcribunt præterea eidem Annales *Colmarienſes*, f) chronicon *Auſtrale*, g) ac SIFFRIDUS Pres-

Mors RUDOLPHI, Cæſaris filii, an. 1290. a b c d e

f g

a) P. I. p. LII. §. XIV. ſeqq.
b) SCHOENLEBEN. in *Ephemerid. Genealog. Witteberg.* P. I. cap. III. p. 33.
c) Anonym. *Leobienſ.* col. 867. b.
d) PESSINA in *Marte Morav.* lib. III. cap. VII. p. 286. „Sublato ZAVISSIO, Rex provin„ciam *Brzedslavienſem* AGNETI, ſorori „ſuæ, RUDOLPHO, Cæſaris filio, nuptæ, „tradidit, qui RUDOLPHUS non multo poſt, „nempe anno 1292. in vigilia *Aſcenſionis* „Domini, ut habet FRANCISCUS, & BENES„SIUS, *Pragæ* obiit, in Eccleſia Divi VITI „ſepultus, relicto filio IOANNE.„
e) Apud MENCKEN. Scriptor. rer. *Saxonic.* tom. III. col. 296. d. ad an. 1290.
f) Pag. 25. ubi ad dictum annum ſic: RUDOL„PUS Rex in *Thuringia* fuit - - Dux *Al„ſatiæ* RUDOLFUS, filius Regis RUDOLFI, ob„iit, & in *Praga Bohemorum* ſepelitur.„
g) Inter Scriptor. *Frehero-Struvianos* tom. I. p. 480. „RUDOLPHUS, *Romanorum* Regis „filius, cum *Pragæ* vellet viſitare ſororem „ſuam, *Bohemiæ* Reginam, mortuus eſt.„ Auctorem horum verborum coævum eſſe, intelligitur ex ſequentibus: „Eodem an„no inveniebantur violæ in Nativitate Do„mini, & in Circumciſione, & Epiphania, „& deinceps per totam *Auſtriam* arbores „produxerunt flores in hortis, & poma„riis, ſicut in *Maio*, & *qui vidimus*, te„ſtamur, quia inſolitum prius fuerat.„

a Presbyter *Miſnenſis*, a) qui etſi eum anno 1290. adhuc cum patre *Erfordiæ* verſatum fuiſſe teſtetur, tantum tamen abeſt, ut ne exinde ſororem ſuam inviſurus (nam ea ex cauſſa *Pragam* venientem, rebus exceſſiſſe humanis, docent mox laudati alii) in *Bohemiam* excurreret, ut id ei, ob diſtantiam locorum haud adeo magnam, etiam facilius fuerit. Nam Cæſarem ſub initium eius anni, aut exitum prioris, comitante, aut ſubſequente ſaltem filio, atque adeo
b longius ante huius caſum *Erfordiam* veniſſe, exploratum eſt. b)

Eius dies obitus, & ſepultura.

XXIV. Diem obitus CZERWENCKA, qui ad calcem ſui operis de Sepulturis *Auſtriacorum* Principum data opera egit, in hunc modum deſcribit: c) „RUDOLPHUS, Dux *Sueviæ*, filius Cæſaris, cum
c „uxore AGNETE, ſorore WENCESLAI, *Bohemiæ* Regis, quæ Regis „fratris deſiderio maxime tenebatur, non minus æque, ac ipſe, vi„dendæ ſororis, in *Bohemiam* deſcendit, contractoque *Pragæ* mor„bo, ibidem obiit, V. Idus *Maii*, ætatis XXI. ineunte, ſepultusque „eſt in æde Divi VITI.„ Congruunt hæc cum Necrologio *Mariſtellano*, ſupra laudato, itemque GUILLIMANNO, eundem ponen-
d tibus diem. d) Quate citatus Chronographus *Sampetrinus*, qui obitum cum exequiis confundens, eum infra Octavam *Aſcenſionis* Domini collocat, benigne interpretandus eſt, immo cum idipſum feſtum an. 1290. in V. Idus ſeu XI. *Maii* inciderit, mox adductis auctoribus maior fides accreſcit præ iis, qui mortem Principis aut cum BALBINO in XVII. eiusdem menſis, aut cum PIESPRODIO, & LAZIO in Kalendas *Auguſti*, aut cum SCHOENLEBENIO in 28. *Aprilis*
reiiciunt. Sunt, qui eum in Vigilia *Aſcenſionis* Domini, id eſt X. *Maii* mortuum volunt, ut paullo ſupra allegatus PESSINA, & CRU-
e SIUS. e) Quibus ſecundum dicta hic §. XIV. haud inviti accederemus, ſi illum poſt ſynaxin veſpertinam eius diei ultimum duxiſſe ſpiritum, conſtaret.

Annique ætatis.

XXV. Addit CZERWENCKA, cui adſtipulatur LEQUILEUS f) eum in templo S. VITI *Pragæ* ſepulcrum, cuius hodie veſtigium
f haud

a) Apud PISTORIUM tom. I. pag. m. 1050. „Rex *Romanorum* RUDOLPHUS (inquit ad „an. 1290.) intravit *Turingiam*, reformans „pacem. - - Fueruntque ſecum filii ſui AL„BERTUS, & RUDOLPHUS, Dux *Auſtriæ*, „qui adhuc vixit, licet de morte antici„pando dictum ſit.„ Scripſit SIFFRIDUS regnante ALBERTO I. Cæſare, docente VOSSIO.

b) Supra memoratus Chronographus Sancti PETRI *Erfordienſis* loc. cit. ad annum 1290. „Eodem anno RUDOLPHUS Rex curiam „ſuam *Erfordiæ* celebravit in feſto Natalis „CHRISTI proximo.„ Id quod haud dubie de anno, ſecundum hodiernum putandi morem, priori 1289. accipiendum. Interim tamen diplomata, quæ quidem edita ſunt, *Erfordiæ* data, XII. Kal. *Martii* dicti anni 1290. ſuperiora haud ſunt, quale apud TESCHENMACHERUM *Hiſt. Cliv. Cod. Dipl.* pag. 6. extat. Ultimum, ibi ſubſignatum, exhibet LUNIG. P. ſpecial. Continuat. IV. Theil II. pag. 66. Dat. *Erfordiæ* Kal. *Novembris* indictione III. anno Domini MCCXC.

c) Loc. cit. pag. 128.

d) Ap. LEQUILEUM P. III. Excurſ. III. Sect. II.

e) *Annal. Suev.* Lib. III. cap. IX. P. III. p. m. 860. ex *Sindelfingano*.

f) Loc. cit. pag. 96. ubi ait: „Mortuus eſt „RUDOLPHUS an. 1290. quarto coniugii „anno, quinto Idus *Maii*, id eſt XI. eius„dem, ætatis 21. ingrediente, ſepultus „ibidem in monumento regio.„

haud extat, nactum fuiſſe, & quidem anno ætatis primo, & viceſimo. Qua in re fidem ei haud illubenter arbitramur. Nam Principum nuptias hac ætate multum feſtinatas fuiſſe, ſæpe animadvertimus, documentoque eſſe poteſt, quo de paullo ante egimus, HARTMANNUS; ut cuius nuptiæ circa feſtum Nativitatis B. V. anno 1278. decretæ erant, a) licet tum annum ætatis XV. ſecundum dicta hic §. XIX. nondum egreſſus eſſet. Idem eſt cum eius fratre, uxoreque AGNETE, nec non WENCESLAO, Rege *Bohemiæ*, & GUTTA, RUDOLPHI Cæſaris filia, huius itidem coniuge, ad quorum infantiam adludit HORNECKIUS, de ſponſalibus eorum, *Iglaviæ*, an. 1278. ad finem properante, peractis, agens. b) Cum igitur hæc, immo & concubitus prævius, ut l. c. diximus, eo iam anno factus ſit, matrimonio, quod anno vitæ quinto, aut ſexto decimo, pro more illorum temporum, c) facile inire poterat, in annum 1286. dilato: valde vero ſimile fit, eum anno 1290. quo ad plures abiit, annum ætatis primum, & viceſimum attigiſſe tantum. Quare ſupra §. XX. allegatum chronici *Colmarienſis* locum de ipſo accipiendum eſſe, nulli dubitantes, illum ſub medium anni 1270. natum fuiſſe, ſuſpicamur.

a b c

XXVI. Poſt obitum eius AGNETEM coniugem, CUNEGUNDIS ſororis ſuæ, Antiſtitæ S. GEORGII, exemplum ſecutam, aſſumpto habitu S. CLARÆ, in monaſterium ſe ſe abdidiſſe, ibique anno 1296. die vero XVII. *Maii* vita functam, & a quatuor Epiſcopis in tumulo compoſitam fuiſſe, BALBINUS d) refert. CRUGERIUS e) hanc ipſam obitus æram calculo ſuo comprobat, docens præterea: funus in templo ſororum S. CLARÆ Ord. *Minor.* apud S. FRANCISCUM habitu *Clariſſarum* ſepultum, cor vero, exemptum e corpore, in baſilica monaſterii *Aulæ Regiæ*, vulgo *Zbraslaum*, quod quadriennio ante frater

Agnetis vita monaſtica, atque obitus.

d e

a) Ut tom. præced. P. I. pag. LI. §. XII. docuimus.

b) Cap. CLXXIV. pag. 165. de WENCESLAO, & GUTTA canens:

Wer daz ſolt han vernommen,
Der wer lahens wol bechommen:
Daz ſy an wiczen, und an jarn
Paidew Chind warn,
Den teten ſy geleich,
Sy redten chindleich.

Et cap. ſeq. de AGNETE, futura RUDOLPHI coniuge:

Wie doch die Rain
Waz ze jung, und ze chlain.

DUBRAVIUS *hiſtor. Bohem.* Lib. VII. pag. m. 143. WENCESLAUM poſt cædem patris non niſi octavum ætatis annum egiſſe, teſtatur. „WENCESLAUS (ait) OTHOGARI fi„ lius, puſio erat, nondum annum excedens „ octavum. „ Et libro ſeq. pag. 147. eundem poſt reditum ex *Marchia Brandenburgica* quindecim annorum facit, ſtatim de eius nuptiis, quæ in annum 1286. ut diximus, cadunt, acturus. GUILLIMANNUS apud LEQUILEUM loc. cit. an. 1286. tempore nuptiarum annum ætatis ſextum decimum non exceſſiſſe opinatur. SCHOENLEBENIUS WENCESLAUM anno 1270. die XXVII. *Sept.* ex FUGGERO, GUTTAM vero anno ſeq. XVII. *Martii* ex VERNULÆO natos fuiſſe docet. Parum differt Geneal. *Witteberg.* P. I. cap. III. p. 47. quæ, retento anno, diem ſequentem ponit. Nos infra §. XXXIX. amplius docebimus, tam WENCESLAUM, quam GUTTAM, uno, eodemque anno 1271. editos fuiſſe.

c) Conf. dicta tom. præced. P. I. pag. XLVI. §. IV. ac præſertim pag. LII. §. XIV. Nec quemquam moveat, quod iuvenes Principes, iique etiam impuberes, ſponſaliis celebratis, uno in lecto cubarent, cum id tum in more poſitum fuiſſe, adductus HORNECKII locus doceat, nec tum pro re illicita haberetur.

d) Epitome lib. III. cap. XVI. pag. 308.

e) In *Sacr. memor. regni Bohem.* ad diem XVII. *Maii.*

a frater eius WENCESLAUS, & GUTTA uxor, condiderant, a) prope *Pragam* bihorio diſſitum, ſeorſim conditum fuiſſe. Hodie vero eius rei ſignum nullum ſupereſt, ſepulcris regiis bello *Huſſitico* apertis,
b deſtructisque. b) Quod autem addit idem CRUGERIUS: AGNETEM ante coniugium annis aliquot eiusdem parthenonis alumnam fuiſſe, ab OTTOCARO patre intruſam, ac ſubinde, quoad matrimonium inire poſſet, votorum diſſolutionem conſecutam: hoc illud eſt, quod cum veritate hiſtorica haud congruit, deceptusque videtur;
c quod CUNEGUNDEM, ſororem eius, cum AGNETE confuderit. c)

Quo

a) SARTORIUS in *Ciſtercio bis tertio*, edit. vernac. p. 740. qui, ut ex pag. 744. colligitur, diploma fundationis ante oculos habuit, initium huius Abbatiæ ad annum 1296. reponit: SCHOENLEBEN. Proleg. P. II. c. IX. pag. 205. annum ſequentem, addens: id die altero poſt coronationem, quam in annum 1297. incidiſſe alibi docuimus, ſuſceptum fuiſſe. Eidem adſtipulatur CZERWENCKA *Piet. Auſtr.* lib. II. cap. IV. pag. 234. Sed quemadmodum his plane adverſatur diploma fundationis. Ita ſæpe animadvertimus, eiusmodi litteras haud raro longius poſt iacta monaſteriorum fundamenta, immo iam pene ad faſtigium perducta, ſignatas fuiſſe. Conf. dicta ſupra lib. I. cap. VII. §. II. pag. 72. Unde nihil obſtat, quo minus & hoc cœnobium ante vulgatam chartam fundationis recipiendo cordi Principis aptatum eſſet.

b) Teſte laudato SARTORIO pag. 749. *Æneas* SYLVIUS *hiſtor. Bohem.* cap. XXXVI. pag. m. 145. ſeq. „ Fuit inter cetera monaſterium *Aulæ regiæ* apud ripam *Muldaviæ*, „ qua *Moſa* fluvius illi iungitur, ſitum, in „ quo *Regum corpora condebantur*, ſingularis excellentiæ; nam præter ædem magni, & memorabilis operis, amplum dormitorium, ceterasque monachorum offi„ cinas, magnifice exſtructas, quadrata por„ ticus fuit, quæ non parvum concluſit hor„ tum, ambitum vocavere. In huius lateri„ bus vetus, novumque Teſtamentum, ab „ initio *Geneſis* uſque ad *Apocalypſim* Io„ ANNIS, litteris maiuſculis in tabulis ſcri„ ptum, continebatur, notis, quo altius „ irent, paullatim creſcentibus, ita ut a ſum„ mo uſque deorſum lectio præberetur. Sed „ hoc decus poſt WENCESLAI mortem *Huſ„ ſitica* rabies delevit. „

c) Chronic. *Colmar.* P. II. p. 44. „ Rex *Bohe„ miæ* filiam ſuam, quam filio Regis RUDOL„ PHI matrimonio copulaverat, monialem „ fecit, & in clauſtrum Dominarum Or„ dinis *Minorum* ſolenniter collocavit. „ Chron. *Boh.* apud LUDEWIG Reliqq. MS. tom. XI. lib. II. c. 75. p. 309; „ Interea dum „ anno immediate ſequenti Rex OTTOCA„ RUS, ſecundum tractatum, concordiam, & „ ſponſaliorum contractum, eorundem con„ ſummationem declinare intenderet, quo„ rundam ſuorum inductione filiam, Regis „ *Romanorum* filio promiſſam, in monaſte„ rium S. FRANCISCI *Pragæ* dedit, *faciens* „ *eam ibidem regulam, & obedientiam pro„ fiteri.* „ DUBRAVIUS *hiſtor. Bohem.* lib. XVII. pag. 142. „ Filiam ſuam, quam fi„ lio RUDOLPHI deſpondit, DEO cum aliis „ decem puellis, conſecrat, ut mutuam di„ rumpat affinitatem. „ Ex his manifeſtum fit, AGNETEM hic intelligi haud poſſe; ut quæ anno 1278. annum ætatis ſeptimum fortaſſis haud egreſſa, per ſacros Canones profiteri, ſeu vota emittere, haud poterat. Vel igitur CUNEGUNDIS primis inter RUDOLPHUM Cæſarem, & OTTOCARUM pactis an. 1276. (de quibus videri poteſt Auctarium noſtrum diplomatum P. II. ad h. a.) initis, RUDOLPHO, filio Cæſaris, deſponſa, & anno 1278. in monaſterium, ad inſultandum Cæſari, detruſa fuit, vel, eadem ſtatum monaſticum ſponte eligente, rumor diſperſus fuit, ſponſam RUDOLPHI vi ad id compulſam fuiſſe. Atque hoc ultimum ut ſentiamus, tum ætas CUNEGUNDIS facit, quæ anno 1265. VI. Idus *Martii*, ut ait CRUGERIUS, nata, RUDOLPHO aliquot annis minori, veriſimiliter deſtinata haud fuit, tum BALBINI teſtimonium, qui CUNEGUNDIS ſtatum monaſticum deſcribens, de coactione nihil uſpiam memorat; quin ex eius relatu apparet, quam pronum fuerit, ut ob ſimilitudinem rei geſtæ, duæ ſorores confunderentur, quanquam & in eo hallucinari videatur BALBINUS idem; quod eam primum poſt mortem patris ſtatum monaſticum amplexam fuiſſe, velit. Eius verba *Miſcell.* lib. IV. p. 76. ſunt hæc: „ CU„ NEGUNDÆ huius (*Bohemis* KIENHUTÆ) „ litteras complures ad fratrem Regem in „ archivio S. GEORGII vidi. Nata eſt pa„ tre OTTOGARO bellicoſiſſimo, - - matre „ CUNEGUNDA, ROSISLAI, *Bulgarorum* „ Regis, filia, - - ab ineunte ætate puella nil, „ niſi DEUM, & divina ſpectabat. Occiſo „ patre, nacta libertatem, DEO ſeſe devo„ vendi, an. 1278. cum aliis 14. lectiſſimis, & „ nobiliſſimis Virginibus S. AGNETEM, - -

Quo enim pacto monialem induta, ac profeſſa fuiſſet, quæ HORNECKIO, ut diximus, an. 1278. adhucdum infans audit? immo quæ an. 1271. nata, tum non niſi annum ætatis ſextum, aut ſeptimum agebat? Unde nec eidem fidem adhibere poſſumus, adſtruenti, illam an. 1265. ad VI. Idus *Martii* in lucem editam fuiſſe: quin id potius de CUNEGUNDE, eius ſorore, accipiendum eſſe arbitramur. Cum enim idem HORNECKIUS eam marito ſuo iuniorem faciat, non videmus: cur ipſum motrimonium, poſt ſponſalia dicto an. 1278. iam habita, niſi per utriusque ætatem, in an. 1286. dilatum fuiſſet.

XXVII. Sequuntur RUDOLPHI, & ANNÆ filiæ, de quorum naſcendi ordine, alibi a) a nobis tentato, certiora nunc in medium afferre poſſumus. Sunt autem verſus antiqui *Leonini*, ac coævi, a GUILLIMANNO apud LEQUILEUM producti, rudi ac ſicca Minerva, prout ætas illa ferebat, procuſi, ſuper verba illa CHRISTI Domini: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*, hunc in modum: Ordo, & numerus liberorum Cæſaris.

Ecce bonos fructus profert arbor bona, teſtis
Vox Evangelii probat iſta nobis manifeſtis.
Arbor præſignis Rex RUDOLPHUS, pietate
Conſpicuus, prolem genuit mira probitate.
Nam Rex hic ſuperexcellens laicalia, vere
Tres natos, & ſex natas monſtratur habere.
Iſtius egregiæ prolis fragrantia late
Nomina, coniugia perſtringam ſub brevitate.
ALBERTUS, cui ius primogeniti foret enſis,
Coniugii lege gener eſt Comitis *Tyrolenſis*.
HARTMANNUS, ſocer es rex *Angliæ*; nam tua nata
Eſt tibi danda, prout ſponſalia ſunt celebrata.
RUDOLPHUS puer impubis iugia connubialis
Legis neſcit adhuc, virtutum præditus alis.
Ecce *Palatino* LUDOVICO maxima nata
MECHTILDIS nubit, quod res digna relata.
*Saxonico*que Duci datur AGNES, quæ genitorum
Exæquare ſtudet veſtigia ſtemmate morum.
Huic ſedet HELWIGIS, quæ legis connubialis
Neſcia, ſub matris vivit, prout hanc decet, alis.
Filius HENRICI *Norici* Ducis OTHO vocatur,
Cui CATHERINA decens per coniugium ſociatur.

Innuba

„ WENCESLAI I. Regis *Bohemiæ*, ſororem, „ imitata, parthenonem S. CLARÆ ad *Sal-* „ *vatorem* in antiqua urbe *Pragenſi* ingreſ- „ ſa eſt. Sed poſt annos duodecim, ad fra- „ tris ſui in regnum *Poloniæ* iura firmanda, „ Papa annuente, coacta, *Maſſoviæ* Duci in „ coniugem datur. Duce marito viduata, „ ſub A. C. 1302. XXII. *Iulii* DEO ſeſe re- „ ſtituit. Neque tamen prius illud S. CLA- „ RÆ clauſtrum repetiit, ſed, fratre opti- „ mo apud Pontificem agente, S. GEOR- „ GII parthenonem ſubivit, ubi deinceps „ electa Antiſtita, an. 1312. XIII. *Februarii*, „ ut habet BENESSIUS, obiit, ac ſepulta eſt. „ In monumentis cœnobii *Beatæ* titulo in- „ ſignitur. „

a) Tom. præced. Proleg. III. §. XI. pag. L.

Innuba præluſtris CLEMENTIA cœlibe vita
Vivit adhuc, cultu morum mire redimita.
Pupillo Regis ODOCARI filia Regis,
Nomine GUTTA, datur ſocialis fœdere legis.

Quorum ætas oſtenditur.

XXVIII. Ætatem hæc diſticha, fortaſſis a CONRADO, Cantore *Turicenſi*, ex aliis carminibus, a) honori RUDOLPHI Cæſaris dicatis, noto, profecta, ſuapte produnt ſuam. Cum enim ſponſalia HARTMANNI cum IOANNA, EDUARDI I. Regis *Angliæ* filia, ſub initium anni 1278. contracta ſint, b) non poſſunt non poſt id temporis fuiſſe conſarcinata. Sed & ſerius adhuc edita fuiſſe, ex duobus verſibus ultimis, quæ de GUTTÆ ſponſalibus agunt, innoteſcit, quæ eodem quidem anno, & poſt occaſum OTTOCARI, Regis *Bohemiæ*, *Iglaviæ* contracta fuiſſe, alibi c) docuimus, & quidem menſe *Octobri* teſte Chronographo *Colmarienſi*, ac *Salisburgenſi*. d) Cumque præterea

a) Ea primus edidit Reverendiſs. *Dominicus* TSCHUDIUS, Abbas *Murenſ.* Orig. & genealog. Comit. de *Habsb.* p. m. 124. edit. 2.

b) Extat in *Actis publ. Anglican.* RYMERI tom. I. P. II. p. m. 161. *data* WIENNÆ *ſept. Kal. Octobris, regni noſtri anno quinto*, epiſtola RUDOLPHI aſſertoria, qua HENRICO, *Baſileenſi* Epiſcopo, & ANDREÆ, Præpoſito *Verdenſi* poteſtatem facit, ſponſalia HARTMANNI nomine contrahendi. Quod quidem negotium ſub initium anni ſequentis ab ipſis explicatum iam fuiſſe, intelligitur ex inſtrumento alio, ibid. pag. 164. legendo, ac *Dat.* LONDON. *Die Dominica in Octabis* S. STEPHANI *prothomartiris, anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo.* „Frater HENRICUS, DEI gratia „*Baſilienſis* Epiſcopus, & Magiſter ANDREAS, Præpoſitus *Verdenſis*, ſacræ Imperialis aulæ notarius, Sereniſſimi Principis „Domini RUDOLPHI, DEI gratia *Romanorum* Regis, Nuncii - - declaramus, „quod cum magnificus Dominus noſter R. „*Romanorum* Rex inclytus, illuſtrem HARTMANNUM, Comitem de *Habsburg*, & de „*Kiburg*, *Alſatiæ* Landgravium, natum „ſuum, inclytæ domicellæ IOHANNÆ, magnifici Principis Domini EDWARDI, DEI „gratia Regis *Angliæ*, Domini *Hiberniæ*, „& Ducis *Aquitaniæ*, filiæ, matrimonialiter copulare promiſerit, & ſuper matrimonio ſolempniter conſummando mutuis conſenſibus, *iam ſponſalia ſint contracta.*„ Matrimonium etiam haud dubie ſubſecutum fuiſſet, niſi ſponſo morbo afflicto, novum iniectum fuiſſet impedimentum, id quod ex RUDOLPHI Cæſaris litteris ineditis, apud laudatum RYMERUM haud reperiundis, atque e codice MS. Bibliothecæ Cæſar. membranaceo ſeculi XIV. a nobis alibi laudando, num. 140. pag. 4. adverſa, eductis, innoteſcit. „Accito nuper illuſtri Principe N. pro filio noſtro dilecto, ad procedendum in *Angliam*, ut celeberrima illa, & ſancta connubia, inter eundem noſtrum genitum, & inclytam filiam Tuam, felicis ſideris auſpicio ordinata divinitus, exhibicione proprie preſencie conſumaret. Ecce quod Tibi infeſti ſtili denunciacione differimus, ad tenellam predicti filii noſtri, & fragilem corporis fabricam diſſolvendam, inopinatam morbus infeſtus machinam erexit, qui diu tandem contendens, de repugnatrice natura degenerem triumphum viriliter reportare, bellorum vires varias alteravit, ſed tandem illius, qui infirma plerumque conſolidat, manu nunc interiecta, invaletudinis ſue languor elanguit, ipſo noſtro filio priſtine ſanitatis effectui reſtituto. Quapropter predictum principem, virum induſtrium, fidum, procul dubio honoris tui, & glorie zelatorem, ad tuam preſenciam ante faciem prenotati filii noſtri premittimus, ut tante more cauſas ſerenitati tue lucidius imprimat, & iocundius adventus ſui diem prenunciet interpretacione certiſſima vive vocis, cuius ſane verbis fidem credulam adhibere Te petimus, ac fide noſtri oraculi voce veridica quodam modo reſonarent.„

c) Tom. præced. P. I. Proleg. III. pag. XLVI. §. IV.

d) Chronic. *Colmar.* P. II. p. 47. „Regina „*Bohemiæ* cum RUD. rege ita compoſuit, „quod filius reginæ filiam regis RUD. duceret uxorem, quod factum eſt intra octavas S. FRANCISCI.„ Cuius feſtum nempe IV. *Octobris* celebratur. Chronic. *Salisburg.* apud *Hier.* PEZ tom. I. col. 380. b, c. „Filia etiam *Romanorum* Regis, filio Regis „*Bohemiæ* deſponſatur, matrimonium inter „ipſos eatenus contrahitur, quatenus minor ætas ſuſtulit in utroque.„

terea neſcierit Poeta ſponſionem matrimonii inter RUDOLPHUM *Habsburgicum*, & AGNETEM *Bohemicam*, uno, atque eodem, cum ſponſalibus WENCESLAI, & GUTTÆ, tempore factam fuiſſe; ut quem *iugia connubialis legis adhuc neſcire*, ſcribit: ſignum eſt, carmina iſta non multo poſt edita fuiſſe. Rumore, ac fama nempe, de ſponſalibus WENCESLAI, & GUTTÆ; utpote re gravioris momenti, celerius ad aures Poetæ noſtri delata. Quare hos verſus in menſem *Novembrem*, aut *Decembrem* anni 1278. reiiciendos, exiſtimamus.

XXIX. His igitur pro fundamento ſat ſolido poſitis, e numero filiorum RUDOLPHI iterum eiicimus HARTMANNUM II. HERMANNUM, & FRIDERICUM, de quibus ſupra. Expungimus præterea e filiarum numero imprimis MARGARETHAM, *Clivenſi* Comiti, THEODORICO nuptam. a) Hanc enim ad ſummum RUDOLPHI cognatam opinamur. Deinde anonymam, coniugem WILHELMI de *Ochſenſtein*, HENNINGESIO b) memoratam, ſed quem refutat PFEFFINGERUS. c) Denique & COLETAM, quam Scriptores Ord. S. FRANCISCI ſuis adſcripſere. d) Præterquam enim, quod neque adducti verſiculi, nec Scriptores antiqui, & coævi, de iis mentionem ullam faciant, nihil minus, quam fide dignum eſt, quod ANNA poſt annum 1278. tot filios, filiasque peperiſſet. Adde litteras feudales, ſupra §. XXII. excitatas, ex quibus plane innoteſcit: RUDOLPHO menſe *Septembri* anni 1279. non niſi tres filios fuiſſe. De EUPHEMIA, cui Necrologium *Tullnenſe* ſolummodo favet, poſtea videbimus.

Unde nonnulli filii, filiæque, ex albo prolium expungendæ.

a b c d

XXX. Itaque certiora ſectantes, MECHTILDEM primo inter ſorores loco collocamus. Inter ſorores inquam; quanquam enim laudatus verſificator fratres præmittat ſingulos, nemini tamen ambiguum eſſe debet, quin id duntaxat honoris, ac dignitatis ergo fiat. Unde illi ſororibus ſuis partim iuniores, ſeniores partim facile eſſe poſſunt. Hanc LUDOVICO *Severo*, Comiti *Palatino Rheni*, ac Duci *Bavariæ*, ſtatim *Aquisgrani* poſt coronationem Cæſaris in manus conveniſſe, alibi e) oſten-

Nuptiarum MECHTILDIS epocha, mortis, genus, & ſepultura.

e

a) Referente GANSIO in *Arboreto*.
b) P. I. in quarta Monarch. p. 271.
c) Ad VITRIAR. lib. I. tit. V. p. 629.
d) P. *Antonius* STOECKLER in append. ad Speculum virtutum P. I. p. 433. MARCUS *Ulyſſiponenſis* P. II. lib. IV. cap. XV. §. I.
e) Cit. tom. præced. P. I. pag. XLVII. §. VI. Accedit nunc Annalium *Colmarienſium* auctoritas, qui ad annum 1274. pag. 11. ſic habent: „Filia Regis RUDOLPHI, Duciſſa *Ba*„*variæ*, peperit filium, circa quartum *No*„*nas Octobris*.„ Hæc verba de CATHARINA, coniuge OTTONIS, Ducis *Bavariæ*; utpote cuius nuptiæ in annum 1276. cadunt, accipi nequeunt. Quæ autem IV. *Nonas Octobris* parit, hanc menſe *Novembri*, ut ibidem diximus, ordinem naturæ conſuetum ſi ſpectemus, ductam fuiſſe oportet. Hæc ipſa Annalium *Colmarienſium* verba, ſupra Lib. I. cap. IV. §. XXVIII. p. 48. a nobis ipſis adducta, ſed non ſatis accurate expoſita, hoc modo intelligi debere, etiam ex *Henrico* STERONE patet, qui ad an. 1273. hoc modo: „Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens „in palatio *Aquenſi*, ad quod iam pridem „inthronizatus a Principibus fuerat, duas „filias ſuas, unam Domino LUDOVICO, Co„miti *Palatino Rheni*, alteram Duci *Saxo*„*niæ* matrimonialiter copulavit.„ Verborum horum auctorem coævum ſane fuiſſe, patet ex iis ad annum præcedentem, ubi HERMANNUM, Abbatem *Altahenſem*, eo anno defunctum, extollens laudibus, hæc ſubiungit: „Ego *Henricus* STERO, capel„lanus ſuus, hæc addidi, videns in eo ti„morem Domini, & ſapientiam magnam „eſſe, & ſcio, quod verum teſtimonium „meum.„

a oſtendimus. Quanquam alii aliter ſentiant, a) aut ſaltem, an non conſummatio matrimonii in annum ſequentem differenda ſit, dubi-
b c tent. b) Mortem oppetiit anno 1304. X. Kal. *Ianuarii* c) ex animi mœrore, inde concepto, quod a filio RUDOLPHO, illicitæ cum *Conrado* OTTLINGERO, *Mylhuſii* Dynaſta, cuius conſiliis uti conſueverat, familiaritatis poſtulata, *Monachium*, unacum filio, per ſummam iniuriam captiva deduceretur: ipſo OTTLINGERO capitis damna-
d to. d) Corpus eius *Fürſtenveldam* delatum, ibidem iuxta maritum,
e f decennio ante defunctum, e) depoſitum fuit. f)

Cuius hodie veſtigium haud ſupereſt.

XXXI. Eſt autem *Fürſtenvelda* inſignis Ord. *Ciſterc.* Abbatia, ad *Ambronam* fluvium, ab ipſo LUDOVICO *Severo* conſtituta, atque ex poſt com-

a) *Paulus* LANGIUS chron. *Citizenſ.* ap. PISTOR. tom. I. pag. 1187.

b) GUILLIMANN. apud LEQUILEUM.

c) Teſte HUNDIO Metrop. *Salisburg.* tom. II. p. 227. CRUS. *Annal. Suevor.* lib. III. P. III. cap. XVII. Latinæ edit. Quin & Anonymo, Monacho *Bavaro* veteri, ap. Cl. OEFELIUM, *Rer. Boic. Script.* tom. II. pag. 340. b. ambo eundem diem & annum ponentes, quibus quoad hunc adſtipulantur Scriptores *Boicarum*, aliarumque rerum plures.

d) Rem fuſius explanat ADELZREITERUS *Annal. Boic. Gent.* P. I. lib. XXV. col. m. 668. cuius verba apponere iuvat. „Sed neque (ait) culpa caruit RUDOLPHI factum in MECHTILDEM matrem, ALBERTI (Cæſaris) ſororem, plenum inhumanitatis. Erat in MECHTILDIS poteſtate LUDOVICUS filius, quem ſuo loco videbimus Imperatorem. RUDOLPHUS fratris pupillarem procurationem contendebat ad ſe pertinere. Ergo matrem per invitam, fratremque ex *Schiltperga* arce primæ *Vindeliciæ* captivos *Monachium* abducit. MECHTILDIS plurimum utebatur opera, conſiliisque *Conradi* OTTLINGERI (hunc *Mylhuſii*, qui locus, & arx prope *Pheringen* infra *Ingolſtadium* quærendus ſit, dynaſtam, citatus appellat CRUSIUS) viri rara prudentia, eoque inviſi RUDOLPHO, quod cum fide res MECHTILDIS gereret, cenſeretque, LUDOVICUM in matris cura eſſe retinendum. RUDOLPHUS autumans, aliter ſe voto non poſſe potiri, niſi ſublato conſultore, & adiutore materni iuris, OTTLINGERUM ſuſpectæ cum MECHTILDE familiaritatis, aliorumque criminum per quadruplatores inſimulat, & menſe *Novembri* damnatum, afficit capitali ſupplicio filius degener, & proditor maternæ innocentiæ. Quid ageret calamitoſa mater? - - Ut erat apprime ſapiens, & cordata, mœrorem diſſimulat, & neceſſitatem vertit in rationem. Accito EMICHONE, Epiſcopo *Friſingenſi*, & OTHONE, ſecundæ *Bavariæ* Duce, oppida violenter adempta, ceterasque poſſeſſiones RUDOLPHO concedit, reſervato tamen ad viduitatis alimenta exiguo cenſu. Tum perſuadet RUDOLPHO, pactum fore ſtabilius, atque extra omnem aleam, ſi Cæſaris iudicio firmetur. Ergo ſimul ad ALBERTUM proficiſcuntur, ubi *Hœchſtadium*, locum extra RUDOLPHI ditionem venerant, MECHTILDIS extemplo negat, ſe pactioni, per vim a captiva iniquiſſime extortæ, ulla ratione teneri, filium apud Cæſarem iniuriarum arceſſit, & *Nordlingæ* poſtliminium impetrat, non modo ad iura dotalium bonorum, ſed etiam ad curam tutelarem LUDOVICI filii, negantis, ſe domum rediturum, niſi ſub materna poteſtate.„ Eadem fere ad eundem annum habet BRUNNERUS *Annal. Boic.* P. I. p. 232. itemque CRUSIUS *Annal. Suevor.* P. III. lib. III. cap. XVII. pag. 878. edit. *Germ. Moſerianæ*, rem tamen ad annum 1303. reponens. Sed magis fidendum Scriptoribus *Boicis*. Quanquam & Anonymus in *Farrag. Hiſt.* ap. laudatum OEFELIUM tom. II. pag. 506. annum 1299. aſſignet, uti & breve chronicon *Auguſtanum* ibid. pag. 617. annum 1302.

e) Teſte citato Anonymo, Monacho *Bavaro*, in *Compilat. Chronolog.* quoad annum nempe; nam cetera ipſum feſtum *Purificationis* morti eius deſtinat, cum contra VOLCMARUS Abbas apud laud. OEFELIUM tom. II. p. 535. b. vigiliæ eiusdem feſti memoret, ſequacem nactus BRUNNERUM loc. cit. ad an. 1294. Concordat quoque ADLZREITER l. c. p. 661. niſi quod ibi errore typographico *Kal. Ian.* legatur. Nam auctorem *Kal. Febr.* in mente habuiſſe, ex eo patet, quod paullo ante dixerat: ſupremas eius tabulas *IV. Kal. Febr.* conditas fuiſſe. Quare audiendus haud eſt *Ladislaus* SUNTHEMIUS, *Famil. Ducum Bavar.* ap. eundem OEFELIUM tom. II. p. 564. a. Nec VITUS, Prior *Eberſpergenſis* ibid. p. 718. obitum eius in annum ſequentem differentes.

f) Teſtibus iis ipſis, quos pro die, & anno mortis eius allegavimus.

communi Comitum, ac Ducum *Palatinorum* ſepulturæ deſtinata. a) Ineunte ſeculo XVI. a *Ioanne* SCHARB, b) Abbate eiusdem loci, ſupra eandem cryptam conſtitutum eſt monumentum, e ligno fabricatum, idque anno 1591. etiamnum ſuperfuiſſe, ex litteris LEONARDI Abbatis, eodem anno, die vero XV. *Febr.* datis, ac P.II. huius tomi Auctario dipl. ſuo loco inſertis, comperimus. At hodie de novo exſtructa æde ſacra monaſterii, illius monumenti, ſepulcrique ne veſtigium quidem reſtat. Oſſa Principum, iuxta ac aliorum huius loci benefactorum, ita ut foſſoribus occurrebant, in vicinum cœmeteriolum egeſta, ſimul terræ permixta, inter plebeias, ut nobis relatum fuit, exuvias, inſigni vanitatis humanæ ludibrio, computreſcunt, atque hodierni monaſterii alumni circa ipſum ſepulcri locum laborant. a b

XXXII. De ætate MECHTILDIS, antiquis Scriptoribus altum ſilentibus, nec ullum, rem eruendi ſuppeditantibus argumentum, nihil nobis conſtat. Nimium tamen provectam haud fuiſſe, ex impacto ei, de quo diximus, crimine colligere eſt. Nam etſi illud, ut laudati auctores docent, æque falſum, ac iniuſtum fuerit, ad inducendum tamen rei colorem, ut fit, ac veri ſpeciem, neceſſe omnino fuit, ut annis adhuc minime gravis fuerit. Demus illi itaque ſub nuptiarum ſolemnia annos circiter duos, & viginti, ad diem obitus uſque tres, & quinquaginta prodibunt. Nam etſi, ut paullo ſupra obſervavimus, ſub ea tempora Principum liberi, vix dum pubertatis annos egreſſi, nuptui dari conſueverint; hæc tamen, utpote viduo, tertium nubenti, iungenda, annum vitæ ſecundum, & viceſimum facile impleverit. Coniectura de eius ætate.

XXXIII. AGNETEM, RUDOLPHI Cæſaris filiam alteram, ALBERTO II. Duci *Saxoniæ*, *Aquisgrani* eodem tempore, quo MECHTILDIS, eius ſoror, de qua mox diſſeruimus, LUDOVICO *Severo*, Duci *Bavariæ*, in matrimonium ceſſit, in manus conveniſſe, argumenta, Scriptoresque iidem, quos pro tempore nuptiali MECHTILDIS ſupra attulimus, comprobant. Eam anno 1322. ad plures abiiſſe, epitaphium eius, a *Philippo* MELANCHTONE, ante bellum *Schmalkaldicum* exſcriptum, conſervatumque, docet. Extabat illud olim Mors, & ſepultura AGNETIS.

a) Cauſſam, & origines huius monaſterii afferunt Scriptores rerum *Boicarum*, e quibus inter ceteros nominare iuvat ADLZREITERUM P. I. lib. XXIV. col. m. 640. ſeq. Diploma fundationis exhibet GEWOLDUS ad HUNDIUM tom. II. p. 227. datum *Monaci* anno MCCLXVI. menſe *Febr.* VIII. Verum manum operi iam aliquot annis antea admotam fuiſſe, ex laudati Anonymi *Compilat. Chronolog.* p. 338. a. colligitur, qui primum adventum monachorum ex *Alderſpach*, ad an. 1258. mox vero ad an. 1262. refert. Anonymus vero *Fürſtenveldenſ.* ap. laudat. OEFELIUM tom. II. p. 555. b. ad an. 1266. Unde LUDOVICUS *Severus* in citato diplomate fundationis: „ Cum igitur, (ait) „ - - Abbatiam monachorum *Ciſtercienſis* „ Ordinis fundare *iam ceperimus*, & con„ ſumare, auxiliante Domino, feliciter & „ efficaciter intendamus. „ Ex quo iterum patet, origines monaſteriorum, aliarumque communitatum raro, cum chartis fundationis componendas eſſe.

b) GEWOLD. l. c. pag. 232. „ Anno Domini „ 1505. eligitur in Abbatem Reverendus *Ioan„ nes* SCHARB, vir in ſacris litteris, & liberali„ bus artibus peritus, qui cum Abbas præfuiſ„ ſet ſeptem annis, in Domino mortuus eſt. „

olim in templo *Minorum* S. FRANCISCI *Wittebergæ*, ubi ea in medio choro ſita eſt, & ſic habet:

DOMINA. HAGNE. VXOR. ALBERTI. II. DVCIS.
SAXONIÆ. FILIA. IMPERAT. RUDOLPHI. MOR-
a TVA. EST. M. CCC. XXII. a)

Cum hac inſcriptione conſentiunt Scriptores *Rer. Saxonic.* quotquot
b conſuluimus, ac præſertim BECMANNUS. b) At viro præſtantiſſimo, D. AUGUSTINO a *Leyſer*, Potentiſſimi, dum viveret, *Poloniarum* Regis, & Principis Electoris *Saxoniæ*, a conſiliis, ac Conſiſtorii Eccleſiaſtici Directore, per litteras nos edocente, *Wittebergæ* membrana aſſervatur, anno 1558. cum iuſſu AUGUSTI, *Saxoniæ* Electoris, turrium arcis *Wittebergenſis* faſtigia fierent, conſcripta, hæc inter cetera continens: „ Dux ALBERTUS II. filius ALBERTI I. obiit anno
c „ MCCXCVII. c) ſepultus in templo *Franciſcanorum Wittebergæ*. „ Coniux eius Domina HAGNE, filia RUDOLPHI Imperatoris, obiit „ anno MCCCXII. ſepulta in medio choro.„ Num hic denarius numerus deſit, an illic abundet? monumentis idoneis deſtituti, Eruditæ *Saxoniæ* decidendum relinquimus. Lapidem eius ſepulcralem adumbrandi copia non datur. Nam facta in his terris ſacrorum mutatio, etiam hunc lapidem movit, quum & reliqui abaci omnes ſic inverterentur, ut inſculptæ litteræ, & figuræ deorſum ſpectarent, nec ſine Regis Electoris venia lapidem ullum moliri, & excipere, laudato LEYSERO monente, liceat. De ætate quoque eius pariter incerti ſumus. MECHTILDE tamen, ſorore eius, haud multo inferiorem fuiſſe, ex nuptiis earum, uno eodemque tempore celebratis, colligitur.

Itemque HEDWIGIS.

XXXIV. Succedit HEDWIGIS, quam OTTONI *Parvo* an. 1278. aut ſub initium ſequentis, in matrimonium elocatam fuiſſe, tomo ſu-
d periori d) docuimus. Id quod ex adductis paullo ſupra verſibus antiquis, eo anno procuſis, ubi cœlibi adhuc vitæ addicta eſſe dicitur, contra ſecus ſentientes, haud leviter confirmatur. Obiiſſe ſcribitur
e anno 1303. e) in Marchionatu quidem *Brandenburgico* humata, at quonam in loco, aut templo? nondum explorare potuimus. Fortaſſis

a) Exhibemus illud, prout exhibuit *Samuel* REYHERUS, *Monument. Landgraviorum Thuringiæ*, apud MENCKEN. *Script. rer. Sax.* tom. II. col. 849. Affert illud quoque inter cetera, ibidem olim exiſtentia epitaphia, MENTZIUS in *Syntag. Epit.* L. I. pag. 126. cum pag. 124. hæc præmiſiſſet: „ Sunt autem collecta, & conſervata hæc nomina, & epitaphia Principum, quæ ſubiiciemus, a Præceptore noſtro, *Philippo* MELANCHTONE. Cum enim CAROLUS V. bellum, & vaſtationes his regionibus aſſidue minaretur, propter mutationem, in religione factam, IOANNES FRIDERICUS, Dux *Saxoniæ*, Elector, ut eſſet contra quemvis belli impetum munitior, ingenti vallo, foſſa, & duplici muro lateritio, oppidum *Wittebergam* communivit. - - Ne autem commeatus forte deeſſet, obſidionis tempore, ex templo cœnobii *Franciſcanorum*, fundati anno 1238. fecit granarium. „

b) *Hiſtor. Anhalt.* pag. 44.

c) Alii mortem eius ad annum ſequentem collocant, poſtque CUSPINIANUM docent: illum *Aquisgrani* ſub coronationis ſolemnia ALBERTI I. *Rom.* Regis, populi multitudine oppreſſum, animam reddidiſſe.

d) P. I. Prol. III. num. VII. pag. XLVIII.

e) BECMAN. *Hiſt. Anhalt.* P. V. Lib. VI. cap. VI. *Genealog. Witteberg.* P. I. cap. III. p. 53. HÜBNER in *Tab. Genealog.*

taſſis autem in monaſterio *Leninenſi* quieſcit apud maritum, quem ibi, ob eius amorem, ac deſiderium, cui ferendo impar videbatur, monachum induiſſe, tom. præcedenti diximus. Nam huius ſepulcrum in hodiernum diem ibidem ſupereſſe, laudatus BECMANNUS teſtatur.

Nec non & CATHARINÆ.

XXXV. De CATHARINA, OTTONIS, Ducis *Bavariæ* coniuge, immo & de eius liberis, egimus libro præcedenti cap. IV. §. XXVII. p. 47. ſeq. Obiit anno 1283. ut alibi a) diximus. Eam *Landishuti* humatam fuiſſe, opinio eſt; at ibi nullius monumenti, aut epitaphii veſtigium occurrit. a

CLEMENTIA quo tempore nupta?

XXXVI. Sequitur CLEMENTIA, CAROLI *Martelli*, CAROLI *Claudi*, Regis *Siciliæ* filii, ac CAROLI *Andegavenſ.* nepotis, coniux. Hanc anno 1281. in eius manus conveniſſe, diximus tomo ſuperiori. b) Qua in re præter HORNECKIUM, c) qui eius nuptias ante ANNÆ, RUDOLPHI coniugis, mortem refert, conſentientem habemus alias ſat accuratum Annaliſtam *Colmarienſem*, d) ad annum 1281. dicentem: „Filia Regis RUDOLFI *Lombardiam* mittitur, a ci„ vitatibus multis muneribus recipitur, ac filio Regis CAROLI ma„ trimonio copulatur.„ Sed cave, credas, hoc de matrimonio ſtatim conſummando accipiendum; quippe quod hoc per ætatem CAROLI, & haud dubie etiam ipſius CLEMENTIÆ, per ſacros canones nec licuerit, nec fieri potuerit; ut quem anno primum 1271. in hanc lucem veniſſe, SUMMONTIUS e) teſtatur; unde tempore matrimonii annum ætatis decimum duntaxat attigiſſet. At neque tamen eidem SUMMONTIO ſubſcribere poſſumus, exiſtimanti, nuptiarum ſolemnia anno primum 1297. celebrata fuiſſe, f) non ſolum, b c d e f

a) Cit. *Pinacoth. Auſtr.* P. I. p. XLIX.
b) Ibid. p. XLVII.
c) Cap. 84. p. 172.
d) Ap. URSTIS. P. II. p. 17.
e) Quando mortuus eſt CAROLUS I. avus (ait *Hiſtor. della citta e Reg. di Napoli* Tom. II. lib. III. pag. 323.) CAROLUS *Martellus* habuit tredecim annos; atqui CAROLUS iſte obiit VII. *Ianuarii* 1285. Item pag. 352. CAROLUM nepotem an. 1301. ætatis annorum circiter triginta exceſſiſſe refert. Eidem adſtipulatur *Triſtanus* CARACCIOLI, auctor ſub medium ſeculi XV. florens, qui data opera Genealogiam CAROLI I. Reg. *Neapolis* ſcripſit: „CAROLUS *Martellus* (ait apud MURATOR. *Script. rer. Italic.* tom. XXII. col. 108.) „ *Hungariæ* Rex, & CAROLI II. „ primus in ordine filius, Princeps *Salerni*, „ & honoris S. Angeli, ELISABETH (CLE„ MENTIAM) uxorem duxit, filiam RODUL„ PHI, *Romanorum* Regis, ex qua habuit fi„ lium, & CLEMENTIAM filiam. Verum vi„ vis adhuc parentibus, anno ætatis ſuæ tri„ geſimo diem obiit, & in Cathedrali Eccleſia „ *Neapolis*, prope CAROLI I. avi ſui, tumu„ lum ſepultus eſt, ſuperſtite CAROLO filio, „ qui in *Hungariæ* regno ſucceſſit.„ Hæc, etſi ad unguem ſe ita, ut mox dicemus, non habeant, nec CAROLUS iſte annum ætatis trigeſimum attigerit; probant tamen, quod volumus: eum ſcilicet circa annum 1271. natum fuiſſe.
f) „CAROLUS *Martellus*, primogenitus Regis, (ait ad annum 1297.) coronatus Rex *Hungariæ*, abiit, ut ſcribit CONSTANZO, cum ingenti comitatu Baronum, & Equitum in *Germaniam*, ibique cum filia RUDOLPHI, quam antea deſponderat, nuptias celebravit: poſt nuptias abiit in *Hungariam*, & quamvis magna vi ingreſſus ſit, regnum tamen habere totum non potuit, vivo ANDREA, a ſuis tamen adhærentibus Regia pompa exceptus eſt. „ Quam male, & parum cohærenter hæc omnia, cum ex dictis ſupra de morte ANNÆ, tum ex teſtimonio HORNECKII, atque Annaliſtæ *Colmarienſis* conſtat; quanquam & hic nonnullis hallucinatus fuiſſe videri poſſit; quod abitum CLEMENTIÆ primum poſt obitum ANNÆ, matris recenſeat. At alibi iam animadvertimus, Annales iſtos a pluribus auctoribus, ſibi invicem ſuccedentibus, conſcriptos, ephemeridum loco habendos eſſe. Iis igitur res nonnunquam non prout geſtæ, ſed prout nuntiatæ fuerunt, illatæ ſunt.

lum, quod neuter coniugum tum inter vivos amplius fuerit; ſed & quod veroſimile haud ſit, eo tempore, quo Principum filii mature adeo, ut diximus, nuptui elocari conſueverant, utriusque matrimonium in eum uſque annum dilatum fuiſſe, quo MARTELLUS annos ſex, & viginti, ac CLEMENTIA haud pauciores haberet. Quare illud, ſi minimum, decennii ſpatio retrahendum eſſe exiſtimamus; maxime cum GUTTÆ, ſororis eius iunioris nuptiæ, iam an. 1286. proceſſerint.

Eius obitus an. 1295.

XXXVII. Mortem CLEMENTIÆ, uti & mariti eius, chronicon *Cl-Neoburgenſe*, a) ut & nonnulli alii ad annum 1295. referunt. Contradicit laudatus SUMMONTIUS, MARTELLUM anno 1301. cum non multo ante *Roma*, quo ſe primi Iubilæi cauſſa contuliſſe ſcribit, rediiſſet. b) At potior nobis eſt RAINALDUS, c) præcipuo Hiſtoriæ *Dalmat.* & *Croat.* conditori, LUCIO, d) etiam probatus. Quare emendandus eſt BONFINIUS cum ceteris, CAROLUM *Martellum* anno adhuc 1299. in *Hungariam* veniſſe referens.

a b c d

Et ſepultura *Neapoli.*

XXXVIII. Funera utrorumque *Neapoli*, in Sacello maioris eccleſiæ Cathedralis, marmoreo ſepulcro quondam honeſtata fuiſſe, legimus, ſtructura a ſimulacris quatuor virtutum cardinalium ſuſtentata, ſine inſcriptione quidem: expreſſis tamen inſignibus gentilitiis. Verum funebre hoc monumentum a. 1566. translatum fuit ad locum ſepulcri CAROLI II. cognomento *Claudi*, ut locus fieret ſepulturæ AL-

a) Ap. Cl. *Hier.* PEZ. *Script. rer. Auſtr.* tom. I. col. 473. a. „Eodem anno (1295.) tanta „peſtilentia (ait) in *Apulia*, & per totam „*Lombardiam* facta eſt, ut in Curia *Romana* „multi Epiſcopi, & Prælati mortui iacerent: „& KAROLUS *Martellus*, Rex *Siciliæ*, (hoc non ſatis accurate dicitur; cum *Martellus* vivente, & regnante adhuc dum patre, CAROLO *Claudo* diem obierit) „& *Ungariæ*, „una cum uxore ſua, ſorore ALBERTI, „Ducis *Auſtriæ*, infra quatuor decem dies „mortuus eſſet.„ Hoc intra Pentecoſten, & Nativitatem B. V. eveniſſe, inde coniici poſſe videtur; quod illud inter hæc duo temporis ſpatia, ibidem quoad facta alia ſtudioſe deſignata, referat auctor. Eandem mortis epocham GUILLIMANNUS apud LEQUILEUM, Continuator MARTINI *Poloni* MS. & chronicon *Neoſtadienſe* itidem MS. ſtatuunt.

b) Loc. cit. cap. I. p. 352.

c) Hiſtor. Eccleſ. tom. XIV. ad an. 1295. ubi cum retuliſſet, BONIFACIUM VIII. Papam, accepta CAROLI *Salernitani* præcoci morte: LANDULFUM Cardinalem, & PHILIPPUM, defuncti fratrem, mox vero eorum conſilio, & rogatu, MARIAM Reginam, eius matrem, regno *Neapolitano* (quippe quod CAROLUS *Claudus* pater, in *Gallias* ſe recipiens, abſens eſſet) præfeciſſe, epiſtolam quoque ipſius BONIFACII adducit, eidem MARIÆ ſcriptam, ac datam *Anagniæ III. Kalend. Septembris anno I. Pontificatus*, cuius initium hoc eſt: „Pridem non absque „gravi noſtre mentis amaricatione percepto, quod claræ memoriæ CAROLUS, Rex „*Ungariæ* - - mortem, ſicut Domino placuit, apud *Neapolim* obierat temporalem „&c.„ Cum igitur credibile haud ſit, Papam negotium iſthoc, quamvis adverbio *pridem* utatur, diu protelaſſe: mortem CAROLI, atque adeo & CLEMENTIÆ, in menſem *Iunium*, aut *Iulium* dicti anni reponimus. Cumque BONIFACII annus primus cum anno 1295. coincidat, de mortis epocha tam CAROLI, quam CLEMENTIÆ vix, ac ne vix quidem dubitari amplius poteſt.

d) *Ioan.* LUCIUS de regno *Dalmatiæ* & *Croat.* ap. Clar. SCHWANDNERUM, *Scriptor. rer. Hungaric.* tom. III. lib. IV. cap. X. p. 303. ubi & MODIUM, Scriptorem coævum excitat, CAROLUM hunc noſtrum, ſimul ac CLEMENTIAM, uno eodemque tempore occubuiſſe, memorantem: „Et CAROLUS *Martellus* (inquit) primogenitus Regis *Siciliæ*, „migravit ex hoc ſeculo cum uxore ſua, „filia Regis *Alemanniæ*.„

ALPHONSI *Caraffæ*, S. R. E. Purpurati, a) attamen Comes OLIVARIUS, prorex *Siciliæ*, inciſis ſupra portam templi maiorem litteris, memoriam eius conſervare ſtuduit: b)

a

b

CAROLO I. ANDEGAVENSI, TEMPLI HUIUS EXSTRUCTORI.
CAROLO MARTELLO HUNGARIÆ REGI,
ET CLEMENTIÆ, EIUS UXORI, RUDOLPHI CÆS. F.
NE REGIS NEAPOLITANI, EIUSQUE NEPOTIS,
ET AUSTRIACI SANGUINIS REGINÆ,
DEBITO SINE HONORE IACERENT OSSA.

HENRICUS GUSMANUS, OLIVARIENSIUM COMES,
PHILIPPI III. AUSTRIACI REGIAS IN HOC REGNO VICES GERENS,
PIETATIS ERGO POSUIT ANNO MDIXC.

XXXIX. GUTTÆ cum ſponſalia, tum matrimonium tomo præcedenti c) iam expendimus, reſtat, ut modo, quod ibi promiſimus, in tempus eius fatale, ut & ſepulturæ locum inquiramus. Et de anno quidem difficultas nulla obverſatur; cum ad unum omnes, quotquot argumentum hoc attigerunt, annum 1297. quo ſe WENCESLAUS in templo S. VITI, Reginam vero puerperio cubantem, in feſto Pentecoſtes, quæ tum in ſecundum *Iunii* incidebat, coronari fecit, prodant. At cum alii d) eandem die poſt coronationem quarto decimo, alii e) decimo ſeptimo obiiſſe, velint: verum eruere, plane difficile eſt. Inclinat tamen animus pro his poſterioribus; quippe quod BALBINUS FRANCISCUM, Canonicum *Pragenſem*, laudet, virum temporibus illis ſupparem, ac in loco, quo hæc omnia contigerunt, degentem. Quare cum SCHOENLEBENIUS Reginam anno 1271. die vero XVII. *Martii*; GUILLIMANNUS autem anno eodem circa feſtum S. GERTRUDIS, quod eodem recidit, in hanc lucem editam eſſe, notet, eam annis ſex, & viginti, menſes tres, dies duos expleviſſe f) tenendum eſt.

GUTTA moritur an. 1297. ætat. 27.

c

d

e

f

XL.

a) SUMMONT. l. c. pag. 352.

b) Ex *Neapoli ſacra Eugenii* CARACCIOLI pag. 16.

c) Loc. cit. §. IV. p. XLV. ſeq.

d) Ut Hiſtoria *Auſtralis* ap. STRUV. ſeu FREHERUM tom. I. pag. 484. GUILLIMANN. ap. LEQUILEUM, at ubi nihilo ſecius diem mortis, in diem 18. *Iunii* reiicit, cum tamen, Pentecoſte eo anno in ſecundum eius menſis incidente, 16. ponendus fuiſſet. Chronicon *Cl-Neoburg.* ap. *H.* PEZ. col. 473. b.

e) BALBINUS Miſcell. Dec. I. lib. III. cap. V. p. 300. SCHOENLEBEN in *ephemerid.* quanquam ſibi contradicit, quando verba ſua exponens, addit: *ſive X. Iunii, cum dies poſt coronationem XVII. in diem eiusdem menſis XVI. incidat.*

f) Hoc ſatis veriſimile haud videatur, conſideranti, eam, quod loc. cit. diximus, intra tam breve matrimonii ſpatium decem periſſe liberos. Sed audiamus GUILLIMANNUM: „Nata fuit IUDITHA (ait) an. 1271. circa feſtum GERTRUDIS, eodem, quo maritus, anno, nuptiæ factæ ſunt *Ægræ* an. 1285. (de hoc certiora attulimus loc. cit.) Cæſaris RUDOLPHI anno XIII. cum eſſent ſponſi annorum XIV. Genuit proles X. 1. fuit OTTOCARUS, natus anno 1288. ætatis Regis XVII. qui obiit eodem anno, die S. ELISABETHÆ. 2. WENCESLAUS. 3. AGNES, nati an. 1289. 4. ANNA, nata anno 1290. 5. ELISABETHA, nata an. 1292. 6. GUTTA, nata an. 1293. 7. IOANNES I. an. 1294. obiit eodem. 8. IOANNES II. natus an. 1295. obiit anno ſequenti. 9. MARGARITHA 1296. 10. N.N. 1297. quo in puerperio XIV. poſt die GUTTA obiit 18. Iunii.„ Hæc GUILLIMANNUS, niſi authenticis monumentis inſtructus, ſcribere auſus haud fuiſſet.

Eius ſepultura,

XL. Mortuum GUTTÆ corpus *Pragæ* in Divi VITI, uti & poſtea mariti ſui, depoſitum eſt, & quidem CZERWENCKA teſte, prope tumulum OTTOCARI. HAGENUS illud ex ſacello S. MARTINI in aliud, SS. SIMONI, & IUDÆ ſacrum, translatum fuiſſe memorat. Verum nec hic, nec ibi ullum eius veſtigium ſupereſt. Hoc ultimum etiam plane interiit, cum imperante FERDINANDO II. aditus, & ſcala ad oratorium regium parabatur. Cernuntur quidem ibi lapides maiores, ſed ſignis, & inſcriptionibus deſtituti. Sunt, qui credunt, *Huſſiticorum* ævo decoramenta iſtorum lapidum vel abrepta, vel peſſumdata fuiſſe. Præterea annua GUTTÆ, ſeu IUDITHÆ noſtræ memoria non ſolum in *Pragenſi* hac S. VITI baſilica die X. *Septembris* agitur, ſed &, idem CZERWENCKA cum Cl. HANTHALERO aſſerit: requiem ſuam in Abbatia *Aulæ*, de qua diximus, *Regiæ*, ut primum ea ad faſtigium perduceretur, ſibi conſtituiſſe.

Ac epicedium.

XLI. Epicedium Reginæ, ex ſupra laudato FRANCISCO, Canonico *Pragenſi:* cuius chronicon MS. in Bibliotheca *Cæſareo-Vindobonenſi* quoque aſſervatur, adducimus, verſibus *Leoninis* conceptum:

PROCH DOLOR! EXUTA NEXU CARNIS BONA GUTTA,
ET QUIS NON FLERET, ET TOTO CORDE DOLERET?
QUANDO CONSPICERET, QUOD MORTUA FORMA IACERET,
ET SPECULUM VERUM PRÆCLARUM MULIERUM:
SERVANS VIRTUTEM, TRIBUENS ALIISQUE SALUTEM.
LAUDE FUIT DIGNA, GENEROSA, PUDICA, BENIGNA.

Quin & ipſe ALBERTUS, Dux *Auſtriæ*, frater eius, eidem tenerrime
a a ſe dilectæ, hoc diſticho parentavit. a)

EN PATRIAM REPETIS, NOS TRISTE SUB ORBE RELINQUIS,
TE TENET AULA POLI, NOS LACRYMOSA DIES.

Ultima filiarum RUDOLPHI EUPHEMIA.

XLII. Supereſt EUPHEMIA, Monialis laudati monaſterii Ord. Præd. *Tullnæ*. Hanc RUDOLPHI primogenitam facit CZERWENCKA, b) addens, illam iam anno 1280. ibidem ſeſe votis obſtrinxiſſe. Monumenta contra *Tullnenſia*, ſed recentiora; utpote quod antiqua
b anno 1626. incendio hauſta ſint, iuniorem. At CZERWENCKAM convellunt ſupra adducti verſus æquales, EUPHEMIAM ignorantes, ſilentio illam haud præterituri, ſi ceteras ſuas ſorores ætate præiviſſet. Deinde cum eadem carmina ſub exitum anni 1278. compoſita fuerint, veremur ſane, quo pacto mater eandem anno ſequenti, aut poſtea, per ætatem edere potuerit. Demus enim, eam anno primum 1244. aut 45. (alii annum 1240. ſtatuunt) nuptui elocatam, annos vi-

a) *Hiſtor. Auſtral.* ap. FREHER. ad h. a. pag. 484. ubi & de eius exequiis hæc præmittuntur: „ De cuius morte tota *Boemia*, *Moravia*, & *Auſtria* condolens, ſtupefacta, & „ turbata, omnes homines tam in villis, „ quam in civitatibus, tam Clerici ſeculares, quam Religioſi clauſtrales, per totum regnum *Boemiæ*, & Ducatum *Auſtriæ*, exequias ſui funeris ſolenniter, & „ devote celebraverunt. „

b) Lib. I. cap. XV. pag. 81.

vitæ non niſi quindecim, aut ſexdecim numeraſſe (qua in re ſat liberales ſumus; quando conſtat, RUDOLPHUM eo tempore annum ætatis 26. aut 27. egiſſe) emergent anni vitæ 49. vel 50. qua quidem ætate mulieres, quod Medicorum filii obſervant, naturæ præſcriptum commune ſi ſpectemus, parere ceſſant. Sed & illud haud ſatis capimus, diplomata cum RUDOLPHI tum ALBERTI Cæſarum, quæ magno numero in harum ſanctimonialium gratiam conſignata, in manibus ſunt, EUPHEMIÆ aut filiæ, aut ſororis, ne verbo quidem mentionem ingerere. Verum enimvero favet eius exiſtentiæ earum Necrologium, ſic habens: *V. Id. Aprilis O. S.* EUFEMIA, *filia Regis.* Codex hic membranaceus eſt, ſat vetuſtus, continens primo loco Necrologium Principum, & Monialium, & quo die anniverſaria celebranda: deinde Martyrologium USUARDI, ac denique regulas Monialium; ut adeo ſine temeritatis nota reiici haud poſſit. Quid vero, ſi EUPHEMIA ex iis ALBERTI filiabus una eſſet, quæ cum aliis, in prima ætate decedentibus, ibidem ſepulcrum nacta fuiſſet? Sed nihil ſtatuimus.

XLIII. Altera RUDOLPHI coniux, AGNES, aut ELISABETHA audit. De eius genealogia nonnullas coniecturas protulimus tomo ſuperiori, a) ubi de eius nuptiis quoque egimus. Prodiit interim inſignis operis, *Alſatiæ Illuſtratæ*, tomus alter, cuius Clariſſ. auctor SCHOEPFLINUS brevibus b) docet, eam filiam fuiſſe ROBERTI II. Ducis *Burgundiæ*, qui ex AGNETE, filia LUDOVICI IX. ac ſorore PHILIPPI *Audacis*, Regum *Franciæ*, AGNETEM hanc noſtram genuerit. Qua in re fidem ſecutus eſt ALBERTI *Argentinenſis*, a nobis loc. cit. etiam adducti, qui ſecundam RUDOLPHI uxorem, ſororem filii Regis *Franciæ* appellat. Nos nunc totum confirmare, immo & certius reddere poſſumus ex LEQUILEO, c) quem omnino audire iuvat. „ Vidua effecta ISABELLA, (ait) ac illiberis poſt mortem Regis „ ſui, quem nimium adamaverat, cuique fidem coniugalem egregie „ ſervaverat, *Burgundiam* rediit, ubi innuptam degens vitam, ut maioris dilectionis indicia erga defunctum virum patefaceret, in viduitatis ſtatu laudabiliter deceſſit. Extat ISABELLÆ apographum *Gallicum*, quo dividit hereditatem HUGONIS, fratris defuncti, & eius „ unicæ filiæ BEATRICIS, cum altero ſuo fratre, Duce ROBERTO, „ ubi ſe ipſam vocat *uxorem quondam potentiſſimi, & nobiliſſimi Principis bonæ memoriæ* RUDOLPHI, *Romanorum Regis.* „ Laudatus Clar. auctor non niſi unicum eius nomen agnoſcit. At AGNETEM, ISABELLAM, ſeu ELISABETHAM quoque vocatam fuiſſe, ex hoc apographo innoteſcit. Quare & hanc quoque, Reginam *Romanorum* effectam, nomen ſuum mutaſſe, omnino credibile eſt. d) De ſepultura eius, uti & obitus æra, nihil nobis conſtat.

Alterius RUDOLPHI Cæſaris uxoris fata.

a b c d

CA-

a) P. II. p. 15. ſeq.
b) *Alſat. Germ.* Sect. II. cap. I. p. 474.
c) P. III. Excurſ. III. ſect. I. p. 70.
d) Vid. Pinacoth. noſtræ locum mox citat.

CAPUT III.

DE OBITU, ET SEPULTURA ALBERTI I. R. R. NEC NON QUORUNDAM LIBERORUM EIUS.

§. I.

Monumentum *Maris-ſtellanum*, Tab. IX.

In celebri Abbatia, Ord. *Ciſtercienſis*, *Wettingenſi*, quæ & alio nomine *Mariſtella* nuncupatur, ſupra *Badenam Helvetiorum* unius circiter horæ quadrante ſita, ſepulcrum, ſeu cenotaphium cernitur, in navi Eccleſiæ conſpicuum, atque elatiori a terra ſitu erectum, cuius ſchema tabula IX. ſectione ſecunda exhibemus. Dedicatum eſt honoribus RUDOLPHI, Comitis *Habsburgici*, lineæ *Lauffenburgenſis*, RUDOLPHI I. R. R. patruelis, nec non memoriæ, & honoribus ALBERTI I. *Romanorum* itidem Regis. Longitudo eius ad pedes omnino decem excurrit, latitudo pedes quatuor, pollices ſeptem, altitudo autem ad pedes quatuor, pollices tres. Coloribus inſuper inductum eſt oleoſis in ſchemate noſtro conſuetis ductibus expreſſis. RUDOLPHI ſpecies iacentis in modum cataphracta conſpicitur, ſubiecto pro pedibus ſcuto *Habsburgico*. Totum ex lapide exſculptum eſt, excepto ALBERTI ſimulacro ligneo, quod ſupra tumulum globo elatum, ſtans cernitur, ac cataphracta itidem munitum, impoſita ſupra galeam corona, vexillum albi coloris manu tenens ſiniſtra, in *Habsburgicæ* originis memoriam leone rubro inſignitum.

Eiusque epitaphium,

II. In corona tumuli a latere dextro hæc inſcriptura legitur: ALBERT. ROMANORUM REX, ARCHIDUX AUSTRIÆ ANNO 1308. 5. CALEND. MARTII PER IOANNEM EX FRATRE NEPOTEM, 12. ANNOS NATUM, ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, MALO QUORUNDAM HOMINUM INSTINCTU ULTRA TRAIECTUM WINDISCH, UBI NUNC MONASTERIUM KÖNIGSFELDEN, INTERFECTUS, ET IN HOC SEPULCRO SEPULTUS. POST ANNUM VERO, ET TRES MENSES, SPIRAM AD PATREM SUUM RUDOLPHUM TRANSLATUS EST, SUB HENRICO VII. IMPERATORE.

Additur & altera, ex adverſo poſita, ſic ſonans:

RUDOLPHUS COMES DE HABSBURG, DOMINUS IN LAUFFENBURG,
a COMITIS GOTFRIDI a) RUDOLPHI I. REGIS ROM. PATRUELIS,
AB HENRICO VII. IMPERATORE PRÆFECTUS TRIBUS PRIMIS
HELVETIORUM PAGIS, TIGURINIS, ITEM TRACTUI TAURIACO,
b ET ARGOVIÆ CONSTITUTUS, POSTEA TN b) EADEM PRÆFECTURA PRIVATUS, AULAM REGIAM FRANCORUM PETIIT, ET IN ITINERE MÜMPELGARDIÆ OBIIT. CORPUS ILLIUS MARISTELLAM TRANSLATUM, IN SEPULCRO HOC CONDITUM EST A°. 1313.

III.

a) Supplendum FILIUS; nam GOTFRIDI filius erat. Neſcimus autem, an id pictoris, an primævi inciſoris oſcitantia omiſſum ſit.

b) Id eſt TAMEN.

III. Singula hæc tam quæ ſecus, quam quæ recte dicuntur, æ- Tab. IX.
vum produnt recentius. Nam ut de *Archiducis* titulo, in prima Unacum
inſcriptione legendo, ac eo tempore nondum cognito, nec non de ſepulcro
numeris *Arabicis*, ætati huic non notis, nihil dicamus: præter inferio-
omnium Hiſtoricorum, aliorumque monumentorum fidem eſt, AL- rem æta-
BERTUM V. Kal. *Martii* occubuiſſe. Deinde IOANNEM *parricidam*, tem præ-
cum ſcelus patraret, annum ætatis non duodecimum, ſed undevice- ferens.
ſimum egiſſe, alibi a) docuimus. Denique rem conficere videtur a
ſcutulum, ſub globo, cui ALBERTUS inſiſtit, appenſum, ſed a pi-
ctore noſtro omiſſum. In eo namque *Petri* SMID, qui ineunte ſe-
culo XVII. rebus exceſſit humanis, inſignia comparent, tumuli
huius auctorem, aut reſtauratorem, atque adeo ætatem haud ob-
ſcure prodentia. Alteram huius tumuli inſcriptionem; utpote ad
res *Auſtriacas*, quas in hoc opere ſolas inveſtigandas ſuſcepimus, haud
ſpectantem, non moramur. Id unum advertimus, RUDOLPHUM
non anno 1313. ſed ad minimum anno ſequenti deceſſiſſe. b) Oſſa b
tamen eiusdem hic aſſervari, laudati monaſterii teſtantur monumenta.

IV. In hanc Abbatiam ALBERTI exuvias poſt cædem ſuam, qua Ibi AL-
de tomo ſuperiori ſatis, ſuperque egimus, conceſſiſſe, ſecus, ac non- BERTI re-
nulli alii c) ſentiunt, non modo monumentum, ibi utique, haud ex liquiæ
vano conſtitutum, ſed & Scriptores nonnulli d) vetuſtiores edocent: conditæ,
certumque eſt, *Kœnigsveldæ* templum aliquod; utpote cum capella, c d
deinde & monaſterium, primum poſtea in memoriam ipſius ALBER-
TI conſecratum fuerit, ante hanc cædem haud extitiſſe. Quare &
HORNECKIUS e) commode interpretandus, narrans: corpus Regis e
extincti *Bruggam*, quod oppidum a loco cædis non niſi dimidiæ horæ
ſpatio diſtat, deductum fuiſſe. Hoc enim fieri potuit, quin alterum
omitteretur.

V. Easdem Regis reliquias elapſo anno poſt occiſionem uno, men- Ac poſtea
ſibusque tribus, *Wettinga Spiram* ad commune Regum, & Imperato- *Spiram*
rum *Romanorum* ſepulcretum devectum fuiſſe, ſupra adducta inſcri- translatæ.
ptio recte ſciſcit; ſuffragantibus nempe eidem Scriptoribus coævis.
Præterea ſatis conſtat, HENRICUM VII. ſeu VIII. cuius iuſſu oſſa AL-
BER-

a) Tomo ſuperiori P. II. L. I. cap. II. §. VI. p. 22. Anonym. *Leob.* ap. ſæpe laudat. PEZ. tom. II. col. 892. a. IOANNEM hunc ALBERTO patruo, a ſe eodem adhuc die interficiendo, ſic colloquentem inducit: „ O Do„ mine Rex, dudum tutor fuiſtis pupilla„ tus mei, nunc elapſa infantia, ramos ap„ prehendi floridæ iuventutis. „ Hæc puer duodecim annorum haud convenienter dixiſſet.

b) Vid. præter *Genealog. Dipl. Anonymus* noſter *Mur. denud.* pag. 359.

c) GUILLIMAN. ap. LEQUIL. P. III. Excurſ. III. ſect. II. p. 77. CUSPINIANUS, ac præſertim chronicon ALBERTI II. ap. cit. PEZ. tom. II. col. 374. d.

d) Anonym. *Leob.* ibid. tom. I. col. 892. d. „ Corpus Regis ad monaſterium *Ciſtercien„ ſis* Ordinis - - quod *Maris-Stella* (alio „ nomine *Wettingen*) dicitur, tranſporta„ tur, ibique pro tempore collocatur, ſed „ poſt ad ſepulcrum Regum in civitatem „ *Spirenſium* eſt translatum. „

e) Cap. 802. pag. 812.

a BERTI, iuxta ac ADOLPHI, illuc translata fuiſſe ferunt, a) anni ſequentis menſe *Auguſto* illuc convocaſſe Comitia, quibus quidem durantibus, corpora iſta una die eo advecta fuiſſe, mox excitandus HORNECKIUS
b teſtatur. Unde & ſupra laudatus BURGMANNUS b) ait, tres tum ibi Reges *Romanorum* conveniſſe, HENRICUM vivum, ADOLPHUM, & ALBERTUM mortuos; nam ADOLPHI corpus uno eodemque die illuc advectum fuiſſe, iidem memorant, quos hic pro ſepultura ALBERTI allegamus. Plura adiicit HORNECKIUS, præter tres Reges, etiam totidem Reginas, ADOLPHI nempe, & ALBERTI viduas, coniugemque HENRICI, ſed has vivas præſentes adfuiſſe, tanquam rem
c multis retro ſeculis inauditam, nec poſt facile audiendam, deſcribens. c) Ade-

a) CRUSIUS, poſt CUSPINIANUM, Lib. III. P. III. cap. 18. pag. 881. edit. *Moſerianæ*. Verum ex verbis HORNECKII, mox adducendis, apparet, id rogatu Principum, non Cæſaris mandato, contigiſſe. Quin Cæſarem ſeſe huic ſepulturæ magna contentione oppoſuiſſe, FERRETUS *Vicentinus, Scriptor. rer. Italic.* MURATOR. tom. IX. col. 1053. b. auctor quidem extraneus, ſed tamen contemporaneus, his verbis teſtatur: „Poſt hæc Proceres peremti cineres ALBERTI, qui procul ab Cæſarum Divorum urnis illo reconditus ſolo, ubi proſtratus occubuit, inhoneſte vacabant, ad Imperiale templum S. DIONYSII advehi curant. Iidemque eius oſſa, argenteo pheretro condita, poſt celebratas exequias humeris ſuis imponentes, & uſque ad ſacrophagum deferentes, telluri obrutæ commendare ſatagunt: memorati enim LIPOLDUS, & fratres, invidia magna ducti, ſic patriis fieri reliquiis, pertinaciter orant; nam & illum Cæſarem fuiſſe, defunctumque ſub Auguſto nomine, prædicant. His adverſatus Rex novus, ALBERTI cadaver inter Divorum ſepulcra -- retrahi abnegat. -- At non ideo adoleſcentes precibus deſtitere, donec placatus Cæſar, putreſcentem iam, quin imo marcidum ALBERTI truncum, Cæſareas ad urnas adduci, compatitur. „

b) Loc. cit. pag. 604. col. 2. Vetuſtus codex *Murenſis* membranaceus verſus de hoc ipſo argumento præfert, a RUDOLPHO de *Liebegge* compoſitos, & abs Reverendiſſ. *Dominico* TSCHUDIO *Orig. & Genealog. Habsburg. edit. Murenſis ſecundæ* p. 138. editos, quorum hic partem ultimam adſcribere iuvat:

Windenſch nunc villa, quondam cathedralis in illa,
Inclytus hic cecidit, manus hunc ubi dira cecidit.
Anno milleno, poſt CHRISTUM, bisque quaterno,
Atque trecentaneo IACOBI tempore verno,
Inque *Mariſtella* tumulatus nunc requieſcit.
Oro *Maris ſtella*, quod ei per te requies ſit.
Poſtea translatus eſt, in *Spira* tumulatus,
Cum patre RUDOLFO, iunctus, quem vicit ADOLFO.

c) Loc. cit. cap. 826. pag. 837.

Der von *Oſterreich*
Dar pracht ſeins Vater leich.
In derſelben nacht
Ward auch dar pracht
Der tot Kunig ADOLF,
Den Phalczgraven RUEDOLF
Der ſein Tochter hæt,
Gewert der Kunig der Pet
Daz er in zu *Speyr* lie peſtatten,
Do ander Kunig Piwild haten.
Nu prueften all die da warn
Ain wunder, dem in hundert jarn
Nie dhains war geleich
- - - - - -
Daz zu ainem mal
Römiſcher Kunig drey,
Die des nicht warn frey,
Sy heten pey irn Tagen
Des Reichs Chron tragen,
Mit einander ſach man die
Ze *Speyr* in dem Munſter hie,
Den ayn ſach man gen,
Dy zwen aufgepart ſten;
Auch ſach die entſampt,
Dieweil man pegie das Ampt,
Ir aller drey Frawen,
Der ygeleichew ſich hat laſſsen beſchawen
Von den Furſten ſchon
Gechront mit des Reiches Chron
Daz waz e
Geſchehen nie me.

Hæc HORNECKIUS. Addit vero BROWERUS *Annal. Trever.* tom. II. pag. 187. adfuiſſe quoque AGNETEM, Reginam *Hungariæ*, ALBERTI Cæſaris filiam, quæ patris funus *ſub brachiorum alis* ad pompam funebrem deduxerit. Eidem adſtipulatur HAGENUS col. 1136. a. b.

Aderant etiam, præter magnam Principum, Comitiorum cauſſa illuc convolantium frequentiam, FRIDERICUS, & LEOPOLDUS, ALBERTI filii, quorum ille patris exuvias ſecum adduxerat, diesque funebri pompæ deducendæ conſtitutus erat XXIX. *Auguſti*, ut ex inſcriptione mox adducenda innoteſcit. Sacra peragebat SIGEBOTHO, loci Epiſcopus, corpusque ADOLPHI in mauſoleo AGNETIS, FRIDERICI II. Imp. filiæ, ALBERTI contra in BEATRICIS, FRIDERICI *Ahenobarbi* coniugis, ſepulcro recondita fuere. Quænam utriusque reliquiæ in effoſſione regiæ huius cryptæ repertæ fuerint, ſupra retulimus. a)

a

VI. Epitaphium ALBERTO ibidem ſequens poſitum fuiſſe, mox citatus BROWERUS aſſerit: Inſcriptiones ſepulcrales,

ANNO DOMINI MCCCVIII. KALEND. MAII ALBERTUS, ROMANORUM REX, RODOLPHI ROMANORUM REGIS FILIUS, OCCISUS, ANNO SEQUENTI IIII. KALEND. SEPTEMB. HIC EST SEPULTUS.

Suffragantur illi acta *Spirenſia*, a Domino PELICANO, ſupra cap. I. laudato, ſubmiſſa, quæ & addunt, eam laminæ argenteæ, cum ſequenti epicedio inciſam, ſubque lapide ſepulcrali, ex marmore nigro, olim repertam fuiſſe. Id quod tanto veriſimilius eſt; quod citato FERRETO *Vicentino* teſte, filii eius FRIDERICUS, & LEOPOLDUS, ſarcophagum ipſum ex argento fieri curaverint. Dicta carmina ſic habent:

CONCIDIT ALBERTUS MISERANDA CÆDE NEPOTIS,
IMPERIUM QUI VIX DUO LUSTRA TENET.
BISENOS VICTOR CONFLICTUS HOSTIBUS EDIT.
OCCIDIT A PROPRIO SANGUINE PROGENITIS.

Similes verſus proferuntur a SPANGENBERGIO, STERONE, aliisque, quos, ad veritatem hiſtoricam nihil facientes, prætereundos duximus.

VII. Ætatem, ſeu annos vitæ ALBERTI Scriptorum nemo prodidit. Coniugem tamen anno 1263. natam fuiſſe, LEQUILEUS indicat, nec non & Illuſtriſs. CRONBERGIUS. b) Cum igitur nuptiæ ipſæ anno 1276. c) quo illa ſecundum hanc epocham annum ætatis XIII. agebat, celebratæ fuerint: etiam maritum non multo provectiorem fuiſſe, credibile eſt. Sponſalibus enim utriusque ante electionem RUDOLPHI, cum ELISABETHA infantiæ annos nondum ſuperaſſet, habitis: nulla facile ſubeſſe ratio poterat, ut ne par pari ætate adpromitteretur. Tribuimus vero ALBERTO uno, alterove anno plures; cum quod alios Principes ſponſis ſuis ut plurimum ſeniores nonnihil fuiſſe advertamus, tum vero maxime, quod eum anno 1276. Et ætas.

b

c

pater

a) Supra cap. I. §. V. p. 90. Vid. etiam BROWER. loco mox cit. CRUSIUS, *Annal. Suev.* loc. cit. CZERWENCKA lib. II. cap. XV. pag. 28.

b) Tentam. Genealog. *Comit. & rer. Goritiæ* tab. IV. pag. 143.

c) Vid. *Cod. Epiſt. Rudolph.* poſtea edend.

pater eius copiis, per Archiepiſcopatum *Iuvavienſem* deducendis, præ-
a ficere cogitaverit. a) Ac denique quod in diplomate anni 1275.
b die vero VII. *Sept.* b) eius conſenſus requiſitus fuerit, id quod indicio nobis eſt, illum iam tum ad annos legitimos perveniſſe. Cum igitur tempore nuptiarum annorum facile duodeviginti fuerit, conſequens eſt, ut anno 1308. quo cæſus eſt, præter propter quinquagenarius fuerit.

MEINHARDI pueri fata.

VIII. Ordo nunc tangeret ELISABETHAM, ALBERTI coniugem. At cum ea *Kœnigsveldenſi* dormitorio, cui ſingulare caput deſtinavimus, illata fuerit, ad filios eiusdem, filiasque, ibi haud depoſitas, veniendum eſt, ac deinde etiam ſigillatim agendum de iis, qui aut genus propagarunt, aut quorum ſepulcra variis in locis ætatem tulerunt. Itaque hic primo loco in cenſum venit MEINHARDUS, quem auctoritate litterarum feudalium, ab HENRICO, Abbate *Fuldenſi*, anno 1301. *in feſto S.* DIONYSII *Martyris* datarum, non modo filiorum ALBERTI albo adſcripſimus, ſed & annum nativitati eius ſe-
c cularem 1300. tribuimus. c) Verum cum in ceteris chartis, ac monumentis, nomen eius haud amplius occurrat, Scriptoresque coævi altum de eo ſileant: eum infantem mortuum, ac *Tullnæ* ad ſepulturam traditum fuiſſe, inde coniectare licet; quod ſupra laudata huius monaſterii documenta ſeptem omnino ALBERTI liberos, ibidem conditos teſtentur. Qua de re amplius infra.

CATHARINÆ mors, & ſepultura.

IX. CATHARINAM, ALBERTI filiam, CAROLI, Ducis *Calabriæ*
d e f coniugem, a. 1295. menſe *Octobri* in hanc lucem veniſſe, tomo prio-
ri d) docuimus, nuptiarum tempus e) pariter deſignantes. De an-
g no, & die mortis eius variant Scriptores. Cum alii annum 1323. f) alii ſequentem, g) ac iterum alii XV. *Ianuarii*, alii feriam II. ante S. MATHIÆ, alii vigiliam eiusdem, ac alii iterum ipſum Apoſtoli feſtum aſſignant. Rem decidere videtur epitaphium, in æde S. LAURENTII Martyris Fratrum Minorum *Neapoli*, ubi reliquiæ eius ſepulcro honeſtatæ fuere, ſupra portam chori inſcriptum, ſic habens:

HIC IACET CATARINA, FILIA REGIS ALBERTI, ET NEPTIS REGIS RUDOLPHI, ROMANORUM REGIS, AC SOROR FRIDERICI, IN REGEM ROMANORUM ELECTI, DOMINI AUSTRIÆ, AC CONSORS SPECTABILIS CAROLI PRIMOGENITI DOMINI PRIN-

a) Vid. cit. Cod. Epiſtol.
b) Vid. Geneal. Dipl. Vol. III. num. DLI. p. 455. ſeq.
c) Tom. ſuperiori P. II. cap. VI. §. II. pag. 70,
d) P. I. proleg. III. §. XXVI. pag. LXI.
e) Ibid. pag. LXIV. §. XXX.
f) Anonym. *Leob.* ap. *H.* PEZ. tom. I. lib. V. cap. V. col. 924. d. in feſto S. MATHÆI. CZERWENCKA lib. II. cap. XVI. p. 292. *Chronicon Duc. Auſtr.* MS.
g) GUILLIMAN. ap. LEQUILEUM, feria II. proxima ante S. MATHIÆ. Idem dicit chron. MS. *Lambacenſe*, nec non continuator HERMANNI Contracti MS. Bibl. Cæſar. *Vindobon. Anonymus, cœnobita Zwetlenſis*, ſuppar, apud cit. PEZIUM tom. I. col. 992. d. inter utrumque annum dubius hærens, ſic ſcribit: „Anno 1324. vel 23. feria ſecun„da ante Feſtum MATHIÆ obiit etiam Do„mina KATHARINA, Duciſſa *Kalabriæ*, ſo„ror Ducum *Auſtriæ*, *Neapolim* (Neapoli) „ſepulta apud S. LAURENTIUM, in domo „Fratrum Minorum. „

PRINCIPIS, DOMINI ROBERTI, DEI GRATIA HIERUSALEM, ET SICILIÆ REGIS ILLUSTRIS, DUCIS CALABRIÆ, AC DOMINI NOSTRI VICARII GENERALIS, INSIGNI VITA ET MORIBUS EXEMPLARIS, QUÆ OBIIT NEAPOLI ANNO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI MCCCXXIII. DIE XV. MENSIS IANUARII INDICT. VI. REGNORUM PRÆDICTI DOMINI NOSTRI REGIS ANNO XIV. EIUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. AMEN.

Adducunt hoc epitaphium SCHRADERUS, a) CZERWENCKA, b) SUMMONTIUS c) ac WADINGUS, d) cui utique auctoritate publica poſitæ, ſimpliciter accederemus, niſi conſtaret, *Neapolitanos* tum temporis annum a XXV. *Martii* ordiri conſueviſſe. Unde apud illos die XV. *Ianuarii* annus adhuc XXIII. currebat, cum apud *Germanos*, annum a XXV. *Decembris*, aut Kalendis *Ianuarii* numerari ſolitos, ſequens iam inchoatus eſſet. Nec obeſt, quod & ex his nonnulli annum 1323. ponant; cum vel ex ipſa hac inſcriptione, tum & ex litteris, mortem eius nuntiantibus, vel alio quo demum cunque modo decipi potuerint. Idem tenendum de die obitus, plusque epitaphio, SUMMONTIOque, quam Scriptoribus, inter ſe invicem certantibus, fidendum exiſtimamus. Vixit itaque annos XXVIII. menſes circiter tres. Ceterum idem SUMMONTIUS, cum adductis nonnullis auctoribus teſtatur, CATHARINAM in eccleſia S. LAURENTII, cum eccleſia ſanctiſſimi Corporis CHRISTI necdum ad faſtigium deducta eſſet, penes LUDOVICUM, fratrem ROBERTI Regis, in magno ſepulcro marmoreo, operis Muſaici, conditam fuiſſe. a b c d

X. WRATISLAVIÆ ſepulta ſcribitur e) ANNA, filia ALBERTI maior, qua de ſuo loco f) plura diximus. ZEPKENIUS g) tradit, eam *Pragam* delatam, ibique conditam fuiſſe, cauſſa interiecta, quod HENRICUS VI. maritus eius alter, Ducatum ſuum *Wratisluvienſem* IOANNI, *Bohemiæ* Regi, feudi nomine contulerit. Id quod plane veriſimile videtur. Extat enim diploma h) dicti Regis, quo Ducatum *Wratislavienſem* regno *Bohemiæ* adnexum agnoſcit, ſignatum *anno Domini MCCCXXVII. proxima feria poſt diem palmarum.* ANNAM autem non multo poſt obiiſſe, ex diplomate altero i) conficitur, quo idem Dux HENRICUS teloneum, ad flumen *Widoviam* exigi conſuetum, „in remedium, & ſalutem animæ ſuæ, animæ coniugis ſuæ, Dominæ ANNÆ, *recordationis felicis*, atque omnium progenitorum ſuorum ſub VII. Id. *Octobris* anno Domini MCCCXXVII. „remittit.“ Unde & eam intra ſpatium temporis, epochæ utriusque huius inſtrumenti interpoſitum, exceſſiſſe autumamus. Itaque emendan- ANNÆ, filiæ ALBERTI natu maximæ, mors & ſepultura. e f g h i

a) Monument. *Italiæ* pag. 242. averſ.
b) Loc. mox cit.
c) *Hiſt. Neap.* tom. II. lib. III. cap. III. pag. 382.
d) Annal. Minor. tom. VI. pag. 341. edit. noviſſ.
e) BIRCKENIUS lib. II. cap. X. p. 249. MENLIUS *Geneal. Habsb.* MS. arb. XI. tit. XXII.
f) Tom. priori P. I. proleg. III. §. XXVI. pag. LXI. Ubi errore typographico an. 1595. legitur, pro an. 1295.
g) *Gynæc. Sileſ.* p. 558. apud SOMMERSBERG. *rer. Sileſ.* tom. I.
h) Ap. eund. SOMMERSBERG. loc. cit. pag. 893. num. CXXVI.
i) Ibid. pag. 340.

dandi laudatus BIRCKENIUS, & GUILLIMANNUS apud LEQUILEUM, eam uſque ad annum 1361. ſuperſtitem, Ducatum magna prudentia rexiſſe, affirmantes.

CAPUT IV.

IOANNIS PARRICIDÆ MONUMENTA PISIS IN TUSCIA.

§. I.

IOANNES *Piſis* monaſterium ingredi iubetur.

IOANNES, RUDOLPHI II. vulgo *Sueviæ* Ducis filius, patrato in ALBERTUM I. Cæſarem, altorem, & tutorem ſuum, teterrimo homicidii, de quo alibi a) diximus, ſcelere, ut perſequentium ſolertiam falleret, varias formas indutus, latebras quæſivit, donec exilii, ac perpetui erroris pertæſus, *Avenionem* tandem delatus, a ſummo Sacerdote, CLEMENTE V. parricidii veniam poſtulans, ad Cæſarem, HENRICUM VII. ALBERTI I. ſucceſſorem, ut legitimum tanti criminis iudicem remiſſus eſt. Morabatur is tum *Piſis* in *Tuſcia*, ubi Principem humaniter quidem exceptum, monaſterium *Eremitarum* S. AUGUSTINI, quod ibidem eſt, pro pœnitentia ingredi, ibique ſcelus expiare iuſſit. b)

a

b

Ubi & obiit XIII. *Decembr.* 1313. poſito epitaphio.

II. Is iuſſa ſtatim, id eſt anno 1313. executus, brevi in morbum incidens, vitam cum morte XIII. *Decembris* ibidem commutavit, in ſacello, quod in templo S. NICOLAI apud eosdem *Auguſtinianos* B. Virgini ſacratum cernitur, depoſitus. Tumulum eius vidiſſe ſe teſtatur *Æneas* SYLVIUS, eo anno, quo FRIDERICO III. Imp. ſponſam ſuam ELEONORAM *Luſitanam*, i. e. anno 1452. adduxit. Unde emendandus *Felix* FABER, eum *Kœnigsveldæ* ſepultum comminiſcens. c) Adiecta fuerat & inſcriptio, verſibus leoninis expreſſa, quam temporum iniuria pene oblitteratam, P. SALAMANCA reſtituit, immiſſa ad latus aræ maioris, ſeu cornu epiſtolæ, muro tabula, ex candido marmore, cubitum, & ſemis alta, ac duos cubitos in latitudinem porrecta, ſed ſcuto gentilitio, aut alio ornatu deſtituta, inſculptis denuo incomptis his verſibus:

c

MILLE TRECENTIS CHRISTI DECEM CUM TRIBUS ANNIS:
DEFECIT IUVENIS DUCIS AUSTRI VITA IOANNIS
YDUS DECEMBRIS. OBIIT HIC PISIS TUMULATUS
INTEGER ANIMO, VIRTUTIBUS QUOQUE PROBATUS.
STIRPIS REGALIS FUIT EX UTROQUE PARENTE
NUNC IMMORTALIS DOTETUR AB OMNIPOTENTE.

P. SALAMANCA, PATRITIUS BURGENSIS, SERENISSIMI
FERDINANDI, REGIS HUNGARIÆ, AC ARCHIDUCIS
AUSTRIÆ, AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX. ORATOR
HOC EPITAPHIUM SITU, ET PULVERE OBLITERATUM
INSTAURARE FECIT MDXXVI.

III.

a) Tom. præced. P. II. cap. II. pag. 21. ubi de eo plura.

b) *Æneas* SYLVIUS Hiſtor. *Bohem.* cap. XXVIII. pag. 137. edit. *Freherianæ.*

c) Hiſtor. *Suev.* Lib. I. pag. 141.

III. In ſacrario eiusdem templi imago illius cernitur, ſupra te- Imago
lam picta, integram monachi figuram exhibens, habitu prædicti Or- eius.
dinis induti, manu coronam regiam ſuſtinentis, adiecto ſupra pul-
vinum ſceptro regali, ac in imo ſequenti epigrammate:

FRATER IOHANNES AUSTRIACUS ORDINIS HEREMIT. S. AUGUSTINI, AUSTRIAE DUX, ET SUEVIAE, COMES KIBURGI, ET ERGOVIAE. PRINCEPS ALSATIAE. RUDOLPHI I. ET ALBERTI IMPERATORUM EX PATRE NEPOS. FILIUS CONVENTUS S. NICHOLE PISARUM, IN QUO, QUAMDIU VIXIT, PERMANERE VOLUIT.
OBIIT IN EODEM COENOBIO A. D. MCCCXIII. IDIBUS DECEMBRIS.

Hanc imaginem, ut ut antiquitatem, ex ipſa etiam pictoris imperitia legendam, præferat, coævam tamen, nec ſeculo XV. ſuperiorem eſſe, ex coloribus telæ inductis colligimus. Deinde tituli: *Comes Ergoviæ*, *Princeps Alſatiæ*, plane inſueti ſunt, nec IOANNIS tempore cogniti; quo ſcilicet: *Comes in Habsburg*, *& in Kiburg*, *Landgravius Alſatiæ*, & ſimilia obtinebant.

IV. Sunt præterea, qui, fortaſſis huius imaginis auctoritate indu- Num vi-
cti; ubi quippe *Frater* IOANNES, *Conventus* S. NICOLAI *Piſarum* tam mo-
filius legimus, eundem monachi vitam egiſſe contendunt. Certe P. naſticam
Thomas de HEVERA a) de eo tanquam monacho *Auguſtiniano* diſſe- profeſſus
rit, *Patrem* IOANNEM appellans. Nobis equidem inclito *Auguſtinia-* fit? a
no Ordini quidquam detrahere, animus haud eſt, præſertim ſi quis gloriari velit, ſe in ſuorum albo tantæ gentis Principem adnumerare, etſi parricidam, cuius tamen conditionem, ſeu infamiam, boni omnes iure, meritoque deteſtari ſolent. Id duntaxat breviter animadvertimus: IOANNEM in monaſterio annum integrum haud exegiſſe, b) b
quin fortaſſis nec dimidium. Quo igitur pacto, non expleto probationis anno, vota emiſiſſet, aut ſecundum HEVERAM, qui illum *Patris* titulo honorat, ſacerdotio etiam initiatus fuiſſet? id quod, ut ſtatim videbimus, per ætatem quoque fieri nequierat. Quare illum ex eo genere monachum appellari duntaxat poſſe, exiſtimamus, quos medio illo ævo *monachos ad ſuccurrendum* vocabant, qui nempe in vitæ conſtituti extremis, habitu ſacri Ordinis indui expetierunt: vel qui *frater-*

a) In *Alphabeto Auguſtiniano*, *Madriti* anno 1643. edito, pag. 461. Eiusdem opinionis etiam *Æneas* SYLVIUS fuit, qui loco, paullo ſupra cit. ait: „Mortuus eſt tandem (Io„ ANNES) in eadem urbe, & in æde ſui Or„ dinis ſepultus.„

b) Certum eſt enim, HENRICUM VII. ſub initium anni 1313. *Piſis* nondum fuiſſe. Probant id litteræ eiusdem, ap. GUICHENON *Bibl. Sebuſ.* Cent II. num. 86. XVIII. Kalend. *Febr. Mediolani anno regni noſtri tertio*, qui cum anno MCCCXIII. coincidit, datæ. Primumque omnium inſtrumentorum, *Piſis*, quoad ſciamus, ab eo ſubſcriptorum, eſt ſententia eiusdem in ROBERTUM, *Siciliæ* Regem, lata VI. Kalend. *Maii.* Extat apud MARTENE *Chron. Sicil. Theſ. anecdot.* Tom. III. p. 62. Nec neceſſe eſt, dicere, IOANNEM primis ſtatim diebus, ex quo Imperator advenerat, una adfuiſſe, aut e veſtigio auditum, cauſſamque eius inter tot alia, quæ Imperatorem tum circumſtabant, negotia, diiudicatam fuiſſe. At IOANNES eodem adhuc anno mortuus eſt.

fraternitate, ut vocabant, ſeu conſortio, ac communione bonorum
a Ordinis monaſtici ab eiusdem Superioribus donati fuerant. a)

Ætas. V. Annos vitæ infortunati huius Principis ad tres, & viginti cogimus. Cum enim, ut ſupra oſtendimus, pater eius RUDOLPHUS moriens, uxorem, teſte GUILLIMANNO apud LEQUILEUM, aliosque, gravidam reliquerit: IOANNEM hunc eodem facile anno enixa fuerit. Unde cum ſecundum adductum epitaphium XIII. *Decembris* anni 1313. ad plures abierit, anni ætatis dicti, iidemque, ut veriſimillimum eſt, completi, facile prodibunt.

CAPUT V.

DE TUMULO TULLNENSI, QUO PLURA AUSTRIACORUM PRINCIPUM FUNERA CONTEGI, FERUNTUR.

§. I.

Cœnobii Monialium *Tullnæ* origo. TULLNA, oppidum *Auſtriæ inferioris*, tertio ſupra *Vindobonam* lapide ad ſiniſtram *Danubii* ripam ſitum, monaſterium complectitur, a RUDOLPHO I. Rege *Rom.* pro ſacris Virginibus, ſub *obſervantia*, ut habent litteræ fundationis, *Regulæ* S. AUGUSTINI, *& conſtitutionum ſororum Ordinis fratrum Prædicatorum*, in memo-
b riam victoriæ, de OTTOCARO Rege *Bohemiæ* relatæ, b) conſtitutum. *Tullnenſes* initium eius ad annum 1278. quo prædictus Rex victus eſt, reponunt; nos operi manum biennio poſt, aut fortaſſis etiam ſerius, adhibitam fuiſſe arbitramur, non quidem ideo; quod tum primum diploma fundationis, & quidem *pridie Kal. Septembris* ſignatum fuerit; cum id, ut non uno in loco animadvertimus, etiam longius poſt iacta fundamenta dari potuiſſet: ſed ideo maxime, quod Cæſar Capellam S. Crucis in *Tullna*, quo in loco monaſterium condendum fuerat, non ante VIII. Idus *Iunii* anni 1280. ab Abbate *Sco-*
c *torum Wiennenſium* c) redemerit. Neque enim facile cauſſa ſubeſt, cur non uno, eodemque tempore, & commutatio fieret, & litteræ expedirentur; ait enim pro locandis (non autem locatis) ibidem Monialibus. Neque adeo de fundamentis iacendis ante cogitari poterat, quam de area proſpectum fuiſſet.

Ubi tumulus recipiendis *Auſtriacorum* funeribus conſtitutus. II. Templum denſo ſaxorum aggere exſtructum eſt, anguſtioribus ex more *Gothico*, quem vocant, feneſtris. Intus in navi Eccleſiæ, prope a quatuor altaris ſupremi columnis anterioribus, quædam conſpicuntur Ducum, & fundatorum ſigna, ſaxo exſculpta, quorum ectypa

a) Vid. *Vetus Diſciplina monaſtica* p. 200.

b) Vid. tom. præced. P. I. *Auctar. Diplomat.* pag. 1.

c) Litteræ commutationis extant apud. *Bern.* PEZIUM Cod. *Diplom. epiſt.* P. II. pag. 144. num. CCXXXII. ubi: „Nos - - ipſis (*Sco-*„*tis*) ius patronatus Eccleſiæ in *Gaunen-*„*ſtorff* - - in recompenſam Capellæ S. Cru-„cis in *Tulna*, quam iidem Abbas, & „Conventus, pro locandis ibidem Monia-„libus, ad laudem Divini nominis am-„pliandam, nobis liberaliter contulerunt, „duximus conferendum. Datum *Viennæ* „VIII. Idus *Iunii* indict. VIII. anno Domini „M. CC. LXXX. Regni vero noſtri anno „ſeptimo.„

pa tomo præcedenti exhibuimus. Eſt in medio altaris ſummi conſpectu, citra ſcalas, monumentum, lapidibus coagmentatum, unum pedem circiter altum, cui abacus ſuperiacet, ex marmore rubro deaſciatus, & duobus annulis ferreis inſtructus. In eo nec inſcriptura, nec imago ulla. Utroque ex latere lapis, in formam ſepulcralium, iacet oblongus. Sub altero eorum, qui a ſiniſtris eſt, tectus ad cryptam putatur eſſe introitus. Retulerunt nobis ſacræ huius cœnobii Virgines, cum iam anno 1739. coram aderamus, quendam Societatis IESU Sacerdotem, annis abhinc plus minus duodeviginti, lapidem hunc removendum curaſſe, ſub quo tamen præter quasdam puerorum tenellas reliquias, in receſſu nihil repertum fuerit. His acceptis, ſtatim in mentem venit, Patrem hunc alium haud fuiſſe ab *Antonio* STEYERERO, qui induſtria, ac doctrina excellens, egregios conſcripſit commentarios pro Hiſtoria ALBERTI II. Ducis *Auſtriæ*, *Lipſiæ* an. 1725. editos. Is ergo cum impenſa nihil detexiſſet opera, ſuperfluum videbatur, novum aperiundo tumulo adhibere laborem. TAB. IX. in calce.

III. In libello fundationis huius monaſterii, qui tamen recentioris ævi eſt, ac lingua vernacula conſcriptus, funera ibi ſepulta cenſentur, breviter tamen, præciſe, & obſcure, præterea nec temporis, nec nominum habita ratione. Eius ſumma huc redit: „ Enumeratio Prin„ cipum regiæ ſtirpis, in huius monaſterii templo ad Annuntiationem „ B. V. ſepultorum. Primus eſt inſtitutoris noſtri, Regis RUDOLPHI „ filius, FRIDERICUS nomine. Eiusdem RUDOLPHI filius ALBER„ TUS, Rex itidem *Romanorum*, ſeptem liberos ſuos ad hanc ſepul„ turam dedit. Nepos eius, Rex *Bohemiæ* RUDOLPHUS, prolem „ ſuam eadem ſepultura curavit. Marchioniſſa, eiusdem Regis RU„ DOLPHI neptis, binæ ſoboli idem fecit. Regis FRIDERICI tres „ liberi pariter hic requieſcunt: itemque ſtirps una RUDOLPHI, Du„ cis *Bavariæ*. Summam hæc efficiunt funerum ſexdecim. „ Excerpta ex libro fundationis,

IV. Acta hæc, præeunte LAMBECIO, ſequitur R. P. *Leop.* FISCHER, a) incerta vero hæc prope ſingula, immo & fabuloſa eſſe, partim ex dictis clareſcit, partim amplius patebit ex mox dicendis. Et quoad liberos quidem RUDOLPHI fundatoris ſententia noſtra, ſuperius b) prolata, ex eo confirmatur, quod monaſterium, & templum hoc *Tullnenſe* vix ante autumnum anni 1280. ut proxime oſtendimus, ædificari cœperit: ANNA autem, coniux eius, quæ eidem ſola peperit, exeunte Vere anni inſequentis rebus exceſſerit humanis. RUDOLPHI, ALBERTI I. filii, ac *Bohemiæ* Regis, prolem unicam novimus, unacum matre *Vindobonæ* ſepultam, de qua nos ad tab. XI. RUDOLPHI I. neptem, Marchioniſſam primum *Brandenburgenſem*, ac poſtea Ducem *Sileſiæ*, ANNAM ſcilicet, de qua nos ſupra, c) liberos ſuos, in infantia defunctos, (nam adulti hic vix intelligi poſſunt) per longa adeo itinerum ſpatia *Tullnam* ad ſepulturam miſiſſe, vix credibile eſt. FRIDERICI *Pulchri* liberos, eorundemque ſepulturas, Cuius tamen dubia, & incerta omnia.

a) Brev. notit. urb. *Vindob.* P. III. c. XII. p. 153.
b) Cap. II. §. XXII. pag. 106. & §. XXIX. p. 113.
c) Cap. III. §. X. p. 127.

ras, recenſebimus poſtea, at nullos *Tullnæ* humatos. Nec denique quisquam facile dixerit, quinam *Bavaricæ* ſtirpis ille ſit, qui ultimo loco ibi ſepultus obtenditur.

ALBERTI liberi, in infantia extincti, ibi ſepulti.

V. His licet ſic ſe habentibus, omnem tamen *Tullnenſibus* Veſtalibus ſepulturam regiam denegare nec poſſumus, nec debemus; cum ALBERTUS ex ELISABETHA, multis affirmantibus, unum, & viginti liberos (LAZIUS XXV. at is ſolus, enumerat) genuerit, ex quibus undecim ad iuſtam ætatem pervenerunt: illos, qui in infantia obierunt, nullibi veriſimilius humatos dicimus, quam hic loci; tum quod regiam hic haberi ſepulturam, perpetua traditio ſit, cum quod tumulo etiam, ut diximus, aperto, reliquiæ infantibus correſpondentes, repertæ, ac inſpectæ fuerint. Adde & fundationis titulum, RUDOLPHI poſteros facile allicientem, ut ſuos in loco, a parente Supremo Numini conſecrato, diem iudicii extremum expectare cuperent. Quot vero ibi conditi fuerint? dictu difficile eſt. CUSPINIANUS in ALBERTO cum dicto libro fundationis convenit, ſeptem ibi requieſcere, affirmans.

Sepultura cordis RUDOLPHI I. *Rom.* Regis.

VI. Quod de ſepultura cordis RUDOLPHI I. *Rom.* Regis, huc etiam translati, dicendum reſtat, *Cl.* CZERWENCKA a) nobis ſubminiſtrat: qui, laudato Regum, Imperatorum, ac Pontificum affectu erga loca a ſe fundata, ſic proloquitur: „Quod ipſum RUDOLPHUS I. „ Cæſar ſecutus, ex eo affectu, quo ſe magna parte vitæ *Tullnenſi* „ monaſterio addixit, etiam poſt mortem huic nobiliſſimam humani „ corporis partem, cor nimirum donavit. Cuius quidem mentionem „ nos iam anno 1291. meminiſſe oportuiſſet, ſed dum mihi in nul„ lo authore legere id obveniſſet, hanc ipſam cordis donationem, „ *Tullnæ* coram anno 1690. exiſtens didici, neque etiam eruditum „ Lectorem hac notitia carere volui.„ Hæc ille. Cui nos, utpote Auctoribus aliis, ſicut & ipſe deſtituti, ſubſcribimus.

a

CAPUT VI.

CRYPTA SEPULCRALIS DUCUM AUSTRIÆ KOENIGSVELDÆ IN ARGOVIA.

§. I.

Monaſterii *Kœnigsveldenſis*, cryptæque ſepulcralis fundatio.

ELISABETHA, uxor ALBERTI I. Cæſaris, eo in loco, ubi is miſerandum in modum interemptus cecidit, ad honorem DEI, ac in perennem horrendi caſus memoriam, ſacellum exſtrui fecit, ab *Ægidio* TSCHUDIO deſcriptum, mox autem, eadem etiamnum ſuperſtite, in monaſterium duplex, alterum virorum Ord. *Minorum*, alterum, quod præcipuum erat, ſacrarum Virginum Ord. S. CLARÆ convertendum, & ab AGNETE, Regina *Hungariæ*, deinde perficiendum, perfectumque. Eius origines, & occaſionem fuſius deſcripſimus b) tomo ſuperiori. *Kœnigsveldam*, ſeu *Campum Regium* appellari placuit; quod in eo campo, non niſi exiguo horæ quadrante

b

ab

a) Piet. *Auſtr.* lib. II. cap. VII. p. 250.

b) P. II. pag. 25. & 27.

ab oppido *Brugga*, nec procul a caſtro *Habsburg*, quod ei a meridie eſt, in *Argovia*, primaria olim Gentis *Habsburgicæ* ſede, diſſito, dictus Rex *Romanorum* interfectus fuerit. Conſtituta ibi humandis Ducibus *Auſtriæ* crypta, in qua ipſa piiſſima coniux cum ſe, tum ſuos, componi voluit. Hinc non inepte in laudem eius Poeta cecinit:

EN REGIUM, REGIS SIGNATUM SANGUINE, CAMPUM.
HÆC REGINARUM MARMORA STRUXIT AMOR:
HEROUM SALTEM CINERES TEGIT URNA SEPULTOS,
SED TITULUS VIVAX AUSTRIA SEMPER ERIT.

II. Nobis itaque inſigne hoc monumentum aperiendi ſcrutandique cura tanto maior fuit, quanto plura *Auſtriacorum* Principum ibi funera cuſtodiri, compertum habebamus, quantoque ſpes certior affulgebat, quæ quidem haud quaquam fefellit, nos operæ facturos eſſe pretium. Agente igitur ad petitionem noſtram, Aulæ *Vindobonenſi* factam, apud inclytam, quorum dictioni locus hodie ſubeſt, *Bernatium* Rempublicam, Marchione de *Brie*, Legato tum ad *Helvetos* Cæſareo, facultas cum facile impetrata, tum a ſummo Reipublicæ Magiſtratu, *Kœnigsveldenſi* Præfecto (Aulæ Magiſtrum vocitant) negotium datum eſt, ut ſodali noſtro, R. P. *Philippo* GLÜCKER p. m. monaſterii *Sionenſis*, quod a loco trihorio diſtat, tum Priori, & re, & opera ſubveniret, id quod iam tum anno 1739. IV. *Kal. Februarii* adſtantibus aliis pluribus, Clericis, & Nobilibus, haud ſecus, ac popularibus, factum, ſuſceptumque fuit, præpotente Republica ſumptus maximam partem ſubminiſtrante. Aperitur primum XXIX. *Ian.* an. 1739.

III. Dum vero reſtituendo operi huic taphographico curate intendimus, mox neceſſitatem deprehendimus denuo recognoſcendæ cryptæ *Kœnigsveldenſis*. Sepimentum ligneum, tumulum marmoreum, in eccleſia erectum, ambiens, undecim nobis deſignat funera, atque inter ea etiam AGNETIS, Reginæ *Hungariæ*, quod ſibi monaſterium *Töſſenſe* pariter vindicare videtur. Præterea ad credendum inducere animum haud potuimus, corpuſculum FRIDERICI infantuli, FRIDERICI *Pulchri* Regis *Romanorum* filii, theca ſexpedali, & quod excedit, concludi. Igitur ab inclyta Republica *Bernate* eadem, qua triginta abhinc annis, facilitate, liberalitateque admiſſi, ſuſceptique, dum conſtituto die viceſimo ſeptimo *Septembris* anni 1769. aderamus, operæ pretium fecimus, applaudentibus, qui præſentes erant, ex præcipuis *Bernenſis* ditionis, *Kyburgico*, *Lentzburgico*, ac *Caſtellano* Satrapis, ab humaniſſimo loci Præfecto, *Carolo Lud.* AUGSPURGER, Nobili *Bernate*, invitatis. Namque aſſerculos, loculo FRIDERICI pueruli officulis aptos, reperimus, nec non operculum, cruce nigra longiori ſignatum, ſub quo parmula, cum cruce *Hungarica*, AGNETIS inſignibus, conſpicua. Sic iam omnia ſibi conſtant, concordantque, ut modo ſingillatim commonſtratum imus. Secunda inveſtigatio, an. 1769. XXVII. *Sept.* facta.

Tabulæ ibidem ligneæ.

IV. Antequam vero ad ipsum accedamus sepulcrale monumentum, inspiciendæ sunt tabulæ, in choro templi e pariete olim suspensæ, nunc humi stantes. Quarum tamen primam, ALBERTI I. Imp. liberos superstites enumerantem, tomo priori a) exhibuimus, ubi vero, ut in secunda hac recognitione innotuit, linea penultima, post verba *fratrum minorum*, addendum est, *& sororum*. Alteram, funerum, ibi conditorum, nomina non nulla præferentem, Lectorum oculis in præsenti subiicimus.

a


Post tabulam continentem defunctos de dominio tā viros
q̄ mulieres qui sūt hic sepulti vbi ī p̄mo locū habet Sēnis-
sra dn̄a Elizabeth relcta q̄ndā dive memorie dn̄i Albti Romāor.
Regis cū subsequctib9 in dicta tabula tūc illco seq̄ hec tabula
que gtinet defunctos de dominio postea hic sepultos in dicta tabula
cum annis domī ꝛ diebus quibus ex hoc seculo migraverūt ad
dm̄n.
Domīa Kathina cōthoralis dn̄i de Cussino filia dn̄i Leopoldi
Ducis Aust° anno dō MCCCXLIX in vig S michel Dn̄a Elizab.
qn̄dā Ducissa Lotharingos filia Jcliti p̄ncipe dn̄i albti Regē roy
ano dn̄i M°CCC°LII in die S Potēciā V Item serenissimi Dni Leo-
poldi filii dn̄i Albti Ducis austē q̄ p̄pe Sēpach in conflictu
iteriit Ano dō MCCCLXXXVI° IX die iulii hic sepulti

Hanc tabulam alterius, quam intercidisse vehementer dolemus, supplementum esse, ex eius argumento colligitur. *Post tabulam*, ait nimirum, *continentem defunctos - - tunc vero* (exceptor huius tabulæ primus, linea quarta, pro VERO legit *illico*, quod hic notandum duximus) *sequitur hec tabula, que continet - - postea hic sepultos* &c.

Descriptio tumuli, TAB. X.

V. In medio templi extra chorum, e regione altaris supremi supra solum tumulus stat, seu monumentum ex albo nigroque marmore constructum. Id anno 1600. instauratum, ac sepimento ligneo cinctum fuit, cuius vertex insignibus *Habsburgo-Austriacis*, immo & in memoriam AGNETIS, ANDREÆ III. Regis *Hungariæ*, coniugis, regni *Hungarici* digmate, cruce nempe Patriarchali, quod & hodiedum *Campi Regii* insigne est, aliarumque familiarum Illustrium exornatus est. *Germanicam* insuper in circuitu inscriptionem continet, litteris aureis expressam. Eam quidem patrio sermone, iam edidit BIRCKENIUS b) sed non integram nos, *Latine* redditam, integram damus, textu vernaculo, ac primigenio in calcem c) huius paginæ re-

b

c

a) P. II. Lib. I. cap. II. p. 37.

b) *Specul. honor. Austr.* p. 373.

c) † In disem Grab ligend von Unserer Hochgebornen Herrschafft von *Ostereich* die Edlen Frauen und Herren, die hienach geschriben stand. Zum ersten Fro ELIZABETHA, geborn von *Kernthen* Künig ALBRECHTS von *Rome* gemahel der auf der hofstat verlohr sein leben. Demnach F. AGNES Iro tochter wylund Künigen ze *Ungern*. Ferner auch unser genediger Herr Hertzog LÜPOLD der ze *Sembach* verloh

reiecto: „ In hoc monumento conduntur illuſtriſſimæ dominationis noſtræ *Auſtriacæ* Nobiles Dominæ, Dominique ſequentes: Inprimis Domina ELISABETHA *Carinthiaca*, ALBERTI *Romanorum* Regis, hoc in loco occiſi, uxor. Deinde AGNES, Regina quondam *Hungariæ*, eius filia, nec non gratioſus Dominus noſter LUPOLDUS, anno 1386. *Sempachii* occumbens. Tum vero Dux LUPOLDUS *ſenior*, ac Domina CATHARINA *Sabauda*, uxor eius, cum filia ſua Domina CATHARINA, Duciſſa de *Cuſſino*, Dux HEINRICUS, & conthoralis eius Domina ELISABETHA, nata de *Virnenburg*. FRIDERICUS, FRIDERICI, *Romanorum* Regis filius. Domina ELISABETHA, Duciſſa *Lotharingiæ*. Domina GUTTA, Comitiſſa de *Oetingen*, quorum memoriam CH. (quidam has ſiglas pro *chronica* interpretantur) faciunt. Renovatum anno 1600. „ Hanc inſcriptionem inferioris ætatis haud eſſe, atque adeo ex veteri reſtitutam; quin immo non multo poſt LEOPOLDI obitum primitus poſitam fuiſſe ex formulis: *Dominationis noſtræ*, & *gratioſus Dominus noſter* LUPOLDUS colligitur. TAB. X.

VI. Iam cryptam ipſam propius inſpiciamus, viſuri, quid ſub celebri hoc monumento marmoreo abſconditum lateat. Aditu monumenti emundato, ac eliminata undique obſidente gleba, in conſpectum tandem ſcala prodiit, demiſſa gradibus octo, gradu nono infra cryptam poſito. Singuli quatuor pedes, totidemque pollices, cum dimidio longi, ſeptem & ſemis alti, pedem unum, cum ſeptem & dimidio digitis lati ſunt. Scalaris ipſe aditus, loco fornicis, ſaxo tegitur ſpatioſiori, quo remoto, muroque duplici rupto, crypta tandem patet. Ab Oriente Occidentem verſus pedes porrigitur novem, & ſeſcuncem, latitudo a Septentrione ad Meridiem, pedes ſeptem pollicesque novem excurrit, cetera in ſpeciem orbis fornice coarctata. Altitudo ad lineam rectam, ſex pedes conficit, pollicesque decem. Topho denique ex integro conſtructa eſt, ac pavimentum ſubacta calce obductum. Tribus loculis ſibi invicem contiguis latitudo cryptæ expletur, & vix non etiam longitudo. Horum vero novem numerantur, alia aliis ſuperimpoſita, totidemque funera integra, cum quadam theca, ſeu ciſtula, longa pedes duos, digitos tres, lata pedem unum, pollices ſeſqui tertios, in qua corporis fere totius commixta iacebant reliquiæ, nec non tabulis ligneis, ad loculos alios coaptatis. Capuli, ſeu loculi, iunctis inter ſe ad quatuor angulos, & leviter clavatis aſſeribus, haud dedolatis concinnati ſunt. Quidam eorum annulis ferreis, ad extrema inſtructi ſunt, laminisque ad commiſſuras olim vincti cernuntur. Opercula maximam partem pelle vitulina, badii coloris, obducti erant. Itemque cryptæ.

VII.

1386. Hertzog LÜPOLD der alt und Fro CATHARINA ſein gemahel geborne von *Savoy* und Fro CATHARINA iro tochter Hertzogin von *Cüſſin*. Hertzog HEINRICH und Fro ELIZABETH ſein gemahel geborne von *Virnburg*. Hertzog FRIDERICH Künig FRIDERICH Son von *Rome*. Fro ELIZABETH Hertzogin von *Lothringen*. Fro GUTTA Gräuin von *Ottingen* deren gedenckhen thuen CH. Ward erneuert 1600.

Tab. x. Ac funerum.

VII. Funera, his condita loculis, alia ut diximus, aliis ſuperpoſita iacebant, ſic, ut ſingula tamen capita, pro more, Occidentem, Orientem verſus pedes ſpectarent. Tres loculi inferiores adhuc ſatis integri, ceteri operculis, atque lateribus deſtituti iacent. Ipſa cadavera calce, fœno, culmis, nec non pilis vitulinis, ad denſitatem quatuor, & plurium pollicum, operta, ſimilique materia, putri quidem, ſed dignoſcenda tamen, involuta fuerunt. Ita factum opinamur, quod Ducum plerique hic ſiti, efflata alibi anima, huc delati, dictis ſtramentis, quoad ſine noxa veherentur, compoſiti fuerint: niſi forte iſtæ res, lectuli etiam locum tenentes, induvio putredine diſſoluto, reliquæ permanſerint. Ceterum hæc funera nihil præbebant obſervatu dignum, præterquam crines rutilos partim, ac flaveſcentes etiam, in quatuor craniis, ob cryptæ forte humiditatem, procreſcentes.

Leopoldi I. *Glorioſi* loculus & fata. *Num.* 1.

VIII. Quem primum numero facimus loculum, ſex pedes, tres & ſemis digitos longum, pelleque vitulina obductum, infima ſerie, Septentrionem verſus, ſtabat. Operculo clavis affixa erat lamella, e plumbo conflata, cuius ſchema hic apponimus.



Loculo aperto ſceleton apparebat indiſſolutum. Veſtimentis id olim amictum fuerat, & calce, cineribusque perfuſum, quæ tamen, liberiore aura leviter vibrata, fruſtatim dilapſa ſunt. Cranium in ipſo hoc loculo ſubrubicundorum crinium, ad ſex pollices procreſcentium, ferax erat. Leopoldum *Glorioſum*, qui & alio agnomine *Gloria equitum* audit, hic contineri, indubium eſt. Hunc anno circiter 1292. exortum, ultimo *Februarii* anni 1326. occidiſſe, tomo ſuperiori a) docuimus.

a

Anonymi ſarcophagus, *Num.* 2.

IX. Secundus priori impoſitus, cum operculo deſtituitur, tum lignis lateralibus. Corpus tamen fœno involutum, integrum iacet. Longitudo eius ſex pedes, & digitos undecim cum ſemis, æquat. Sub capite, cui crinium ſubrubicundorum non nihil in crypta creverat, dimidia alba muliebris vitta linea a primis ruſpatoribus extracta eſt, quæ tamen in ſecunda hac funerum inſpectione non amplius apparuit. Lamina, aut inſcriptio aderat nulla. Verum oſſa hæc Catharinæ de *Cuſſino* adſcribenda eſſe, infra patebit.

Nec non & Leopoldi *Probi*, *Num.* 3.

X. Tertius ſecundo loculo incumbit, pedes ſex, totidemque pollices cum tribus quartis longus, lamellis ferreis olim cruſtatus, annulis, nunc rubigine vitiatis, ad extrema inſtructus, ac maximam partem arena completus erat. Hodie operculo, & lignis laterariis de-

a) P. II. Lib. I. cap. V. §. III. p. 49. Add. *Hiſt. Auſtr.* ap. Freher. tom. I. p. 489.

deſtituitur. Corpus ſeu ſceleton adhuc indiſſolutum, inſcriptione carens ſpectatores incertos relinqueret, cuinam ex Principibus *Auſtriacis*, in dormitorio hoc reconditis, adſcribendum ſit, niſi capulus gladii, quem ad ſiniſtram huius funeris invenimus, ac numero itidem 3. in tabula noſtra repræſentamus, LEOPOLDUM *Probum* nobis innueret. Nam etſi pari iure alteri cuipiam Ducum, ac præſertim, ob bellicas laudes, LEOPOLDO *Glorioſo*, tribui poſſet, veriſimilius tamen videtur, ferendæ ætati id par eſſe, quod is omnium poſtremus hic conditus fuerit, accedit, quod LEOPOLDI I. loculus, ut & alii intacti apparentes, nihil ſimile præſeferrent. Oblongum id ferrum eſt, ſeſqui libram appendens: longitudo pollices omnino novem, diameter vero pomi pollices duos totidemque fere lineas adæquat. Gladius, aut quidquid aliud fuerit, ſitu, & rubigine abſumtum eſt. TAB. X.

XI. Ceterum LEOPOLDUS *Probus* an. 1351. patre ALBERTO II. *Contracto*, matre IOANNA *Pherretana*, poſt XIII. Cal. *Maias* ut tomo ſuperiori a) docuimus, editus, IX. *Iulii* b) anni 1386. ut memorata tabula teſtatur, prope *Sempachium* concidit, unde annos vitæ non niſi quinque & triginta confecit. Huius autem laminam potius, quam LEOPOLDI I. de quo hic §. VIII. ſermo fuit, intercidiſſe, ideo deducimus, quod in hac nomen eius ſimpliciter cum *Ducis* axiomate legatur, cum contra accedente cognomine *ſecundo* aliquid, ad diſcernendum utrumque, adiiciendum fuiſſet, uti & LEOPOLDUS I. in dicta inſcriptione tumuli *Senior* audit. Refert quidem ZEPKENIUS, c) corpus LEOPOLDI *Probi* pollinctum, paucis ante ſuam ætatem annis ſuperſtes, ac integrum adhuc viſum fuiſſe, intentato autem a malignis quibusdam hominibus eidem damno, funus muro concluſum, cryptaque obſtructa, eorum oculis ſubductum fuiſſe. At de hoc ceterorum, quoad ſciamus, nemo meminit, nec pollincturæ veſtigium etiam prioribus cryptæ luſtratoribus ullum apparuit. Integritas contra corporum oſtendit, cryptam illam vix unquam, niſi ſepulturæ cauſſa apertam, eaque peracta, iterum recluſam fuiſſe. Ætas & fata. a b c

XII. Supremi loculi latera penitus deſtructa, ſed corporis compages illæſa, & ſericum quoddam induta ricinium flavi coloris, floribus nigro-ceruleis variegatum, apparebat. Cranio crines rutili, & GUTTÆ ALBERTI I. fil. capulus. *Num.* 4.

a) P. II. L. I. cap. XI. §. VII. p. 106. ſeqq.

b) Variant quidem quoad diem alii, ut Necrologium Parochiæ *Neoſtadienſis*, quod IX. *Iunii*, LAZIUS, & GANSIUS in Arboreto X. eiusdem ponentes. At cum tabula noſtra, cui præ reliquis tuto fidi poteſt, faciunt, fide & auctoritate maiores, auctor nempe chronici *Mellicenſis* col. 249. b. BERNARDUS *Noricus* col. 695. Anonymus *Zwetl.* col. 1001. a. *Vitus* ARENPECKIUS col. 1273. a. aliique ap. *H.* PEZ. tom. I. & II. nec non & *rerum Helveticarum* Scriptores.

c) Ap. SOMMERSBERG. *rer. Sileſ. Scriptor.* tom. I. p. 572. Prodiit ZEPKENII *Ginæceum Sileſiacum* primum *Lipſiæ* 1626.

Tab. x. & criſpi, ad unius fere pedis longitudinem, in crypta procreverant. Indicio tituli, fuſo plumbo inſcripti, cuius hic formam exhibemus,



GUTTAM, ſeu IUDITHAM, Comitiſſam de *Oettingen*, ſororem Ducum iſtorum, HEINRICI nempe, & LEOPOLDI, hic quærendam eſſe, intelligimus. Hanc igitur *Kœnigsveldæ* humatam fuiſſe non modo auctoribus, mox adducendis, teſtibus, ſed & ex teſtamento, quo eidem cœnobio haud ſpernendam pecuniæ ſummam legat, ac P. II. in *Auctario diplomat.* ad annum 1324. a nobis vulgando, edocemur.

Cuius tempus emortuale ſtatuitur.

XIII. Quoad tempus exceſſus eius variant Scriptores, coævi iuxta, ac ſuppares, aliis annum 1328. a) aliis ſequentem, b) ac iterum aliis c) vigiliam S. MATHIÆ, quæ tum in XXIII. *Februarii* inciderat, aliis d) V. *Martii*, ac aliis denique e) ſequentem, feſtum ſcilicet S. FRIDOLINI, aſſignantibus. Nobis Necrologium *Fratrum Minorum Vindobonenſium* f) potius videtur, quod, quamvis per errorem annum 1320. a Clar. editore tamen iam correctum, ac 1329. ſubſtitutum, quocum etiam plerique conveniunt, præferat, & quoad diem, quem ad III. Nonas, id eſt V. *Martii*, iterum cum multis aliis fuiſſe dicit, tanto magis confidimus, quod Princeps iſthæc, ut hic laudati auctores maximam partem aſſerunt, *Vindobonæ* exceſſerit, tum quod & iisdem patribus quadraginta ſelibras argenti pro perpetua Miſſa legaverit.

a b c d e f

HENRICI *Placidi* ſolium. *Num.* 5.

XIV. Ad Meridiem infimo loco capulus ſtabat, pelle vitulina, dum ante annos triginta recognoſceretur, adhuc ſolide obductus, quo quidem aperto, ſceleton apparebat, cuius compages indiſſoluta iacebat, culmis ſtrata. Caput inſolitæ magnitudinis eſt. Loculus lon-

a) Necrologium MS. *Græcenſe*. BIRCKENIUS *Specul. honor.* p. 251. *Genealog. Wittenberg.* P. I. cap. IV. p. 93.

b) HASELBACH. col. 790. d. Anonym. *Leob.* col. 930. d. Chron. *Zwetl. recent.* col. 538. a. Chronicon *Lambacenſe* MS. GUILLIMAN. Necrologium Parochiæ *Neoſtad.* Chron. MS. Collegii *Neoſtad.* S. I. SCHOENLEBEN in Ephemerid. HERMANNI *Contracti* Continuator. Sæpe laudatus auctor veter. March. & Ducum *Auſtr. famil.* in codice *Ambraſiano.*

c) Mox cit. Chron. *Auſtr. Lambacenſe*, & *Zwetl.* recent. nec non *hiſtor. Auſtral.* ap. FREHER. tom. I. pag. 490.

d) Necrolog. *Græcenſ.* & Paroch. *Neoſtad.* SCHOENLEBEN quintum *Maii* ponit, citans HASELBACHIUM, ſed is vigiliam S. MATHIÆ Apoſt. refert.

e) Laudatus HERMANNI *Contracti* Continuator. Auctor veterum March. & Ducum *Auſtriæ familiæ.*

f) Ap. *H.* PEZ. *Script. rer. Germ.* tom. II. col. 478. a. „ III. Non. (*Martii*) anno Domini „ MCCCXX. (MCCCXXIX.) obiit GUETA Co„ mitiſſa de *Oetingen*, filia Domini ſereniſſimi „ ALBERTI *Romanorum* Regis, & habet „ perpetuam miſſam. „ Add. teſtamentum eius paullo ſupra allegatum.

longitudine ſex pedes, ac pollices tres cum dimidio æquat. Titulus, ſeu lamina, plumbo conflata, cuius hic ſchema cernitur, Tab. X.



HENRICUM *Placidum* indigitat, ALBERTI I. filium, ordine quintum. Hunc an. 1327. die III. *Febr.* ex morbo, in captivitate contracto, *Muræponti* in *Styria* exceſſiſſe, tomo ſuperiori a) docuimus. Cum igitur, ut ibidem b) oſtendimus, an. 1299. exeunte *Octobri* natus ſit, conſequens eſt, ut vitam ſuam ad annos ſeptem & viginti, menſes tres perduxerit. Sepultus eſt primum *Græcii*, *Styriæ* metropoli apud *Fratres Minores*, c) ac demum, curante uxore ſua ELISABETHA *Kœnigsveldam* translatus eſt. a b c

XV. AGNETEM, ALBERTI I. *Rom.* Regis filiam, ac ANDREÆ III. *Hungariæ* Regis viduam, de qua tomo d) præcedenti pluribus egimus, STUMPFIUS in parthenone *Tœſſenſi*, ſemihora ab oppido *Vitoduro*, in ditione pagi *Turicenſis*, diſtante, quieſcere, duobus in locis e) tradit, & reapſe ei favere videtur ſæpe laudata tabula *Campi-Regienſis* lignea, in choro exiſtens, ac a nobis hic §. IV. exhibita, de AGNETE hac nihil memorans, etſi, recenſitis inibi CATHARINA *Cuſſiaca*, & ELISABETHA *Lotharingica*, quæ ante AGNETEM, & LEOPOLDO *Probo*, qui poſt illam obiit, id congruum omnino, immo &, ad texendum rite mortuorum catalogum, neceſſarium fuiſſet. Accedit, quod privigna AGNETIS, ELISABETHA, eodem in *Tœſſenſi* cœnobio vitam, ut alibi f) diximus, agens monaſticam, in opinione ſanctitatis, ante AGNETEM deceſſerit, hæcque cum illius, tum aliis ex cauſſis, ad monaſterium iſtud ſæpe inviſens, multis etiam donis, & Sepultura AGNETIS, Reginæ *Hung.* antea dubia, d e f

a) P. II. cap. V. §. XI. p. 52. Add. chron. MS. *Neoſtad.* ubi: „ MCCCXXVII. feria tertia, „ poſt purificationem proxima, apud *Bru-* „ *ckam* in *Styria* obiit Dux HENRICUS, fra- „ ter Ducis LEUPOLDI ante dicti, volens ire „ in *Gretz* ad fratrem ſuum FRIDERICUM „ *Roman.* Regem, qui venerat de *Rheno* in „ *Styriam.* „ Idem habent ſupra allegata Necrologia, *Græcenſe*, & *Neoſtad.* aliique bene multi.

b) Loc. cit. p. 70. §. II.

c) Anonym. *Leobienſ.* col. 926. HASELBACH. col. 789. b. ad an. 1326. ſic: „ Quo & vix „ elapſo anno, HENRICUS, frater eius- „ dem (LEOPOLDI *Glorioſi*) qui iam poſt „ ſui redemptionem chronica languerat „ ægritudine, apud *Prück* oppidum *Styriæ* „ reliquit hunc mundum, & celebribus per- „ actis exequiis, primum apud *Græz* ſepeli- „ tur, ſed poſtea oſſa ipſius per ELISABETH „ conthoralem ad *Campum Regis* transfe- „ runtur. „

d) P. II. Lib. I. cap. II. §. XIII. p. 25. ſeqq.

e) *Schweizer-chronic.* Lib. V. cap. XXX. p. m. 106. averſ. & Lib. VII. cap. XV. p. m. 215. adv.

f) Loc. cit. §. XX. p. 29. & cap. V. §. XVIII. pag. 55.

Tab. x. a b & beneficiis cumulaverit, a) illæque eius in memoriam, eodem STUMPFIO b) teſte, crucem *Hungaricam* ſuis pro inſignibus aſſumpſerint. Haud procul abfuit, quin iſthæc nosmetipſos ſuam pertraxiſſent in ſententiam. Neque enim de nihilo videbatur lapis ſepulcralis, qui in ſæpe dicto monaſterio *Tœſſenſi* adhuc oſtenditur, ac anno 1602. ut nos Clar. *Adolphus Dietricus* SULZERUS, urbis *Vitodurenſis* Syndicus, ac Societatis *Schinznachenſis* membrum rerum medii ævi & ipſe cultor, per litteras multa humanitate refertas, edocuit, e pavimento chori exemptus, ac quoad melius, tutiusque conſervaretur, quatuor columnis ligneis impoſitus fuerit. Coniectat inſuper vir doctus, AGNETEM noſtram in dicto parthenone mortuam, & humatam fuiſſe, ex conſenſu chronicorum quorundam MSS. veterum, quæ inter conceptis verbis nominat chronicon ſeculi XV. in Bibliotheca civica *Turicenſi* aſſervatum, ſibique aliquando ex apographo lectum, cum STUMPFIO plane concordans. SULZERUM non multo poſt ſubſecutus eſt vir celeberrimus *Ioan. Iacob* BREITINGER, Canonicus & Profeſſor *Turicenſis*, qui referente ſibi viro, reipublicæ litterariæ pariter noto, *Henrico* WASERO, Diacono *Vitodurenſi*, quæ noſtra circa ſepulcrum AGNETIS ſint dubia, pro inſigni ſua benevolentia, ac adverſum nos amicitia, ectypon lapidis huius ſub XII. *Aprilis* anni 1767. ad nos ultro, nec rogatus, tranſmiſit, qualiter in ſupplementorum tabula noſtra exhibemus. In eo inſignia *Hungarica* ſat conſpicua ſunt: in quatuor vero angulis quatuor ſymbola Evangeliſtarum, cum appoſitis eorum nominibus. Obſtat vero ſæpius excitata inſcriptio tumuli, dicta tabula, quarum utique unam intercidiſſe, ſupra cit. §. IV. dolebamus, non multo inferior, aut certe ex veteri, ut diximus reſtituta, AGNETEM noſtram in *Kœnigsveldenſi* crypta humatam eſſe, aperte c docens. Docent id & Scriptores veteres, HAGENUS c) nempe, mortem eius fuſius, resque circumſtantes, deſcribens, Necrologia item *Græcenſe*, & Parochiæ *Neoſtad.* MS. MENLIUS, aliique. Denique, ſi eadem Regina moniales *Tœſſenſes*, ſeu *Thoſanas* multis beneficiis, *Kœnigsveldenſes* multo pluribus affecit. Quare lapidem hunc ELISABETHÆ, tanquam Regis *Hungariæ*, ANDREÆ III. filiæ, eodem in monaſterio, ut præfertur, mortuæ, & ſepultæ, curante, procul dubio, ipſa AGNETE, poſitum, & hucuſque ab interitu conſervatum fuiſſe, potius eſt, ut credamus. XVI.

a) HAGENUS, ap. *Hier.* PEZ. *Scriptor. rer. Auſtr.* tom. I. col. 1137. e. ſeqq. ubi vitæ eius curſum operoſe deſcribit. Vid. præſertim col. 1139. b. c.

b) Cit. pag. 106. adv.

c) „ AGNES die ſelig Künigin (ait loc. mox cit. c. d.) ward an Sand IÖRGEN tag mit ſweren ſiechtumb begriffen, do empfieng ſy daz heilig Sacrament des heiligen Oels, do ward ſy von Gott ſuezleich getröſtet: -- Darum hiez ſy Meſſe ſprechen mit herrleicher Zier in der chamer, do ſy inne pflag zu ligen (adeoque *Kœnigsveldæ*) die hörte ſy mit Krancheit ires leibs. -- Do ſy vier und achzig Iar het gelebt, darnach an Sand BARNABAS tag (XI. *Iunii*) zu Tercz czeit, began ſy zu ziehen (incipiebat mori) darnach um Veſper czeit nach aller aufrichtung ward ir erfüllet der Göttleich willen an dem Iare, do man zalt von CHRISTI Geburt dreyzehen hundert vier und ſechzig Iare, und an dem zwey und funfzigiſten Iare von der Stifftunge zu *Chunigsveld* des Cloſters, und ward do wirdigkleichen begraben. „

XVI. Detegendæ igitur AGNETIS huius ſepulturæ cura, ut §. III. iam occupavimus, tanta fuit, ut recognoſcendæ cryptæ *Kœnigsveldenſi* operam daremus. Et revera contigit, nos adeo fuiſſe felices, ut in loculorum curata diſcuſſione, huius etiam Reginæ ſarcophagum detegeremus. Infimo ad Meridiem ſtanti, ac §. XIV. a nobis deſcripto, impoſitus is erat num. 6. notatus. Lateribus quidem, & inſcriptione carens, ſpectatores dubios reliquiſſet, niſi operculum, eidem adiacens longitudine pedum ſex, triumque pollicum, in tabula noſtra num. itidem 6. viſendum, ac cruce nigra inſignitum, ad cuius quoque pedes ſcutum album, crucem *Hungaricam* referens, inventum fuiſſet, nosque facile perſuadere potuit, reliquias haſce, quas *Thoſanæ* quærendas fore laudatus STUMPFIUS credidit, AGNETIS eſſe, Reginæ *Hungariæ*, *Kœnigsveldæ* defunctæ, ibidemque compoſitæ. Ceterum cum plerique, ut & HAGENUS l. c. illam annos vitæ ad quartum & octogeſimum protraxiſſe tradunt, anno autem 1364. undecimo *Iunii* denatam, conſectarium eſt, ut anno 1280. hanc lucem primitus aſpexerit.

TAB. X. *Kœnigsveldæ* detecta eſt. *Num.* 6.

XVII. Tertium in hac ſerie loculum ſuis quoque lateribus invenimus deſtitutum, ſceleton vero integrum perſeverabat, fœno involutum. Capuli longitudo pedum quinque, pollicum undecim & ſemis, viſa eſt. Inſcripturæ pars ſimul inventa, ſed duo eius fragmenta a præſentibus tum e pulvere protracta, coniunctaque integrum titulum efficiebant, docentem: CATHARINAM *relictam quondam D.* LEOPOLDI *Ducis Auſtriæ* hic conſepultam eſſe.

CATHARINÆ, LEOPOLDI I. viduæ, capulus. *Num.* 7.



XVIII. CATHARINAM anno 1336. die ultima *Septembris* rebus ceſſiſſe humanis tomo priori a) docuimus. Necrologium tamen *Wettingenſe*, cuius auctori, *Kœnigsveldæ* vicino, plurimum ſane deferendum videtur, annum ſequentem indicat. Verum tanta Scriptorum, ſententiam noſtram affirmantium nubes b) ſuppetit, ut ibi aut auctori ipſi, aut exſcriptori, humani quid accidiſſe recte ſuſpicemur. Necrologium ſane MS. *Neoſtadienſe*, cui in hac parte non mino-

Annus, & dies obitus.

a

b

a) P. II. §. I. pag. 48.

b) Anonymus *Leobienſ.* coævus col. 948. d. ad an. 1336. „Hoc anno (ait) pridie Kal. „ *Octobris* ex hac vita (migravit) KATHE„ RINA, LEUPOLDI Ducis relicta, & in *Cam„ po Regis* ſepelitur. „ Eidem conſentit HASELBACHIUS col. 798. c. Continuator HERMANNI *Contracti*, alias laudatus. Chron. *Lambacenſe* MS. ac ſupra cit. *Veter. March. & Ducum Auſtr. familia*, nec non *hiſt. Auſtralis* ap. FREHER. tom I. p. m. 490. ubi ad an. 1336. hunc in modum: „Pridie Kalend. *Octobr.* obiit Domina Domina CATHARINA filia Comitis de *Saphoy* relicta Domini LEUPOLDI præfati Ducis *Auſtriæ*, & eſt ſepulta in *Chungesfelde*. „

Tab. x. minorem ineſſe auctoritatem exiſtimamus, nobiscum facit. Unde
a facile etiam deſerimus Birckenium, a) annum 1330. diemque
b xii. *Iunii*, nec non & Hagenum, b) annum omnino 1349. aſſignantes.

Elisabethæ, Henrici *Placidi* viduæ, mors & ſepultura. *Num.* 8.

XIX. Quartus in hac ſerie loculus, isque ſupremus, ſex circiter pedum, ſuis quoque lateribus nunc deſtitutus. Linteo cadaver graſſiori implexum, ac calce & cineribus olim conſperſum fuerat. Eius compages hodiedum illæſa cernitur. Plumbeam loculus continet epitheſin, cuius formam hic damus.



Hoc primum eſt, immo unicum hac in crypta epitaphium, annum emortualem aperte exprimens. Attamen diem præterit, ſed quem opportune ſupplent alii, ut auctor ſupra memorati Necrologii *Græcenſis*, feſtum ſcilicet exaltationis S. Crucis, ſeu xiv. *Septembris*, prodens quanquam & is uno anno excedat. Verum maior haud dubie fides eſt inſcripturæ noſtræ, quacum & Hermanni *Contracti* Con-
c tinuator, nec non Guilliman. c) diem tamen prætereuntes, ſecus ac ſupra laudata *Vet. March. & Ducum Auſtriæ familia*, quæ cum Necrologio quoad eundem diem, cum inſcriptura autem quoad annum conſpirat. Addit Guillimannus eam tempore vitæ ultimo *Kœnigsveldæ* degiſſe: cum igitur in baride eius nec fœni, nec culmi, nec alterius involucri ullum apparuerit indicium, coniectura noſtra, ſupra §. vii. a nobis prolata, qua materias haſce corporum innoxie vehendorum gratia adiectas fuiſſe, diximus, oppido confirmatur. Ad ætatem illius quod ſpectat, eam ultra annos 42. aut ad ſummum 43. extendi haud poſſe arbitramur. Cum enim Hein-
d ricus, teſte Anonymo *Leob.* d) nuptias an. 1314. id eſt anno ætatis ſuæ xiv. nondum expleto, peregerit, conſequens eſt, ut & illa non plures, aut fortaſſis etiam pauciores numeraverit annos, utrosque iuvenculos fuiſſe, idem Anonym. his verbis innuit: „ Et ſic iuve-„ nis cum iuvencula nuptias in illis partibus ſolemniter celebravit. „
e Cetera eius videantur tomo ſuperiori. e)

XX.

a) *Specul. honor.* lib. III. cap. IV. p. 300.
b) *Scriptor. rer. Auſtr.* ap. *H.* Pez. tom. I. col. 1130. b. c.
c) Supra cit. e codice Biblioth. Cæſ. *Vindob.* Guilliman. ap. Lequileum: „ Mortua „ eſt Elisabeth (ait) anno 1343. cum ad „ id tempus apud *Campum-Regium* egiſ-„ ſet, ubi pariter tumulata fuit, nullis „ procreatis liberis. „
d) Col. 911. b.
e) P. II. lib. I. cap. V. pag. 54. ſeq.

XX. Qui media ſerie infimus, incolumis erat loculus, lamina inſcripturæ plumbea, clavis ſuper operimentum firmata, teſtatur exuvias hic contineri ELISABETHÆ, Reginæ *Romanorum* ALBERTI I. coniugis, horumque monaſteriorum primæ fundatricis. Schema ſic habet. Tab. x. Elisabethæ, Reginæ *Rom.* capulus, *Num.* 9.



Recluſo feretro, corpus linteo involutum, ac pilis vitulinis, ad tres, & amplius pollices denſis, ſtratum conſpiciebatur: ſolio ipſo ad pedes ſex, pollicesque tres, & ſemis extenſo.

XXI. Eam v. Kal. *Novembris* anni 1313. e vivis ereptam fuiſſe, docuimus tomo præcedente, quanquam & id difficultate haud careat, quando plures etiam veteres, a) annum ſequentem volunt. At potior nobis eſt fides, & auctoritas chronici *Stamſenſis* b) monaſterii, ab ipſo eius patre fundati, ubi legimus: „Anno Domini „MCCCXIII. v. Calendas *Novembris* obiit ſereniſſima Domina ELI„ZABETH, relicta Domini ALBERTI, Regis *Romanorum*, - - & „fuit filia prædicti Principis Illuſtris MEINHARDI, Ducis *Karinthiæ*, „fundatoris noſtri.„ Nec non Necrologii *RR. PP. Minorum Conventual. Wiennenſium*, apud quos quippe primum depoſita fuerit, idem aſſerentis. Eidem adſtipulantur plures alii, eundem annum, diemque XXVIII. *Octob.* aſſignantes c) ut nobis equidem de neutro ſit dubium. Obiit autem *Vindobonæ*, cum non multo ante anniverſarium, pro ALBERTO præprimis, coniuge ſuo, in Xenodochio oppidi *Styrenſis* in *Auſtria*, fundaſſet, d) *Wiennæque*, cum fervente FRIDERICUM *Pulchrum*, eius filium inter, & LUDOVICUM *Bavarum*, de ſumma Imperii bello, *Kœnigsveldam* transferri non poſſet, apud *FF. Minores* depoſita fuit, anno poſt tertio illuc devehenda, ut ante obitum petebat, teſte HAGENO, e) qui & morbi genus ad- Mortisque hiſtoria. a b c d e

a) Ut Anonym. *Zwetl.* ap. *H.* PEZ, *Scriptor. rer. Auſtr.* tom. I. col. 922. b. ſupra laudat. chron. *Lambacenſe* MS. nec non *hiſt. Auſtral.* FREHERI tom. I. pag. m. 487. & mox iterum p. 489. ac nonnulla alia, quæ in manibus ſunt.

b) Ap. eund. PEZ. tom. II. col. 458. a.

c) Ut chronicon *Florianenſe* MS. LEQUILEUS ex GUILLIMANNO, HAGENUS, mox laudandus. Necrolog. *Auſtr.* & *Tyrolenſe* MS. Necrol. MS. Parochiæ *Neoſtad.* Chronic. *Zwetlenſ.* ap. Rev. LINCKIUM mox citand. ac præſertim etiam Necrolog. Abbatiæ *Wetting. Campo-Regio* vicinæ, cuius verba ad V. Kal. *Novembr.* ſunt hæc: „Anno Do„mini MCCCXIII. obiit Domina ELIZABETH, „Inclita *Romanorum* Regina, quæ miſit no„bis de *Wienna* LX. marcas.„

d) Diploma fundationis affert PREVENHUEBER Annal. *Styrenſ.* pag. 47.

e) Ap. cit. PEZIUM tom. I. col. 1137. a. GUNDELFINGANUS ELISABETHAM noſtram anno 1316. obiiſſe vult, quod haud dubie de tumulatione eius accipiendum. Chronicon *Zwetlenſe* ap. Reverendiſs. LINCKIUM, Annalium *Clarevall.* tom. I. p. 621. aſſerit: elegiſſe ſibi ſepulturam in monaſterio, a ſe conſtructo, in *Campo-Regio*, cum *Wiennæ Auſtr.* moriebatur; verum cum propter diſcordias Principum *Auſtriacorum* & *Bavarorum*, funus ad illud monaſterium electum deduci

Tab. x. addit, arthritidem. Lequileus ex Guillimanno, ut videtur,
a annos ei circiter quinquaginta tribuit. a) Quod ſi veritate nitatur, nuptiæ eius, quas anno 1276. proceſſiſſe, ſupra oſtendimus, in annum vitæ eius tertium decimum cadunt; unde iterum intelligitur, quam mature Principum liberi ea tempeſtate, nuptui elocari conſueverint.

Lamina, humi reperta, ad Elizabetham *Lotharing.* ſpectat, *Num.* 10.

XXII. Meminimus ſupra §. VI. thecæ, ſeu ciſtulæ, exuviis humanis impletæ, quas adiacens humi epitheſis plumbea, cuius ſchema hoc eſt,



Elisabethæ Duciſſæ *Lotharingiæ* vindicavit. Accedit, quod viri anatomiæ periti ex oppido *Brugg*, a nobis in conſilium vocati oſſibus ſingulis penitius inſpectis, ac mutuo collatis, reliquias illas totius fere cadaveris, eiusdemque muliebris eſſe, contenderent. Litteræ inſcriptionis quidem, ſitu & rubigine, iam pridem exoletæ, tantum tamen ſui reliquum habent, ut, cui lamina tribuenda ſit, intelligeretur. Prima linea reliquiæ epochæ mortis videntur, ſecunda nomen Elisabethæ aperte exprimit, ita ut totius inſcriptionis textus ſic legi, ac reſtitui poſſe videatur: *Anno M. CCCLII* Elizabet *obiit Lotharinghie Duciſſa feſto Potenciane Martiris.* Nec enim hæc inſcriptura multum differt a tabula illa, ſupra §. IV. adducta, quæ ita loquitur: *Domina* Elizabeth *quondam Duciſſa Lotharingiæ, filia inclyti Principis Domini* Alberti *Regis Romanorum, anno Domini* MCCCLII. *in die* S. Potentianæ V.

Quæ non *Nanceii*, XXIII. Hanc itaque inſcriptionem ad Elisabetham, ſeu Isabellam, Alberti I. filiam, Friderici IV. Ducis *Lotharing.* coniugem, pertinere, ambiguum haud eſt, feſtum S. Potentianæ, ſeu Pudentianæ, XIX. *Maii* celebrari ſolitum, de die obitus eius capiendum eſſe, mox memorata evincit tabula. Vulgatior tamen apud *Lotharingos* hactenus fama fuit, Illam *Nanceii* ad S. Georgium, in ſacello, S. Elisabethæ ſacro, ab ipſa fuudato, ad-

non potuiſſet, interim apud *Minores Fratres Viennæ* datum eſſe ſepulturæ. Fridericum autem defunctum bello *Bavarico*, ipſam effoſſam, in *Campum Regium* per *Styriam* & *Carinthiam* deduci iuſſiſſe, ubi in præſentia filiorum, Ducum *Auſtriæ*, Regio cum apparatu anno ab obitu eius tertio condita fuerit.

a) Nata igitur fuit anno 1263. id quod Illuſtriſs. Comes Cronbergius, in ſæpe laud. *Tentam. chronolog.* Ducum *Goritiæ* tab. IV. p. 143. quoque tenet.

adhuc quicſcere, præſertim cum in teſtamento, iam anno 1340. condito, ac XIX. *Decembris* eiusdem anni ſignato, a) id poſtulavit. Eiusdem opinionis Celeberrimus quoque fuiſſe videtur *Auguſtinus* CALMETUS, qui *Nanceianas* inſcriptiones, honoribus Auguſtæ Genti *Lotharingicæ* poſitas, noſtra ætate prælo committens, ISABELLÆ noſtræ epitaphium, recentiori tamen ævo conſcriptum, in hæc verba vulgavit: b) Tab. X. a b

ISABELLÆ AUSTRIACÆ
FRIDERICI IV. LOTHARINGIÆ DUCIS
ET MARCHIONIS CONIUGI,
HONORES POLITICOS MERITA,
VIRTUTIBUS ETIAM CHRISTIANISSIMIS
VITAM EXORNAVIT.
VIAM UNIVERSÆ CARNIS INGRESSA
ANNO MCCCLII.

XXIV. At vero funus Principis *Nanceio* *Kœnigsveldam*, ad communem *Auſtriacorum* cryptam, translatum fuiſſe, non modo HAGENUS c) edocet, ſed & tabula, dicto §. IV. exhibita, nec non & ipſa lamina plumbea, modo inſpecta, aperte etiam evincunt, & comprobant. Id vero primum poſt an. 1353. factum fuiſſe, colligimus ex ſententia Præpoſiti eccleſiæ S. LEONARDI *Baſileenſis*, qui a S. Pontifice, litis ea de re ab Abbatiſſa *Kœnigsveldenſi* Canonicis S. GEORG. *Nanceianis* motæ, arbiter conſtitutus, corpus ISABELLÆ illi adiudicavit, ut videre eſt in excerptis, ad calcem paginæ adſcriptis. d) Unde & præterea intelligitur propoſitum Principis, poſt mortem apud S. GEORGIUM quieſcendi, quode ſupra allegatum teſtamentum eius, poſt annum 1340. revocatum fuiſſe. Denique oſſa ELISABETHÆ, in cumulum congeſta, indicio etiam ſunt, Canonicos corpus eius diutius apud ſe retinuiſſe, illaque, carnibus interim in cineres reſolutis, in ciſtula hac anguſta, tandem reſtituiſſe. XXV. Sed *Kœnigsveldæ* ſepulta iacet. c d

a) Extat ap. VIGNIER *in veritable Origine des Maiſons d'Alſace* &c. breuves p. 157. DUMONT *Corps dipl.* T. I. P. II. p. 200.

b) *Recueil des inſcriptions conſacré a la gloire -- de l'Auguſte Maiſon de Lorrain.* p. 3.

c) Loc. cit. col. 1140. b. Eius verba, cum, quod hic docemus, illuſtrent, & confirment, adponenda duximus: „ Diſe Fraw „ (ait) ELIZABETH, Herzogin von *Lutbrin-* „*gen* erwelt jr begrebnus zu *Kunigsveld* in „ dem chloſter: aber ſie ſtarb, und ward „ in *Walhen* begraben in einem Goczhau- „ ſe, daz haiſset zu *Sancto Deodato* in dem „ Iar, do man zalt nach CHRISTI geburt „ dreyzehen hundert zwey und funfczig „ Iar. Doch ward Sie da auzgegraben, „ und gen *Chunigsveld* gefürt. „ Errat tamen auctor, eam ad S DEODATUM primum ſepultam aſſerens, cum ex ſententia, ſtatim adducenda, pateſcat, illam primum in eccleſia S. GEORGII *Nanceii* humatam fuiſſe.

d) „ Præpoſitus Eccleſiæ Sancti LEONARDI *Baſilienſis*, per præpoſitum ſolita gubernari, Iudex unicus ad cauſam, quæ inter honorabiles Dominos, Præpoſitum & Capitulum de *Nanceio*, *Tullenſis* Diœceſis ex una, nec non Venerabiles, & religioſas in CHRISTO Dominas, Abbatiſſam, & Conventum monaſterii *Campi-Regis*, *Conſtantienſis* Diœceſis, ex parte altera vertitur, coram nobis ſuper eo, quod Magiſter *Conradus* de ACHAIM, Syndicus, œconomus, procurator, & negotiorum geſtor cauſarum, & negotiorum prædictarum Dominarum Abbatiſſæ, & Conventus actricem earundem, ac dicti monaſterii nomine, petit in iure prælibatos Dominos, Præpoſitum & Capitulum Eccleſiæ Sancti GEORGII de *Nanceio* ſupra dictæ, reos condemnari, & compelli ad reſtituendum, tradendum, & aſſignandum ſibi, quo ſupra nomine, corpus recolendæ memoriæ quondam Dominæ ELISABETHÆ,

Tab. x. Loculus genuinus Friderici II. Friderici, *R. R.* filii, *Num.* 11.

XXV. Altera, quæ nos circa novam huius cryptæ luſtrationem, ſollicitudo tenebat, loculus Friderici filii Friderici Regis *Rom.* erat. Huic namque, ut §. III. diximus, a primis ſcrutatoribus ſarcophagus, pedes ſex, ac tres cum ſemis pollices longus, aſſignatus fuit. Nunc vero, rebus curatius inveſtigatis, aſſerculos, duos pedes, totidemque digitos porrectos, capulum olim conſtituentes integrum, deprehendimus. Lamina inſuper, cuius ſchema hic damus, clavis



ſuper operculum firmata teſtatur, funus Friderici pueruli in hac theca fuiſſe conditum. Nullas quidem cadaveris huius reliquias detegere potuimus, quod tamen mirum haud eſt; cum enim annos ad ſummum ſex, quin, indice loculo, pauciores facile natus, obierit, fieri certe potuit, ut tanti temporis ſpatio, non carnes ſolum, ſed & oſſa eius, adhuc tenerima, in cineres fuerint reſoluta.

Præcoci morte circa an. 1322. ſublati.

XXVI. Huius Friderici non magna apud veteres memoria; quippe qui præcoci morte, ut alias diximus, ſublatus eſt. Eius tamen mentionem facit Arenpeckius a) in hæc verba, „Huius electi Re„gis Friderici, Ducis *Auſtriæ*, coniux nata fuit de *Arragonia*, „ex qua Ducem Fridericum genuit, qui moriens ſepultus eſt in *Ku*„*nigsfelda*.„ cui addendus eſt Hagenus b) eadem fere aſſerens. Eius mortem ad an. MCCCXII. refert ſæpius laudatum Necrologium *Græcenſe*, at manifeſto errore librarii, cum pater eius triennio primum poſtea matrimonium inierit. Quare numerum denarium ibidem reſtituendum eſſe, arbitramur. Nam & Necrologium Parochiæ *Neoſtadienſis* vel eundem annum, vel ſaltem præcedentem MCCCXXI. præferre videtur, quanquam fugientes iam litteræ lectorem, quoad ultimam epochæ unitatem, dubium, ac incertum relinquant.

a
b

An idem fratrem habuerit?

c

XXVII. Sunt, ac inter eos Lazius, c) qui eidem Friderico Cæſari, alterum quoque filium tribuunt Leopoldum nomine, ſed quem veteres, quotquot conſuluimus, conſuluimus autem plures, plane ignorant. Obtendunt equidem non nulli Friderici *Pulchri* teſtamentum, *Vindob.* a. 1327. in feſto S. Ioan. Bapt. conditum, &

olim Duciſſæ *Lotharingiæ*, quod iidem rei *contra electionem ab eadem Duciſſa factam* de ſe ipſa in dicto monaſterio *Campi-Regis* ſepelienda, irrevocabiliter, & minime (hoc verbum male irrepſiſſe, aut lectum fuiſſe, ex contextu colligitur) contra Deum, & iuſtitiam, ſanctiones canonicas, in præiudicium actricium præfatarum, & gravamen ſui monaſterii prætacti in dicta Eccleſia S. Georgii *Eccleſiaſticæ tradiderunt ſepulturæ*, in monaſterio ſepeliendam prænotato. - - Nos viſis, conſideratis, & cum diligentia recenſitis propoſitis, & allegatis, ac probatis a partibus hinc inde - - dictos reos, videlicet Præpoſitum & Capitulum Eccleſiæ Sancti Georgii de *Nanceio* prædictæ, reſtituere, tradere, & aſſignare debere dictis actricibus, ante dictum videlicet corpus recolendæ memoriæ Elisabethæ, olim Duciſſæ *Lotharingiæ* præſcriptæ, in monaſterio *Campi-Regis* prædicto ſubterrandum, & ſepeliendum, declaravimus, declaramus, & pronuntiamus. - - Datum anno Domini MCCCLIII. feria quarta proxima ante feſtum beatæ Margaretæ Virginis. „

a) Loc. cit. col. 1242. a.
b) L.c. col. 1141. b.c. c) Geneal. *Auſtr.* p. 220.

& ſubſcriptum a) ubi duobus filiis ſuis, *quoad iis donis Divinis honorifice proſpiciatur*, b) centum libras argenti legat. His enim verbis FRIDERICUM & LEOPOLDUM, fratres, FRIDERICI *Pulchri* filios, multis argumentis evincere ſtudet P. LEOPOLDUS *Brenner*, Prior Carthuſiæ *Maurbacenſis*, quo in monaſterio teſtamentum illud aſſervatur, in epiſtola ad fratrem ſuum ARNOLDUM, ſub X. *Febr.* an. 1670. *Vindobonam* perſcripta. c) Verum eius argumenta tanti nobis viſa non ſunt, ut conſenſum extorquerent. Quis enim ſibi perſuadeat, filios Ducis, medios inter domeſticos, immo & plebeios, quod ibi fit, recenſeri? quin & omiſſo etiam *Ducum Auſtriæ* axiomate, quod certe in reliquis inſtrumentis, in quibus Principes *Auſtriæ* filiorum ſuorum mentionem faciunt, nunquam præteriri conſuevit. Accedit, ut de modica adeo, centum librarum ſumma, nihil dicamus, ſupra allegatorum teſtimoniorum auctoritas, affirmantium, FRIDERICUM anno 1321. aut ſequenti elatum fuiſſe, ut adeo, niſi tres FRIDERICO Regi filios affingas, ille ſaltem teſtamento eius comprehendi haud queat. Quare verba illa, errore librarii mendoſa ſunt, aut aliter, quocunque modo interpretanda, aut de filiis collateralibus accipienda. TAB. X. a b c

XXVIII. Decem hucusque, quibus vel inſcripturæ plumbeæ, vel aliæ notæ characteriſticæ adiacent, funera *Auſtriacorum* recenſuimus Principum, diem iudicii in hac crypta expectantium. Reliquum itaque eſt, ut ſceleton, cuius ſupra §. IX. mentionem fecimus, CATHARINÆ de *Cuſſino*, ſeu *Cuſſiaco*, quam in hac quoque ſpelea quieſcere indubium eſt, quando dicta tabula lignea, iuxta ac inſcriptio tumuli, id teſtantur, adiudicetur, ſicque numerus undecim corporum in hac crypta conditorum, quod mox memorata inſcriptio tumuli Germanica exigit, prodeat. De CATHARINA hac noſtra pluribus egimus tomo præcedenti, d) mortem eius cum Cl. STEYERERO ad an. 1349. collocantes. Addit nunc ſæpe laudata tabula diem quoque emortualem, profeſtum nempe S. MICHAELIS, ſeu XXVIII. *Septembris*. CATHARINÆ de *Cuſſino* ſarcophagus. d

XXIX. Præter recenſita *Auſtriaci* ſanguinis funera, in eadem eccleſia lapides deteximus alios, quatuor columnis lapideis, quanta circiter menſæ altitudo eſſe ſolet, nixos. Eorum primus a cornu epiſtolæ, *Habsburgicum* ſuperiori, inferiori parte ſcutum *Ferretanum* præfert, adiecta in medio hac inſcriptione: ANNO. DOMINI. MCCCLI. II. IDVS. IVNII. OBIIT. AGNES. COMITISSA. DE. HABSBVRG. FILIA. LANDGRAVII. ALSATIÆ. Alter, eadem ex parte, ad nobilem familiam de *Prandis* pertinet, inſignibus hic titulus iungitur: ANNO. Alia *Campi Regienſia* funera.

a) Extat ap. *Ioan. Fridrich* de BAUMANN, *Voluntar. Imperii conſort.* inter FRIDERICUM *Auſtr.* & LUDOV. *Bav. Francof.* & *Lipſ.* 1735. P. I. p. 28.

b) Verba inſtrumenti ſatis obſcura, pag. 30. hæc ſunt; „ Wir ſchaffen unſ'n tzwain Sönen hund't phund, vn' daz ſen (ſeu forte, *ſie*) erleichen berat. „

c) Extat ibid. p. 32.

d) P. I. Proleg. III. p. LXVIII. §. XXXV.

ANNO. DOM. MILLE. CCCLXXI. QUARTO. DECIMO. KL. IVLII. OBIIT. DOMINUS. WOLFRANDVS. DE. PRANDE. Tertius a cornu Evangelii illuſtri familiæ de *Reinach* poſitus, inſignibus atque inſcripto clarus: ANNO. DOM. M. CCCC. OBIIT. CECILIA. DE. RINACH. IN. IPSA. DIE. MA*rtyr*IS. MAV*ritii*. Denique & quartus ad *Greiffenſteineros* ſpectat, præter inſignia hunc titulum exhibens: ANNO. DOM. M. CCC. LXXXVI. NONA. DIE. IULII. OCCISUS. EST. DOMINUS. FRIDERICUS. GREIFFENSTAINER. MILES IN - - ſupple: *prælio ad Sempach*. His accedit lapis ſepulcralis, longitudinis pedum trium, duorum vero latitudinis, cum brevi hac inſcriptione: DUC DE ROHAN, videlicet HENRICI, Ducis de *Rohan*, cuius, anno 1638. in conflictu ad *Rheinfelden*, ex vulnere mortui, hic inteſtina, cor autem *Londini*, reliquum corpus *Genevæ* ſepulta fuere.

AGNETIS, LEOPOLDI *Glorioſi* filiæ, fata.

XXX. Huic capiti, velut appendicis loco, quando in conſequentibus ſe ſe commodior occaſio oblatura haud eſt, adiungere placuit, LEOPOLDI *Glorioſi*, de quo ſupra, filiam, AGNETEM nomine, cuius & ſororem CATHARINAM §. XXVIII. pariter recenſuimus. De eius ſepulturæ loco nonnulli diſceptarunt. a) At omnem diſceptandi locum tollit lapis eius ſepulcralis, uti & imago ipſa, inſcriptione inſignita, a Viro Cl. *Iulio Carolo* SCHLÆGERO, cuius erga nos benevolentiam, ac amicitiam ſingularem, in præfatione ad Nummothecam *Auſtr.* prolixe laudavimus, nobis non ita pridem ſubmiſſa. Utraque in templo *Minoritarum Suidnicii* in *Sileſia* reperitur: inſcripturæ tamen hoc tempore altare inſiſtere dicitur. Titulus lapidis b) hic eſt:

ANNO DMNI MCCCXCII OBIIT
INCLITA DMNA AGNES DUCISSA
SWIDNICENS. HIC SEPULTA.

Alterum ſaxum, muro immiſſum, ac hucuſque, etſi eccleſia anno 1757. exuſta fuerit, integre conſervatum, tres, & dimidiam in altitudinem, ac duas in latitudinem ulnas extenditur. Delineationem eius, eo quod ſerius in manus noſtras devenerit, in ſupplementis noſtris damus. Epigraphe ſic ſonat:

A. D. MCCCXCII IN DIE PURIFI
CATIONIS VIRGINIS GLORIOSÆ OBIIT ILLUSTRIS
SIMA DOMINA AGNES
DUCISSA SUIDNICENSIS HIC SEPULTA IN MEDIO CHORI

Hunc lapidem priori recentiorem, loco mox citato, Cl. SOMMERSBERGIUS exiſtimat.

Ætas.

XXXI. AGNETEM hanc noſtram anno 1338. nuptui elocatam fuiſſe, ut veriſimile, docuimus tomo præcedenti. c) Quod ſi hoc anno ætatis eius decimo quarto, aut quinto, ut tum aſſolebat, contigit,

a) Vid. BIRCKEN. pag. 200. CZERWENCKA *de ſepultur. Auſtr.* pag. 11.

b) Apud cit. SOMMERSBERGIUM tom. I. pag. 366.

c) P. I. proleg. III. pag. LXVI. ſeq.

tigit, conſectarium eſt, ut ſeptuagenaria haud minor obierit. Unde circa annum 1321. aut 22. certe ante exitum anni 1326. cum pater eius ante initium Veris eiusdem anni, ut diximus, obierit, naſci debuerat.

CAPUT VII.

BLANCÆ, RUDOLPHI III. DUCIS AUSTR. AC POSTEA BOHEM. R. ET ISABELLÆ ARRAGONICÆ, FRIDERICI PULCHRI, R. R. CONIUGUM, TUMULI VINDOBONÆ APUD MINORITAS. AGITUR QUOQUE DE EIUSDEM RUDOLPHI, ET UXORIS EIUS SECUNDÆ OBITU.

§. I.

VINDOBONÆ apud *Fratres Minores Conventuales*, Ordinis S. FRANCISCI, ob domicilium ſuum, Curiæ Ordinum *Auſtriæ Inferioris* vicinum, *Landhauſer* vulgo appellatos, duo conſpiciuntur tumuli, monumentis *Auſtriacis* adnumerandi. Eorum prior in choro templi hodierno ibi conſiſtit, ubi prætereundo *ſcalam ſanctam* per locum eius imum, ſummo altari adverſum, in chorum intratur, qui cameram offert, fornicibus vinctam, & chlatris ferreis concluſam, in qua marmoreus occurrit tumulus. a) Inciſa operimento ſtatua BLANCAM exhibet, PHILIPPI III. *Franciæ* Regis, ex MARIA *Brabantica*, filiam, ac PHILIPPI IV. ſororem, RUDOLPHI, Ducis *Auſtriæ*, filiorum ALBERTI, R. R. natu maximi, coniugem primam. Caput eius, binis acclinatum pulvinis, velo obtegitur, & ad genas ſurſum obligatis redimitur tæniis, ornatum quodammodo monalium huius temporis referentibus. Super tunicam præcinctam dependet cingulum, iniecta palla nonnihil occultatum. Ad quatuor operculi angulos totidem genii viſuntur, ſubſidentes in genua, funerique illachrymantes. Quatuor item tumuli latera monachos complorantes, orantesque exhibent, opere anaglyphico expreſſos. Inſignium, aut inſcriptionum, nihil uſquam. Sub hoc tumulo BLANCAM quieſcere voluiſſe, ac pro eo conſtruendo quinquaginta libras argenti legaſſe, ex eius teſtamento b) diſcimus.

BLANCÆ tumulus *Wiennæ*. TAB. XI.

a

b

II. Ad latus eius dextrum infantulus cernitur, veſtibus indutus, etſi fortaſſis non niſi paucos dies, ut ſtatim videbimus, certe ultra tres menſes haud ſuperſtes fuerit. At in uſu tum fere poſitum fuiſſe, ut eiusmodi parvuli maiori, quam quæ iis congruebat, ſpecie ſculperen-

Infantulus ad latus eius cur appoſitus?

a) Vid. tab. XI. ſect. 3. lit. b. Appendix Necrologii eiusdem cœnobii, ubi *de ſepultura Principum, in choro Fratrum Minorum*, inter *Scriptor. rer. Auſtr. Pezianos* tom. II. col. 509. a. ſic ſe ſe exprimit: „Infra gradum inter cancellos ferreos ſepulta eſt „Domina BLANCA, Duciſſa *Auſtriæ*, conſors Domini RUDOLPHI Ducis, filia Do„mini PHILIPPI, Regis *Franciæ*, quæ obiit „ſub anno MCCCV. „

b) Extat ap. Doctiſſ. *Bern.* PEZIUM *Cod. dipl. epiſt.* P. II. pag. 201. „Des erſten ſo wol „(wollen) Wir unſere biuilig, ob Got über „Uns gebeute, daz den Müneren Prue„dern ze *Wienne* in dem Chore vor dem „Altar - - und ſchaffen um ein erwer „grab von mermelſtaine über Uns, fünf„zig Phunt.„ Datum in feſto S. MAURITII, ſeu XXII. *Sept.* 1304.

Tab. xi. perentur, alibi animadvertimus. Sunt, qui matrimonium eius ſterile fuiſſe exiſtimant, ſed ex hoc ipſo lapide convincuntur falſi. Qua de re
a nonnulla prælibavimus tomo præcedenti, a) plura promittentes in præſentia. Quam fidem ut modo ſolvamus, HORNECKIUM, ibidem excitatum, iterum excitare iuvat. Is cum ALBERTI I. expeditionem contra WENCESLAUM IV. Regem *Bohemiæ*, affinem ſuum, ingreſſo iam autumno an. 1304. ſuſceptam, ac finitam, expoſuiſſet, RUDOLPHUM Ducem, eius filium, ſub finem anni redeuntem inducit, lætitia ex partu BLANCÆ, uxoris ſuæ, affectum quidem, ſed
b mox tabeſcente, mortuoque infante, b) in triſtitiam converſa. Referunt equidem nonnulli hanc ipſam expeditionem, atque inter ceteros
c ipſe DUBRAVIUS c) ad an. præcedentem 1303. Sed potior nobis
d eſt auctoritas chron. *Cl-Neoburgenſis* d) coævi, nec non SIFFRIDI,
e Presbyteri *Miſnenſis*, e) pariter ſynchroni; ut cuius epitome triennio poſt deſinit, qui præterea res circumſtantes fuſius proſequuntur.
f Unde non poſſumus non eidem arbitrari fidem, aſſerenti, f) eam in primo

a) P. II. lib. I. cap. IV. pag. 42. Ibidem tamen pag. 39. ubi de tempore nuptiarum eius egimus, error irrepſit typographicus. Eas enim non anno 1301. ut ibi habetur, ſed antecedenti proceſſiſſe, ex dicta pag. 42. ubi annus 1300. recte poſitus eſt, innoteſcit. ALBERTUM enim I. ut rem amplius confirmemus, ac PHILIPPUM IV. Regem *Franciæ* anno 1299. ad *Quatuor valles* convenientes, VIII. *Decembris* contractum hunc matrimonialem concluſiſſe, ibidem oſtendimus. Atqui eundem ALBERTUM, in reditu conſtitutum, præmiſſis nuntiis iuſſiſſe, ut RUDOLPHUS filius ſuus, ſponſus, præparatis ſine mora, neceſſariis ad nuptias celebrandas omnibus, ad iter ſe pararet, HORNECKIUS, auctor ſynchronus, cap. 700. p. 649. refert; ut adeo nuptiæ illæ in annum ſequentem 1301. ut alii putarunt, etiam ex hoc capite reiici haud poſſint. Verba eius ſunt iſta:

Der Chunig ALBRECHT
Seinen Sun er gerecht,
Was er haben ſolt,
So er elichen wolt,
Und ſant da ſnelleich
Nach jm hincz *Oeſterreich.*
Und do dem jungen Knaben
Alles, das er ſolt haben,
Was perait zu ſeiner Hochzeit,
Darnach in *Kurzer Zeit*
Verricht man jn auf die Vart.

His addendum Chronicon *Cl-Neoburgenſe*, quod ad an. 1300. ſic: „Eodem anno Do„mina ELIZABET, *Romanorum* Regina, cum „filio ſuo, Domino RUDOLFO, Duce *Au„ſtriæ*, & uxore ſua, Domina BLANCA, „*Auſtriam* intrat, & in *Wienna* ſollemniter „ab omnibus Dominis, & civibus recipi„tur, & pluribus muneribus honoratur.„ Ex quo loco patet, RUDOLPHUM, cum ſponſa, & matre, eodem adhuc anno *Pariſiis*, ubi nuptias magna pompa habitas fuiſſe, loc. cit. diximus, rediiſſe. Eundem annum ponit Anonym. *Leob.* col. 878. d.

b) Cap. 746. pag. 733. col. 1. ſeq.

Herczog RUEDOLF frewte ſich
Und fand auch frölichen da (*Wienna*)
Dy Herczogin PLANKA,
Wann von der auſerchorn
Ain Kind was geporn
RUEDOLFEN dem Herczogen.
Die frewd im *ſchir* ward enczogen,
Wann er verdarb
Darnach *ſchir*, und ſtarb.
Man acht, und ſpurt
Nach CHRISTES Gepurt
Dy zal an den jarn,
Daz der dreyzehen hundert warn
Und in dem Zwelften (Clar. editor *Hier.* PEZIUS recte legit *vierten*)
Dacz alles geſchach.

Sermonem hic eſſe de adulto iam anno ex contextu colligitur, ubi inter cetera ALBERTUM ob aſperitatem brumæ, nimis mature ſævientis, copiamque nivium, retrocedere coactum fuiſſe dicitur, mentioque fit feſti *omnium Sanctorum*, quo is Principes, exercitumque dimittere, ac iter paullatim *Vindobonam* verſus, unacum filio RUDOLPHO arripere, paraverit.

c) *Hiſt. Boiem.* lib. XVIII. pag. 151. edit. *Freherianæ*, niſi marginalia, ut quidem haud dubitamus, ab ipſo FREHERO profecta ſint.

d) Col. 477. d.

e) Ap. PISTOR. *rer. Germ. Scriptor.* tom. I. p. m. 1053. col. 2.

f) Ibid. p. 1049. col. 2.

primo puerperio defunctam fuiſſe. Nam etſi BLANCÆ mors menſibus fortaſſe aliquot (HORNECKIUS enim obitum infantuli ad certum, ac determinatum tempus haud omnino redigit) ſerius acciderit ad veritatem tamen aſſerti ſatis eſt, eam morbo, ex infelici puerperio contracto, diem, ſerius id, aut citius acciderit, obiiſſe. Quare emendandus, aut certe benigne interpretandus eſt Anonym. *Leobienſis*, loc. cit. eam improlem deceſſiſſe, ſcribens; nam id haud dubie ſic accipiendum, quod nullam poſt ſe reliquerit prolem. Emendandi ſunt, cum monumentis *Tullnenſibus*, & ii, qui ei duas fuiſſe proles, in eadem parthenone ſepultas, contendunt, quos loco citato tomi præcedentis nominavimus. Tab. XI.

III. Annum, & obitum Principis Necrologium dicti cœnobii *Fratrum Minorum* prodit, cuius verba exſcribere lubet: „ XIV. Kal. „ (*Aprilis*) anno Domini MCCCV. obiit Domina BLANCA, Duciſſa „ *Auſtriæ*, filia Domini PHILIPPI, Regis *Franciæ*, conſors Domini „ RUDOLPHI, Ducis *Auſtriæ*, hic ſepulta in medio chori: quæ le„ gavit fratribus mille libras denariorum (ſic etiam habet memoratum „ a) teſtamentum eius) pro eccleſia fabricanda, & centum libras, „ per provinciam diſtribuendas, quæ omnia abſtulit frater HENRI„ CUS Miniſter, & conſtruxit cœnobium S. CLARÆ hic *Viennæ*. „ Concordat Chronicon *Cl-Neoburg.* eundem annum, & diem aſſignans. Quare iterum emendandus HASELBACHIUS b) annum 1340. & HAGENUS c) annum 1300. librarii tamen potius, ut credimus, quam ſua ipſorum culpa, ponentes. Admodum iuvenem, ac fortaſſis vix annorum viginti obiiſſe, oportet; cum id, hoc eſt iuventutem eius, locis citatis, non ſolum de eius nuptiis, ſed & obitu agens HORNECKIUS, aliquoties memoret. Eius obitus, & ætas. a b c

IV. In eodem templo ante aram, S. LUDOVICO dedicatam, conſtitutus eſt tumulus alter, e marmore exſculptus, ac nec figura ulla, nec inſcriptione inſignitus. At in lateribus mediis ſpectantur inſignia *Auſtriaca*, & ex transverſo, ad utramque extremitatem, duplicata inſignia *Arragonica*: in area ſcilicit aurea clypeus, quatuor rubeis diſtinctus faſciis. Notandum porro, locum, ſacello S. LUDOVICI deſtinatum, monachis olim pro Choro regulari inſerviiſſe. Conf. eiusd. tabulæ ichnographiam, ſect. 3. lit. c. Alter in eadem eccleſia tumulus. Sect. II.

V. Tumulo hoc corpus ELISABETHÆ, IACOBI II. *Arragoniæ* Regis, filiæ, cohiberi, cum inſignia, tum vero appendix, ſupra memorati Necrologii d) *Fratrum Minorum Vindobonenſium* evincunt: „ Ante altare (ait) in choro immediate ſepulta eſt Sereniſſima Do„ mina Domina ELISABETH, conſors Domini FRIDERICI, *Romano„ rum* Regis, filia Regis *Arragoniæ*, quæ obiit ſub anno MCCCXXX. „ in feſto B. MARGARETÆ. „ Depoſita eſt autem hic loci vi teſtamenti d Corpus ELISABETHÆ *Arragonicæ*, FRIDERICI *Pulchri*, R.R. uxoris, continens.

a) „ Und ſchaffen tauſent phunt, daz man „ darumbe die Chirchen, und daz Münſter, „ daz der vorgenanten münren Prudern „ ze *Wienne* in Eren ſand LUDWIGES neue „ mache, und von neun dingen erboue. „ b) Col. 746. c. c) Col. 1129. c. d) Col. 509. a.

Tab. xi. ſtamenti ſui, ſeu ultimæ voluntatis, quodque capellam S. Ludo-
a vico in eodem templo dicaverit. a)

Mortis epocha. VI. Illam an. 1330. die S. Margarithæ ſacra, ſeu xii. *Iulii* exceſſiſſe, citatum Necrologium etiam alio in loco, i. e. contextu ipſo, his verbis memorat: „iv. Id. (*Iul.*) anno Domini mcccxxx. „obiit illuſtris, & Inclyta Domina Elisabeth ſecunda (ſubintel-„lige huius nominis) *Romanorum* Regina, fundatrix capellæ S. Lu-„dovici Epiſcopi, & Confeſſoris, tumulata in choro.„ Nempe in ſacello S. Ludovici, nam illud *Minoritis* olim pro choro inſerviiſſe ſatis conſtat. Cum hoc Necrologio concordat præter Anony-
b mum *Leob.* æquævum b) & alterum, e cod. *Græcenſi* eductum, quod expreſſis verbis *duodecimum Iulii* ponit. Nec non & tertium Parochiæ *Neoſtadienſis*. Unde etſi feſtum S. Margarithæ in nonnullis vetuſtioribus calendariis xiii. eiusdem menſis occurrat: in *Auſtria* tamen, ac præſertim *Vindobonæ*, tum temporis die præcedenti celebrari conſueviſſe, adducta Necrologiorum loca exigere videntur, immo Necrologium Eccleſiæ Cathedralis S. Stephani *Viennæ*, ac Necrologium *Canonic. Regularium* ad S. Hyppolitum in *Auſtria*, feſtum S. Margarithæ V. conceptis verbis ad iv. Idus, id eſt xii. *Iulii* reponunt. Sed & Necrologium *Neoſtad.* alterum itidem feſtum S. Margarithæ ponit, his verbis: „mcccxxx. in die S. Mar-„garetæ Virginis, obiit inclyta Domina Elisabeth, uxor Regis „Friderici, quæ erat ſex annis ante obitum totaliter cœca, & eſt ſe-
c „pulta *Viennæ* in domo *Fratrum Minorum.*„ Hæc ipſa fere verba *Hiſt. Auſtr.* c) ap. Freherum quoque præfert. Unde emendandus
d ſupra memoratus Leopoldus *Brenner*, Prior *Maurbacenſis*, d) quando ait: „Auguſta conthoralis Elizabetha, Regis *Arragonum* „filia, anno Domini 1335. die 12. *Iulii* diem obiit, apud *Minores* „ad S. Crucem *Viennæ* ſepulta in ſacello S. Catharinæ.„

Deque ætate eius coniectura. VII. Fortaſſis non ultra, aut certe ne quidem triginta annos vixiſſe, inde coniicimus, quod laudatus Anonymus *Leob.* e) de matrimonio eius, an. 1315. ut diximus, celebrato, agens, eam *iuvenculam ſpecioſam* appellitet, & adhuc mortem eius f) recenſens, hunc
e
f in modum exclamat: *O quam luctuoſa mors iuvenum Principum! nam mors iuvenum acerbior eſt, quam ſenum.* Ponamus igitur, tem-

a) Teſtamentum hoc extat apud laudatum P. *Bernard.* Pezium *Cod. dipl. epiſt.* P. III. p. 12. dat. 1328. 23. *April.* „Des erſten, „ſo ſchaffe wir (ait) und orden, daz wan-„ne Got über uns gebeut, daz man uns „danne begraben ſchole daz den *minnern* „*Prudern ze Wienne* in ſand Ludweiges „Chapellen, di wir gepaun haben, do wir „hin erwellen zeligen.„

b) Col. 931. d. „Hoc anno in die beatæ „Margarethæ tranſiit Elizabetha, re-„licta Regis Friderici, & apud Fratres „*Minores* in *Wienna* ſub marmoreo ſarco-„fago prope Blankam, Rudolfi, Regis „*Bohemorum* relictam, *Francorum* Regis „filiam tumulatur.„ Quod quidem ultimum (*prope* Blankam) haud ſatis accurate dici, ex dictis, noſtraque delineatione, intelligitur.

c) Edit. *Struv.* tom. I. pag. 489.

d) Apud *Hier.* Pez. tom. II. col. 347. d.

e) Loc. cit. col. 910. d.

f) Ibid. col. 931. d.

tempore nuptiarum, annos vitæ, pro more illorum temporum, tredecim, aut quatuordecim numeraſſe: ſequitur, ut anno ætatis viceſimo octavo, aut nono, obierit. Ultimam præterea ex filiabus IACOBI II. qui anno 1327. prid. Kal. *Nov.* ætatis ſexageſimo ſexto deceſſit, fuiſſe, *Lucius* MARINÆUS a) teſtatur. a

VIII. Locum hic eſſe putamus, ut, quod ætatem tulit, ſepulcro BLANCÆ expenſo, de fatis quoque mariti eius RUDOLPHI III. ſupra nominati, nec non & ELISABETHÆ, coniugis eius ſecundæ, quorum monumenta interciderunt, agamus. Verum tomo ſuperiori b) pleraque iam occupavimus, docentes: illum an. 1307. cum regnum *Bohemiæ*, ad quod anno præcedenti, patris ope, evectus fuerat, vix bene deguſtaſſet, in feſto S. UDALRICI, i. e. IV. *Iulii*, ad regnum cœleſte tranſiiſſe. Eius mortem, piam ſane, ac religioſam, pluribus deſcribit ſupra laudatus HORNECKIUS, c) temporibus iis æqualis, eundem pariter diem, & annum conſtituens, quanquam, ut ibidem diximus, etiam die præcedenti obiiſſe ſcribatur. Morbi, mortisque eius cauſſam, idem in nimium adverſus uxorem ſuam ſecundam amorem, alii, quos inter BALBINUS d) in immoderatum peponum eſum, alii in venenum, a malignis hominibus propinatum, reiiciunt. e) Utrumque, dempto hoc ultimo; ut quod auctor ſubdubius proponit, moriturus autem Rex negavit, f) ſimul concurrere potuit. Obiit poſt obſeſſam, expugnatamque urbem *Herwitz*, ac *Pragam* delatus, in Choro S. WENCESLAI Regis terræ concreditus eſt. g) Ætatem eius, ſilentibus antiquis, pariter ac recentioribus eruere difficile eſt. Attamen cum ſæpe excitatus HORNECKIUS, cum de eius nuptiis, h) tum obitu agens, puerum adhuc, ſeu adoleſcentulum appellet, eum primis ſub nuptiis maxime ſi & teneram BLANCÆ ætatem, ac morem, de quo ſæpe diximus, eius temporis Principum, ad nuptias admodum cito properantium, ſpectemus, annos non ultra quin-

RUDOLPHI III. obitus, & ætas.

b

c

d

e

f

g

h

a) *Hiſpan. Illuſtrat.* tom. I. pag. 394.
b) P. II. pag. 40.
c) Cap. 782. p. 788. ſeq. Idem repetit. c. ſeq.
d) Miſcellan. Decad. I. lib. VII. ſect. I. cap. XXXIV. Anonym. *Leob.* col. 890. a.
e) ARENPECKIUS col. 1236. a.
f) HORNECK. loc. cit. p. 788. col. 2. moriturum Regem inter cetera ſic loquentem inducit:
Ich vergich Ew, obs Ich kan,
Das auf der Werlde Nieman
An meinem Tod ſchuldig iſt.
g) Teſte eodem cap. 783. pag. 789.
h) Cap. 703. p. 652. col. 2. ubi de primis eius nuptiis.
RUEDOLF, der *jung Chnab*,
Tet ſich der zagheit ab.
Et mox pag. ſeq. col. 1.
Nach des landes Sit
Leget man geſellchleich
Dem Furſten *jung*, und reich
Die Iunckfrawen zue.
Et cap. 774. pag. 774. col. 1. de nuptiis eius ſecundis:
Des Piſcholf getrew
Des gedankh warden new
Und jr paider Wandelung
Do jm der Furſt *jung*
Alſo wol getrawt.
Ac denique cit. cap. 783. p. 789. mortem, & ſepulturam eius deſcribens:
Do man den Chunig hie
Zu allen Chirchen het peſungen,
Do peſtatt man den *jungen*
Chunigleichen da.

quin-aut ſexdecim numeraſſe, credibile eſt, ita ut anno 1285. aut circiter, naſci potuiſſe, videatur.

Mors ELISABETHÆ, coniugis eius ſecundæ.

IX. Altera RUDOLPHI coniux erat ELISABETHA, ſeu RIXA, PREMISLAI II. *Poloniæ* Regis filia, ac WENCESLAI, Regis *Bohemiæ*, vidua, ab ipſo anno 1306. ad confirmandum ſibi idem regnum, ducta, qua de re fuſe HORNECKIUS locis citatis. Eam anno 1335. ad plures abiiſſe, SCHOENLEBENIUS in ephemeridibus docet. Sepulta eſt in parthenone ſuburbii *Brunnenſis Ciſterc.* Ord. a ſe anno 1323. fundata. Quantis iniuriis poſt mortem mariti affecta ſit a *Bohemis*, idem enarrat HORNECKIUS. a)

a

CAPUT VIII.

FRIDERICI PULCHRI CÆSARIS, EIUSQUE FILIÆ ELISABETHÆ, MONUMENTA MAURBACHII IN AUSTRIA, NEC NON ANNÆ ALTERIUS EIUS FILIÆ, AD S. CLARAM VINDOBONÆ.

§. I.

Carthuſiæ *Maurbacenſis* fundator FRIDERICUS *Pulcher.*

Secundo circiter ab urbe *Vindobonenſi* milliario, Occidentem verſus, inſignis Carthuſia floret, anno 1313. fundari cœpta, *Maurbach*, alio nomine *Vallis omnium Sanctorum*, appellata, ac ſilva *Wiennenſi*, vulgo *Wienner-Wald*, undique circumfuſa. Auctorem agnoſcit FRIDERICUM *Pulchrum*, Regem *Roman.* Ducemque *Auſtriæ*, nec non & fratres eius, LEOPOLDUM, ALBERTUM, HENRICUM, & OTTONEM. Hiſtoriam eius ſupra laudatus *Leopoldus* BRENNERUS, eiusdem loci Prior, *multo ſane cum iudicio* (ut ait Doctiſſ. eius editor b) *nec minori elegantia*, conſcripſit, inſtrumentis publicis magna ex parte roboratam.

b

Ubi cum filia ſua ELISABETHA ſepultus eſt, ſed loco, ab olim incognito, poſtea autem detecto.

II. In hoc cœnobio oſſa FRIDERICI, fundatoris primarii, nec non ELISABETHÆ, eius filiæ, conquieſcere, certum quidem eſt, ſed ubinam primævus cryptæ, aut ſepulcri locus quærendus ſit, iam ab olim dubio non caruit. Rem ſequentibus complexus eſt verbis mox laudatus BRENNERUS c) quæ, etſi longiuſcula ſint, huc tamen transferenda duximus. „ Anno 1514. (ait) MAXIMILIANUS Imperator, *Carthuſiam Maurbacenſem* accedens (quod & hodie clementiſſime dignantur Auguſtiſſimi Cæſares, ob commodum venationi locum in vicinia) de FRIDERICI *Pulchri*, avunculi quondam ſui, & Fundatoris noſtri, ſepulcro, quæſtionem ſollicite habuit. Quod cum (*Prior*, MATHÆUS *nempe*, *quo de ibi agit auctor*) demonſtrare non poſſet (duo quippe ſecula, frequentes officialium mutationes, hoſtiles pariter incurſus, iterata Fratrum exilia, locum nullis argumentis, quod ſupra monui, inſignem, memoriæ facile ſubduxerant) id pro poteſtate Cæſar impe-

c

ravit,

a) Cap. 784. pag. 791.
b) *Hier.* PEZ. l. c. pag. 336.
c) Loc. cit. col. 362.

ravit, ut, adhibitis quam primum operis, ſepulturam ſtuderent aperire: indignum videlicet ratus, tanti Principis exuvias tot annis inglorias ſub terra deliteſcere. Certatim igitur inſiſtitur operi, & tertio demum die 16. *Auguſti*, egeſtis ruderibus, ſubterranea in medio Chori crypta, & duæ in ea tumbæ, FRIDERICI Cæſaris, & ELISABETHÆ Virginis, filiæ deteguntur. Quo nuncio, ad Cæſaris imperium D. *Georgius* de SCLAVONIA, Epiſcopus *Viennenſis*, *Laurentius* SAUR, Vicedominus *Auſtriæ*, *Vitus* ACHS, Cæſarearum ſilvarum Præfectus, aliique Principis Adminiſtri, inventionem Fundatoris recognoſcere iuſſi, oſſa regia inter pſalmos, & obſecrationes, a Religioſis vino lota, paratisque ad hoc feretris compoſita, ſuis ſinguli ſigillis obſignarunt: & quoad uſque Cæſar de Mauſoleo decerneret, ad utrumque altaris latus in Sacriſtia depoſuerunt. „ Hæc P. *Leopoldus* BRENNERUS, qui deinde *Turcarum*, *Vindobonam* an. 1529. obſidentium, in *Carthuſianos Maurbacenſes* immanitatem deſcribens, hæc ſubdit: „ iectæ poſt hæc faces ædibus, direpta momento Eccleſia, „ effractæ, ſub ſpe rapiendi theſauri, Fundatorum tumbæ, disiecta, „ ſed *devote poſt iterum recollecta Regia lipſana*: nihil omiſſum, quod „ furor, & rabies, & exitiale Chriſtiani nominis odium ſuggerebat. „ Concordat cum hiſce Necrologium eiusdem monaſterii, hanc quoque rem addens circumſtantem: *Turcas* loculos, FRIDERICI, & ELISABETHÆ exuvias continentes, in prata, cœnobio vicina, exportatos, & apertos, excuſſiſſe quidem, ſed ſpe inveniendi theſauri fruſtratos, oſſa tamen, quanquam diſperſa, integra reliquiſſe, quæ deinde ab incolis collecta, loculoque incluſa, ſecuritatis ergo *Wiennam*, in domum, ad monaſterium ſpectantem, *Seitzerhof* nomine, transmiſſa fuerint, mox anno ſequenti, ſub die XXV. *Maii*, in monaſterium revehenda.

III. Ex hac relatione duo admodum obſervanda, ac pro certo habenda autumamus: imprimis FRIDERICI, filiæque eius oſſa, ante MAXIMILIANI I. ætatem, nullo unquam tumulo, ſupra terram exſtante, honeſtata, ſed ſimplici tantum cryptæ ſubterraneæ concredita fuiſſe. Quin prioris corpus poſt mortem ſtatim terræ mandatum haud fuiſſe, ſed in ſarcophago ſuſpenſum, mauſoleum fortaſſis auguſtius expectaſſe, fide Chronographi *Cl-Neoburgenſis*, a) *Maurbachio*, dum ſcriberet, vicini, aſſerimus. Deinde magnificentius monumentum, etſi ab eodem Imperatore decretum, executioni tamen haud datum fuiſſe. Hinc *Ioanni Friderico* de BAUMANN b) accedere nequimus, aſſerenti: ſche-

Unde patet, illum ſepulcro magnificentiori nunquam honoratum fuiſſe.

a

b

a) Col. 487. b. ad an. 1330. „ Rex FRIDRICUS, quondam Dux *Auſtriæ*, in caſtro „ *Guettenſtain* moritur, & in *Maurberbach* „ (alii *Maurbach*) Monaſterio *Kartuſiense* „ *ſium*, quod ipſe fundaverat, *ſuſpenſus in* „ *ſarcophago ſervatur*. „ Conſentit Chronicon *Zwetlenſe* recentius col. 538. a. „ Obiit Nobiliſſimus Rex FRIDERICUS in octava *Epiphaniæ*, & in *Maurbach*, quod ipſe „ fundavit, monaſterio, in *ſarcofago ſuſpenſus*, *reſervatur*. „ Donec ſcilicet ei de ſepulcro decenti proſpici poſſet: quod tamen in hunc uſque diem prætermiſſum fuiſſe, notatu dignum eſt.

b) *Voluntar. Imperii conſort.* inter FRIDERICUM *Auſtr.* & LUDOVIC. *Bavar.* pag. 27. & 51.

ſchema illud *Fridericiano*-ſepulcrale, ab ipſo in calce partis II. operis ſui exhibitum, ante exuſtum a *Turcis*, *Vindobonam* an. 1683. obſidentibus, cœnobium, re ipſa e lapide exſculptum fuiſſe. Adducit & carmen lugubre, quod eidem monumento olim inſculptum fuiſſe exiſtimat. Hoc enim ſi fieri voluiſſet, fieri certe debuerat ab eo tempore, quo id laudatus animo volvebat Imperator, tum vero ante tempora IOANNIS, Prioris *Maurbacenſis*, qui WENCESLAO anno 1554. ſucceſſit. Hic enim cum mauſoleum, oſſibus horum Principum recipiendis deſtinatum, haud reperiret, „ evocatis (ut ſæpiuſcu-
a „ le laudatus BRENNERUS a) iterum docet) Aulæ Proceribus, ſolen-
„ niſſimas Fundatori exequias, depoſitis Regiis exuviis lapideum in
„ ſarcophagum, largiſſima etiam in pauperes erogata ſtipe celebra-
„ vit: Auguſtæ porro memoriæ, & honori Fundatoris P. *Ioannes*
„ SEKLOS (in ſubſequenti marmore SEELOS legimus) Profeſſus
„ *Maurbacenſis*, hos verſus marmori adſcripſit. „

Sed tamen ſarcophago marmoreo, verſibus ornato.

IV. Superſunt, quos hic memorat, verſus etiamnum, tabulæ marmoreæ, duos pedes, & undecim pollices longæ, unumque pedem, octo, & tres quadrantes pollices latæ, inſcripti. Reperta eſt in Choro ſubterraneo eiusdem *Carthuſiæ* templi, nunc vero in cella R. P. Sacriſtæ aſſervatur. Differt nonnihil ab editis laudatorum BRENNERI, &
b c BAUMANNI, b) nec non noviſſime R. P. FISCHERI; c) unde varias lectiones apponendas duximus.

I HOC IACET EXIGUO 1) CÆSAR SUB MARMORE TECTUS
AUSTRIACUS, NOMEN CUI FRIDERICUS ERAT
PULCHER: DUX PIUS: ET IUSTA PROBITATE SEVERUS:
TEMPLA ETIAM VITÆ SUNT MONUMENTA SUÆ.
NAM QUÆ NUNC CERNIS TURCARUM DIRUTA BELLO,
FUNDARAT MULTO DUX BONUS ÆRE SUO.
VIRGINEI PARTUS POSTQUAM SOL MILLE TRECENTOS
TRIGINTA ATQUE ANNOS FECERAT ORBE SUO,
2 MULTIS CUM LACRYMIS, MAGNOQUE 2) DOLORE SUORUM
EXTREMAM VITÆ FINIIT ILLE DIEM.
INVIDIA PARCARUM OBIIT QUOQUE CASTA PUELLA,
3 QUÆ IACET AD BUSTAS FILIA ALYSA 3) PATRIS.
TU, QUI TEMPLA PETIS VOTO, MORITURE VIATOR,
4 FUNDE PRECES DIGNAS, CORDE ROGANTE DEUM, 4)
UT LÆTI CHRISTUM VIDEANT: CONSERVET ET IPSE
5 AUSTRIACOS PATRES, PROTEGAT, ATQUE REGAT. 5)
F. IOANNES SEELOS P. MAURBACENSIS
ANNO SALUTIS MDLVII. F. F.

Hunc non alium ab ipſo IOANNE Priore (utpote cuius munus hic ſigla P. exprimit) exiſtimamus quanquam eum BRENNERUS Carthuſiæ

a) Loc. cit. col. 364. c.
b) Loc. cit. pag. 27. c) Loc. cit. p. 157.
1) BRENNERUS, BAUMANNUS, & FISCHERUS legunt, *in tumulo*. 2) Illi, *multoque*. 3) Illi, ELYSA. 4) Illi, *diu*. 5) Illi ſequentia omittunt. BAUMANNUS vero annum addit MDLV. II. *Febr.* rectius BRENNERUS, MDLVII. a laud. P. FISCHER tamen etiam omiſſum.

ſiæ *Maurbacenſis Profeſſum* duntaxat appellat; nam monumentum utique iſtud *fieri feciſſe*, dicitur, ac Prioris tum munere functum fuiſſe, ipſe teſtatur BRENNERUS.

V. Atque hoc denique marmore, ſeu lapidea tabula, ſarcophagum obtectum fuiſſe, vix dubium eſt. Nam illum exiguæ capacitatis fuiſſe, inde coniicimus; quod utriusque Principis oſſa, in cumulum congeſta, non magno etiam indigerent ſpatio. Unde & Poeta *marmor exiguum* vocat. Quare nemo non videt, laudato BAUMANNO humani aliquid accidiſſe, cum ſchema *Fridericiano*-ſepulcrale, in calce partis II. exhibitum, aliquando extitiſſe, exiſtimat, recitato carmine inſcriptum, atque anno primum 1683. quo *Turcæ Viennam* obſidentes, traditoque monaſterio, cum eccleſia, flammis, iterum peſſumdatum fuerit. Nam carmen illud lugubre alii operi deſtinatum, inſcriptumque fuiſſe, memorata tabula evincit, nec apud Venerabiles monaſterii alumnos ulla mauſolei, præter dictum marmoreum ſarcophagum, extat memoria. Quin aulam Cæſaream poſt MAXIMILIANI I. fata, nihil magnificentius expetiiſſe, argumento eſt; quod eadem marmoreo, quem Prior *Ioannes* SEELOS fieri, curavit, capulo, contenta fuerit. Quare ſchema illud, a Cl. auctore ex codice MS. Bibliothecæ Cæſareæ, Claſſ. *hiſt. profan.* n. 913. eductum, pro prima duntaxat delineatione, Auguſtiori FRIDERICI ſepulcro deſtinata, ſed executioni nunquam mandata, habemus.

Hinc *Baumannianum* ſchema reipſa nunquam extitiſſe, decernitur.

VI. Non eſt dubium, quin Religioſorum pietas, imminente anno 1683. altero a *Turcis* periculo, oſſa Fundatoris ſui, aut in loca tutiora contulerint, aut ea ſaltem ab eorum furore alias intacta permanſerint. Docet illud hodierna illorum præſentia, ac ornamenta, quibus cultu velut publico medio in eccleſiæ Choro expoſita, conſpiciuntur. Loculus nempe, ſeu ciſtula lignea, flavi coloris, pegmati inſiſtit, non niſi unum, & ſemis cubitum longa, ac tres quadrantes lata, holoſericoque rubro obtecta. In eo oſſa, velo ſerico decenter involuta, iacent. Loculus operculo inſtructus eſt, clavi recludendo, & ad quatuor angulos totidem candelabris circumdatus, CHRISTI, e cruce pendentis, imagine, atque Imperatoria corona condecoratus, adiecta inſcriptione:

Friderici-anæ exuviæ, quo pacto hodie aſſerventur. TAB. XII.

Hic requieſcit Auguſtiſſ.
Princeps FRIDERICUS
Pulcher Rom. Imp. S. A. Dux
Auſtriæ & Styriæ &c. Funda
tor huius Cartuſiæ, cum
Serenis. Filia ELISABETHA
Virgine, Quorum animæ
DEO vivant.

Fecerint id Venerabiles *Carthuſiani* Patres haud certe cultus cuiusdam publici cauſſa, ſed ut eo in loco diu, noctuque DEO ſervientes, perennem in animis Fundatoris ſui confoverent memoriam, tempus haud

dubie, & occaſionem præſtolantes; quatenus, quod MAXIMILIANUS I. Imperator iam animo deſtinabat, magnificentius eidem erigant monumentum.

Tempus eius emortuale, & ætas.

VII. Diem obiiſſe FRIDERICUM anno 1330. in octava *Epiphaniæ* Domini, ſeu XIII. *Ianuarii*, ſatis convenit inter auctores, coævos a) pariter, ac ſuppares; unde audiendus haud eſt auctor Chronici b) *Salisburgenſis*, annum præcedentem ponens, nec Anonymus *Carthuſianus* c) *Gemnicenſis* IV. Id. *Decembris*. Genus mortis in ambiguo eſt; quando alii eum veneno, alii apoplexia, alii profluvio ventris, alii alio morbi genere conſumptum ſcribunt. Res hæc, cum temporibus mortis eius incerta iam fuerit, fruſtra laboraremus, in ea exputanda. Quare ſatis erit verba Anonymi *Leobienſis*, d) auctoris æqualis, hic proferre in medium: „ FRIDERICUS Rex (ait ad annum „ MCCCXXIX) ſe contulit ad montana, cum eſſet infirmus, ut in „ caſtro, quod *Guetenſtain* dicitur, tam de corporis dolore, quam „ de cura terrarum reciperet levitatem. „ Et nonnullis interiectis: „ FRIDERICUS autem Rex percuſſus morbo apoplexiæ, ut quidam „ dicunt, alii autem eum diſſenteriam habuiſſe aiunt. Cœpit autem „ vehementer deficere, & invaleſcentibus morbis, annno Domini „ MCCCXXX. in *Octava Epiphaniæ* tranſiit, & diſpoſuit teſtamento „ glorioſo per Eccleſias, & Monaſteria, & in loco fundationis ſuæ „ *Mawrbach*, *Carthuſienſis* Ordinis, regali cultu, & ſolemnibus exequiis ſepelitur. Fertur etiam, quod a quadam nobili muliere quod„ dam confectum cibarium ſumpſerit, quo ipſe Rex in favorem ſui „ mariti moreretur: in morbum impetiginoſum corporis eſt mutatum, mortis materiam ſecum ducens. „ De ætate eius, tacentibus Scriptoribus antiquis, nihil explorati habemus. Ante annum tamen 1292. quo fratrem eius LEOPOLDUM *Glorioſum*, eidem naſcendi ordine proximum, in hanc lucem veniſſe, ſupra diximus, ac poſt annum 1285. quem fratri eius RUDOLPHO, Regi *Bohemiæ*, natalem fuiſſe coniecimus, editum fuiſſe oportet. Hinc quadragenarium, aut paullo maiorem obiiſſe ſuſpicamur. Serius itaque, ac præter conſuetudinem illorum temporum, ad nuptiarum ſolemnia, ut quas anno primum 1315. celebravit, proceſſiſſe, conſectarium eſt.

ELISABETHÆ, eius filiæ fata.

VIII. ELISABETHAM, filiam eius, anno poſt ſexto etiam huc conceſſiſſe, & quidem, ut paullo ante mortem petierat, laudatus *Leobienſis* e) ad annum MCCCXXXVI. refert: „ Hoc tempore infirmabatur graviſſima infirmitate, qua & mortua eſt, FRIDERICI Regis „ filia ELIZABETH. - - Languor denique, dum remedium non habe„ ret, quæſtio convertitur, ubi convenientius debeat tumulari? Qui„ busdam dicentibus circa matrem, quæ, ut dictum eſt, in *Mawr„ bach* monaſterio, quod pater ſuus Rex fundavit, poſtulat ſepeliri. „ Quod

a) Inter eos *Henricus* STERO, ap. FREHER. ad hunc annum, pluresque alii, ap. *H.* PEZIUM, ſæpiſſime laudatum.
b) Ibid. tom. I. col. 410. c.
c) Ib. tom. II. col. 375. b.
d) Ib. tom. I. col. 930. b.
e) Col. 948. d.

„ Quod Dux ALBERTUS (*Contractus*) proceſſionis magnis exequiis „ fieri curavit. Tranſiit X. Kal. *Novembris*. „ Excurrit deinde in laudes eius, quas inter cetera ULRICUS Comes de *Pfannenberg* hiſce complexus eſt: *in eius ſubductione omnium Nobilium gaudium ſiluiſſe*. Idem tempus mortis aſſignant Scriptores alii, itemque Necrologia ſæpius laudata. Necrologium tamen *Maurbacenſe* uno die excedit, IX. Kal. ſeu XXIV. *Octobris* adſcribens; at id fortaſſis nihil aliud ſibi vult, quam Principem noſtram XXIII. eiusdem poſt Veſperas obiiſſe a). De ætate eius ſiluerunt antiqui: eam vero non ultra annos undeviginti producendam, ex eo patet; quod pater anno primum 1315. nuptias celebrans, omnium, ut videtur, primum fratrem eius FRIDERICUM genuerit. Unde ſi poſt nuptias tertio, id eſt eius ſeculi XVII. nata eſt, dictus numerus emerget. a

IX. ANNAM, prioris ſororem, ultimo loco genitam fuiſſe, tomo ſuperiori b) ex coniectura ſat probabili docuimus, ut & ingreſſum eius in religionem, quem ad annum circiter 1340. (nam maritus eius, IOANNES HENRICUS, Comes *Goritiæ*, anno 1338. obiit) cum Illuſtriſſ. Comite de CRONBERG c) reponimus. d) Ibidem Abbatiſſa electa, ad cœlos abiit an. 1343. die vero XIV. *Decembris*, teſte Chronographo *Zwetlenſi* e) ad annum MCCCXLIII. „ Obiit Domina ANNA (ait) filia FRIDERICI, Regis *Romanorum*, Comitiſſa de *Grecz* „ (*Gœrz*) quæ poſt obitum mariti intravit Ordinem S. CLARÆ in „ *Wienna*, & electa in *Abbatiſſam*, ibidem XX. Kal. *Ianuarii* ſepulta. „ Ubi probe notandum, *XX. Kal.* more alias inuſitato, errore typographico legi. *Ill.* CRONBERGIUS certe, hæc ipſa Anonymi verba, l. c. ſua faciens, *XIX.* Kal. ponit, dubius, an de obitu, aut ſepultura accipienda ſint: de priori tamen potius loqui, ſæpe excitatum chronicon *Lambacenſe* MS. fidem facit, ad an. 1343. hæc habens: „ XIX. Kal. „ *Ianuarii* obiit Domina ANNA, filia Regis FRIDERICI, Comitiſſa de „ *Gœrtz*, quæ poſt obitum mariti intravit Ordinem S. CLARÆ in „ *Wienna*, & electa erat in Abbatiſſam, & ſepulta eſt ibidem. „ Totidem verba habet *Hiſtoria Auſtralis* apud FREHERUM, f) ac Necrologium *Neoſtadienſe* MS. Nec diſſentit, omiſſo tamen anno, Necrologium *Minoritarum Vindobonenſium*; g) ut adeo cauſſam non videamus, ut cum *Ill.* CRONBERGIO mox laudato, de die hoc vel minimum Nec non & ANNÆ, alterius eius filiæ. b c d e f g

a) Vid dicta tom. præced. P. II. pag. 60. ac præſertim 61. §. XXXII.

b) P. I. proleg. III. pag. LXXVII. De eadem agit quoque fuſius Illuſtriſs. Comes CRONBERGIUS, cuius inſigne opus de Comitibus *Goritiæ*, cum prolegomenon illud imprimebatur, nondum in manibus erat. Vid. ibi pag. 107. ſeqq. ubi cum noſtra de nuptiis huius ANNÆ ſententia convenit, quamvis rem aliis nonnunquam pertractans argumentis. Conf. quoque *Auctarium* noſtrum *dipl.* ad an. 1335.

c) Loc. mox cit. pag. 109.

d) Reſtituit enim dotem ſuam heredibus hoc anno, die vero XVII. *Ianuarii*, haud dubie non alia ex cauſſa, quam quod in eo eſſet, ut monaſticam amplecteretur vitam. Vid. cit. *Auctar. dipl.* noſtrum ad an. 1340.

e) Ap. *Hier.* PEZ, tom. I. col. 995. b.

f) Tom. I. pag. 490.

g) „ Anniverſarius (ait ad XIX. Kal. *Ianuarii*) „ Dominæ ANNÆ, filiæ Regis FRIDERICI, „ Abbatiſſæ S. CLARÆ, cuius anniverſarius „ celebratur; quia fratres ab ea percepe„ runt L. libras denariorum. „

mum dubitemus. Errat itaque cum BIRCKENIO, *Leopoldus* BRENNERUS, quando a) ait: „ANNA filia, bis vidua (hoc ſecus ſe ha-
a „bere, tomo ſuperiori oſtendimus) demum in Aſceterio S. CLARÆ, „quod ſumptibus propriis (inceptum fuit a BLANCA, RUDOLPHI, „poſtea *Bohemiæ* Regis, uxore, ab ANNA vero ad faſtigium perdu- „ctum) erexerat, ſexaginta duarum nobiliſſimarum Virginum Ab- „batiſſa, primum ſeculo pompam, poſtea vitam, & exuvias denique „depoſuit Calendis *Decembris* 1334. „ Ceterum annos vitæ non ultra tres, & viginti produxiſſe, ex iis conficitur, quæ de ætate ſororis eius ELISABETHÆ, paullo ante protulimus, quodque nuptiæ
b eius b) non ante autumnum anni 1336. celebratæ fuerint.

CAPUT IX.

OTTONIS HILARIS, EIUSQUE FAMILIÆ CRYPTA IN NOVO MONTE, STYRIÆ MONASTERIO, ORDINIS CISTERCIENSIS.

§. I.

Monaſterii *Novimontis* origines, ac exhedrii deſcriptio. TAB. XIII.

NEUBERGA, ſeu *Novus-Mons*, Abbatia Ordinis *Ciſtercienſis*, ad *Murzam* fluvium in *Styria* ſuperiore, ad octo milliaria procul a *Mariæ-Cella*, contigua fere *Auſtriæ* inferiori, ab OTTONE *Hilari*, Duce *Auſtriæ*, ALBERTI I. *Rom.* Regis filio, natu minimo, an. 1327. conſtituta eſt. c) Is hunc locum, pietatis ſuæ monumentum, vaſis ſacris ex auro, & argento, liberaliter admodum a
c ſe exornatum, ſibi, ſuæque familiæ humandæ deſtinavit. Ædificium templi etſi *Gothica*, ſatis tamen regulari ſtructura ordinatur. Prope ſacrarium, a cornu epiſtolæ ſpectandum, ianua periſtylii aperitur, undecim pedes patens. E medio hoc xyſto, ad lævam, tribus gradibus in exhedrium, ſeu in locum, quem vocant Capituli, deſcenditur, ſex, & triginta pedes longum, latum vero triginta quatuor, quatuorque columnis ſuſtentatum, ac *Gothico* more concameratum. Contra ingreſſum, i. e. verſus ortum ſolis, altare conſiſtit in capella, novem pedes lata, & duodecim alta. Ingredientibus exhedrium tumulus e marmore rubicundo occurrit, pedes novem, decemque pollices ab imo gradu remotus, ac nec inſcriptione, nec ulla alia figura inſignitus. Longitudinem adæquat ſeptem pedum, latitudinem trium, cum duabus partibus tertiis, altitudinem vero trium pedum, pollicumque decem. Pavimentum exhedrii ſimplex eſt, & ſine ornatu, inter altare vero, & tumulum marmoreum, duo ſtrati ſunt lapides *f. f.* ſepulcrales, quorum inſcripturæ indicant, duos monaſterii Antiſtites hic quoque ſepultos eſſe.

Inveſtigatio cryptæ.

II. In dicto quidem exhedrio, duabus tabulis, a cornu *Evangelii* ſuſpenſis, & a nobis tomo præcedenti d) exhibitis, monaſterii inſti-
d tutio

a) Loc. cit. col. 347. d.

b) Conf. Contractum matrimonialem, cum IOANNE HENRICO, Comite *Goritiæ* factum an. 1335. cit. *Auctar. dipl.* editum.

c) Diploma fundationis vulgavimus *Pinacoth. Auſtr.* P. I. *Auctar. diplomat.* pag. 4. num. VI.

d) P. II. lib. I. §. V. pag. 62. & 66.

tutio, ac Conditoris ſepultura explicantur: in periſtylio vero imagines cum ipſius OTTONIS, tum ambarum eius coniugum, ac geminæ prolis, pictæ ſpectantur, a nobis ibidem P. I. tab. XXI. exhibitæ, addita inſcriptione, docente: in eodem exhedrio conſepulta eſſe quinque eorum funera. Hæc porro ſub memorato tumulo, ſeu cenotaphio quieſcere, circumfoſſa humus, ruptusque ab operis murus ſubterraneus, per quem ad cryptam ipſam tandem perventum eſt, demonſtravit. Longitudo eius ab Oriente ad Occidentem octo, a Meridie ad Aquilonem decem, ac altitudo ab eius centro non niſi pedes quatuor, pollices quinque adæquat. In pariete occidentali oſtium obſervatur, muro obſtructum, ab arenato autem nudum, per quod olim haud dubie ingreſſus patuit. Nec dubitamus, ab eo oſtio ſcalam retro aſcendere uſque ad tres illos gradus, quibus ex periſtylio in exhedrium deſcenditur, nunc autem humo, ac cœmento penitus obrutam. Nudum de cetero in crypta ſolum eſt, nec ullo pavimento ſtratum. Tab. XIII.

III. In hac fovea ſepulcrali dicta quinque funera, non ſine ordine collocata, ac manibus, decuſſatim compoſitis, iacentia, reperta ſunt, frontibus, præter morem, ad ortum ſolis, ſive altare converſis. Medium quidem corpus ſuper nudum iacebat ſolum, cineribus, & nigricantibus quisquiliis ita obfuſcatum, ut ne hilum quidem loculi, veſtium, gladii, aut laminæ, ad conſpectum venerit. Nec quidquam eorum apud ceteros etiam repertum eſt. Irruperit aliquando illuvies, res eiusmodi, ſi quæ præter veſtimenta fuerint, peſſumdans: uti præſertim hoc medium, fuſca colluvie obſitum, inventum eſt. Attamen oſſa, ac præſertim ſpina dorſi, naturali ſitu iacebant, totiusque compagis longitudo quinque pedes paullulum excedebat. Proxima quatuor funera, primo intuitu, apparebant totidem loculis quadratis, & oblongis condita. Propius vero accedentibus viſum, ac ſi eſſet arena madida, formam loculorum, udore dilapſorum, adhucdum retinens. Hac vero materia penitius inſpecta, patebat, non arenam, ſed cineres eſſe, carbone mixtos, funeribus ad conſervationem, commodioremque transvectionem a) admixtos. Ac funera ibi reperta. SECT. II. a

IV. Primum autem hoc funus, funus eſſe Conditoris, dubio carere videtur. Nam etſi binæ uxores eius, hac in cryptâ exuvias ſuas relinquentes, ante ipſum huc conceſſerint: dignitas tamen fundatoris, uti & ipſum coniugale fœdus exegiſſe videntur, ut ei medius inter ambas ſuas coniuges, atque adeo primus daretur locus. Accedit, quod utriusque coniugis loculi cineribus repleti ſint, non item mariti; cuius rei cauſſam non aliam ſubeſſe, autumamus, quam quod illæ ſtatim poſt obitum huc advectæ ſint; unde & cineribus opus erat, cum ad commodiorem, ut diximus, vectionem, tum vero maxime ad fœtorem arcendum. b) Secus accidit cum corpore Ducis; ut quod pri- Imprimis OTTONIS ipſius, *Num.* 1. b

a) Vid. dicta ſupra lib. I. cap. IV. §. XLIX. pag. 58. b) Conf. dicta ibidem.

Tab. XIII. primum apud Religioſos, Ord. S. AUGUSTINI, *diſcalceatos Vindobonæ* humatum, incerto quidem, attamen aliquo poſt fata tempore, ad *Novum-Montem* translatum fuit. „ MCCCXXXIX. mitiſſimus „ OTTO, Dux *Auſtriæ*, *Styriæ*, *Karinthiæ* (ait Chronographus *Cl-*
a „ *Neoburgenſis* a) devoto, & optimo fine de hoc ſæculo migravit, „ humatusque fuit in *Winna* apud *Auguſtinenſes*. ALBERTUS vero „ Dux ſolus inter fratres - - pluribus negotiis intentus, corpus funda- „ toris *Novi-montis*, Ducis OTTONIS, piæ memoriæ, - - ad eundem „ locum, quem adhuc vivus delegerat, deferre (cum) tardaret; am- „ monitus per revelationem, & viſionem ſomniorum, ſic tandem „ compulſus, - - cum ſumma reverentia transductum fuit funus in „ *Novum-montem*. Interfuerunt exequiis Venerabiles Prælati nume- „ ro XXVI. cum Miniſterialibus non paucis. „ Huc facit Inſcriptio, a nobis loco citato prolata, ubi de eodem ſic: „ tumulatusque *tandem* „ in hoc Capitulo. „ Unde inferas: translationem eius aliquamdiu prolatam fuiſſe. Quare commode accipienda arbitramur verba Ano-
b nymi b) *Leobienſis*, eam *non poſt longum temporis interſtitium* ſuſceptam fuiſſe, aientis. Etenim corpus Principis revera ibi terræ mandatum fuiſſe, ac longiori, quam quod verba illa innuere videntur, tempore ibidem perſeveraſſe, etiam lapis ſepulcralis in templo *Auguſtiniano* olim viſus, commonſtrat, cum hac inſcriptione:

OTTO DVX ASVTRIE STIRIE CARINTHIE
O - - TRANSLATVS AD NOVVM MONTEM.

Cum igitur eo ipſo in loco, ſeu urbe, ubi diem clauſit extremum, prius ſepultus fuerit, poſtea autem conſumptis carnibus, in *Novum-Montem* transportatus: nec etiam neceſſarium erat, ut corpus eius obrueretur cinere. Quod ſi autem hoc totum minus arrideat, exiſtimandum erit, loculum eius primævum, cinere haud conſperſum, ante, vel ſub translationem nequidem apertum fuiſſe.

Anno 1339. inter XVI. & XVII. *Febr.* defuncti.

V. OTTONEM anno 1339. media nocte XVI. & XVII. *Februarii* interiacente, e vita migraſſe, tomo præcedenti c) fuſe, & data opera docuimus. Cum igitur anno 1301. poſt menſem *Iulium*, aut *Au-*

c

a) Inter Scriptor. *rer. Auſtr. Pezianos* tom. I. col. 488. c. d. Idem aſſerit HASELBACHIUS, ibid. tom. II. col. 798. c. addens: eum *Græcii* in *Styria* morbo correptum, ægrum *Vindobonam* in lectica advectum fuiſſe.

b) Eius verba, circumſtantias mortis eius exponentia, huc tranſcribenda duximus: „Dux OTTO (ait col. 955. c. ad an. 1339.) a civitate *Graecz Stiriæ* debilis in *Auſtriam* eſt perlatus, qui (cuius) motu, atque concuſſione corporis, & frigore, in lectica, qua vehebatur, dolor dialiter augebatur. Igitur morte (morbo) prævalente, ad prælium mortis, Sacramentorum ſuſceptione devota, confeſſione, & glorioſi teſtamenti diſpoſitione, fideliter ſe armavit; executores nobilem Virum de *Phamberg* ULRICUM, & ULRICUM de *Pergaw* cum conſtrictione fidei deputavit. Et confortatus in ſpiritu libertatis, atque ſecuritate conſcientiæ, ulterius ſe non diligere vitam iſtam, nec velle de cætero ſupereſſe, voce libera teſtabatur: & commendatis duobus filiis, FRIDERICO, & LEUPOLDO, totaque terra, populis, & familiaribus, fratri ſuo, IV. Kal. *Martii* tranſiit, & apud Fratres *Auguſtinenſes Viennæ ſolemnibus exequiis tumulatur*. Deinde non poſt longum temporis interſtitium, Religioſus quidam, Ordinis *Karthuſienſis*, viſionem, ſibi Divinitus oſtenſam, detulit ad ALBERTUM, quia indicavit, purgationi competere omnino, ſi ſine mora ad locum ſuæ fundationis transportaretur, ſcilicet ad monaſterium *Novi-Montis*. Quod & factum eſt, cum devoto, qui ad hoc requiritur, apparatu „

c) P. II. lib. I. cap. V. §. XXVIII. pag. 59. ſeq.

Auguſtum, certe ante nonum *Octobris*, ut ibidem a) oſtendimus, in hanc lucem protractus fuerit, conſectarium eſt, eum annos vitæ non niſi ſeptem, & triginta, cum menſibus paucis compleviſſe. Tab. XIII. a

VI. Ad manum ſiniſtram medii cadaveris in cineribus ſitum erat integrum corpus, longum ſex pedes, cuius quidem, quæ erant fœminei corporis indicia, non adeo, ut in ſequenti, perſpicua fuerant. Veſtes æque, ac funebris arca in pulverem prorſus deciderant. Loculum tamen olim figuram habuiſſe quadratam, & oblongam, duo, quæ ſupererant, vincula angulorum ferrea demonſtrabant. Humi quoque ad utramque extremitatem, præter alia fragmina, ferrea iacebant manubria. Deſcriptio funeris. *Num.* 2.

VII. Funus hoc ad ELISABETHAM, STEPHANI Ducis *Inferioris Bavariæ*, filiam, OTTONIS *Hilaris* coniugem primam, ſpectare, ex corporis proceritate, ad ſex, ut diximus, pedes porrecta, intelligitur. Neque enim obſtat ſitus, quod reſpectu ANNÆ, uxoris alteræ, lævam occupet, cum OTTO, de ſecundis nuptiis nondum cogitans, dextram ſibi facile reſervarit. ELISABETHAM hanc ei anno 1325. in manus conveniſſe, infra excitandus Chronographus *Aulæ Regiæ* his verbis teſtatur. „Hoc quoque anno (ait p. 48.) ut LUDO„VICUS FRIDERICO *Auſtrali* amicitiam oſtenderet ampliorem, pro„curavit; quod OTTO, Dux *Auſtriæ*, FRIDERICI eiusdem germa„nus, ELIZABETH, HENRICI, & OTTONIS, Ducum inferiorum „ſororem (adeoque STEPHANI, *Inferioris* Ducis *Bav.* non STEPHA„NI *Fibulati*, ut HENNINGES, aliique putarunt, filiam) duxit legi„timam uxorem.„ Hoc adulto iam anno, quin fortaſſis iam ad finem properante, accidiſſe, textus ipſe docet; cum enim FRIDERICUS e captivitate ante menſem *Septembrem*, dicti anni, ut alibi docuimus, haud evenerit, conſectarium eſt: LUDOVICUM hanc *amicitiam ampliorem*, ut loquitur auctor, eidem poſt primam illam amicitiæ ſignificationem, qua eum, captivitate ſolutum, Imperii quoque conſortem fecit, ex poſt temporis exhibuiſſe. Quod ELISABETHÆ, UX. OTTONIS primæ, an. 1325. ductæ, adſcribitur.

VIII. Obiit ELISABETHA, ut creditur, ex veneno, ſibi, ALBERTOque II. qui inde per omnem vitam, manus, pedesque debilitatus, ac detortus, *Contracti* agnomen conſecutus eſt, ab improbis hominibus propinato. b) Infame ſcelus an. 1330. die vero XXV. *Martii* Obitus eius, atque ætas. b

a) Cap. VI. §. II. p. 70. Extat præterea apud DUMONT *Corps dipl.* tom. I. P. I. pag. 314. ALBERTI I. R. R. diploma, quo filiis ſuis, RUDOLPHO, FRIDERICO, LUPOLDO inveſtituram in Ducatus *Auſtriæ*, & *Styriæ*, nec non Principatus *Carniolæ*, *Marchiæ*, ac *Portus Naonis*, ſub XI. Kal. *Decembr.* anni 1298. confert. Unde ſecundum dicta hic ſupra cap. II. §. XXII. p. 106. planum fit, ALBERTUM *Contractum* XXI. *Novembris* natum nondum fuiſſe; adeoque STEYERERI de ALBERTI eiusdem, nec non & noſtram, de HEINRICI *Placidi*, MAINHARDI, & OTTONIS ortu, egregie confirmari doctrinam, loc. cit. prolatam.

b) Anonym. *Leob.* ſynchronus col. 931. a. ad an. 1330. „Eodem anno, in *Annuntiatione* „*Beatæ Virginis*, obiit Domina Duciſſa E„LISABETH, conſors Ducis OTTONIS, quæ „(ſicut fertur) cum ALBERTO Duce, & „quibusdam puellis, in quodam obſonio ve„nefico, & lethali, ſumpſerit cibum mor„tis.-- Duciſſa vero defuncta, ad mona„ſterium *Novi-Montis* transfertur, ibique „ſolemniter tumulatur.„ Rem totidem fere verbis enarrat HASELBACHIUS col. 792. b. c. Continuator HERMANNI *Contracti*, aliique.

Tab. XIII. *tii* perpetratum fuit, quo eodem adhuc die ELISABETHÆ, ut ſuapte natura debiliori, vis toxici animam exturbavit. De ætate eius nihil habemus, quod dicamus. Attamen cum pater eius iam tum an. 1311. XI. Kal. *Ianuarii*, annorum non niſi quadraginta, cum menſibus fere novem, obierit, a) ELISABETHA autem inter quatuor eius filias natu maior b) habeatur; conſectarium eſt, ut tempore nuptiarum ab annis vitæ viginti non procul abfuerit. Unde cum in matrimonio quinquennio minus abſolverit, annos ætatis præter propter quinque, & viginti numeramus.

a
b

Funus num. 3. ſignatum. IX. Corpus a medio cadavere dextrum, cineribus, ut diximus, oppletum, arca ſua eousque deſtituebatur, ut pauca tantum fragmina, & quædam fruſta ferri, præmuniendis olim loculi angulis deſtinati, circumiacerent. Oſſa naturalem ſervabant ordinem. Corporis proceritas quinque pedes excedebat, pectore anguſto, coxendicis autem largioribus, ut inde luculentius, quam in ſuperiori, diiudicare liceret, corpus eſſe muliebre. Nulla occurrebat lamina, nec aliqua veſtimentorum pars reliqua erat.

Ad ANNAM, OTTONIS ux. ſecundam, quæ an. 1338. III. *Sept.* obiit, referendum. X. Hanc ſecundam OTTONIS coniugem eſſe, ex modo itidem corporis, minori utique, quam ELISABETHÆ, colligimus. Erat hæc ANNA, IOANNIS *Cæci* Reg. *Bohemiæ* filia, ac CAROLI, poſtea *Romanorum* Imp. ſoror, nata anno 1323. XXVII. *Martii*, c) ducta anno 1334. durante quadraginta dierum ieiunio, cum annum ætatis duodecimum nondum inchoaſſet. d) Vitam depoſuit an. 1338. III. *Non. Septembris*, e) atque adeo ætatis annorum quindecim, menſium

c d e

a) Teſte HENRICO, Præpoſito *Oettingano*, chron. *Bav.* ap. Cl. OEFELIUM tom. I. pag. 695. col. a. *Ioannes* STEINDELIUS ad an. MCCLXXI. ib. p. 510. col. a. „ELIZABETH, „Ducisſa *Bavariæ*, peperit filium II. Id. „*Martii*, nomine STEPHANUM. „

b) Auctor *Compilationis chronolog.* ap. eund. tom. II. p. 341. col. a. ad an. tamen MCCCX. „STEPHANUS Dux *Bavariæ* obiit. Hic „STEPHANUS genuit FRIDERICUM, OTTO„NEM, HENRICUM, LUDOVICUM, ELIZA„BETH, quam duxit Dux *Auſtriæ*, BEATRI„CEM, quam duxit Comes *Goritiæ*, & AGNE„TEM, quæ virgo permanſit, & IUTAM. „ Verum num Compilator ordinem naſcendi in hac ſua relatione accurate obſervaverit, dubitandi locus ideo eſt; quod BEATRIX, tanquam uxor HENRICI II. Comitis *Goritiæ*, iam an. 1321. occurrat. Vid. Illuſtriſs. Com. CRONBERG. *de Comit. & reb. Gorit.* pag. 105.

c) Chron. *Aulæ Regiæ* coævum ap. FREHER. cap. XII. p. 40. ad an. 1323. „Eod. anno, „die *Paſchæ*, quæ tum VI. *Kal. Aprilis* e„venerat, ELIZABETH, Regina *Boemiæ*, duas „gemellas filias, ANNAM, & ELIZABETH „in *Cambia Bavariæ* pariter eſt enixa. „ Idem teſtatur BALBINUS *Miſcellan. Dec.* I. lib. VII. ſect. II. p. 189. in notis ad tab. genealog. *ſtirp. Lucemburg.*

d) Anonym. *Zwetlenſ.* col. 993. d. „Anno „1334. OTTO, Dux *Auſtriæ*, duxit Do„minam ANNAM, filiam Regis *Bohemiæ*, „in uxorem, in carnis privio. „ HASELBACH. col. 789. d. „Gener namque erat „(OTTO) Regis *Bohemiæ* IOHANNIS, & di„ſpenſatione interveniente, filiam eius, quæ „tertio conſanguinitatis gradu ſe attinebat, „habebat uxorem, ANNAM nomine. „ BALBINUS in *epitome rer. Bohem.* lib. III. cap. XVIII. pag. 334. teſtatur: anno 1331. OTTONEM, exercitu collecto, *Moraviam* invaſiſſe, pacem ſecutam, & coniugio firmatam; nam ANNAM, IOANNIS Regis filiam, an. 1334. (cui *Znoymenſem* ditionem pro dote dederit pater) accepiſſe uxorem.

e) Anonym. *Leobienſ.* col. 955. a. „Hoc an„no, III. Non. *Septembris* ANNA, *Bohemo„rum* Regis filia, Ducis OTTONIS *Auſtriæ* „coniux altera, ſine prole tranſiit ex hoc „mundo, quæ in monaſterio *Novi-Mon„tis* cum maximo dolore Ducum, & No„bilium, gemituque totius populi, ſepeli„tur. „ GUILLIMAN. totius familiæ chronotaxin, exceptis tamen filiis, hunc in modum exigit: OTTONEM monaſterium *Novi-Montis* fundaſſe anno 1327. mortuum *Viennæ* an. 1339. XIII. Kalend. *Martii.*

menſium quinque, dierum vero quindecim. Cum igitur prior OTTONIS coniux ad iuſtam ætatem, ut vidimus, pervenerit, eiusque corporis modus ad ſex pedes porrigatur, veriſimilius fit, in hoc loculo ANNAM potius, ELISABETHA cum multo iuniorem, tum ſtatura quoque inferiorem, quieſcere. Accedit, quod, depoſita uxore prima, hæc, ante maritum etiam demortua, vix ac ne vix quidem alio in loco deponi potuerit, reſervato iterum OTTONI, & vel ipſo iubente, decentiori, in medio. Tab. XIII.

XI. Ex altera denique parte num. 4. corpus apparuit, cinere obrutum, ac ad quinque fere pedes porrectum, quod etſi nudis oſſibus hæreret, reliquis tamen recentius, integriusque viſum, ac præprimis caput haud aliter, ac ſi anno ſuperiori humatum fuiſſet. Nec tamen hic veſtium pars adverti poterat ulla. Loculo conſumpto, fragmenta ferrea, ac manubria in terram deciderant. Loculus *Num.* 4.

XII. Non eſt dubium, quin hic FRIDERICUS, OTTONIS primogenitus, ſitus ſit. Nam & hunc, ut ceteros, hucusque recenſitos, in hac crypta depoſitum fuiſſe, Scriptores iam allegati, ac maximam partem coævi, affirmant. De illo pluribus egimus tomo præcedenti, a) ubi & an. 1327. in feſto S. SCHOLASTICÆ, i. e. X. *Febr.* natum fuiſſe, docuimus. Mortem eius ad decimum tertium *Decembris* anni 1344. iidem reponunt, quos pro LEOPOLDO, fratre eius, allegabimus. GUILLIMANNUS eum in *Campo-Regio* ſepultum eſſe putat, id quod ex veteri inſcriptura, ibidem inſpecta, ſe didiciſſe, ait. At id præter omnem veri ſpeciem. Deceptus autem videtur, lecto ibi nomine FRIDERICI, ſed quem FRIDERICI Cæſaris, non hunc OTTONIS, filium fuiſſe, ſupra vidimus. Eodem in errore verſatus quoque BIRCKENIUS b) eſt. Sed & MENLIO c) negamus, MARTINAM, FRIDERICI uxorem, *Britanniæ* Regis filiam, hic loci ſepultam fuiſſe. d) Exuvias FRIDERICI an. 1344. defuncti, exhibens. a b c d

XIII. Ad ſiniſtram ELISABETHÆ, num. 5. corpus iacet, cineribus, ut priora duo, immerſum, longum pedes fere quatuor, oſſibus integris, ac recte ordinatis, nullo tamen apparente veſtimentorum indicio. Nec arcæ funebris quidquam ſupererat, præter quatuor angulorum vincula, humi iacentia. Quintum funus. *Num.* 5.

XIV. Hoc funus ad LEOPOLDUM, filium OTTONIS alterum, referri oportere, ex dimenſione corporis diiudicamus; ut quod corpore fratris Ad LEOPOLDUM, OTTONIS fil. iuniorem an. 1344. defunctum, refertur.

Uxorem ELISABETHAM obiiſſe anno 1330. VIII. Kal. *Aprilis*, ANNAM vero anno 1338. Non. (III. Non.) *Septembris* ætatis XVI. Natam enim eſſe anno 1323. VI. Kal. *Aprilis*, cum paullo ante dixiſſet, eam annum duodecimum nondum egreſſam, nuptias celebraſſe.

a) P. II. lib. I. cap. v. p. 63. §. XXXIX. Addi poteſt Necrologium *Neoſtadienſe*, quod ſic: „Domina ELISABETHA, uxor OTTONIS, „Ducis *Auſtriæ*, filia STEPHANI FIBULATI „(Inferioris) Ducis *Bavariæ*, genuit duos „filios, videlicet FRIDERICUM, qui natus „eſt anno Domini MCCCXXVII. SCHOLASTIÆ Virginis. „ Obitum eius itidem ad an. 1344. ſtatuit.

b) *Specul. honor.* pag. 320.

c) De Divi MAXIMILIANI II. Imp. maioribus pag. 48.

d) Conf. dicta a nobis *Pinacoth. Auſtr.* P. I. Proleg. III. §. XL.

fratris eius ſenioris, ex oppoſito cubantis, integro pede brevius eſt. Annum 1328. eidem natalem fuiſſe, Chronicon *Lambacenſe* MS. teſtatur, fatalem vero 1345. HAGENUS a) obtendit. At maior fides Chronico *Zwetlenſi* b) recentiori, annum mortis præcedentem aſſignanti; coævo quippe, ut quod non niſi ad an. 1349. filum ſuum deducit hiſtoricum. Addit præterea diem, decimum videlicet *Auguſti*. Non minoris auctoritatis eſt Chron. *Cl-Neoburgenſe* c) idem affirmans.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER III.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA

DUCUM AUSTRIÆ,

AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM,

AB

ALBERTO II. SAPIENTE,

AD USQUE

ERNESTUM,

COGNOMENTO FERREUM,

LINEÆ STYRENSIS PROPAGATOREM.

CAPUT I.

DE CRYPTA SEPULCRALI, IN CARTHUSIA GEMNICENSI.

§. I.

Carthuſiæ *Gemnicenſis* origines.



In *Auſtria Inferiori* ſupra urbeculam *Scheibs*, non procul ab amne *Erlap*, illuſtris conſiſtit Carthuſia, *Gaminga* nomine. Auctorem agnoſcit ALBERTUM II. Ducem *Auſtriæ*, cognomento *Sapientem*, & a membrorum depravatione *Contractum*.

a) Col. 1130. d.

b) „Obiit Illuſtris Princeps (ait col. 540. d. „ad an. 1344.) Dux LEUPOLDUS, filius Du„cis OTTONIS, Ducis *Auſtriæ*, iunior filius „in die S. LAURENTII M. Eodem anno „obiit Illuſtris Princeps, Dux FRIDERICUS, „etiam filius Domini OTTONIS, *Auſtriæ* „Ducis ſenior filius, ambo nepotes Ducis „*Wabariæ*, obiit autem III. Idus *Decem*„*bris*. „

c) Col. 439. c. d. licet nonnihil obſcure. „FRI„DERICUS (inquit ad eund. an.) & LEUPOL„DUS, Duces, in adoleſcentia ſua obierunt, „vix in quarta parte eiusdem anni, & ſe„pulti ſunt in *Novo-Monte*. „ Nimirum cum LEOPOLDUS X. *Auguſti* obierit, FRIDERICUS autem eundem ad XIII. *Decembr.* conſecutus fuerit, non niſi menſis unicus, cum quarta anni parte, inter utriusque obitum interceſſit. At eiusmodi ſupputatio apud medii ævi Scriptores inſolita haud eſt.

ctum. Primum eius lapidem, teſte inſcriptione, a nobis tomo ſuperiori a) producta, anno 1332. Idus *Auguſti* ponens, *Thronum* S. MARIÆ vocari voluit, prædiis auxit, ac exornavit magnifice. Plura ſcire volentem, ad Commentarios Doctiſſimi *Antonii* STEYERERI S. I. b) remittimus, ubi quæcunque de ea dici poſſunt, conquiſitis undique documentis, exhauſta videbit. a b

II. In hoc cœnobio ſuas poſt obitum exuvias quieſcere voluit Auguſtus conditor. Ibi enim in medio Chori, e regione altaris ſupremi, mauſoleum conſpicitur, e marmore, rubris, albisque ſtriis, variato, exſculptum, idque ab humo editum tres pedes, & digitum unum: porrectum in longitudinem ſeptem pedes, digitos novem, in latitudinem vero pedes tres, & digitos octo. In hoc neque inſcriptio, neque ſculptum aliquod opus ullum. Religioſis autem *Carthuſianis* mos eſt, diebus feſtis, & ſacris ſolemnitatibus, monumentum iſthoc peri-ſtromatis obducere, quo appareat ornatius. A tergo eius, recta ad oſtium templi verſus, iacet inſignis abacus marmoreus, eodem colore, quo eſt illud, quod monumentum contegit, rubro videlicet. Ad latera mauſolei ſupra *ſtallos*, quos vocant, ſeu ſubſellia Patrum, utrinque conſtitutæ ſunt columnæ, opere *Gothico*, in cuius altera, quæ a dextris eſt, epitaphium Conditoris, in ſiniſtra uxoris eius legitur, iisdem verbis, quibus laminæ, de quibus mox, inſcriptæ. Ubi mauſoleum fundatoris. TAB. XIV.

III. Sub hoc mauſoleo ſubtus pavimentum crypta latet, a nobis Kal. *Iulii* an. 1739. aperta. Poſt amotum ab oſtio monumenti marmor, octo pedes, ſeptemque pollices longum, latum vero pedes quatuor, ſcala apparebat ſex graduum, quorum quisque latitudine trium pedum, & ſex pollicum eſt. Deſcendebatur ea in cameram priorem, cryptæ præmiſſam, longam pedes novem, latam tres pedes, totidemque pollices. Hæc camera velut veſtibulum in cryptam maiorem ducit, ab illa muro, novem circiter digitos craſſo ſeiunctam. Ipſa crypta fornicibus, topho vinctis conſtructa, ac recta ſub dicta mole ſita, interiori ſpatio ad pedes novem, totidemque pollices in longitudinem, ſex pedes, pollices decem in latitudinem diducta, e medio in verticem altitudine quinque pedum, decemque pollicum ſurgit. Solum ibi calcatur nudum, nullo pavimento conſtratum. Et crypta funebris.

IV. Itaque humi depoſita ſunt tria funera, pedibus, ut ſolet, ad Orientem converſis. Tres iſti horum funerum loculi, ſitu, & putredine corrupti, cum ipſa terra ſubſederunt. Oſſa omnium trium cadaverum naturali compage cubabant, manifeſto indicio, ea a tempore humationis intacta permanſiſſe. Iuxta murum dextrum proiecta erat lamina plumbea, longa pedes duos, lata ſupra pedem unum, pollices ſesquitertios, in qua inciſum erat Conditoris epitaphium. Huic par magnitudine, alia lamina plumbea ad ſiniſtram parietem iacebat, Funerum, ibi repertorum, numeri, & ſitus.

a) P. II. lib. I. p. 75. §. XIII. ſeq.

b) In *Commentar. pro hiſtoria* ALBERTI II. Ducis *Auſtriæ*, cognomento *Sapientis*. *Lipſiæ* 1725. fol. a nobis ſæpe laudatis.

Tab. xiv. iacebat, ad eius coniugem pertinens. In utriusque parte aversa extabat signum crucis. Congruunt cum his epitaphia, ut diximus, columnis illis *Gothicis* extra cryptam inscripta, & a Doctiss. quoque
a STEYERERO a) allata, nisi quod titulus fundatoris adiectam habeat formulam: HOC EST VERUM, qua RUDOLPHUM IV. eius filium, in monumentis suis sæpe usum fuisse, alias observavimus. Unde nobis ambiguum haud est, eas ipsius iussu, & cura confectas, positasque esse. Ex his autem præterea colligimus, Conditoris corpus ad dextram, coniugis vero ad sinistram cubare, singula nempe suis laminis proxima. Tertium igitur funus, ELISABETHÆ, CAROLI IV. Imp. filiæ, ut postea dicemus, adscribendum, medium occupat; cuius quidem rei caussam haud aliam invenimus, nisi quod post parentes defunctæ, eum locum maritus eius ALBERTUS III. *cum Trica*, pietate ductus, assignaverit.

Ac imprimis ALBERTI II. fundatoris. *Num.* 1.

V. Conditoris compages funeris, ossibus validioribus, protendebatur pedes quinque, pollices sex. In imo pedis sinistri apparebant, haud dubie ex veneno, quod viventi, ut supra diximus, datum fuit, contractæ pravitatis vestigia. Inductum erat corpus tunica talari semi atrata, totumque, uti ex corruptis reliquiis adhuc constabat, textili peristromate obtectum. Ensem nullum reperimus, sed tria duntaxat supererant, ad religandum loculum, ferramenta. A capite, & a pedibus ex orychalco manubria iacebant, portando capulo olim destinata, ac pollices quatuor lata. Lamina, de qua diximus, hæc est:



Adduntur in quatuor angulis insignia, *Austriæ*, *Styriæ*, *Ferretarum*, & *Carinthiæ*.

Anni vitæ eius.

VI. Non est opus, ut de ætate eius multa dicamus, conquiramusque; quando laudatus *Antonius* STEYERERUS b) nobis in hac parte otium fecit peramplum, argumentis inconcussis docens: Princi-
b pem

a) *Addit.* ad ALBERTUM II. col. 189. & 253. Leguntur etiam ære expressa in calce operis num. XXVIII. & XXIX. quanquam antiqua litterarum forma insuper habita.

b) In cit. Commentar. ad vitam & histor. ALBERTI II. p. 1.

pem noſtrum in hanc lucem editum eſſe an. 1298. menſe *Decembri*, id quod nos capite præcedenti confirmatum ivimus. Mortis quoque epocham hæc ipſa lamina ſat certam facit, cui quidem auctores ſynchroni plerique correſpondent. Vixit igitur annis novem, & quinquaginta, menſibus ſeptem, cum annis triginta, & amplius dicto morbo laboraſſet. TAB. XIV.

VII. Alterum funus, e regione poſitum, longitudine pedes fere quinque æquabat. De veſtibus nihil obſervatum. Sub capite, & brachiis, pulvinar iacebat, pilis fartum, at putredine fere conſumptum. Arcæ materia, pariter putrefacta, conciderat. Offendimus tamen duo ad muniendum loculum fruſta ferrea, totidemque ex orichalco manubria. IOANNAM, ALBERTI uxorem, ULRICI, Comitis *Ferretarum*, ultimi ſuæ gentis, filiam, hic cubare, iam inſinuavimus. Nata eſt *Baſileæ* an. ſeculari 1300. ducta anno 1324. ac an. 1351. XVII. Calend. *Decembris* ex partu defuncta, ut hæc ſingula demonſtravit laudatus P. STEYERERUS. IOANNÆ exuviæ, & obitus. *Num.* 2.

VIII. Eius epitaphium, iisdem in quatuor angulis, quibus præcedens, clypeis, inſignitum eſt : Nec non & epitaphium.



IX. Tertium denique funus, haud ſecus, ac præcedens, pulvino impoſitum, etiam quoad cetera cum eo convenit: ubi quippe nec veſtimenti pars aliqua, quin nec lamina, nec aliud quidquam, præter ferramenti fruſta, & manubria ex orichalco reperta ſunt. Notatu tamen dignus erat crobylus, ſeu intortorum crinium ſpira, dimidiæ etiamnum ulnæ longitudine de calvaria, cum reliquis capillis criſpatis, & albicantibus, dependens. Eius indicium iam fecimus a) tomo ſuperiori. Omnia oſſa adeo erant nitida, ut tumulo non ita diu compoſita crederes. Tertium funus. *Num.* 3.

X. Idem

a) P. II. lib. I. cap. VIII. p. 92. §. IV. ſeq.

Tab. xiv. Elisabethæ, Alberti iii. coniugis primæ, an. 1373. xix. *Septembr.* defunctæ.

X. Idem itaque crobylus argumento eſt, has medias exuvias ad ELISABETHAM, CAROLI IV. Imp. ex BLANCA *Valeſia* filiam, ALBERTI III. cognomento *cum trica*, coniugem, hoc loco, quanquam *Vindobonæ* ſepultam CUSPINIANUS diſerte dicat, depoſitas fuiſſe. Teſtatur id præterea vetus codex *Gemnicenſis*, inſimul & tempus mortis eius exponens, his verbis: Cuius uxor (ALBERTI nempe) ELI„ SABETH, filia Imperatoris KAROLI, anno Domini MCCCLXXIII. „ XIII. Kal. *Octobris*, in *Praga* quidem genita, hic (*Gemnicii*) ho„ norifice ſepulta. „ Hunc ipſum annum, & diem, ſibi quoque adoptavit ſæpe laudatus STEYERERUS, a) ſic a *P. Leopoldo* WIDEMANN, huius loci *Carthuſiano*, edoctus, quanquam inter hunc, & XII. Kal. eiusdem menſis dubius hæreat, auctoritate Necrologii MS. ad Divum STEPHANUM ductus, quod ſic habet: „ XII. Kal. *Octo*„ *bris* domina ELIZABETH, filia Imperatoris, uxor Ducis ALBERTI „ an. 1373. „ Verum plus deferendum videtur codici *Gemnicenſi*; utpote Necrologio illo antiquiori, & in quo unitatem numeri omitti pronum fuit, id quod nobis tomo præcedenti, de hac ipſa ELISABETHA diſſerentibus b) feliciter quoque, aut certe typographo eveniſſe videmus. Eundem annum *Genealogia* quoque *Wittebergenſis* prodit. De ætate eius nobis equidem nihil conſtat; cum vero mater eius, anno 1348. obiiſſe ſcribatur, tempore nuptiarum, quæ in annum 1366. cadunt, c) non minus duodeviginti, & quod forte excedit, annorum eſſe potuit, atque adeo tempore mortis annorum quatuor, vel quinque, & viginti.

Inveſtigatio huius cryptæ, inſtrumento publico comprehenſa.

XI. Quod reliquum eſt, cum indagationi huius cryptæ, præter opifices, non ſolum Venerabiles eiusdem monaſterii alumni, aliique omnium ordinum homines præſentes adeſſent, vocatus eſt & iuratæ fidei Notarius, qui totam rei geſtæ ſeriem inſtrumento, prima *Iulii* ſignato, cuius exemplum deinde & ad nos transmiſſum fuit, poſterorum memoriæ commendavit. Nec tamen id pietati eorum ſatis erat. Nam & novos recondendis funeribus confici loculos ligneos, eosque bene munitos, ſub quarta *Septembris* multorum celebritate mortalium, in priſtinum referri locum, ac ſuis quemque binis, ad id fabrefactis, exornatisque lapidibus, ne noxiis deinceps ex humoribus vitium facile capere poſſent, ſuperimponi curarunt. Poſuerunt præterea pone ſingulorum capita totidem inſcriptiones candido marmori inſculptas, quibus rei geſtæ memoria his verſibus continetur:

I.

ANNO M. DCCXXXIX. EX MANDATO S. C. M.
CAROLI VI. IMP. TUNC REGNANTIS, APERTUS
ET VISITATUS FUIT SARCOPHAGUS PIISSIMI
FUNDATORIS NOSTRI I. IULII, ANIMOSI ET

SA-

a) Cit. Commentar. pro hiſtor. ALBERTI II. addit. col. 569. ſeq.
b) P. II. lib. I. cap. VIII. p. 92. §. I.
c) SCHOENLEBEN. in Ephemerid.

SAPIENTIS PRINCIPIS ALBERTI II. QUONDAM
DUCIS AUSTRIÆ, MARCHIÆ ET PORTUS NAONIS,
COMITIS IN HABSPURG ETC. HIC POST VISITATIONEM
OSSIUM EIUS FACTAM REQUIESCIT IN HOC
SARCOPHAGO.

II.

ANNO M. DCCXXXIX. I. IULII PIISSIMÆ FUNDATRICIS
NOSTRÆ OSSA VISITATA SUNT, PRINCIPISSÆ DD. IOANNÆ
OLIM DUCISSÆ AUSTRIÆ, STYRIÆ, ET CARINTHIÆ
DOMINÆ CARNIOLÆ, MARCHIÆ, ET PORTUS
NAONIS, COMITISSÆ IN HABSPURG, KYBURG
ET FERRETIS, NEC NON LANDGRAVIÆ
SUPERIORIS ALSATIÆ
HIC REQUIESCUNT.

III.

ANNO M. DCCXXXIX. I. IULII SERENISS. PRINCIPISSÆ
DD. ELISAB. FILIÆ CAROLI IV. IMP. UXORIS
SERENIS. PRINCIPIS ALBERTI III. FILII FUNDATORIS
NOSTRI, CUIUS OSSA USQUE IN HUNC ANNUM
QUIEVERE, DENUO CUM CÆTERIS POST FACTAM
VISITATIONEM INTER FUNDATOREM ET FUNDAT
RICEM REPOSITA SUNT.

CAPUT II.

CENOTAPHIUM RUDOLPHI IV. ALBERTI II. SAPIENTIS FILII, NEC NON ET CATHARINÆ, UXORIS EIUS, VINDOBONÆ IN METROPOLITANA.

§. I.

Cenotaphium Rudolphi, & Catharinæ, cum epitaphio. Tab. XV.

VINDOBONÆ in templo Metropolitano prope aram, cui ab Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, inde ad moribundos eſferri ſolito nomen, poſitus eſt tumulus marmoreus, ſimulacrum, ut tab. XV. videre eſt, RUDOLPHI IV. ALBERTI II. Ducis *Auſtriæ*, filii, eiusque uxoris CATHARINÆ, iunctim exhibens. Longitudo eius pedibus novem, digitis quatuor, latitudo pedibus quatuor, digitis novem; altitudo pedibus quatuor, digitis quinque abſolvitur. Ille a dextris cataphractus, capiti leonis, fortitudinis, ac innatæ nobilitatis ſymbolo, inſiſtit, pileo Ducali, corona radiata circumdato, redimitus, ac gladio ad latus inſtructus: hæc, ad lævam mariti recubans, ſtolata, ac pedibus itidem dorſum leonis premens, corona inſuper radiata ſuperbiens, ſiniſtra ſceptrum, media tamen ſui parte confractum, tenet, ad indicandam generis claritatem; quippe quod filia fuerit CAROLI IV. Auguſti. Anaglypha, mœrentium, ut videtur, Canonicorum figuras exhibentia, ac partem monumenti inferiorem ornantia; quin & ipſa Principum ſchemata, multum ſane

Tab. xv. differunt ab ectypo, Clar. Steyererri cura in additamentis pro hiſtoria Alberti II. edito. Epitaphium margini tumbæ, litteris *Gothicis*, inſcriptum, ob ſubſellia Canonicorum, ei incumbentia, hodie integre legi haud poteſt, iisdem tamen paullulum remotis, ſequentis eſt tenoris.

ALBERTI. DUCIS. AUSTRALIS. IACET. INCLYTA. PROLES. CONIUGIS. IPSIUS. DE. FERRETISQUE. IOANNE. HOC. TUMULATA. LOCO. POPULO. RECOLENDA. DEVOTO.

Hoc cenotaphium ætati Ducis æquale omnino haud eſſe, ex tempore utriusque obitus intelligitur; quando ille, ut mox videbimus, an. 1365. xxvii. *Iulii*, uxor contra an. 1395. e vita migrarunt; unde illud ad initium ſeculi xv. referendum putamus.

Rudolphi epitaphium alterum, mortis genus, & ætas.

II. In eadem quoque Metropolitana eccleſia ad latus ſiniſtrum, ſupra oſtium ſacrarii, reponendis Sanctorum reliquiis, nunc autem ſubſelliis, ab Epiſcopo *Philippo* de Brenner in uſum Canonicorum conſtructis, occluſum, ſequens titulus legitur, tabulæ marmoreæ inſcriptus:

ANNO DOMINI MCCCLXV. POST FESTUM IACOBI APOSTOLI DOMINICA PROXIMA, OBIIT IN MEDIOLANO DOMINUS RUDOLPHUS QUARTUS, DUX AUSTRIE, STYRIE, CARINTHIE, CARNIOLE, PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS, TERRARUMQUE SUARUM POTENTISSIMUS, HUIUS PREPOSITURE FUNDATOR, QUI DOMINAM CATHARINAM, FILIAM DOMINI CAROLI IV. IMPERATORIS GLORIOSISSIMI HABUIT IN CONSORTEM. ISTE ENIM RUDOLPHUS COMITATUM TYROLENSEM AUGENDO ADIECIT AD AUSTRIE PRINCIPATUM.

Conveniunt cum hac inſcriptione chronographi coævi, a Cl. Steyererо a) magno numero collecti, emendatis etiam inde nonnullis recentioribus, ſecus ſentientibus. Incidebat eo anno Dominica poſt Iacobi in xxvii. *Iulii*. Obiit autem ex febri acuta *Mediolani*, quo ſe ad fratris ſui Leopoldi futurum ſocerum contulerat, ut laudati Scriptores, excepto uno, quod ſciamus, auctore vitæ primæ Urbani V. Pontificis apud Baluzium, b) cauſſam mortis in profluvium ventris reiiciente, teſtantur. At eius fides tot aliis præſtare nequit. Vixit annos xxv. c) menſes octo, dies ſeptem, & viginti.

Epitaphium tertium,

III. Tertium quoque Ducis Rudolphi epitaphium, in crypta eiusdem templi funebri, de qua poſtea plura dicturi ſumus, ante hos annos ſedecim detectum fuit. Cum enim iuſſu Auguſtiſſimæ Imperatricis Mariæ Theresiæ anno 1754. funera ibidem, pro Maieſtate Domus Auguſtæ, in meliorem, nobilioremque ordinem redigerentur: atque adeo etiam Rudolphi capulus loco movendus eſſet: accidit, ut die vi. *Iulii* ſubtus illum marmor repertum fuerit, ſolo ad

a) Loc. cit. col. 549. ſeq.
b) Vit. Papar. *Avenion.* p. 371. ad an. 1365.
c) Natus enim erat. Kalend. *Nov.* 1339.

ad perpendiculum immiſſum. Huic inſculpta cernebatur crux oblonga cum epitaphio in peripheria, ſimilibus fere litteris, quales ſupra in cenotaphio conſpeximus, hanc in ſententiam: Tab. xv.

HIC. IACET. RVDOLFUS. FVNDATOR. QVI.
CREDIDIT. IN. IHESVM. CHRISTVM. CRVCIFIXVM.

IV. Quartum denique eiusdem Ducis epitaphium, quod nobis primo inter problemata ſteganographica numerandum, ac explanatu inſuperabile videbatur, in ſummitate oſtii inferioris eiusdem templi, qua parte ædes Archiepiſcopales reſpicit, intrantibus ad ſiniſtram ſeſe conſpiciendum præbet. Lapidi, ſtantibus litteris, inſculptum eſt, ac binis verſibus tali forma abſolutum, quali nos typis æneis in tabula expreſſum damus. Characteres alti ſunt quatuor pollices, integra ſcriptura tres pedes, & totidem digitos longa, conſpicua etiam, ac minime oblitterata eſt. Cl. STEYERERUS in egregiis commentariis ſuis pro hiſtoria ALBERTI II. de fabrica templi iſtius, ab hoc ipſo Principe noſtro incepta, eiusque, nec non CATHARINÆ uxoris ſepultura, uberrime, atque erudite agens, inſcripturam tamen hanc plane neglexit; haud dubie quoniam vult intelligi. Et quartum.

V. De his characteribus mentionem facit, ſed obiter tantum, vir in republica litteraria celeberrimus, Reverendiſſ. D. GOTEFRIDUS, Abbas *Gottwicenſis*. Agens enim a) de litteris *Runicis*, ait: „Reſervamus pleniorem harum diſcuſſionem ad tomum uſque II. operis noſtri, ubi circa explicationem certi alicuius monumenti „(hoc ipſum intelligit) dabimus ſimul diagramma litterarum ſeptentrionalium harmonicum.„ Sed promiſſa hæc, morte interveniente, in herba manſerunt. Animus ei erat oſtendendi, characteres iſtos, de quibus quærimus, *Hunno-Scythicos*, ſeu *Runicos* eſſe, id quod ex ore ipſius didicimus. Nos vero ſciendi cupiditate, quid nominis, quidque rei hiſce inſit figuris, magis magisque incitati, earum ectypa cum per litteras, cum per amicorum noſtrorum epiſtolas commendatitias, ad viros cum eruditione, tum antiquitatis ſtudio in *Germania* noſtra clariſſimos, communicavimus: quin ea in *Septentrionem* uſque, quod poſtea plenius aperiemus, delata fuere. Sed fruſtra hæc omnia. HEUMANNUS reſpondit: ſcripturæ huius auctorem fortaſſis illudere, illamque inventam, ut nemo intelligat. BEUCHVIZIUS: ingenii eſſe torturam, ſeu novum tormenti genus. KIESLINGIUS, Philoſophiæ Profeſſor *Lipſienſis*, habito cum DD. Collegis conſilio: huic *Runico-Gothicæ* ſcripturæ aliquid ex litteris *Græcis*, & *Latinis* admixtum fuiſſe. Eius expoſitio varie tentata; a

VI. At enimvero ſcripturam hanc *Runicam* eſſe, nobiscum aut dubitabit, aut negabit, qui momenta in epiſtola, quam *Ioannes* GRAMMIUS, vir ſane præſtantiſſimus, *Hafniæ* die XVII. *Martii* 1742. ad litteras, rogatu noſtro a D. *Franciſco* MYGIND, Academiæ *Runica* haud eſt.

a) Prodrom. Chron. *Gottwic.* P. I. p. 66.

Tab. xv. miæ ſcientiarum *Petropolitanæ* Adiuncto, nobisque veteri amicitia coniuncto, *Vindobona* ad eum directas, reſponſoriam dedit, contenta diligenter perpenderit. „ Poſtquam in ſiglis (ait) & characteribus illis, quorum ectypa ad me miſiſti, aliquamdiu & ipſe fruſtra laboraveram, & omnium, quotquot *Hafniæ* antiquitatum paullo ſtudioſiores noveram, *Islandorum*, *Danorum*, *Germanorum* facultates, & conſilia conſumpſeram, conſilium tandem cœpi, amicos, quos in *Suecia* habeo, ſollicitandi: viros, ut perquam doctos, & eruditos, ita illarum rerum, quæ in antiquitate maxime ſunt involutæ, & obſcuritate impeditæ, præ noſtratibus ſagaciſſimos. Feci illud, ſed cum temporis, & laboris diſpendio; nam poſt longam intercapedinem revertitur ad me ſchedula ſine omni explicatione. Quid? quod præſtantiſſimi illi viri confirmatum ire meam haud dubitarunt ſententiam, quæ erat: Nihil iſtis in characteribus animadverti, quod interpretem ex *Septentrione* potius, quam ex *Germania*, aut quacunque alia *Europæ* parte requirat. Quare hoc? rogas. Quia in eis ſeſe nihil offert *Runicum*, hoc eſt ad litterarum illud genus pertinens, quod ſaxa noſtra per *Daniam*, *Sueciam*que oſtendunt; cuiusque ipſius gratia, ſi quid eius explicatum deſideres, haud amplius hodie, quemadmodum olim neceſſe fuerit, ſive in *Daniam*, ſive ad *Suecos* perſcribere, poſtquam egregius ille *Anglus* Hickesius in tomo III. præſtantiſſimi operis, quod *linguarum ſeptentrionalium theſaurum* inſcripſit, editum *Oxoniæ* 1703. in folio, Silenos iſtos Alcibiadis omnium oculis detectos, ac denudatos ſiſtit quatuor tabulis, pone eiusdem tomi III. pag. 4. inſertis, quibus omnes, quæcunque vel in *Arctois* partibus, vel alibi terrarum repertæ ſunt *Runæ*, ſingulari induſtria coinquiſitæ, & in plures redactæ claſſes, repræſentantur. „ Hucuſque Grammius. Laudati porro ab eo Hickesii theſaurum, quoad characteres *Runicos*, novis curis cum auctario editos, notis perquam eruditis illuſtrarunt duumviri illi clariſſimi e Congregatione S. Mauri, novi de re diplomatica tractatus auctores. a) Unde magnum ſane *Grammianæ* de hac noſtra ſcriptura ſententiæ auctoramentum accedit.

a

Eius clavis tandem detecta.

VII. Poſt tot ambages repertum tandem domi eſt, quod foris diu fruſtra quærebatur; quando Prænobilis, & Conſultiſſimus Dominus *Ioannes Bapt.* Kepferus, Abbati, ac Principi noſtro a conſiliis Aulicis, vir nobis arcta amicitia iunctus, ac, quod caput eſt, in rebus antiquis, & ad artem criticam pertinentibus, indagator ſolertiſſimus, verſatiſſimusque, clavem feliciter adeo reperit, detexitque, ut nobis equidem (putamus autem & aliis) nullum reliquum fecerit dubium. Illius igitur ope vexatiſſimos illos characteres hunc in modum interpretatus eſt:

HIC EST SEPULTUS DEI GR.
DUX RUDOLFUS FUNDATOR.

Hanc

a) Nouveau Traité de diplomatique tom. I. ſect. II. cap. XVIII. pag. 710.

Hanc expoſitionem, ſive ad hiſtoriam rerum peractarum conferas, ſive ad clavem, in tabula noſtra, cum interlineari verſione expreſſam, ſive denique ad litterarum recurrentium figuras, reperies profecto, omnia & ſingula ſibi correſpondere adamuſſim, cohærereque. Tab. xv.

VIII. Reperit inſuper laudatus D. *Gottwicenſis* Abbas *Viennæ* in dicta Metropolitana chartam, ab eodem RUDOLPHO profectam, vulgarique idiomate iisdem characteribus, quibus epitaphium iſthoc, exaratam, ac precum formulam continentem. Is igitur accepto, dictam clavem pro exponenda hac ſcriptura in manibus noſtris verſari, cumque ob ſuam prope actam iam ætatem, ac ægritudinis moleſtias, animum deſponderet, promiſſum opus unquam ad umbilicum deducendi, quin, num poſt fata ſua lucem aſpecturum ſit, hæreret dubius: ectypa eiusdem chartæ, æri iam inciſa, amice nobiscum communicavit. Cum ergo interpretationem, a nobis iam datam, egregie confirmet, quin extra omnem dubitationis aleam ponat: operæ pretium eſſe duximus, ſi initium ſaltem eius, duobus comprehenſum verſibus, eidem tabulæ noſtræ adiici curaremus. Exinde enim facile intelliget curioſus Lector, figuras litterarum noſtris cum eſſe æquales, tum linguæ *Germanicæ* æque, ac *Latinæ* adhibitas fuiſſe. Accedit & illud emolumentum: quod cum contextus chartæ multo diffuſior ſit, ac epitaphii, ex ambobus monumentis integrum fere exſcindere potuerimus alphabetum. Integer autem textus chartæ, qua, ut videtur, novam templi fundationem, ac ſtructuram, quam quidem *Omnium Sanctorum* vocari voluit, DEO in ſacrificium obtulit, *Latine* redditus, phraſique primigenia in marginem inferiorem a) re- a
„ iecta, hic eſt: „Omnipotens, & tremende Deus, Domine IESU „ CHRISTE, Creator omnium, per virginalem Matris tuæ honorem, „ ac SS. Corporis tui Sacramentum, perque omnes Sanctos, & ange- „ los tuos, accipe ſacrificium iſtud ad laudem tuam, meique RUDOL- „ PHI Ducis, & CATHARINÆ, coniugis meæ, nec non conſangui- „ neorum, omniumque mihi ſubiectorum ſolatium. Amen. „

Id quod alio documento firmatur.

IX. Cryptographicas has figuras a RUDOLPHO Duce ipſo excogitatas fuiſſe, tanto minus dubitamus, quod HAGENUS b) temporibus

De inventore ſcripturæ, & auctore epitaphii. b

a) Almechtiger. Got. und. gewaltiger. herr. IESUS. CHRISTUS. ein. ſchepher. aller. ding. durch. deiner. mueter. megtlichen. eren. und. durch. deins. heiligen. leichnams. und. durch. aller. deinen. heiligen. und. engel. willen. enpach. diez. opher. dir. ze. low. und. mir. RUDOLFEN. herzog. und. KATREIN. meinen. weiw. und. allen. meinen. geſwiſtreiten. und. allen. meinen. landen. ze. troſt. amen.

b) Ap. *Hier.* PEZ. tom. I. *rer. Auſtr.* col. 1149. b. „Herzog RUDOLFF - - (ait) waz zu „ den zeiten Jungling erlewchtet mit ſyn- „ ne; wan er macht new figuren, und buch- „ ſtaben, die vormals nie chein aug hett ge- „ ſehen, mit dem ſchraib er ſeinen gehai- „ men ſeine groſſe, und haimliche ſache, „ ſo ſie nicht bey ym waren. „ Addi poteſt STEINDELIUS, inter *rer. Boicarum* Scriptores Cl. OEFELII tom. I. p. 521. b. ubi ad annum 1352. ſic: „RUDOLPHUS, primo- „ genitus ALBERTI Ducis, poſſedit *Auſtriam.* „ Hic Princeps fuit prudens multum, in- „ venit enim quosdam characteres ignotos, „ quibus in ſcripturis ſecretis utebatur. „ Errat tamen is auctor, cum ibid. & pag. 523. ſeq. uxorem eius ELISABETHAM nominat, CATHARINA cum vocanda fuiſſet.

bus iis vicinus, eum inveniendis novis litteris operam dediſſe, iisque in conſcribendis ad Miniſtros rebus, quas ceteris clam eſſe voluit, uſum fuiſſe, diſerte teſtetur. Hinc forte & *Ingenioſi* cognomen indeptus eſt. Epitaphium tamen ipſum ab eo illo in loco poſitum fuiſſe, haud videtur, ſed potius a fratribus, ad conſervandam rei, ab eo inventæ, memoriam: quanquam & id ab ingenio Principis, omnibus rebus apprime intenti, alienum fuiſſe haud videatur, ut de morte mature cogitans, ac in Eccleſia, a ſe incepta, ſepulturam eligens, hæc ipſa verba ibidem inſculpi, adhuc vivus iuberet.

Petri APIANI locus.

X. His omnibus ita exantlatis, & in adverſaria noſtra redactis, forte fortuna in *Petri* APIANI Mathematici Accademiæ *Ingolſtadienſis*, alias a nobis laudati librum, cui titulus: *Inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis*, incidimus, qui, aut potius primarius eius auctor, Excellentiſs. Comes *Iacobus* FUGGERUS, *Germaniæ* epigrammata recenſens, idem epitaphium, iisdem characteribus expreſſum, in medium adducit, addita interpretatione interlinerari, cryptographicis figuris ſuperimpoſita, noſtræque expoſitioni fere ad unguem correſpondente, hunc in modum: HIC EST SEPVLTVS DONS DVX RVDOLFVS VDATOR. Et mox plenius in calce paginæ ad ſubiectum aſteriſcum: *hic eſt ſepultus dominus dux Rudolfus fundator*. Hinc conſectaneum eſt, hanc noſtram interpretationem, ante ducentos iam annos feliciter detectam, ac viris doctis probatam fuiſſe.

CAPUT III.

DE CRYPTA SEPULCRALI DUCUM AUSTRIÆ, QUÆ VINDOBONÆ EST IN EODEM Ttemplo METROPOLITANO AD DIVI STEPHANI.

§. I.

Origo, & fata cryptæ ſepulcralis ad D. STEPHANI *Vindob.*

RUDOLPHUS IV. quo de capite ſuperiori, in ſæpe memorato D. STEPHANI fano in medio Chori ante ſummum altare, condendis tam ſuis, quam & ſucceſſorum exuviis, cryptam apparari iuſſit ſepulcralem, variis deinceps iactatam fatis. Ab obitu enim fundatoris, id eſt ab anno 1365. ad uſque an. 1464. commune monumentum erat, ſecus annis ſubſequis, uſque ad ætatem MAXIMILIANI II. Imp. qui itidem tres liberos ſuos, triſti morte abreptos, ad eius loci ſepulturam miſit, & quidem noviſſime extinctum anno 1576. Ab hoc deinde tempore, furentibus perpetuis bellorum motibus, perturbatisque provinciarum, ac cum primis *Auſtriæ* rebus, adeo dormitorii huius memoria interciderat, ut per ſeculum integrum ignotum omnibus latuerit, donec tandem a Domino SCHNEPFFIO, FERDINANDO III. Imp. a cubiculis, ſepulcri locus haud procul a minori organo pro ſe, ſuisque, conſtrui cœptus eſt. Quo in opere, dum profundius a murariis foditur, cryptæ huius

ius primum muri, eis autem perruptis, tantorum Principum cineres denuo in conſpectum venere. a) Cuius rei nec opinatæ fama in aulam Cæſaream perlata, illico lege ſancitum a FERDINARDO Cæſare fuit, ut deinceps demortuorum Principum *Auſtriæ* inteſtina in hanc ipſam cryptam inferrentur, id quod ad hoc uſque tempus obſervatum quoque fuit. a

II. Hæc igitur cum pro inſtituti noſtri ratione cum primis luſtranda eſſet, facta ad id ab Aula Cæſarea poteſtate, Excellentiſſ. Aulæ eiusdem Cancellarius D. Comes a *Sinzendorff*, Prænobili viro, D. de *Zalheimb*, Conſuli *Wiennenſi*, eandem aperiendi curam iniunxit. Itaque anno 1739. die XXVII. *Aprilis*, hora poſt meridiem prima, murarii, & lapicidæ in medio chori veteris iuxta ſcalam, qua ad Canonicos aſcenditur, amoto ab oſtio marmore, rei initium dederunt. Illud quidem ſat longum, at inſcriptura vacuum eſt: transfigitur tamen ferreis clavis validioribus octo, quibus, exigente opportunitate, loco moveri poſſit. Lapidea in cryptam ſcala, decem, & quatuor graduum deſcenditur, quæ fornicata, altare verſus ſupremum recedit. Antea vetus ara præcipue ſupra ſummam cryptæ oram, adeoque ipſis Ducum, ibi quieſcentium funeribus imminens, examuſſim ſteterat, quam hodierna illa retro ad parietem retracta fuit. b) Propter oſtium cryptæ cardines ferreos cernere licet, fuſione immiſſos. Aperitur. TAB. XVI. b

III. Ex ipſo pœne fornicis vertice manus prodit, e ſaxo ſculpta, duobus



In illa manus ex vertice fornicis prodit. Inſignia cum Inſcriptione.

a) Conf. Auctor. *Mirabil. de templo, ac turri ad* D. STEPHANUM *Wiennæ Auſtr.* tit. ult. p. 126.

b) Moleſte ferimus, dimenſionem huius cryptæ, eo tempore factam, nobis intercidiſſe: curioſus tamen Lector cum latitudinem, tum vero, una dempta altitudine, & longitudinem, ope ſubiectæ in tabula noſtra regulæ, utcunque compenſabit.

duobus digitis, indice nempe, & medio, medium desuper locum monstrantibus. Medio item pariete retro recens positus est lapis, cuius parte superiore aquilæ apparent duæ expansæ, uniceps nempe, cum corona in capite, ac biceps, pectoribus scutum *Austriacum* cum fascia transversa exhibentes, infra duæ galeæ coronatæ, pennis pavoninis cristatæ. Singula hæc cruce discriminantur, cui in linea devexa inscriptum: † IHV XPE FILII (pro fili) DEI VIVI †, & transversa: † MISERERE NOBIS †. In imo leo *Habsburgicus* conspicitur. (Eius schema in adversa paginæ parte damus.) Aquila biceps ostendit, lapidem istum ante FRIDERICI *Placidi* Imp. ætatem non esse positum. Sunt, qui rebus hisce duas adiiciunt inscriptiones alias, primam prope dictam manum, e medio fornice protensam, sic aientem: HIC IACET FUNDATOR: alteram, ad memorata hæc insignia, sic habentem: RUDOLPHI FUNDATORIS ECCLESIÆ S. STEPHANI. Sed horum epigrammatum vestigium hodie supereſt nullum.

Quo ordine funera, & urnæ collocatæ sint.

IV. Ad ima huius lapidis, iuxta parietem, funera Ducum septem tractim decumbebant, versis, uno excepto, ad parietem pedibus, capitibus autem, præter consuetum morem, altari maiori obversis. Septem hæc funera cryptæ latitudinem complent. Iuxta parietem, intrantibus a dextris obiectum, funera occurrunt duo: tum in medio tres loculi minores, ex plumbo albo, seu stanno confecti, & asseribus contabulati. Prope hos urnæ variæ, atque vasa ænea, & argentea, varium in modum, & magnitudinem conformata, clausa quidem, sed inordinata iacebant. Magna pars inscriptionibus insignita, exta, seu viscera, pars corda Archiducum conservanda includunt. Sparsa quædam inter has urnas ossa. Occurrit quoque in media crypta lapis sepulcralis, nec non fossa oblonga, at humo iterum expleta, indicium præbens funeris alterius, olim hic terræ concrediti. Monuere etiam præsentes murarii & lapicidæ, anno 1730. circum hanc fossam lateritii operis circuitum, ad altitudinem unius duntaxat lateris exsurgentem, observatum fuisse, quo, quamvis nunc collapso, circumiacentes tamen lateres asserti fidem faciebant.

Primum est GEORGII, ALBERTI V. fil. *Num.* 1.

V. Funera itaque, ætati obsistentia, non nisi tredecim reperiebantur, nunc ordine, non chronologico, sed quo a nobis inspecta, & lustrata, ac numeris *Arabicis* signata sunt, recensenda. Primum, prope parietem collocatum, exuvias GEORGII continet, ALBERTI, inter Duces *Austriæ* hoc nomine V. inter Cæsares II. filii. Corpusculum, collapso, & corrupto capuli ligno, confusum, ac pulvere victum, iam iam fatiscit. Super illud gladius iacet, rubigine, tribus intervallis, iam prope consumptus. In medio pomo ferreo utrinque argentea lamella, crucigeri magnitudine immissa est, *Austriacum* referens scutum. Pectori crux plumbea superiacet, aversa parte eadem insignia, adversa vero inscriptionem exhibens, illum anno 1435. XVI. *Februarii* rebus

exem-

exemptum fuiſſe humanis, docentem. Unde, cum teſte HASELBA- TAB. XVI.



CHIO a) Scriptore coævo, anno 1431. natus ſit, vitam ſuam vix a ultra annos quatuor produxiſſe intelligimus.

VI. Alterum corpus, ALBERTI III. *cum trica*, oppido putrefactum, & corrupto pariter loculo commixtum, corio bubulo, ac panno holoſerico, auro intertexto obtectum eſſe, auctor *Memorabilium de templo, & turri Vindobonenſi* b) tradit. At hic nihil ſimile obſervavimus. Quin nec gladio, rubigine exeſo, quidquam inſignium *Habsburgicorum*, aut *Auſtriacorum*, inſculptum fuiſſe animadvertimus, quanquam utrumque inſculptum fuiſſe, non inficiemur. Crux plumbea, pectori incumbens, in medio, & ad angulos perforata, argumento eſt, capulo clavis olim adfixam fuiſſe. Eius inſcriptura quaſſa iam, & exoleſcens, innuit: Anno Domini MCCCXCV. obbiiſſe ALBERTUM III. Ducem *Auſtriæ*, & in averſa, ubi & clypeus *Auſtriacus* cernitur: *in decollatione* S. IOANNIS BAPTISTÆ, id eſt XXIX. *Auguſti*, quam epocham, quoad diem, & annum etiam Necrologium *Minori-* ALBERTI III. loculus. *Num.* 2. b

a) Ap. Clar. *H.* PEZ. T. II. col. 853. a. „Anno „ergo Domini 1431. Concilium *Baſilienſe* „ſumpſit exordium, ad quod miſit Dux AL„BERTUS -- NICODEMUM, Epiſcopum *Friſin„genſem*, & *Ioannem* HIML. -- Cum qui„bus & Scriptor huius operis - - accingi„tur, in quo & fere triennio deguit. - - „Quo & anno natus eſt ſibi filius primo„genitus, quem Ducem GEORGIUM, ob „beati GEORGII honorem, quem in ſpe„ciali devotione coluit, vocitavit: qui poſt „baptiſma non longa vita functus eſt.„ Quod ultimum nonnihil improprie dici, ex tempore obitus GEORGII intelligitur.

b) Tit. ult. p. 127.

Tab. XVI. *Minoritarum Wiennenſium* a) Chronicon *Stamſenſe* b) HASELBA-
a b CHIUS, c) HAGENUS, d) ubi & epitaphium ponit, ac præprimis Ne-
c d crologium MS. Eccleſiæ S. STEPHANI, ubi ad ſepulturam datus eſt. e)
e f Unde emendandi ſunt Chronographus *Mellicenſis*, f) feſtum S. Au-



g GUSTINI, & Anonymus, *Carthuſianus Gemnicenſis* g) III. Kal. *Septembris* aſſignantes; quin etiam apud nos h) ſimilis error irrepſit.
h

Moritur *Laxenburgi*. Eius ætas.

VII. Demortuus eſt autem ALBERTUS, ut teſtes iam adducti fidem faciunt, *Laxenburgi* in palatio, a ſe ædificato. Genus morbi Scriptores haud prodiderunt. Chronicon tamen *Salisburgenſe*, i) quod cum ceteris etiam quoad epocham obitus recte conſpirat, eum *morte naturali expiraſſe*, ait. Ætatem eius pariter reticent, ſed extat tamen ap. Doctiſſ. STEYERERUM charta ampliſſima, qua RUDOLPHUS IV. frater eius, anno 1365. *Dominica Oculi*, quæ tum in XVI. *Martii* in-
i

a) Ap. laud. PEZIUM tom. II. col. 494. a.

b) Ibid. col. 459. b. „ Anno Domini (ait) „ MCCCXCVI. proxima Dominica ante feſtum S. AUGUSTINI, obiit Illuſtris Dominus ALBERTUS, Dux *Auſtriæ*. „ Hæc enim Dominica tum in ſeptimum, & viceſimum *Auguſti* inciderat. Excedit tamen, ut vides, ſive ſuo, ſive librarii, quod credibilius eſt, vitio, anno uno.

c) Ibid. col. 813. d.

d) Ibid. tom. I. col. 1155. d.

e) Item Dux ALBERTUS, etiam frater fundatoris, obiit anno Domini 1395. die 29. „menſis *Aug.*„ Fatendum quidem hoc Martyrologium nævis ſuis haud carere, qui reſtauratoribus eius adſcribendi ſunt; nam ex poſt temporis reſtitutum fuiſſe, hæc verba ibidem legenda docent: *Renovata hæc ſunt anno Domini* 1503. *ſeptima Aprilis*. In conſequentibus de eodem ALBERTO iterum, ſed primo intuitu mendoſe agitur. Ponitur enim feſtum S. AUGUSTINI. Additur præterea, eum ante ſolis ortum obiiſſe. Unde intelligas, auctorem, uti & ceteros, feſtum S. AUGUSTINI, ſeu 28. *Aug.* ponentes, noctem illam ad diem præcedentem computaſſe.

f) Ib. col. 250. b.

g) Ib. tom. II. col. 377. c.

h) *Pinacoth. Auſtr.* P. II. lib. I. cap. VIII. §. I. p. 92.

i) Ap. eund. PEZ. tom. I. col. 431. c.

inciderat, leges ſubſignat, *Canonicis* D. STEPHANI a ſe datas, ubi & ALBERTUS ſubſcribit, & quidem anno ætatis ſuæ ſexto decimo, a) ipſius vero RUDOLPHI ſexto, & viceſimo, ac LEOPOLDI, fratris utriusque, decimo quarto. Extat ibidem & altera, b) eodem anno Sabbato poſt feſtum *Paſchæ* obſignata, ubi eadem adhuc ætas trium horum fratrum Principum notatur. Unde concludas: ALBERTUM poſt XIX. *Aprilis*, cui tum Sabbatum poſt *Paſcha* reſpondebat, anno 1349. vel ante XVI. *Martii* anni ſequentis, in hanc lucem editum fuiſſe. TAB. XVI. a b

VIII. Tertium item corpus graviter collapſum, & putido capuli ligno obrutum eſt. Gladius, ad latus poſitus, haud multum vitiatus cernitur. In eius pomo, ſat valido, cavernulæ utraque ex parte obſervantur, quibus haud dubie inſignia olim inſerta fuere, nunc vero delapſa. Plumbea crux confracta, media ſui parte ſcuto *Auſtriaco* diſtincta, ac in vertice, quo tegumento loculi adfigi poſſet, perforata, diſerte teſtatur: *corpus illuſtris Principis Domini* ALBERTI, *Ducis Auſtrie &c. qui plurimis virtutibus clarus obiit in* CHRISTO, *die dominica feſto exaltationis ſancte crucis, anno domini MCCCC. quarto*, hic ſitum eſſe. Tertius loculus *Num.* 3.



IX.

a) In *Addit. pro hiſtoria* ALBERTI II. col. 502. ſubſcriptio autem legitur col. 520.

b) Col. 545.

Tab. xvi. Alberti IV. anno 1404. xiv. *Sept.* defuncti, reliquias continens.

IX. Albertus nempe hoc nomine IV. Dux *Auſtriæ*, cognomento *Patiens*, vel *Mirabilia mundi*, Alberti III. ex Beatrice ux. II. filius, intelligendus eſt. Cum cruce noſtra, quoad annum, conveniunt chron. *Mellicenſe*, a) Continuator Paltrami, b) Arenpeckius, c) Anonymus *Gemnicenſis*, d) auctor appendicis ad Hageni chronicon, e) qui tamen ſolus diem quoque emortualem, *exaltationem* ſcilicet *S. Crucis*, ſeu xiv. *Septembris*, quæ tum in diem Dominicam inciderat, exprimit, cum inſcriptione noſtra apprime conveniens. Fama fuit, eum ex veneno, per proditores propinato, interiiſſe, ut id præter Anonymum *Gemnicenſem*, chronicon *Zwetlenſe* recentius f) teſtatur. Verum præterquam quod ille notam chronologicam 1403. male aſſignet, credibile haud eſt, id *Cl. Neoburgi*, ut perperam dicit, quo ab obſidione *Znoymenſi*, fruſtra ſuſcepta, devenerat, factum fuiſſe; quippe quod, aliis affirmantibus, illuc iam æger delatus ſit, ibique obierit. Alter vero rumorem iam tum incertum fuiſſe, duobus verbis innuit, *ut creditur*, aiens. Nempe magnis Principibus, ex hac vita vel nec opinato, vel urgentibus fatis, vegeta adhuc ætate decedentibus, nihil pronius eſt, quam eiusmodi naſci rumores. Chronicon certe *Mellicenſe* magnam exercitus partem profluvio ventris, quo Dux facile etiam correptus eſt, periiſſe, diſerte teſtatur; quin immo revera eodem morbo Ducem affectum fuiſſe, Haselbachius, auctor coævus, aut ſuppar ſaltem, fidem facit. g) Cuius verba, cum morbum, mortemque eius luculenter exponant, in marginem ſaltem inferiorem reiicienda duximus, quamvis in anno emortuali, librarii haud dubie culpa, bis aberraverit. Nativitatem igitur eius cum Necrologium Eccleſiæ metropolitanæ D. Stephani ad annum 1377. diem vero xx. *Septembris* reponat, h) eundemque an-

a) Col. 251. a. b) Col. 729. c. c) Col. 1245. a. b.
d) Col. 377. d. e) Col. 1164. c.
f) Col. 545. b. Omnes ap. Cl. *Hier.* Pezium *Scriptor. Auſtr.* tom. I. & II.
g) „ Dux vero Albertus (ait col. 825. a.) gravi cœpit diſſenteria fatigari. Unde & infecto negotio, ſolvitur obſidio (*Zuoymæ*) & Dux in lectica deductus circa *Haſelbach*, natale ſolum meum. Ego puer cum aliis in viarum compitis aſtiti, & Principem levantem caput, atque dicentem: O quanta iſti involventur pauperie! neſciens, quid hæc deſignarent, aſpexi. Deductus quoque ad *Neuburgam-Clauſtralem*, quia votum voverat, ſe vivum *Viennam* non intraturum, niſi de ſuis, & Reipublicæ hoſtibus, dignam expetiiſſet ultionem, pauſavit ibidem diebus paucis. Quibus dum languor invaleſceret, omnibus Eccleſiaſticis munitus Sacramentis, feliciter obdormivit in Domino 27. *Auguſti* (XIV. *Sept.*) anno Domini 1402. (1404.) ſepultusque *Viennæ* cum patre. „ Diximus, hunc errorem quoad annum mortis librarii errore obrepſiſſe. Nam cuius ſententiæ fuerit Haselbachius, apparet col. ſequenti, ubi cum de ingenti ſtella crinita illi ſermo fuiſſet, ſubiungit: „ Anno vero ſecundo (ſci„ licet ab apparitione cometæ) Dux Alber„ tus migravit a ſeculo -- & poſt biennii „ tempus Wilhelmum Ducem infauſta mors „ huic luci ſubtraxit, anno Domini 1406. die „ ipſa *Diviſionis Apoſtolorum*. „ Si enim Wilhelmus biennio poſt Albertum an. 1406. exceſſit, hunc anno 1404. obiiſſe, neceſſe eſt.
h) Eius verba, pro ſtatuenda Alberti V. Cæſaris ætate, tomo ſuperiori P. II. lib. I. cap. X. p. 99. §. V. adduximus, ſed malo tum uſi exemplo. Verba emendatiora ſunt hæc: „ Item Dux Albertus, etiam frater „ noſtri fundatoris, obiit anno Domini „ 1395. die 29. menſis *Auguſti*. Item Dux „ Albertus, filius eiusdem Alberti (III. „ utique) ortus in vigilia Mathæi Evange„ liſtæ, obiit 27. menſis *Octobris* 1339. „ Hæc ultima in mendo cubant; utpote evaneſcentibus autographi litteris, ut ibidem monuimus, a ſecunda manu male ſuppleta. Unde erroris occaſio: quemadmodum annus 1311. ibid. legendus, in annum 1411. ut contextus Lectorem facile monebit, commutandus eſt.

annum, prætermiſſo die, HAGENUS a) quoque aſſignet, illum non niſi annis ſeptem, & viginti, demptis diebus ſeptem, in vita fuiſſe, conſequitur. TAB. XVI. a

X. In media hac funerum ſerie auctorem, fundatoremque templi, RUDOLPHUM IV. cubare, ſupra iam innuimus. Corporatio pedum ſex, compages integra, & indiſſoluta: caput adeo non mutilum, ut ne dens quidem defuerit. Corpus ſubacto corio bubulo nigro, eoque adhuc integro, obvolutum, haud dubie, ut MEDIOLANO, ubi eum defeciſſe, diximus, commode veheretur *Vindobonam*. Subſtrata tabula ſectilis indicium præbuit, fuiſſe & id funeris capulo conditum. Detecto, & explicato corio, totum ſpectabatur corpus, *Attalicis* telis amictum, & ornatum. Intextum iis aurum vivum adhuc nitorem ſpargebat, figuras viſui præbens, litteris *Gothicis*, quales lapidibus inſcribi ſolebant, haud multo abſimiles, ita ut earum lectio tentaretur, quibus tamen penitius inſpectis, non niſi texturæ artificium apparuit. Hæc veri nominis veſtem haud efficiunt; nam corpus iis aliquo modo inſutum duntaxat erat, etſi manus, atque brachia, quæ iis etiam obteguntur, ipſos velut artus referret. Filis præterea craſſioribus, numero admodum viginti, a pedibus paſſim ad pectus uſque eosdem pannos nectentibus, colligatum erat, quæ vero adeo fragiles, ut ad tactum diſſolverentur. Manicarum altera adhuc reſtabat, poteratque patagium, collo circumdatum, ſatis diſtingui. Veſtigantibus porro, & omnia diſcutientibus, forte fortuna voluit, ut inter reliquias oſſium ad lævam Ducis aureum reperirent annulum, a nobis e veſtigio ad Conſulem miſſum. Gladius, cuius & vagina ſupererat, ſupra corpus, ac intra corium bubulum iacens, anceps quidem, ſed rubigine tritus, & amiſſo mucrone, vix amplius timendus erat. Pomum ante alia latum, atque validum, nullis tamen inſigniis conſpicuum cernebatur. Quartum funus RUDOLPHI IV. *Num.* 4.

XI. Crux denique plumbea, pectori incumbens ſic habet: Cum inſcriptione.

ANNO. DNI. M. CCC. LXV. DIE. DOMINICA. POST. FESTUM. SANCTI. IACOBI. APOSTOLI. SERENISSIMUS. PRINCEPS. RVDOLFVS. DUX. AUSTRIE. STYRIE. ET. KARINTIE. ETC. ANNO. ETATIS. SUE. XXVI. QUI. PROBITATE. SUA. DOMINIO. SUO. OBTINUIT. COMITATUM. TYROLENSEM. ET CONSTRUXIT. ECCLESIAM. SANCTI. STEPHANI. PAROCHIALEM. WINNE.

In averſa parte inſcriptio ſic continuatur: ET. MUTAVIT. EAM IN. ECCLESIAM. COLLEGIATAM. ET. HIC. SEPULTUS. Hæc cum reliquis

a) Col. 1151. d. „Nach CHRISTI geburt tau„ſent drewhundert ſiben, und ſibenczig „Jare, tet auch der Hochgeborn Fürſt „Herzog ALBRECHT (III) ain mechtige „merkleiche Prewſen-fard, und ward da „zu Ritter; und in der zeit ward Herzog „ALBRECHT, ſein Sun, geborn.„ Cum expeditiones ut plurimum æſtate ſuſcipi, ingruente autem hieme finiri ſoleant: tanto maior Necrologio conciliatur fides.

Tab. xvi. quis monumentis convenire, ex dictis capite præcedenti, nec non ſæpe laudatis commentariis P. Steyereri conſtat; ut adeo de recentiorum nonnullorum, mortem eius ad annum 1366. aut, ſi annum recte, ad diem tamen xxiv. *Iulii* reiicientium, opinione ne mentionem quidem facere, lubeat.





Funus Wilhelmi. *Num.* 5. XII. Ad dextram fundatoris alia corporis compages, rite compoſita, & quodam pallio domeſtico holoſerico rubro, auroque contexto, obtecta cubat. Id pallii manicis laxioribus, & tribus, ubi collo ſubnectitur, globulis, ſive nodulis ſericis munitum, atque ad talos

uſque

uſque demiſſum eſt. Totum præterea corpus, atque pallium holoſe- Tab. xvi.
rico velo albo, cui quoque aurum large intextum, obducitur, latum unum, & ſemis cubitum, menſuræ *Vindobonenſis*, longitudine capulum æquans, at variis in locis iam pœne conſumptum. Inſuper & alio panno obtegitur, quod quidem in totum corpus extenſum, tertiam duntaxat cubiti partem latum eſt. Id pari artificio, ac fundatoris illud velamen, in litterarum *Gothicarum* ſpeciem, auro pertextum, atque diſcretum. Pectori gladius, cum cruce, rubigine valde ambeſus, ſuperiacet: in pomo utrinque cavernula, in qua aliquid olim cælatum fuiſſe, ſatis apparuit, hodie tamen haud ſatis diſcernendum. Ipſa quoque crux plumbea, in transverſa parte licet vitium paſſa, devexa quoque tum interciſa, ſatis tamen adhuc edocuit, WILHELMUM, LEOPOLDI III. cognomento *Probi* filium, hic ſitum eſſe.



Verum fragmentum hocce anno primum 1754. cum, iuſſu Auguſtiſſimæ Reginæ, & Imperatricis MARIÆ THERESIÆ, Principum hæc corpora in novam cryptam, de qua cap. ſeq. transferrentur, atque adeo omnia, & ſingula penitius diſcuti, & explorari poſſent, repertum, ac a *Salomone* KLEINER, alias a nobis laudato, ſubmiſſum, ſubindeque typo ligneo adpoſitum, integram nobis ſcripturam hunc in modum reſtituit: WILHELMVS. LEOPOLDI. FILIVS. DVX. AVSTRIE. ETC. OBIIT. IN. XO. XI. DIE. IVLII. ANNO. DOMINI. M. CCCC. VI. ET. HIC. EST. RECONDITVS.

XIII. Veremur tamen, ut is numerum diei emortualis recte in- Ætas, ac genus mortis.
ſpexerit, deſignaveritque. Nam præterquam, quod etiam alii, qui cry-

Tab. xvi. ptam hanc ante nos luſtrarunt, XV. *Iulii* legerint: Scriptores ſane
a tam coævi, quam ſuppares, ut chronicon *Mellicenſe*, a) Appendix ad
b c Hagenum, b) Anonymus *Carthuſianus Gemnicenſis*, c) Haselba-
d chius, d) aliique, hunc ipſum XV. *Iulii* uno velut ore ſtatuerunt, & quo minus dubitandi ratio eſſe poſſit, plerique diem feſtum *Diviſionis Apoſtolorum*, qui in Eccleſia eodem die celebrari conſtanter ſolebat, una deſignant. Quod ſi igitur dictum fragmentum XI. *Iulii* revera præferat, dici poterit, errorem a fuſore plumbeæ illius crucis commiſſum fuiſſe, cuius rei exempluni infra, cum ad cryptam Auguſtam, quæ apud RR. PP. *Capucinos Vindobonæ* eſt, perventum fuerit, proferemus. Errat igitur chronicon breviſs. Anonymi *Tegernſeenſis*,
e e) quod diem quidem recte, at annum 1411. ponit. Minus
f g rem tangunt chronica *Stamſenſe*, f) & *Viti* Arenpeckii, g) quæ mortem illius ad *prid. Id. Iunii* an. 1394. referunt. Natus itaque cum ſit circa annum 1370. ut tomo præcedenti docuimus, vitæ ei annos præter propter ſex, & triginta tribuimus, Addit cit. Anonymus *Gemnicenſis*, illum ex *Polonia* reducem *Wiennam*, equum, cui inſidebat, nimium ad ſe retorquendo, eodemque retro cadente, oppreſſum occidiſſe.

Ioannæ, Wilhelmi coniugis fata, & epitaphium,

XIV. Wilhelmo thori ſociam ſubiungimus Ioannam, Caroli *Parvi*, *Neapolis*, & *Siciliæ* Regis filiam; non quod in hac crypta ad ſepulturam data fuerit (quippe quæ, defuncto Duce, a matre in *Apuliam* revocata h) ac regnum etiam *Neapolitanum* adepta, & ſecundis votis obſtricta, ibi diem quoque clauſit extremum) ſed quod de
h ea in conſequentibus aptior dicendi locus haud ſuppetat. De eius ma-
i trimonio, aliisque rebus, pluribus agentes tomo præcedenti i) anno 1435. exceſſiſſe diximus, id quod ſequens inſcriptio, e Summontio educta, planum quoque faciens, inſuper & ſepulturæ locum edocet:

HIC IACET CORPUS IOANNÆ SECUNDÆ, DEI GRATIA VNGARIÆ, HIERUSALEM, ET SICILIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SERVIÆ, GALITIÆ, LODOMANIÆ, COMANIÆ, BULGARIÆ REGINÆ, PROVINCIÆ FOLCALQUERII, AC PEDIMONTIS COMITISSÆ, FILIÆ SPIRITUALIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ ANNUNTIATÆ. QUÆ OBIIT ANNO DOMINI MCCCCXXXV. DIE II. MENSIS FEBRUARII XIII. INDICTIONIS NEAPOLI, CUIUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

VETUSTATE CONSUMPTUM, OECONOMORUM PIETATE RESTAURATUM ANNO DOMINI MCCCCCLXIV. IDIBUS OCTOBRIS.

Extat in eccleſia *Annuntiatæ*, in plano, ante maius altare, ſepulcro ignobili, ut ipſa iuſſerat.

Deque eo iudicium.

XV. Cum inſcriptione, quoad annum & diem mortis, æque ac
k ſepulturæ locum, conſentit *Triſtanus* Carracioli, k) Rocchus

contra

a) Col. 251. a. b) Col. 1164 c. h) Haselbach. col. 829. a.
c) Col. 380. a. d) Col. 826. c. & 827. d. i) P. II. lib. I. cap. XI. pag. 109. §. XIV. ſeq.
e) Col. 469. a. f) Col. 459. b. k) Geneal. Caroli I. Reg. *Siciliæ* ap. Murator. *Script. rer. Ital.* tom. XXII. col. 112. e.
g) Col. 1274. b. omnes apud laudat. Pezium.

contra PIRRUS a) annum unum prævertit. At is haud dubie vete- TAB. XVI.
rem putandi morem, annum a XXV. *Martii* inchoando, ſecutus eſt, a
cum contra ſepulcri reſtauratores ante ducentos annos, morem, ſuo tempore iam receptum, obſervare voluerint. Fallitur præterea PIRRUS in aſſignando die, quem XVI. *Novembr.* fuiſſe putabat. Annum, cum moriebatur, ætatis 65. inchoaſſe, laudatus ſcribit SUMMONTIUS. b) b

XVI. Succedit corpus, putredine perquam reſolutum, integra tamen calvaria. Crux plumbea deſideratur, ſed gladius anceps adeſt, cuius ferrum transverſum formam litteræ S. quodammodo ſimulare videtur. Enchiridion, ſive capulum filamentis æreis circumdatum: pomum mixto metallo conflatum, & ad digitos quatuor latum, utrobique cælaturis ornatum eſt. Eidem orbiculatæ etiam duæ inſunt cavernulæ, inſignibus, ut credimus, olim *Auſtriacis* recipiendis deſtinatæ. Sextum funus. *Num. 6.*

XVII. Non ambigimus, quin FRIDERICUS III. ALBERTI II. *Contracti* filius hic ſitus ſit, omnium primus huc delatus. Nam, quod UNRESTUS c) cum nonnullis aliis tradit, MARGARITHAM, agnomine, ſeu convitio potius, *Maultaſchiam*, primum hic locum occupaſſe, abſonum eſt; quando certo conſtat, eam anno 1369. non, ut idem UNRESTUS ſciſcit, 1360. iam demortuam, apud Fratres *Minores Conventuales Viennæ*, teſtante eorum Necrologio d) terræ concreditam fuiſſe. Non, inquam, dubitamus, quin FRIDERICUS III. hic loci depoſitus fuerit; tum quod exiguitas oſſium, hic repertorum, adoleſcentis videlicet quindecim annorum, id poſtulet, nec ei alius facile locus adſcribi poſſit; tum quod eum hac in crypta depoſitum fuiſſe, aliunde etiam conſtet, doceatque epitaphium ad cornu epiſtolæ, ubi Decanus Capituli metropolitani ſubſellium ſuum habet, ſupra portam, ad theſaurum ſacrum viam olim aperientem, lapidi inciſum, quod ita ſonat: FRIDERICI III. ALBERTI II. filii, cum epitaphio. c d

ANNO MILLENO TRICENT. XL. QUOQUE SEPTEM
SABTO SUB TERNA FRIDERICUS NASCITUR HORA:
ALBERTI NATUS DUCIS, AUSTRALISQUE IOANNE
PRINCIPIS, AC TERNA SABTI DECESSIT IN HORA
VIVIS EX MEMBRIS IDUS QUARTAQUE DECEMBRIS
ANNO MILLENO C. TER LX. QUE SECUNDO.

XVIII. Hi *Leonini* etiam in vetuſtiſſimo *Mellicenſi* e) Necrologio, ſeculo XII. incepto, ac dein ab aliis continuato, leguntur, cum eo Unde eius ætas haurienda. e

a) *Chronol. Reg. Siciliæ* p. m. LVIII. col. 1. e.
b) *Hiſt. Neapol.* tom. II. lib. III. cap. IV. p. 555.
c) *Chron. Karinth.* apud HAHNIUM *Collect. monument. vet.* tom. I. p. 523.
d) Verba eius ad V. *Non. Octob.* col. 497. ſunt hæc: „Anno Domini MCCCLXIX. obiit ſe„reniſſima Domina, Domina MARGARETHA, „Marchioniſſa ſenior *Tyrolenſis*, hic ſepulta „in choro noſtro.„ In appendice autem ad idem Necrologium coævum col. 509. a. „Infra gradum intra cancellos ferreos - - „ſepulchrum Dominæ AGNETIS, Comitiſſæ „de *Heumburg*. - - In eodem ſepulchro Do„mina MARGARETHA, Marchioniſſa de *Ty„roli*, in *Athaſo* (Atheſi) quæ obiit ſub „anno MCCCLXIX.„
e) Col. 310. d.

eo tamen diſcrimine, quod fata eius in contextu ad V. Idus *Decembris* referantur, correſpondente eidem etiam verſu quinto, hunc in modum:

Vivis ex membris Idus quintaque Decembris.

Verum magis fidendum lapidi; maxime cum eidem quoque Anony-
a b mus *Gemnicenſis*, a) ac *Stamſenſis* b) ſuffragentur. Ex quibus tamen omnibus cum dies natalis haud definiatur, propius nihil erui poteſt, quam FRIDERICUM anno circiter ætatis XV. obiiſſe. Advertit autem
c Doctiſſ. STEYERERUS, c) matrem eius IOANNAM, eodem anno 1347. quo FRIDERICUM effudit, & quidem menſe circiter *Iulio*, longum in *Suntgoviam* iter ſuſcepiſſe, idque haud dubie ante partu ſolutam. Quod quidem cum vero ſimillimum ſit, aliquot ſane, ſupra quindecim annos, menſes, quin ultra dimidium annum FRIDERICI ætati; utpote priori illius anni parte nati, ſuperaddendi erunt.

Septimum funus CATHARINÆ, RUDOLPHI IV. viduæ. *Num.* 7.

XIX. Septimum tandem corpus, idque in hac ſerie ultimum, capite ſecus, ac cetera, at uſitatiori more, ad Occidentem, pedibus ad Orientem converſis, iacet. Oſſa nonnihil quidem turbata, magna tamen ex parte adhucdum iuncta erant. Nulla hic inſcriptura, gladius hic nullus occurrebat, argumento (cum reliqui melioris ſexus adulti Principes gladium hac in crypta adiectum habeant) probabili, Principem fœminam hic ſitam eſſe; nec ſane dubitandum, quin CATHARINA, RUDOLPHI IV. fundatoris vidua, ac CAROLI, Marchionis *Moraviæ*, ac poſtea, ſub IV. nomine, Auguſti, filia fuerit. Nam & iſtam in hanc cryptam conceſſiſſe, docet eius cenotaphium, ſupra cap. II. huius libri a nobis expenſum. Corpus herbis, ac linteis obvolutum fuiſſe referunt, qui cryptam hanc ante nos luſtrarunt. Unde concludas, eam non *Vindobonæ*, ſed alibi dies viduitatis ſuæ & egiſſe, & clauſiſſe; cum eiusmodi materiis, herbis præſertim, fœno, ac culmo loculi mortuorum ideo, ut diximus, repleri ſolerent, ut innoxie veherentur. Illam anno 1342. natam, ac anno 1395. VI. Kal. *Maii*, poſt toleratum triginta admodum annorum viduitatis ſtatum denatam fuiſſe, oſtendit Doctiſſ. STEYERERUS, d) cui
d quod adiiciamus, haud ſuppetit.

Acervus oſſium, continens reliquias BEATRICIS, ALBERTI III. uxoris.

XX. Iuxta eum parietem, qui ubi fundator ſitus, abinde dexter eſt, oſſa iacent mixta, & confuſa, ſine gladio, aut inſcriptione ulla; cranium tamen etiamnum intemeratum eſt. Quibusnam ex *Auſtriacis* Principibus hæc oſſa adſcribenda veniant, hæremus dubii. Nam etſi cranium ſuperſit unicum, non unius tamen corporis reliquias eſſe, numerus oſſium docuit. Id duntaxat fide HASELBACHII, e) qui
e f ſe eandem iam vetulam ſuismet oculis vidiſſe teſtatur, f) adſtruere poſſumus: BEATRICEM, ALBERTI III. *cum trica* uxorem alteram in hac quoque crypta cum ceteris reconditam fuiſſe. „ Cum quo (ait, de

a) Col. 379. c.
b) Col. 459. a.
c) Addit. ad hiſt. ALBERTI II. col. 573.
d) Ibid. *Commentar.* cap. IV. pag. 27. & in addit. col. 568. ſeqq.
e) Col. 825. b.
f) Col. 810. c.

„ de obitu & ſepultura ALBERTI IV. filii eius, agens) & BEATRIX, Tab. xvi.
„ eius mater, poſtea an. 1404. condita iacet, quæ a *Perchtoldsdorff*
„ reducta.„ Verum quemadmodum HASELBACHIO, aut librario potius, quoad epocham mortis ALBERTI IV. ut ſupra monuimus, hoc ipſo in loco error irrepſit: ita & in hac chronologica nota idem ei feliciter eveniſſe tenemus, magisque fidendum Necrologio S. STEPHANI, mortem Principis integro decennio differenti, cum ait: „ Do-
„ mina BEATRIX, mater eius (i. e. ALBERTI IV.) obiit X. die *Iunii*
„ MCCCCXIV.„ Ea num ALBERTO anno 1374. aut 75. in manus convenerit? dubitant, ut alibi a) monuimus, Scriptores. Nobis ſat auctoritatis habere videtur chronicon *Elwangenſe* emendatius, apud Doctiſſ. *Bern.* PEZIUM, b) annum hunc poſteriorem aperte innuens. Sed & rem evincere videntur chartæ duæ, a nobis tomo præcedenti c) editæ, ex quibus patet, an. 1374. XXIV. *Iulii* adhuc de matrimonio, cum VIOLANZA GALEAZII II. Ducis *Mediolanenſis* filia ineundo, actum fuiſſe: ac multo magis ſummarium inſtrumenti, in Archivo Cæſareo, ut nos *Regiſtrum* eius docet, aſſervati, ac *Paſſavii* an. 1374. in feſto S. LUCIÆ ſubſcripti, quo de eius dote, triginta quinque, ac donatione propter nuptias XLV. florenorum millibus convenitur. Unde cum feſtum S. LUCIÆ in XIII. *Decembris* incidat, ipſa nuptiarum ſolemnia facile in annum ſequentem dilata fuerunt.

a

b

c

XXI. Quin immo eas ad uſque Dominicam *Eſto mihi*, dicti anni 1375, quæ tum in IV. *Martii* inciderat, re ipſa extractas fuiſſe, ex Chronico *Salisburg.* d) diſcimus, aiente: „ Eodem anno ALBERTUS, Dux *Auſtriæ*, volens celebrare nuptias *Wiennæ*, Dominica *Eſto mihi*, vocavit Dominum ALBERTUM de *Winchel*, Epiſcopum *Patavienſem*, ut ſibi copularet filiam FRIDERICI Comitis de *Nurnberch* legitime in uxorem. Et idem ALBERTUS Epiſcopus -- in via tendens *Wiennam*, cum pervenit prope civitatem S. YPOLITI, ſitam in *Auſtria*, contigit, ut ab OTTONE, & HEINRICO, dictis *Ernvelſer*, Miniſteriales (Miniſterialibus) *Stiriæ*, cum ſuo exercitu eſt captivatus indebite.„ Refert hoc Chronographus, ſeu potius Continuator eius, ad an. quidem 1373. at ibi multa, diverſo tempore acta, ſive incuria auctoris, ſive librarii, uni anno 1373. cum tamen ſequentibus contigerint, illigata fuiſſe, eum inſpicientibus patebit, fidemque facit Clar. HANSIZIUS, e) captivitatem huius Epiſcopi an. 1375. die vero ſecundo *Martii* accidiſſe. Ex his etſi ætas Principis definiri haud valeat, annis tamen gravem exceſſiſſe innuunt; quando & ſupra excitatus HASELBACHIUS id ipſum confirmat.

Cuius nuptiæ in annum 1375. reiiciendæ.

d

e

XXII. Altera, cuius quoque oſſa hoc cumulo, aut ſupra memorata foſſa, comprehendi, putamus, IOANNA eſt, ALBERTI IV. coniux, ac ALBERTI, Ducis *Bavariæ*, Comitisque *Hannoniæ*, *Hollandiæ*,

Item IOANNÆ, coniugis ALBERTI IV.

a) Tom. præced. P. I. p. LXXVIII. §. XLIX.
b) Tom. IV. Anecdot. P. III. col. 780.
c) P. I. *Auctar. dipl.* p. 6. & 7.
d) Col. 423. a.
e) *Germ. Sacr.* tom. I. p. 478.

Tab. xvi. *diæ*, *Zelandiæ*, & *Frislandiæ*, filia, de qua tomo præcedenti plura attigimus. In hac enim crypta depoſitam fuiſſe, Haselbachius teſtatur, adductis verbis adiiciens: „ cum quo & Beatrix mater „ (Alberti IV. & eius conthoralis Ioanna a ſancta Clara hoc „ includitur mauſoleo, „ quanquam quid ſibi hoc a *Sancta Clara* velit, non ſatis intelligamus; cum non conſtet, eam poſt obitum mariti Ordinem S. Claræ ingreſſam. E vita abiit anno 1410. xv. *Nov.* Nam diem hanc Necrologium Eccleſiæ S. Stephani *Vindobonenſis* ponit. Annum autem ex duobus inſtrumentis, in *Regiſtro* Archivi Cæſarei recenſitis, educimus. Primum, datum ab ipſa Ioanna in feſto S. Urbani anno 1410. edimus ſuo loco. Alterius, anno 1411. circa feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli *Viennæ* ſignati, fragmentum duntaxat poſſidemus. In eo cum mentio fiat
a Ioannæ, tanquam iam mortuæ, a) prius autem ab ipſa Ioanna editum ſit: nemo non videt, dictum emergere annum.

Nec non Elisabethæ, Leopoldi III. fil. XXIII. Tertiam quoque in hac crypta ſitam eſſe Elisabetham, Leopoldi III. *Probi* filiam, ac Henrici IV. Comitis *Goritiæ* ſponſam, Haselbachius b) his verbis teſtatur: „ Habuit etiam (Leo-
„ poldus) ex præfata uxore (Viride) filiam, nomine Elisa-
b „ beth, quæ deſponſata eſt Henrico, Domino *Goriciæ*, ſed infra „ anni ſpatium morte præventa 1392. ad S. Stephanum *Viennæ* ia-„ cet tumulata. „ Contractus Matrimonialis, ſeu futuri connubii adpromiſſio, facta eſt anno 1382. cum aſſignatione dotis duorum, & triginta florenorum millium ad *Portenavium*, ut id ex binis ſummariis Repertorii Archivi Cæſarei oſtendit ſæpe laudatus Illuſtr. Comes
c a Cronberg. c) Agebat tum Henricus annum ætatis ſextum. Unde nec ſponſam ætate maiorem, quin veriſimilius uno, alterove anno minorem fuiſſe, atque adeo anno vitæ decimo quarto, aut quinto hunc mundum reliquiſſe, cenſemus.

Aliud corpus. XXIV. Propius oſtium ſpectabatur corporis compages integra, oſſibus, ob inſignem magnitudinem mirandis, ſex ſcilicet pedum, ac ſeptem, & ſemis digitorum menſuræ *Vindobonenſis*. Cranio, ſeu calvariæ adhuc integræ quoddam adiacebat tegumentum holoſericum rubrum, auro intertextum. Corium vaginæ, apprime induratum, palmos maiores quatuor longum eſt, gladio tamen haud comparente: repertum tamen eſt eiusdem fragmentum, rubigine pœne conſumptum, anno 1754. cum crypta hæc Auguſtæ iuſſu, ut paullo ſupra retulimus, reſtitueretur. Narraverunt, qui libitinam exercent, cryptasque cuſtodiunt, huic cadaveri nigram barbam dodrantalem in crypta procreviſſe, viventium adhuc memoria ſuperſtitem, iterato vero corporis motu, ac concuſſione dilapſam.

XXV.

a) „ Wir Albrecht. &c. Schafen - - der Er-
„ ber Dorotheen, der *Ezelkingerinn*, die
„ weilent der Hochgebornen Fürſtin unſer
„ liben Frauen und Mutter, Frauen Iohan-
„ nen Herzogin ze *Oſterreich* &c. &c. *ſeligen*
„ *gedechtnuſs*, Hof junckfrau geweſen iſt. „

b) Col. 815. a.

c) Tentamen de *rebus Goritiæ* p. 130.

XXV. Funus hoc LEOPOLDO IV. cognomento *Craſſo*, ſeu *Superbo* adſcribendum eſſe, adiectum ſignum crucis plumbeum docuit, annum mortis eius 1411. diem vero tertiam *Iunii* innuens. TAB. XVI. Ad LEOPOLDUM IV. pertinens. *Num.* 9.



Cum hac epocha conveniunt ANDREAS, Presbyter *Miſnenſis*, Necrologia *Græcenſe*, ac *Neoſtadienſe*, Chronicon monaſterii *Stamſenſis*, *Vitus* ARENPECKIUS, aliique, quos recenſere, longum foret. Quare audiendi haud ſunt PALTRAMI Continuator, a) annum 1410. Anonymi *Tegernſeenſis* b) & *Gemnicenſis* c) annum 1412. at diem tamen, feſtum ſcilicet S. ERASMI, recte aſſignantes. a b c

XXVI. Mortis hiſtoriam HASELBACHIUS, d) auctor ſynchronus, hiſce contexit verbis: „Durante igitur hac congregatione - - cuſtos vigilans, & non dormitans in nocte, qui poteſt quando vult, ſpiritum Mortis cauſſa. d

a) Ap. PEZ. tom. I. col. 731. b.
b) Ibid. tom. II. col. 469. b.
c) Ibid. col. 380. c. LEOPOLDUM ſane an. 1411. die XVI. *Ianuarii* adhuc in vivis fuiſſe, patet ex fragmento diplomatis: „Wir „ LEOPOLD, und ERNST gebrüder, von „ Gotz Gnaden Herzogen ze *Oſterreich* &c. „ bechennen, als unſer getrever ULRICH der „ *Miſſinger* &c. Mit urkund dits briefs, „ geben ze *Wienn* am Freytag vor PRISCÆ „ Virginis, nach CHRISTS geburd im vier- „ zehen hundertiſten, und den aindleſten „ Iar. „
d) Ibid. tom. II. col. 840. d.

Tab. xvi. tum Principum aufferre, Ducem Leopoldum in proprio ſanguine ſuffocari, permiſit. Sicque ſine Sacramentis, ſola Confeſſione præmiſſa (ut dicitur) rebus exceſſit humanis, ſine prole, anno Domini 1411. die ipſa Sancti Erasmi, quæ tunc erat quarta feria *Penteco ſtes*, tertio *Maii* (*Iunii*) ſubito cecidit Leopoldus, cuius & exequiæ ſuorum Maiorum more uſque adhuc dinoſcuntur intermiſſæ. Tranſiit quoque ab hac luce raptus violenter occaſione hac: Habebat ſiquidem fiſtulam in crure, ex violenta fortium baliſtarum (ut fertur) ſuborta tenſione, quam per quendam expertum Chyrurgum ſibi conſolidari diſpoſuit, qui & ſibi præſenſiſſe fertur periculum. a Sanguis igitur retentus, quia vir craſſus, magnus a) & validus erat corpore, tandem ebullivit, & per os, aures, & nares magno impetu exitum petiit, & hac via citius ipſum extinxit. Sepelitur *Wiennæ* ad Sanctum Stephanum cum fratre, & maioribus ſuis. „ Hæc Haselbachius, cui utique *Vindobonæ* viventi, ac omnia oculis, ut poſt pauca ſubiungit, uſurpanti, audientique, magis fidendum, quam mox memorato *Gemnicenſi* Anonymo, eum terræ motu, totam *Auſtriam* concutiente, collapſa camera oppreſſum fuiſſe, aſſerenti. Illum anno 1371. in hunc mundum veniſſe, tomo ſuperiori docuimus. Quare annos vitæ non niſi quadraginta expleviſſe, credendus eſt.

Caroli, Maximiliani filii, loculus. *Num.* 11.

XXVII. In media crypta tres humi ſtant capuli minores, e plumbo albo fabrifacti, & aliis ſinguli ligneis quodammodo loculis contabulati, quibus Maximiliani II. Imp. liberi, ſuo quisque, compoſiti fuere. Numero 11. ſignatus, Caroli Archiducis exuvias contegit, docente id inſcripto eidem titulo, diem, annumque natalem, iuxta ac emortualem, hunc in modum recenſente:

Carolus Archidux Austriæ.
Filius Maximiliani II. Rom. Imp. Hung. Boh.
Regis etc. ex Maria Caroli V. Rom. Imp. filia.
natus Viennæ die XXVII. Mensis Septembris
Anno Domini MDLXV.
Obiit ibidem die Ascensionis Dominicæ
XXIII. Mensis Maii A. MDLXVI.

Mox laudatus Menlius ſic habet: „ Carolus natus eſt *Viennæ Auſtriæ* anno 1565. die xxvi. *Septemb.* die *Mercurii*, nocte intempeſta, intra horam duodecimam, & primam, in ſigno ſcorpionis, hoc autem filio nato, electus iam erat Maximilianus pater, *Romanorum* Imperator. Baptizatus eſt die Dominico proxime ſequente, a Rev.mo D. Epiſcopo *Agrienſi*. Compatres fuerunt D. Carolus *Schan-*

a) Sex ſcilicet pedum, & octo fere, ut diximus, pollicum. Idem Haselbachius col. 814. b. c. de eo: „ Secundo (Leopoldi „ III.) genitus Dux Leopoldus, vir præpo- „ tens corpore, ut in balliſtarum tenſione „ ſibi inter Principes viſus non eſſet ſimilis: „ in quo etiam exercitio ſe ſic violentavit, „ ut in talo perpetuam fiſtulam conquire- „ ret. Erat etiam procerus ſtatura, ut omnes „ uſque ad hæc tempora de *Habsburg* præ „ aliis pollere, ſolebant. „

Schantone, Regis *Hiſpaniarum* Orator. Item eiusdem uxor, & D. FRANCISCUS LASSUS de *Caſtilia*, S. C. M. ſupremus aulæ Præfectus. Obiit die *Iovis* XXIII. *Maii* 1566. veſperi uno horæ quadrante poſt ſeptimam. Sepultus die ſolis, comitante Archiduce CAROLO, in crypta S. STEPHANI, & adiunctus fratri FERDINANDO, ſorori MARIÆ, & ceteris Archiducibus, ibi conditis. „ Cum MENLIO quoad diem natalem correſpondent & alii, computantes nempe noctem cum die præcedenti, qui eo anno revera *Mercurii* erat. Hinc cum is & horam addat, manifeſtum eſt, reipſa cum inſcriptione noſtra convenire. TAB. XVI.

XXVIII. Secundo capulo plumbeo, num. 12. notato, quieſcit FERDINANDUS, eiusdem MAXIMILIANI II. Imp. filius, cuius diem natalem pariter, ac fatalem ſequens inſcriptio, ipſi loculo inciſa, aperit. FERDINANDI eiusd. MAXIMILIANI fil. funus. *Num.* 12.

FERDINANDUS ARCHID. AUSTR. ETC.
FILIUS MAXIMILIANI REG. BOH. A. A. ETC.
EX MARIA CAROLI V. ROM. IMP. FILIA, IN CICALES
OPPIDO CASTILLIÆ DIE XXVIII. MENS. MARTII
MDLI. NATUS.
OBIIT VIENNÆ AUSTRIÆ D. XXV. MENS. IUNII.
ANNO DOMINI MDLII.

Errat itaque GANSIUS a) aliique, quando eum XXIV. *Martii* natum, ac XXVI. *Iunii* (alii etiam *Ianuarii*) denatum ſcribunt. Eundem, quoad diem emortualem, errorem, niſi librarii ſit, erravit etiam ipſe MENLIUS coævus, quique de poſteris MAXIMILIANI, eorumque ſepulturis data opera, ac iuſſu ipſius Cæſaris, ſcripſit, b) de cetero fata eius hiſce verbis complexus: „ Natus eſt FERDINANDUS *Zigaliæ* in *Caſtilia*, *Hiſpaniæ* regno, anno 1551. menſis *Martii*, die XXVIII. die Sabbathi inter horam primam, & ſecundam noctis, in ſigno capricorni. Baptizatus triduo poſt nativitatem ſuam a Rev.mo Epiſcopo *Lugenſi*. Compatres fuerunt Marchio *Villæ Francæ*, Don PETRUS LASSUS a *Caſtilia*, MAXIMILIANI tunc temporis Regis *Bohemiæ*, ſupremus aulæ Præfectus, & POLYXENA LASSA, Regiorum liberorum Præfecta. Obiit hic Princeps infans *Viennæ Auſtriæ* an. 1552. XXVI. XXV. *Iunii* circa horam ſeptimam, ſepultus ibidem ad S. STEPHANUM. „ a b

XXIX. Tertius in hac ſerie loculus, num. 13. inſcriptus, ſequentem titulum præfert: Ubi & MARIA, eius nominis II. condita. *Num.* 13.

MARIA ERZHERZOGIN ZU OESTEREICH ETC.
RÖM. AUCH ZU HUNG. UND BÖH. Kü. MAIEST. ETC.
MAXIMILIANI DES II. TOCHTER.
STARB DEN XXVI. TAG MARTII DES MDLXIV. IAHRS
IHRES ALTERS V. WOCHEN.

Id

a) in Arboret. p. 8.

b) De MAXIMILIANI II. Maioribus.

Tab. XVI. Id eſt: MARIA, *Archidux Auſtriæ*, &c. *Romanorum nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regiæ Maieſtatis* MAXIMILIANI II. *filia, obiit die XXVI. Martii anno MDLXIV. ætatis quinque hebdomadarum.* Inſcriptionem illuſtrant, propiusque definiunt MENLII verba, ubi ſupra: „ MARIA MAXIMILIANI (II) non tantum *Bohemiæ*, ſed etiam *Hungariæ*, & *Romanorum* Regis filia, nata eſt *Neoſtadii* anno 1564. die XIX. menſis *Februarii*, die Sabbathi noctu paullo ante horam decimam, in ſigno geminorum, baptizata eſt biduo poſt a Rev. Domino MAGELANO, ſuæ Maieſtatis Eleemoſynario. Compatres fuerunt CAROLUS, Archidux *Auſtriæ*, & ANNA, Duciſſa *Bavariæ*. Obiit *Viennæ* die ſolis XXVI. *Martii* an. 1564. mane intra ſextam, & ſeptimam, ſepulta *Viennæ* poſtridie in crypta Cathedralis templi S. STEPHANI, fratri ſuo FERDINANDO, & aliis Archiducibus *Auſtriæ* aggregata. „

Non item MARIA I. eiusdem MAXIMILIANI filia.

XXX. Præter hanc MARIAM Scriptores & aliam cognominem ex MAXIMILIANI II. filiabus produnt, novennio ante natam, nec niſi anno uno, diebus minus duobus, in hoc mundo verſatam. De ea iterum MENLIUS: „ Nata eſt MARIA *Viennæ* 1555. die XXVII. menſis *Iulii*, die Sabbathi, nocturno tempore, intra tertiam, & quartam antemeridianam horam, in ſigno libræ. Baptizata eſt quadriduo poſt in ſacello arcis a Rev. Domino MATHÆO, MAXIMILIANI ſacellano, & ſummi templi *Wiennenſis* Canonico. Compatres fuerunt Dom. PETRUS de *Laſſo*, Regis *Bohemiæ* MAXIMILIANI tunc temporis ſupremus Aulæ Præfectus, Domina POLYXENA, PETRI de *Laſſo* coniux, & educandis liberis Regis præfecta, item Comitis *Salmenſis* filia virgo. Obiit *Lincii* an. 1556. XXV. *Iulii*, die *Iovis*, vel ut alii volunt, XXVIII. nocturno tempore, hora XI. ſepulta *Lincii* in templo Parochiali ſub ſaxo quodam, apud MAXIMILIANI cor, & viſcera condita. „ Errat igitur CZERWENCKA, ambas has MARIAS, ad S. STEPHANUM in medio cryptæ conſepultas, aſſerens. a)

a

Alberti VI. ſepulcrum, *Num.* 10.

XXXI. Supra, & circa iſtos tres loculos memorata ſtabant quinque, & viginti extorum vaſa ænea, & argentea, de quibus, & id genus aliis ſingulari diſſertatione Vol. ſeq. agemus. Remotis autem, & ſepoſitis his vaſis, quadratum in conſpectum prodiit marmor, pedem unum, & pollices quinque altum. Sub eo incompoſitæ iacebant reliquiæ, quas quidem ALBERTO VI. cognomento *Prodigo*, ERNESTI *Ferrei* filio, tribuendas eſſe, inſculptæ eidem litteræ, cuius ſchema hic damus, declarant:



a) In Appendice ad *Pietat. Auſtr.* p. 9.

XXXII. Diem, & annum fatalem, quos lapis ſilet, Scriptores coævi tradunt: WOLFGANGUS de *Styra*, Prior olim *Mellicenſis* a) in fine ſui itinerarii, & HASELBACHIUS b) qui exequiis eius præſens adfuit, ſuamque hiſtoriam hoc anno clauſit, annum ſcilicet 1463. diem vero ſecundum *Decembris*. De die autem ſepulturæ, quorum ille feſtum S. NICOLAI, alter diem ſequentem aſſignat, haud conveniunt. At apud HASELBACHIUM aut memoriæ, aut librarii lapſum putamus. Nam non minus, ac ille, ſepulturam *quinto poſt die*, qui S. NICOLAO ſacer erat, ſuſceptam fuiſſe, dicit, feriæque, quas inſimul addit WOLFGANGUS, cum ſecundo, & ſexto *Decembris* eo anno accurate reſpondentes, argumento ſunt MS. haud facile corrupti. Cauſſam mortis ambo in hauſtum ab ipſo venenum reiiciunt, adſtipulantibus nonnullis aliis, pariter coævis. c) Negat tamen *Gerardus* de ROO. d) „ Mortem eius partim ultioni Divinæ (ait) par- „ tim veneno imputarunt, alii ob vitæ incontinentiam apoplexia „ percuſſum putavere. Veneni ſuſpicionem faciebant Medici, qui „ ſigna quædam in eius corpore deprehenſa eſſe, affirmabant, idque „ apud vulgus, ſemper in deteriorem partem magis pronum, obti- „ nuit. Sed quæſtione eius rei inſtituta, pharmacopœus quidam, „ & alii nonnulli, ob ſuſpicionem in carcere habiti, pro innocenti- „ bus abſoluti ſunt. „ Verum contradicerent ſane HASELBACHIUS, & WOLFGANGUS de *Styra*, ſi viverent; ut qui rei geſtæ circumſtantias adeo luculenter exponunt, ut temere reiici haud poſſe, videantur. Repetit eas etiam ille in epicedio, quod ſub exequiarum ſolemnia ſe concinnaſſe, teſtatur, cuius, quod cetera nihil ſingulare contineat, ac præterea longiuſculum ſit, hos duntaxat verſiculos exſcribere viſum eſt:

Rancor & tumor poſt hæc, & ſuo corpore clarent
Sanies & fœtor, ceu *venena petunt*,
- - - - - - -
Sunt laquei, ſunt inſidiæ, ſunt *toxica mortis*.

Faten-

TAB. XVI. Mortisque hiſtoria;

a) Ap. Cl. *Hier.* Pez. *rer. Auſtr.* tom. II. col. 456. a. „ Tranſeunte vero tempore (ait) anni eiusdem 1463. in ſecunda die menſis *Decembris*, quæ tunc fuit *feria ſexta*, audita Miſſa in Capella caſtri (*Vindobonenſis*) mane inter quintam, & ſextam horam, circa finem Miſſæ, Dux ALBERTUS ducitur de Miſſa, & in continenti ſubito moritur, ſine omni Sacramento. Induitur veſtimentis corpus mortuum, portatur ad capellam in caſtro, & reponitur ſuper lectum. Intumeſcit, & inflatur corpus, ſaniesque horrida, & fœtidiſſima effluit per nares, & os. Advocantur Medici, dicunt, corpus eſſe toxico lethali infectum. Solicita eſt ſoror eius (CATHARINA nempe, CAROLI, Marchionis *Badenſis* uxor, ut HASELBACHIUS, mox citandus, teſtatur) quæ fuit tunc *Wyennæ* in caſtro, ut exenteretur, & more Principum aromatibus condiatur. Prohibent hoc fieri Medici, ne multi exhalatione fœtoris, de corpore procedentis, intoxicentur, inficiantur, & inde moriantur. Iacet itaque corpus ita exanime uſque ad quintum diem, videlicet uſque in diem S. NICOLAI, quæ fuit tunc *feria tertia:* in qua ſolemni proceſſione omnium Ordinum, Presbyterorum ſæcularium, Univerſitatis, & populi civitatis, ad S. STEPHANUM deportatur, & in ſepulcro anteceſſorum ſuorum, Principum *Auſtriæ*, ſepelitur. „

b) Ibid. col. 981. d. ubi eadem, quanquam non iisdem verbis, refert.

c) Chronico *Mellicenſi* ibid. tom. I. ad an. 1464. col. 260. a. Anonymo *San-Petrin.* Chron. *Salisburg.* ibid. tom. II. col. 430. c. d. Anonym. item *Mellic.* in *brevi chron. Auſtr.* ib. col. 465. c. Anonym. *Rotenſ.* ibid. col. 468. c.

d) *Hiſt. Auſtral.* lib. VII. p. 280. edit. 1.

Tab. xvi. Fatendum tamen eſt, etiam STEINDELIUM, a) qui chronicon ſuum in anno 1508. finiit, de veneno ſubdubie loqui. „ Eodem anno „ (1463) ſecundo die, ait, menſis *Decembris* in caſtro *Wienn* obiit „ Archidux *Auſtriæ* ALBERTUS, - - ex toxico, uti fama univerſalis „ fuit, licet veritas comperi non potuit, & abominabiliter fuit in- „ flatus, cum diverſitate colorum quaſi iridis, proh dolor! ſine ſa- „ cris, neque eviſceratus, ſed ita ad S. STEPHANUM in ſepultura „ Ducum ſeorſim ſatis in terra profunde ſepultus.„ Verum ſi ve- neni notæ non aperte deprehenſæ ſunt, cur corpus exenterari time- tur, cur ſeorſim, ac in profunda adeo fovea conditur, & cur deni- que uſque ad MAXIMILIANI II. tempora nemo alius in eandem cryptam infertur?

a

Ac ætas. XXXIII. Ex his porro emendandi ſunt ARENPECKIUS b) coæ- vus, qui mortem eius ad annum quidem 1463. at in feriam ſex- tam ante THOMÆ Apoſtoli, id eſt, XVI. *Decembris* male reiicit: Anonymus *Mellicenſis*, ac *Tegerſeenſis*, mox laudati, qui diem con- tra ſecundam *Decembris* probe, at annum 1462. perperam aſſignant. Eum anno ætatis quinto, & quadrageſimo periiſſe, GUILLIMAN- NUS, ac genealogia *Wittebergenſis* cum *Gerardo* de ROO teſtantur.

b

Aliæ non- nullæ re- liquiæ. XXXIV. Luſtrata hunc in modum crypta, nec tamen deſideria noſtra omni ex parte explente, eandem, quod nihil in nobis deſide- rari poſſe videretur, ſub XII. Kal. *Iunii* denuo repetere ſtatuimus. Itaque hora poſt meridiem prima terram, quæ inveniendi funeris in- dicium fecerat, uſque eo effodiunt, dum ad ſolidum undequaque ſolum, ſeptem pedum altitudinis, pertingerent. Verum totius operæ pretium paucæ adhuc fuerunt reliquiæ, putris nempe ligni, ſive collapſi loculi fruſta; deinde duo laminæ plumbeæ fragmenta, duos, & ſemis pollices lata, & ad quatuor longa, nullis tamen lit- teris inſignita; quin iis potius lignum, putredine reſolutum, tan- quam gluten inhæreſcens, indicium præbuerat, eam laminam, cete- rarum inſtar, crucis forma capulo ligneo fuiſſe affixam. Poſtremo O- rientem verſus duas coxas, ſeu iſchia protrahebant, cum nonnullis oſſibus, plantæ pedis, & digitorum articulis. Comparatæ, & compo- ſitæ hæ coxæ cum reliquis ALBERTI oſſibus, ad totius ſceleti com- pagem recte coibant; cum igitur ultra inveniretur nihil, foveam aggere iterum expleri curantes, architecto etiam, tum præſenti, auctores fuimus, locum in modum reliqui pavimenti abacis ſaxeis ſternendi, ut ne poſteritatem opinio maneret, hoc ſub tumulo quod- dam condi funus: deinde & reliquias ALBERTI capulo minori ligneo cohibendi, quod utrumque ſe executurum adpromiſit.

Ordo fu- nerum chrono- logicus. XXXV. Supereſt modo, ut funera, promiſcuo, ac obvio ordine hucuſque recenſita, ad ordinem nunc temporis redacta, Lectori ve- lut ſub uno obtutu conſpicienda præbeamus.

I. FRI-

a) Ap. Cl. OEFELIUM *rer. Boicar. Scriptor.* tom. I. p. 538. col. a.

b) Col. 984. c. d.

1. FRIDERICUS, ALBERTI II. filius † 1362. X. *Dec.* ætat. XV. cum dimidio §. XVII. ſeq. TAB. XVI.

2. RUDOLPHUS IV. natus I. *Nov.* 1329. † 1365. XXVII. *Iul.* §. X. ſeq. & cap. præced. §. II.

3. ELISABETHA, LEOPOLDI III. filia † 1392. ætatis circiter XIII. §. XXIII.

4. CATHARINA, uxor RUDOLPHI IV. nata 1342. † 1395. XXVI. *April.* §. XIX.

5. ALBERTUS III. *cum trica*, natus 1349. vel 50. † 1395. XXIX. *Aug.* §. VI. & VII.

6. ALBERTUS IV. *Mirabilia mundi*, nat. 1377. XXI. *Sept.* † XIV. eiusd. 1404. §. VIII. & IX.

7. WILHELMUS, natus circa an. 1370. † XV. *Iul.* 1406. §. XII. ſeq.

8. IOANNA, uxor ALBERTI IV. † XV. *Nov.* 1410. §. XXII.

9. LEDPOLDUS IV. *Craſſus*, nat. 1371. † III. *Iun.* 1411. §. XXV.

10. BEATRIX, ALBERTI III. ux. ſecunda. † X. *Iun.* 1414. plena dierum. §. XX.

11. GEORGIUS, filius ALBERTI V. nat. 1431. † XVI. *Febr.* 1435. §. V.

12. ALBERTUS VI. *Prodigus*. † ſecundo *Dec.* 1463. ætat. 45. §. XXXI. ſeqq.

13. FERDINANDUS, MAXIMIL. II. Imp. fil. nat. XXVIII. *Mart.* 1551. † XXV. *Iun.* 1552. §. XXVIII.

14. MARIA, eiusd. MAXIMILIANI filia, hoc nomine II. nat. XIX. *Febr.* 1564. † XVI. *Mart.* eiusd. anni. §. XXIX.

15. CAROLUS eiusd. MAXIMIL. fil. nat. XXVII. *Sept.* 1565. † XXIII. *Maii* 1566. §. XXVII. Hiſce accedunt alibi ſepulti:

16. IOANNA, ux. WILHELMI. † ſecundo *Febr.* 1435. *Neapoli* humata. §. XIV. ſeq.

17. MARIA I. MAXIMILIANI II. Imp. fil. nata XXVII. *Iul.* 1555. † 1556. XXV. *Iul. Lincii* ſepulta. §. XXX.

De urnis extorum & cordium, in eadem hac crypta repertorum, ac ſucceſſu temporis huc depoſitorum, eorumque inſcriptionibus, ſingulari diſſertatione, ut iam monuimus, ex inſtituto acturi ſumus. Supereſt modo, ut de reſtauratione auguſti huius dormitorii pauca dicamus.

CAPUT IV.

CONSPECTUS EIUSDEM CRYPTÆ, AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS MARIÆ THERESIÆ IUSSU, ANNO MDCCLIV. RESTITUTÆ.

§. I.

Origo cryptæ novæ, ad D. STEPHANI *Vindobonæ.*

Singularis illa erga maiorum manes pietas, & quaſi domeſtica, ac innata Principum *Auſtriæ* religio, quas virtutes Aug. Imperatrix MARIA THERESIA recens opere exercuit, novum de hac, qua de hactenus egimus, ſepulcrali crypta ad S. STEPHANUM, ſcribendi nobis argumentum attulerunt. Hæc quippe illam ampliandi, exornandique ſtudio accenſa, anno 1754. iuſſa dedit, eandem reſtaurandi. Negotium datum fuit Nobili Domino a DIER, ſacri ærarii Præfecto, qui, ut ab amico noſtro, *Cl.* SCHWANDNERO, per litteras edocti ſumus, die 6. *Iulii*, mane præſentibus duobus clericis, ſuperpelliceis, ut vocant, indutis, totidemque doryphoris, & architecto *Salomone* KLEINERO, rei initium fecit. Huius viri præſentia operi huic tanto utilior, atque acceptior fuerat, quod primæ cryptæ veteris luſtrationi, a nobis, ut diximus, anno 1739. ſuſceptæ, idem interfuerit, deſignationesque, ut hac in re inter paucos verſatiſſimus, confecerit omnes; quarum ope ſecundis deinde inveſtigatoribus, capulos ſingulorum, & quidquid, ad iuſſa Auguſtæ rite exequenda neceſſum erat, quaſi digito demonſtrare poterat.

Luſtratio cryptæ cœpta,

II. Primo itaque ſingula funera cum ſuis cineribus, a prædictis clericis, novis involuta linteaminibus, in recens confectos ex robore loculos funereos collocata fuerunt, addita unicuique ſchedula, nomine defuncti inſcripta, ac tænia ſerica nigri coloris munita, quam laudatus DIERIUS ſuo obſignavit ſigillo. His ita peractis, doryphori ſingula ex emortuali crypta veteri in templum aſportata, inde una cum urnis extorum, & cordium, in ſacellum S. CATHARINÆ depoſuerunt, ibi conſervanda ad tempus.

Novis operibus ampliata,

III. Effluxis aliquot diebus, & expurgata interim veteri crypta, eo in loco, ubi RUDOLPHI IV. ut diximus, inſignia conſpicua erant, murus, aram maiorem verſus, perforatus, ibidemque fornix ovatus, 20. pedum, & ſemis longitudine, 17. pedum latitudine, & undecim cum duobus digitis altitudine conditus eſt: cui clathratus adhæret meatus, 30. pedes longus, cœmeterium S. STEPHANI verſus, cum ſpiramento ex binis feneſtris, luci immittendæ quoque deſtinatis. Hæc omnia, & ſingula ex ichnographia cryptæ cum veteris, tum novæ, quam adiectæ tabulæ XVII. ſub num. III. æri incidi curavimus, perſpicua redduntur. Ex eadem porro tabula num. I. & II. facile intelliges, qua ratione nova hæc crypta pavimento, & loricis, ac cymatiis fuerit inſtructa, atque ornata: in his vero urnæ

TAB. XVII.

ex-

extorum, & cordium, quæ antea humi ſtrata ſordeſcebant, quam ſcitæ ſint diſpoſitæ: quin & numerum, & nomenclaturam funerum, nec non extorum, & cordium, de quibus alibi, adſcribi iuſſimus; ut uno quaſi aſpectu integram recens factam cryptæ faciem intueri poſſis. TAB. XVII.

IV. Hoc interim ſpatio, quo iuſſu aulæ ſingulis funeribus ſolia ex cupro confecta fuerant, redibant doryphori aulici, qui funereos loculos ligneos, nec non urnas extorum, & cordium, ex ſacello S. CATHARINÆ in cryptam reportatos, dictis arcis cupreis, iam antea ordine ſuo diſpoſitis, indiderunt: urnis vero loricis ſuperimpoſitis. Illuxit dein dies 18. *Martii* 1755. quo Archiepiſcopus *Wiennenſis* ſolemni ritu novam hanc cryptam conſecravit, in ea ſacrum peragens, præſente Auguſtiſſima Imperatrice. Et ſolemni ritu conſecrata fuit.

V. Nova illa, de quibus diximus, ſolia cuprea, ſect. I. & II. litteris A. C. D. E. F. G. H. I. notata, ſex fere pedes ſunt porrecta: illlud vero RUDOLPHI fundatoris, ſub lit. B. ſeptem ferme pedes æquat, ceterisque altius eſt, ampliusque, reliqua (litteris K. L. & M. diſtincta,) longitudini funerum aptata ſunt. Quodlibet eorum, in lateribus longioribus, duobus leonum capitibus, & annulis ex cupro inſtructum eſt: opercula vero ſingula ex ſtanno fuſa, CHRISTI, cruci affixi, imaginem referunt, cui ſubſtratus pileus Archiducalis, & in imo cernitur parmula, novo inſcripta epitaphio. Schema huiusmodi operculi reperies in tabula noſtra num. IV. Novæ ſandapilæ deſcribuntur.

VI. In recenſendis novis hiſce ſoliis ordinem ſequimur, non ſecundum hodiernum eorum ſitum, qui arbitrarius eſt, ſed chronologicum, illumque in tabula noſtra ſiglis diſtinctum. Præmonendum præterea, ſolia cuprea non niſi ſeptem, litt. nimirum A. B. C. D. E. F. & H. ſignata, in crypta maiori conſiſtere, reliqua vero quinque, ſiglis G. I. K. L. M. inſcripta, in minori collocata eſſe: in altera quoque abſide, num II. tumbas D. & A. ſectione prima iam indicatas, repetendas fuiſſe, ut pars anterior cum poſtica coniuncta, totius cryptæ conſpectum præberet. Ut ichnographia luculentius oſtendit. Eſt & illud ſingulare, RUDOLPHI IV. ſandapilam non, ut ceteræ, ſolo incumbere artefacto, ſed impoſitam eſſe marmori, vetuſtius eius epitaphium referenti, quod anno 1754. in veteri crypta, ſubtus loculo eiusdem Ducis funebri, repertum fuerat, de quo capite priori p. 172. §. III. a nobis facta eſt mentio: ceterum ſitus huius tumuli ſchemate expreſſus eſt in tabula ſect. I. lit. B. Eorum ordo, & locatio.

VII. Iam ad epitaphia, Ducum loculis recens in duabus hiſce cryptis inciſa, nos conferamus. Ordimur a crypta nova maiori, progreſſuri inde ad veterem minorem, ceterasque inſcriptiones, ordine alphabeti. Epitaphia funeribus recens poſita, in nova crypta maiori.

Tab.xvii.

Lit. A.

FRIDERICVS
DVX AVSTRIAE
ALBERTI II.
DVC. AVST. FILIVS
OB. MCCCLXII.
AET. XV. ANN.

Lit. B.

RVDOLPHVS IV.
FVNDATOR
DVX AVSTRIAE
ETC. ALBERTI II.
DVC. AVSTR. FILIVS
OB. MCCCLXV.
AET. XXV. AN̄.

Lit. C.

CATHARINA
CAROLI IV. IMP.
FILIA ET RVDOL-
PHI IV. D. AV. VXOR
O. MCCCXCV.
AET. LIII. AN̄.

Lit. D.

ALBERTUS III.
DUX AUSTRIAE
ETC. ALBERTI II.
DUC. AUST. FILIUS
OB. MCCCXCV.
AET. XLVI. AN̄.

Lit. E.

ALBERTUS IV.
DUX AUSTRIAE
ETC. ALBERTI III.
DUC. AUST. FILIUS
OB. MCCCCIV.
AET. XXIX. ANN.

Lit. F.

WILHELMUS
DUX AUSTRIAE
LEOPOLDI
DUC. AUST. FILIUS
OB. MCCCCVI.
AET. XXXVI. ANN.

Lit. H.

GEORGIUS
DUX AUSTRIAE
ALBERTI V.
DUC. AUST. FILIUS
O. MCCCCXXXV.
AET. X. ANN.

In crypta minori veteri.

VIII. In crypta veteri, minori illa, depoſita iterum ſunt ſolia, ut diximus, quinque, LEOPOLDI ſcilicet IV. ac ALBERTI VI. nec non trium MAXIMILIANI II. Imperatoris prolium. Loculorum formam §. V. cum reliquis iam recenſuimus, inſcriptiones vero novæ ſic ſonant:

Lit. G.

LEOPOLDUS
DUX AUSTRIAE
ETC. LEOPOLDI
DUC. AUST. FILIUS
OB. MCCCCXI.
AET. XL. ANN.

Lit. I.

ALBERTUS VI.
DUX AUSTRIAE
ETC. ERNESTI
DUC. AUST. FILIUS
O. MCCCCLXIII.
AET. XLV. ANN.

Vetus,

Vetus, ac pulverulentum ALBERTI VI. epitaphium, lapidi quon- TAB. XVII.
dam inciſum, ac a nobis ſupra capite III. §. XXXI. pag. 194. pro-
ductum, quod neglectum antea in veteri crypta iacebat, iam muro
ibidem ad caput Ducis immiſſum fuit: uti videre eſt in tabulæ æneæ
ſectione II. in medio. Solia tria cuprea minora, Litteris K. L. M.
notata, cineres, ut diximus, liberorum MAXIMILIANI II. Aug.
continentia, inſcriptiones veteres retinuerunt, quas, ſupra dicto
cap. III. §§. XXVII. XXVIII. & XXIX. iam recenſitas, hic repetere,
ſupervacaneum viſum nobis eſt. Ad epitaphium vero FERDINAN-
DI Archid. §. XXVIII. loco mox citato productum, addi meretur,
MAXIMILIANUM II. Imperatorem, licet, SCHARDIO a) teſte, vige- a
ſimo primum *Septembris* anni 1562. ſolemni ritu in Regem *Bohemiæ*,
Pragæ coronatus fuerit, decennio tamen antea, nempe 1552. quo
filius eius prædictus mortuus eſt, titulo *Regis Bohemiæ* merito mac-
ri; quippe quod vi pactorum matrimonialium, de quibus alibi egi-
mus b) die XXVI. *Aprilis* 1448. initorum, conventum ſit, ut MA- b
XIMILIANUS titulo *Regis Bohemiæ* abinde uti poſſit, adminiſtratio-
ni tamen, vivente patre, ſe non immiſceat directe, nec indirecte.
Verba contractus pro opportunitate Lectoris, huc adſcribere iuvat,
quæ ſic habent: „ Præterea quo ſereniſſima Domina MARIA, Infans
„ prædicta, ſecundum familiæ, ex qua progenita eſt, ſplendorem,
„ gloria & amplitudine aliqua convenienti in hoc matrimonio con-
„ decoretur, idem ſereniſſimus Rex contemplatione huius matri-
„ monii conſentit, ut præfatus ſereniſſimus MAXIMILIANUS Ar-
„ chidux, ac eius conthoralis, ſereniſſima Domina MARIA, Infans
„ prædicta, in Regem; & Reginam *Bohemiæ* coronentur, ac dicti
„ Regni, & dependentium inde Ducatuum, & dominiorum titulo
„ decorentur, - - addita tamen hac lege, & conditione, quod præ-
„ fatus ſereniſſimus MAXIMILIANUS Archidux adminiſtrationi Re-
„ gni *Bohemiæ*, ac inde dependentium dominiorum, vivente Rege,
„ patre ſuo, ſe non immiſcebit directe, vel per indirectum, niſi
„ quatenus illi præfatus ſereniſſimus Rex permiſerit, & de eius ex-
„ preſſo conſenſu, ſub pœnis, quæ continentur in obligationis lit-
„ teris, ab eo datis. - - Et quo certius ſereniſſimo Regi hic ſit cau-
„ tum, præfatus ſereniſſimus Imperator ſuo, ac ſereniſſimi, & Illu-
„ ſtriſſimi filii ſui, Domini PHILIPPI, *Hiſpaniarum* Principis, no-
„ mine promittit, ſe bona fide curaturos, operamque daturos, ut
„ inconcuſſe - - hæ conditiones, aſſumptioni tituli *Bohemiæ Regis*
„ appo-

a) Epitome rerum geſtar. ſub FERDINANDO I. Imp. tom. III. pag. 2183. ubi ad an. 1562. ſic: „ Menſis Decembris viceſimo die MA-
„ XIMILIANUS, FERDINANDI Imperatoris
„ filius, Rex *Bohemiæ*, Pragæ in præſentia
„ patris FERDINANDI, duorum fratrum,
„ Ducis *Bavariæ*, ALBERTI, aliorumque
„ multorum Principum coronatur, ac ab
„ Archiepiſcopo *Pragenſi* ungitur, enſe re-
„ gali cingitur, annulo ornatur, ſceptro
„ donatur, pomo aureo honeſtatur. Se-
„ quenti vero die - - non minori ſolemni-
„ tate coniux eius MARIA Regina conſecra-
„ tur, atque ungitur. „

b) Vid. Pinacothecæ noſtræ Auctar. diplomat. Vol. I. num. LXXIV. p. 87.

Tab. XVII. „ appoſitæ, - - obſerventur. „ Litteras has MAXIMILIANI II. obligatorias XXV. *Aprilis*, 1448. ſicut & CAROLI V. Imp. ac filii eius, PHILIPPI II. *Hiſp.* poſtea Regis, aſſertorias, II. *Maii* an. 1549. obſignatas in auctorio diplomatum, tomi huius volumine ſecundo, ſuo loco, inſertas daturi ſumus.

Binæ inſcriptiones lapidibus inſculptæ.

IX. Ad extremum binæ inſcriptiones, in novæ cryptæ parte interiori lapidibus inciſæ, ac muro immiſſæ, quarum ſpeciem tabula ænea ſectione I. exhibemus, proferendæ ſunt. Illa, quæ a ſiniſtris eſt, inſignia continet Ducis RUDOLPHI IV. interpoſita crucis figura, quam ſupra, dicto cap. III. §. III. p. 177. ſeq. vidimus. A dextris vero comparet aquila Imperialis coronata, pectore gerens ſcutum, regnorum ac provinciarum, Domus *Auſtriacæ* ſymbola referens, impoſita regia corona, ac ſequenti inſcriptione ſubiecta:

D. O. M.

MARIA. THERESIA. AUGUSTA. RELIGIOSISSIMA. ARTIMISIA. CHRISTIANA.
QUÆ. SUB. IMMENSO. RERUM. PONDERE. INDEFESSA. VIRTUTE. VIVOS. BENEFICIIS. ORNAT.
ET. MORTUOS. PIIS. OPERIBUS. CORONAT.
SACRAM. HANC. CRYPTAM. A. RUDOLPHO. IV. FUNDATORE. EXSTRUCTAM.
AMPLIATIS. DECORATIONIBUS. INSTAURAVIT. AN. CHR. MDCCLIV.

ADMINISTRATIONE. CAROLI. IOSEPHI. NOBILIS. DOMINI. A. DIEB.
CONSILIARII. CÆSAREO-REGII. ACTUALIS. AULICI.
ET. SACRI. ÆRARII. PRÆFECTI.

CAPUT V.

DE SEPULTURIS CATHARINÆ, ET MARGARITHÆ, FILIARUM ALBERTI II. NEC NON VIRIDÆ, UXORIS LEOPOLDI III. COGNOMENTO PROBI.

§. I.

Catharina Monialis. †1381.

CATHARINAM, ALBERTO II. Duci *Auſtriæ*, an. 1342. natam, & ante annum 1365. Principem exutam, in cœnobio S. CLARÆ, intra muros *Vindobonenſes*, ſacrum ſuſcepiſſe velamen, ac ibidem IV. Id. *Ian.* 1381. pie defunctam, ac ſepulturæ traditam fuiſſe, partim ex coniecturis, at firmis illis, atque validis, partim certis ex monumentis, præſertim quoad hoc ultimum, docet Cl. STEYERERUS. a) Lapis ſepulcralis, ante medium aræ maioris in prædicto D. CLARÆ templo viſendus, eidem vulgata traditione, quamvis in eodem nomen eius haud legatur, attribuitur. Inſcriptio, litteris antiquis, hæc eſt:

a

CERNITVR. HVMATVM. CORPVS. HIC. MATRIS. HONESTE.
PRO. QVA. SVBTRACTA. FLEMVS. SVB. PECTORE. MESTE.

II.

a) *Commentar. pro hiſtor.* ALBERTI II. cap VI. pag. 28. & in *addit.* col. 577. ſeqq.

II. *Brunæ*, nobili, ac præcipua *Moraviæ* urbe, ad S. THOMAM, apud *Auguſtinianos*, ſub altari ſupremo, ſepulta iacet MARGARITHA, ALBERTI II. *Sapientis* filia. Hæc anno 1346. in hanc lucem edita, anno 1359. MAINHARDO V. Comiti *Tyrolis*, & *Goritiæ*, hocque anno 1363. die XIII. *Ian.* e vivis abeunte, IOANNI HENRICO, Marchioni *Moraviæ* iuncta, vitam anno 1366. die XIV. *Ian.* clauſit, ut hæc ſingula iterum idoneis ex monumentis evincit laudatus STEYERERUS. a) Sepulturam ibi ideo ſibi elegiſſe, videtur, quod ad condendum monaſterium illud multa contulerit. MARGARITHA, *Brunæ* ſepulta † 1366. a

III. In *Carniola*, quatuor milliaribus *Labaco*, prope oppidum *Weixelburg*, Abbatia inſtituti *Ciſtercienſis* floret, anno 1135. vivente etiamnum S. BERNARDO, a PEREGRINO, Patriarcha *Aquileienſi*, fundata, *Sitticium*, Germanis *Sittich*, nomine. Fundationis litteræ anno primum 1156. datæ ſunt, VALVASORE b) teſte. Huc ſe VIRIDIS, ſeu VIRIDA, BARNABONIS, ſeu BARNABÆ, Vice-Comitis *Mediolanenſis*, filia, accepto mariti ſui, LEOPOLDI *Probi*, infelici ad *Sempachium* caſu, mœſta, & afflicta nimium, ſeſe contulit, ut in eius vicinia reliquum traduceret vitæ: ubi cum animam tandem reddidiſſet Creatori, in templo eiusdem monaſterii ad dextrum ſummi altaris latus terræ concredita fuit. VIRIDIS, *Sittici* in *Carniola* humata. b

IV. Verum, laudato VALVASORE c) docente, in dicto templo nullum amplius eius ſepulcri veſtigium ſupereſt. Cum enim tumuli, & lapides ſepulcrales, ob nimiam copiam, incommodum afferrent, murusque monaſterio circumdandus iam olim eſſet: petita, ac obtenta a MAXIMILIANO I. Imp. (cuius codicilli, eius rei cauſſa conſcripti, ac ad D. WILHELMUM de *Aursberg* an. 1497. dati, in tabulario eiusdem Abbatiæ adhucdum ſervantur) facultate, effoſſi, ac remoti ſunt. Ab eo itaque tempore nulla eiusmodi monumenta occurrunt, præter pauca admodum, ab inſtituto noſtro aliena. Quanquam ibi nullum iam extet monumentum. c

V. Idem VALVASOR d) exceſſum Principis circa annum 1424. reponit, quin alibi catalogum benefactorum, ex tabulario monaſterii contexens, eandem inter benefactores eiusdem anni adhuc collocat. At veremur, ut inſtrumentum illud recte lectum, & intellectum fuerit, atque adeo loco 24. ſubſtituendus ſit numerus 14. qua in re facilis utique fuit lapſus. Nobis certe diploma ERNESTI *Ferrei*, Ducis *Auſtriæ*, ſuppetit, eodem hoc anno 1414. die vero *Dominica Oculi* i. e. XI. *Martii* ſignatum, ubi eiusdem tanquam iam iam fatis functæ, mentio ingeritur. Putamus itaque, VIRIDEM paullo ante obitum beneficia quædam contuliſſe monaſterio, dicto inſtru- Eius ætas. d

a) Ibid. *Commentar.* cap. VIII. p. 28. & in *addit.* a col. 615. ad 650. Add. Illuſtriſſ. CRONBERG. *Tentam.* de rebus *Goritiæ* p. 171. ſeqq.

b) *Topographiſch-hiſtor-beſchreibung des Herzogth.* CRAIN P. II. lib. VIII. ſect. IV. pag. 694. nec non R. P. GRANELLII *Germ. Auſtr.* Ducat. *Carniol* p. 87.

c) Ibid. P. III. lib. XI. p. 531.

d) Cit. P. II. lib. VIII. pag. 699.

inſtrumento, an. 1414. non 1424. ut VALVASOR legit, roborata, atque adeo hunc annum 1414. ſaltem attigiſſe. Cum igitur LEOPOLDUS, quod tomo priori a) docuimus, an. 1366. annum ætatis XVI. ingreſſus, eam matrimonio ſibi copularit, alias autem utplurimum par pari nubere ſoleat, conſequens eſt, ut ſexagenaria nonnihil maior obierit.

a

Filiæ LEOPOLDI *Probi* ſuppoſititiæ.

VI. LEOPOLDO *Probo* præter ELISABETHAM, a nobis ſupra recenſitam, duæ a nonnullis tribuuntur filiæ aliæ, ex VIRIDE ſuſceptæ, de quibus nos, idoneis argumentis deſtituti, afferti nihil afferre, poſſumus. REBDORFIUS, b) cuius alii veſtigia legerunt, id inſinuare videtur, quando ad an. 1358. ait: „ Eodem menſe „ (*Iulio*) obiit ALBERTUS (*Contractus*) Dux *Auſtriæ*, cuius *Filii* „ filiam iuniorem paullo ante duxit MAINHARDUS, filius Duciſſæ „ *Carinthiæ* & LUDOVICI, Marchionis *Brandenburgenſis*, Ducis „ *Carinthiæ* neptem in quarto gradu - - & ſolemnes nuptiæ in *Pa*- „ *tavia* celebratæ fuerunt. „ Verum cum LEOPOLDUS anno 1351. natus ſit, nuptiasque anno primum 1366. inierit: nemo non videt, MARGARETHAM, eiusdem ALBERTI *Contracti* filiam, de qua hic paullo ſupra, intelligendam eſſe, atque adeo vocabulum *filii* abundare. Quare hæc e tabulis genealogicis Ducum *Auſtriæ* expungenda eſt. Eodem loco habemus CATHARINAM, quam CONRADI, Burggravii *Magdeburgici*, qui inſimul Comes *Harticenſis* in *Auſtria* fuerit, uxorem, poſt LEQUILEUM, & LAZIUM, GANSIUS c) facit. At apud reliquos altum de ea ſilentium, nec hi ſcriptores tanti ſunt, ut aſſenſum nobis extorqueant. Maior ſane fides habenda *Vito* ARENPECKIO, d) Anonymo *Carthuſiano Gemnicenſi* e) Scriptoribus coævis, nec non brevi chronico *Stamſenſi*, f) qui omnes LEOPOLDO unicam adſcribunt filiam, ELISABETHAM nomine.

b c d e f

CAPUT VI.

STAMSENSE, SEU STIRPINENSE IN TYROLI SEPULCRETUM

§. I.

Abbatiæ *Stamſenſis* in *Tyroli* primordia.

FRIDERICUS IV. LEOPOLDI III. filius, cognomento cum *vacua pera*, nec non, & reſpectu FRIDERICI *Placidi*, *ſenior* dictus, Dux *Auſtriæ*, Comesque *Tyrolis*, ſibi, ſuisque locum ſepulturæ

a) P. II. p. 105. ſeq.
b) Ap. FREHER. *rer. Germ.* tom. I. pag. 642.
c) In Arboret. p. 7.
d) Ap. *Hier.* PEZ. *rer. Auſtr.* tom. I. col. 1274. b. „ Sæpe dictus Senior Dux LEOPOLDUS „ quatuor reliquit filios (ait) WILHEL- „ MUM, LEOPOLDUM *Craſſum*, ERNESTUM, „ & FRIDERICUM, ac unam Domicellam „ ELIZABETH, quæ & ipſa obiit in *Marck*- „ *during*, & ſepulta eſt *Viennæ* anno „ CHRISTI 1391. in die IOANNIS BAPTI- „ STÆ. „ HASELBACHIUS, hic ſupra pag. 190. adductus, annum mortis eius 1392. aſſignat. Pariter is coævus eſt, nec adeo facile decernere poſſumus, cuinam fidendum. In alterutro loco errorem librarii irrepſiſſe, ſuſpicamur.
e) Ibid. tom. II. col. 380. a.
f) Ibid. col. 459. b. ubi eadem, quæ ARENPECKIUS ait, repetit.

turæ delegit ſuo in dominio, & quidem in monaſterio *Stamſenſi*, ſeu *Stirpinenſi*, Ordinis *Ciſtercienſis*, ad tertium procul *Oeniponte* lapidem ſitum. Conditum accepimus a MAINHARDO IV. Comite *Goritiæ*, & *Tyrolis*, ac ELISABETHA coniuge anno 1273. a) ſolemni conſecratione anno primum 1284. defuncta iam ELISABETHA, a ſeptem Epiſcopis ſuſcepta. In huius Abbatiæ templo quatuor inveniuntur ſepulcreta, ſeu cryptæ ſeparatæ. Ex his una præſertim ſingularem a nobis curam poſtulat, Ducum, Archiducumque *Auſtriæ* plura continens corpora. Cum vero reliqua tria monumenta etiam obſervatione quadam digna videantur, de his quoque non nihil exponemus, templi inſimul ichnographiam, cryptarumque conſpectum exhibituri. a

II. Ingredientibus eccleſiam ſtatim in medio navis ædicula occurrit ſacra, quam *capellam mortuorum* vocant, quatuordecim pedes porrecta, tredecim, & duas tertias lata. E ligno funditus exſtructa eſt, reliquo templi pavimento, lapidibus ſtrato, ſeptem, & ſemis pedes depreſſior. Sex columnis exornatur, quas inter totidem ſtatuæ ligneæ inauratæ, quinque, & ſemis pedes altæ, ſibique utrinque adverſæ, conſiſtunt, de quibus nos tomo ſuperiori b) diſſeruimus. Præterea propius oſtium quatuor minora conſpiciuntur ſigna, de quorum nominibus haud conſtat. Ducebat olim idem oſtium per gradus lapideos in ſubterraneum iſthoc ſacrarium ſacerdotes, ſacrum ibi facturos, ſed nunc gradus illi grandi ſaxo tecti, oſtiumque muro obſtructum eſt. Ex adverſo oſtii altare ſpectatur, cuius tabula, e ligno exſculpta, argumentum exhibet RUDOLPHI I. *Rom.* Regis, Divinam in venatu hoſtiam adorantis. Supra altare erecta eſt inſignis CHRISTI, e cruce pendentis, imago inaurata, appoſitis hinc inde Beatiſſ. V. MARIÆ, & S. IOANNIS *Evangeliſtæ* ſimulacris. Ad latera aræ duæ itidem occurrunt ſtatuæ maiores, ligneo-inauratæ, MAINHARDUM IV. Comitem *Tyrolis*, & filium eius HENRICUM, Regem *Bohemiæ*, repræſentantes. Ædicula ibi ſacra deſcribitur. TAB. XVIII. b

III. Poſt harum utramque oſtiola ſunt, pedes ſingula quatuor, & novem digitos alta, per quæ binis utrinque gradibus deſcenditur in cryptam, lapideis fornicibus vinctam, altam pedes ſex, digitos quinque, longam duodecim pedes, & ſeptem pollices, totidemque pollices, & novem pedes latam. In hac ſupra aggerem, ad ſpeciem fere foci coquinarii, pedem unum, & pollices ſeptem alti, ad arcendos humores humo excitatum, ſtant varia magnitudine ſex capuli, qui, quamvis inſcriptionibus nullis exarati, pars tamen *Auſtriacis* inſignibus diſtincti ſunt. Nec dubium, quin funera omnia, inſignibus etiam deſtituta, ad *Auſtriacos* pertineant; quanquam & RUDOLPHUS, *Anhaltinus* Princeps in hanc ipſam cryptam conceſſerit; Pone illam cryptā eſt ſepulcralis Archiducum *Auſtriæ*.

a) Ibid. col. 457. a. *Vitus* ARENPECKIUS l. c. b) P. II. lib. I. cap. XII. p. 116-118. col. 1233. b.

TAB. XVIII. rit; hunc enim alio deinde translatum fuiſſe, poſtea dicemus. Quandoquidem teſte PAULO, Abbate huius monaſterii in chron. MS. eadem hæc crypta a FRIDERICO, cum *vacua pera* dicto, condita, ſibique, ac duabus uxoribus ſuis, cum antiquior illa funeribus repleta eſſet, poſterisque deſtinata fuerit. His igitur apertis, ſequentia invenimus.

Recenſus capulorum, ibi repertorum. *Num.* 1. IV. Primus capulus æneus, amplus admodum, operculo, manubriis, & clavis munitus erat. Intus cernebantur in calce ſtrata, tota calvaria, oſſa humerorum, & minora alia. Illis mediis incumbebat ligneum crucis ſignum, ſesqui tertios pedes longum, quod olim ligneo interiori loculo ſuperpoſitum, eo ſuccidiſſe, intelligitur. Reperiebantur porro ad alterum capuli latus, integra duo crura, & oſſa pedum, naturali ſitu compoſita, perinde, ac ſi ſuo nondum loco dimota fuiſſent. Unde indicium ſumebatur, duo olim funera in magno hoc æneo capulo ſimul recondita fuiſſe. Erat enim arca longa quinque pedes, ac decem, & ſemis digitos, lata ſeſquitertios.

Num. 2. Proximus æneo huic capulo ligneus alius adſtat, longus ſex pedes, & tres pollices, pedesque duos, ac ſex pollices latus. Huius operculum prorſus concidit, ſolis lignis lateralibus aliquatenus integris: ſed in eo duæ calvariæ, cum magna oſſium, confuſe iacentium, copia. Altera harum calvarum caſſide, & corona radiata tegebatur. Ceterum quamvis indumenta admodum corrupta eſſent, patebat tamen, ex heteromallo ſerico, rubro, punico, & nigro conſtitiſſe.

Num. 3. Minor alius loculus æneus erat, longus pedes duos, ac ſeptem, & ſemis digitos latus, manubriis inſtructus. In operculo ſignum crucis, nec non inſignia cernebantur *Auſtriaca*, ad latera etiam utrinque repetita. In hoc loculo alius ex ligno continetur, in eoque oſſa parva, calce obruta.

Num. 4. Loculus eſt ligneus, quatuor pedes, & decem pollices longus, cuius lateraria ligna adhuc integra, operculo autem, cum tolleretur, maximam partem dilapſo. Intrinſecus calvaria, cum aliis non admodum ſpectatæ magnitudinis oſſibus, calce perfuſa eſt.

Num. 5. Parvus loculus æneus cum duobus manubriis, longus pedes duos, digitos ſex. In operculo erat ſignum S. Crucis, ſubtusque illud parmula *Auſtriaca:* at in calce oſſa parvula, parum rite compoſita.

Num. 6. Parvus item loculus ex ære *Cyprio*, tres pedes, totidemque digitos longus, ſine inſcriptione, & inſignibus. Is ita clavis firmatus erat, ut, niſi gravi detrimento, effringi nequiſſet. Ceterum circa podium, cui ſuperadſtant capuli, circuitus eſt, latitudine unius pedis, ut ita liceat circumire.

V.

V. Hoc ſitu confuſo, ac lacrymabili, funera *Auſtriacorum* Principum, in hac crypta conditorum, reperimus; quando bello *Schmalcadico*, laudato PAULO Abbate narrante, *Proteſtantes*, monaſterium illud diripientes, ac vel ipſis mortuis haud parcentes, apertis, ſpe prædæ, ſubverſisque maximam partem loculis, ordinem turbarunt, atque ita diminuerunt, ut eorum iam non niſi ſex, in quorum tamen duobus funera coniuncta reperimus, ſuperſint. At bene tamen actum, quod Auguſta eorum nomina, litteris conſignata, inter eiusdem Abbatiæ monumenta aſſervata ſint, nec etiam Scriptores eius ætatis præterierint, quorum ope nunc numerum omnium, hic depoſitorum, inibimus. TAB. XVIII. Cauſſa turbati in hac crypta ordinis loculorum.

VI. Omnium itaque inter adultos prima erat ELISABETHA, RUPERTI *Palatini*, poſtea *Rom.* Regis filia, ac FRIDERICI Ducis, cum *vacua pera* dicti, uxor prior. Hanc *Oeniponte* die S. SILVESTRO ſacra, i. e. ultimo *Decembris*, anno 1409. ex partu obiiſſe, teſtatur GUILLIMANNUS, qui & addit, eidem præceſſiſſe cognominem ſibi filiam, in feſto ſanctorum *Innocentium* XXVIII. menſis eiusdem, cum pridie eius diei eodem infelici partu edita fuiſſet. GUILLIMANNO reſpondet *Vitus* ARENPECKIUS, a) utramque in hac *Stirpinenſi* crypta humatam eſſe, aſſerens: nec non totidem verbis chronicon eiusdem monaſterii, ſæpe laudatum, b) BIRCKENIUS, c) *Gerardus* de ROO, d) aliique. Interanea *Oeniponti* in templo Parochiali ad S. IACOBUM repoſita fuiſſe, BURGLEHNERUS fidem facit. Quare ſupra memorato PAULO Abbati, eam bimulam exceſſiſſe exiſtimanti, accedere nequimus. Ætatem ELISABETHÆ nemo, quoad ſciamus, litteris conſignavit: ex nuptiis autem, iam anno 1402. decretis, ac deinde, ſi BIRCKENIO eiusque ſequacibus fides, in annum 1406. e) dilatis, intelligere eſt, eam obiiſſe in flore ætatis. Ponamus enim, eam dicto anno 1402. quo, ut decretum fuerat, nuptiæ procedere debuerant, fuiſſe nubilem, atque adeo annorum præter propter tredecim, aut quatuordecim, iis non niſi ſeptem addendi erunt, exiſtimandumque, vicenaria aliquanto maiorem exceſſiſſe. Recenſio funerum, ac primo ELISABETHÆ cum filia cognomine. a b c d e

VII. Sequuntur eiusdem FRIDERICI *ſenioris* nati, natæque ex coniuge ſecunda, ANNA *Brunſuicenſi*, ſinguli in prima ætate exanimati. MARGARITHA ſcilicet, quæ anno 1424. WOLFGANGUS, qui biennio poſt, die autem XVI. *Febr.* HEDWIGIS, quæ anno ſequenti 1427. feria ſexta ante MATHIÆ Apoſtoli, ut memoratus cum Chronico *Stamſenſi* ait ARENPECKIUS, i. e. 21. *Febr.* defuncti ſunt, f) ut laudati Scriptores habent. Errat ergo iterum laudatus Ab- Liberi ex coniuge ſecunda. f

a) Col. 1280. a. b) Col. 459. c.
c) *Spec. Honor.* lib. IV. cap. XIII. p. 504. ubi tamen, numeris transpoſitis, dies 13. pro 31. legitur.
d) Lib. V. p. m. 180.
e) Vid. *Pinacothec. Auſtr.* P. II. lib. I. cap. XII. §. XI. p. 116.
f) Conf. tamen verba Codicis *Ambraſiani*, a nobis loc. mox cit. p. 118. §. XV. producta, ubi MARGARITHAM octiduo poſt feſtum SS. PETRI, & PAULI, ac HEDWIGEM an. 1431. die feſto *Cathedræ* S. PETRI demortuas leges.

TAB. XVIII. Abbas, quando MARGARITHAM ex priori coniuge, ELISABETHA, editam, & HEDWIGEM 21. *Septembr.* demortuam credit.

Itemque ANNA, uxor ſecunda. VIII. Liberos ſuos inſecuta eſt anno 1432. ANNA, FRIDERICI, Ducis *Brunſuicenſis*, filia, ac FRIDERICI noſtri uxor altera, ibidem humata, inteſtinis ad dicti S. IACOBI conditis. De die haud ſatis convenit; cum prædictus Abbas eam feſto S. LAURENTII, chronicon vero *Stamſenſe*, ARENPECKIUS, GUILLIMANNUS, aliique, quos potiores habemus, poſtridie eius diei obiiſſe, aſſerant. Quin dictus ipſe annus emortualis in controverſiam vocari poſſet; quando DUMONTIUS a) ex LEIBNITIO contractum matrimonialem, inter SIGISMUNDUM, ANNÆ huius filium, & RADEGUNDEM, filiam CAROLI VII. Regis *Franciæ*, anno 1430. die vero XXII. *Iulii* initum, affert, ubi FRIDERICUS pater ſectione 3. ſic proloquitur: „ Quod ſi prædictus noſter cariſſimus filius viam univerſæ „ carnis ingrederetur - - priusquam carnaliter copularetur prædictæ „ Dominæ RADEGUNDÆ, *& Dei clementia aliam nos ducere contin-* „ *geret uxorem*, quod eadem RADEGUNDIS &c. „ Ex hoc enim legitime inferri debere, videtur, FRIDERICUM iam tunc temporis ſecundo viduatum fuiſſe. Verum hæc verba non adeo preſſe ſumenda putamus. Nam & in Pinacotheca noſtra b) chartam eiusdem argumenti, annique, aliam vulgavimus, in qua verba ſequentia de filio, a FRIDERICO fortaſſis adhuc generando, ſollicita ſunt, quin de morte uxoris eius vel verbo mentio fiat: „ Quod ſi forte „ ipſe SIGISMUNDUS prius (ait CAROLUS VII. Rex *Franciæ*) quod „ Deus avertat, obiret, quam celebratæ nuptiæ, & conſummatum „ matrimonium eſſet, & alius ipſi Duci FRIDERICO legitimus eſſet „ filius, eidem filio ipſa filia noſtra RADEGUNDIS detur in uxorem, „ ſimili modo, & forma veluti dicto SIGISMUNDO &c. „ Ex his enimvero nemo inferet, uxorem FRIDERICI iam fatis functam eſſe, ſed potius (quod revera ita erat) ætate non adeo provectam, ut non ſpes generandi ſupereſſet. Nobis certe tanto Scriptorum eius ætatis conſenſui hac in parte contraire, res plena aleæ videtur.

a

b

Nec non ELEONORA, SIGISMUNDI uxor prima. IX. Poſt FRIDERICI *ſenioris* familiam, prima in hanc cryptam conceſſit ELEONORA, IACOBI II. Regis *Scotiæ*, filia, ac SIGISMUNDI *Tyrolenſis* uxor prima. De ea, præprimis vero de nuptiis eius, egimus tomo præcedenti. Eam anno 1480. e vita abiiſſe, *Gerardus* de ROO c) ſcribit, aſſentientibus ceteris, d) diem quoque, XX. ſcilicet *Novembris*, prodentibus. Addunt inſuper, inteſtina *Oeniponti* (haud dubie ad S. IACOBI) corpus *Stirpini* reconditum fuiſſe. Huic ELEONORÆ iidem fere filium adſcribunt, WOLFGANGUM nomine, in cunis extinctum, ac *Stirpini* quoque depoſitum,

c d

a) *Corps diplomatique* tom. II. P. II. p. 231.
b) P. I. *Auctar. dipl.* pag. 24. num. XXVII.
c) Lib. XI. p. m. 399.
d) LEQUILE, BONSTETTEN, BURGLEHNER MSS. HUND. *Metrop. Salisb.* tom I. p. m. 305. SCHOENLEBEN in *Ephemerid.* BIRCKENIUS in *Calendar.*

ſitum, alii & quidem, ut videtur, verius, cum SIGISMUNDI fratre eundem putant, quo de paullo ſupra. Tab. XVIII.

X. Ambas ſuas coniuges, liberosque, quos diximus, ſeptennio poſt excepit FRIDERICUS ipſe, *Stirpinenſis* huius cryptæ auctor. Obiit nempe anno 1439. die XXIV. *Iunii* intra horam tertiam, & quartam pomeridianam, teſte BURGLEHNERO in *Aquil. Tyrol. MS.* Eundem annum, præter laudatos Scriptores, etiam alii uno ore confirmant, *Stirpini* ſepultum inſimul affirmantes. Quoad diem tamen iidem variant, Necrologio *Marisſtellano* IX. GUILLIMANNO VIII. *Gerardo* de ROO a) LAMBECIO b) & HENNINGESIO VII. Kal. *Iulii* ponentibus. Nobis in hac parte potiores ſunt PUTSCHIUS, BURGLEHNERUS, *Veter. March. & Duc. Auſtr. famil.* in codice *Ambraſiano*, nec non & GUILLIMANNUS; quippe quorum duo ultimi diem luculentius diſtinguunt, feſtum S. IOANNIS BAPTISTÆ nominantes. Qua in re errare valde pronum eſt, ac ſecundum Calendarium *Romanum* putantibus non raro evenire ſolet. Eum anno 1382. die 2. *Octobris* natum nondum fuiſſe, tomo ſuperiori c) oſtendimus, attamen non longe poſtea naſci debuiſſe, ex promiſſione futuri matrimonii, cum CILIOLA, *Carrariæ* Ducis filia, circa annum 1384. facta, poſt annos decem ineundi, colligitur. Quare eius nativitatem ad initium anni 1383. aut certe exitum præcedentis, commode collocari poſſe, exiſtimamus. Unde annos vitæ eius præter propter ad ſex, aut ſeptem, & quinquaginta cogimus. Ac demum FRIDERICUS ipſe. a b c

XI. Parentibus, fratique ſuo, ac ſororibus, ſolus ſupervixit SIGISMUNDUS, patris in Comitatu *Tyrolenſi* ſucceſſor. Natus erat anno 1424. XXVIII. *Iunii*, ut habet *Genealogia Wittenbergenſis*, PUTSCHIO tamen, cui in hac parte plus tribuimus, XXVI. *Octobris* aſſignante. E vita abiit IV. *Martii* 1496. *Oeniponti* in palatio, eodem PUTSCHIO, unacum dicta genealogia *Wittenberg.* BURGLEHNERO, aliisque teſtibus, qui & eum *Stirpini* conditum, addunt, inteſtinis in Eccleſia S. IACOBI Parochiali *Oeniponti* relictis. Solus de ROO d) diem ſextum eiusdem menſis, ſeu, ut ait, *prid. Non. Martii* deſignat, memoriæ fortaſſis lapſu, aut Calendario *Romano* haud recte uſus; nam iis etiam epitaphium conſentit. Quem ſecutus eſt SIGISMUNDUS, eius fil. Archid. d

XII. Hoc ſæpe laudatus Abbas PAULUS in medium profert: Epitaphium.

Felix, præ mente ferens Deum, homo,
Felix, qui ſuum prævidebit finem,
Felix, quem cautum reddit alienum
patens ſepulcrum.

Anno

a) Lib. V. p. m. 180.
b) *Bibl. Cæſar. Vindob.* lib. II. p. 708.
c) P. II. Lib. I. cap. XII. §. XII. p. 117.
d) Cit. lib. XI. pag. m. 399.

TAB. XVIII.

Anno milleno, quaterque centeno,
Nonageſimo ſexto, die *Martii* quarta,
Romana dum Rex MAXIMILIANUS
ſceptra tenebat,
Archidux obiit *Auſtriæ* SIGISMUNDUS,
Comes *Tyrolis*, cuius genus, forma,
Virtus, & arma regiam teſtantur
nobilitatem.
Vtraque coniux ortu generoſa,
Cubat hic *Scotiæ* Regina,
Saxonum ſtirpe reliqua Ducali,
Principem ornant.
Hic licet terras regeret opimas,
Et pace cunctis, donoque placeret,
Nil horum iuvat, heros hic putreſcit,
ſequere, dixit.

BLANCA MARIA, MAXIMIL. I. Imp. ux. II. † Kal. *Ian.* 1511.

XIII. Extincta, cum SIGISMUNDO, *Auſtriacorum*, in Comitatu *Tyrolenſi*, linea, omne illud dominium ad MAXIMILIANUM I. Imp. cuius a SIGISMUNDO, etiamnum vivente, heres ſcriptus erat, rediit. Unde non raro etiam ibi commoratus eſt, eodemque anno 1511. *Friburgi Briſgoiæ* Comitia agente, BLANCA MARIA, GALEACII *Sfortiæ*, *Mediolanenſium* Ducis, filia, nata, ut aiunt, an. 1472. diem clauſit pridie Kalendas *Ianuarii*, ut SCHOENLEBE-

a NIUS in *Ephemeridibus*, cum *Gerardo* de ROO a) perſcribit. LAM-
b BECIUS b) contra mortem illius *noctu inter horam duodecimam diei ultimi Decembris anni* MDX. *& horam primam Calendarum Ianuarii anni* MDXI. eveniſſe, docet. Id quod nos verius eſſe putamus. Nam & BURGLEHNER, in *Aquila* ſua *Tyrolenſi*, eam anno 1511. ineunte, poſtquam nonaginta horis extremos duxiſſet halitus, exceſſiſſe, narrat, nec MAXIMILIANUS ſub finem, ſed ſub initium eius anni *Friburgi* verſatus eſt, ut fidem facit eius *edictum* de *convocatione*, *& celebratione Concilii Piſani*, contra IULIUM II.
c d PP. a GOLDASTO c) & LUNIGIO d) editum, ac *Friburgi Briſgoiæ* die XVI. *Ian.* eiusdem anni 1511. ſubſcriptum. Decepti autem illi videntur ex eo, quod ſub initium noctis defuncta, eandem cum die præcedenti computarint, vel veterem adhuc annum putandi morem a XXV. *Decembris* ſecuti fuerint. Obiit autem ex mœrore, phtiſi abſumpta, quod ob ſterilitatem, aliasque forte ob cauſſas, Cæſari minus grata fuiſſet. *Stirpini* ad ſepulturam datam fuiſſe, præter laudatum PAULUM Abbatem, Scriptores affirmant allegati.

XIV.

a) Lib. XII. p. m. 458.
b) Loc. mox cit. cap. VIII. p. 711.
c) *Conſt. Imp.* T. I. p. 421.
d) *Spicil. Eccl.* I. Th. pag. 368.

XIV. Superſunt Principes tres, in prima infantia extincti, hucque ad ſepulturam advecti. Primus eſt IOANNES Archidux, FERDINANDI I. Imp. filius. De eo MENLIUS, ſæpe laudatus, hanc in ſententiam: „ IOANNES, FERDINANDI I. filius, natus *Pragæ* „ 1538. X. *Aprilis*, die *Mercurii*, circiter quartam horam matu„ tinam, baptizatus a Rev.mo Epiſcopo *Bleſiano*, *Gallo*. Compa„ tres fuere Apoſtolicæ Sedis legatus, ſeu Nuncius, D. IOANNES „ Epiſcopus *Mutinenſis*, *Roman.* Cæſar. Maieſtatis Orator, Rev.mus „ D. IOANNES, *Lundinenſis* Archiepiſcopus, & D. BARBARA de „ *Weiſſpriech*. Obiit infans *Oeniponti* die XX. *Martii* an. 1539. „ hora 5. pomeridiana, & in monaſterio *Stamienſi* ſepultus. „ Concordant ceteri, PUTSCHIUS præſertim, niſi quod MEGISERUS a) pro die mortis XXII. *Martii* velit, ſed magis fidendum MENLIO. TAB. XVIII. IOANNES Archid. † XX. *Mart.* 1539. a

XV. Altera erat URSULA, de qua idem MENLIUS: „ URSULA (eiusdem) FERDINANDI filia, nata eſt *Neoſtadii* a. 1541. XXIV. *Iulii*, die ſolis, inter tertiam, & quartam horam veſpertinam, in ſigno leonis: baptizata a Rev.mo Epiſcopo *Neoſtadienſi*. Compatres fuerunt Regis *Poloniæ* legatus, Comes ANDREAS de *Gorea*, *&c.* D. ANNA, genere *Guſmanna*, D. SIGISMUNDI de *Herberſtein* uxor, & D. ANNA, præfati D. IOSEPHI, Baronis de *Lamberg* (ſupremi ſcilicet Aulæ Præfecti) uxor. Obiit infans *Oeniponti* ultimo *Aprilis* 1543. in *Stamienſi* monaſterio ſepulta. „ Idem habet PUTSCHIUS, & BIRCKENIUS, nec non ſæpe memoratus PAULUS Abbas. Unde MEGISERUM, in alia abeuntem, iterum deſerere cogimur. URSULA Archid. † ult. *April.* 1543.

XVI. Tertius denique fuerat FRIDERICUS Archidux, MAXIMILIANI II. filius. Eius fata MENLIUS iterum his complectitur verbis: „ FRIDERICUS natus eſt *Lincii* in *Auſtria* a. 1562. die XXI. *Iunii*, die ſolis, ſub mediam noctem; utpote tribus horæ quadrantibus poſt duodecimam. Baptizatus eſt die *Mercurii* XXIV. *Iunii*, in arcis *Lincenſis* ſacello, a Rev.mo Epiſcopo *Gurcenſi*. Compatres fuerunt D. ab *Harrach* ſenior, Regis *Bohemiæ* ſupremus cubiculorum præfectus, D. a *Dietrichſtein*, Regio ſtabulo præfectus, & D. POLYXENA LASSA a *Caſtilia*, vidua, liberorum Regiorum ſuprema aulæ præfecta, & D. ANNA de *Guſman*. Mortuus eſt *Oeniponti*, in Comitatu *Tyrolenſi*, dum adhuc apud nutricem ſuam eſſet, a. 1563. XVI. *Ianuar.* ſepultus in *Stamps* apud veteres Archiduces. „ PUTSCHIUS mortuum ſcribit XVII. *Ianuarii*. Verum cum mors eius poſt medium noctis contigerit, ſignum eſt, MENLIUM eandem, ut alias ab ipſo etiam factum fuiſſe obſervavimus, diei præcedenti adnumeraſſe. Funus in *Converſione* S. PAULI Ap. id eſt XXV. eiusdem menſis, *Stirpinum* deductum fuiſſe, idem teſtatur PAULUS Abbas, ac mox excitanda relatio. FRIDERICUS Archid. † 1563. XVII. *Ian.*

XVII.

a) *Annal. Carinth.* Lib. XI. cap. XV. p. 1329.

Tab. XVIII. Rudolphus, *Anhaltinus* Princeps, † 1510.

XVII. Rudolphum, *Anhaltinum* Principem, huic quoque cryptæ illatum fuiſſe, ſupra memoravimus. Factum id eſt (teſte eodem Paulo Abbate, nec non relatione de monumentis *Stirpinenſibus*, anno 1716. ad aulam Cæſaream miſſa) Maximiliani I. Imp. iuſſu, cui ob præclara heroica geſta in deliciis erat. Natus fuit Georgii Senioris lineæ veteris *Aſcanio-Sergeſtinæ*, belloque Maximiliani contra *Venetos*, ſub obſidione *Veronenſi* ardente febri correptus, animam efflaſſe ſcribitur anno 1510. corpore eius in monaſterio S. Anastasiæ ibidem primum depoſito, poſtea, iisdem monumentis affirmantibus, anno 1515. *Stirpinum*, ac exinde anno 1525. ſæviente bello ruſtico, *Oenipontum* translato, ac in templo Ord. *Minorum* S. Francisci recondito.

Catharinæ, Sigismundi coniugis II. obitus, & ſepultura.

XVIII. Huc pertinet Catharina, Alberti *Animoſi*, Ducis *Saxoniæ* filia, ac Sigismundi *Tyrolenſis* uxor altera. Hæc, marito defuncto, Erico I. Duci *Brunſuicenſi*, an. 1497. ſecundum nupta, an. 1524. e vivis abiit, teſte Fabricio. a) Locum ſepulturæ *David* Chytræus b) his verbis indicat: „ Filia Alberti, „ Catharina, Sigismundo, *Auſtriæ* Archiduci, Friderici III. „ Imp. patrueli, &, hoc mortuo, Duci *Brunſuicenſi* Erico nupta, „ & *Mundæ*, ad *Viſurgis*, & *Fuldæ* confluentem, ſepulta eſt. „

a b

Rudolphus, Sigismundi filius.

XIX. Eidem Sigismundo Scriptores Ordinis *Seraphici* c) natum tribuunt, nomine Rudolphum, qui pietate, ac æternæ beatitudinis deſiderio, paterna hæreditate, & iuribus abdicatis, ſumpto Ordinis S. Francisci humili habitu, *Græcii Styriæ*, in monaſterio S. Leonardi, per annos aliquot ſanctiſſimi Sacerdotis vitam degens, ac anno demum 1507. eadem defunctus, in cœlum migraverit. Addit *Placidus* Herzog d) in veteri catalogo funerum, in S. Leonardi templo humatorum, ſe nomen huius Rudolphi his verbis conſignatum reperiſſe: P. Rudolphus *de* Insprugg, *filius Archiducis Auſtriæ* † 1507. Extat quidem hodieque monaſterium illud prope *portam Ferream*, quondam Fratribus Ordinis S. Francisci, nunc autem Virginibus Ord. S. Dominici dicatum. Attamen Sigismundum, binis licet uxoribus iunctum, prolem poſt ſe reliquiſſe legitimam, haud legimus, quin immo improlem deceſſiſſe, ex dictis conſtat. Reliquit tamen utriusque ſexus naturales, quos Guillimannus hunc in modum recenſet: „ Liberi naturales Sigismundi fuere undecim; quatuor mares: Clemens a *Greiffenſtein*, Sigismundus *Liber*, cognomento *Dux*, Ioannes *Verrenſtain*, Ludovicus. Septem fœminæ: Ursula, uxor Dietrici a *Metri*, Elisabetha, coniux Rudolphi a *Grieſſen*, Margaritha, nupta *Chriſtiano* Clamerer, *Delphis* degenti, Christina, Cæcilia, Margaritha, Thomæ *Pernſtetteri* uxor, Mar-

c

d

a) *Rer. Saxon.* lib. VII. p. 863.

b) *Chron. Saxon.* lib. II. p. 52.

c) *Fortunatus* Hueber in triplici chron. Ord. S. Francisci. *Monachii* 1686. p. 647.

d) *Coſmograph. Auſtriaco-Franciſcan.* p. 294.

MARGARITHA, elocata PETRO *Pollingero*, ANNA IOANNEM *Weiſſen Lucernæ* nacta eſt maritum.„ Ex illis unus fuiſſe potuit, qui mutato, ut ſolet, nomine, Ordini *Seraphico* nomen dedit. TAB. XVIII.

XX. In medio templi alia eſt crypta fornicata, admodum ampla, ſeptem ſcilicet, ac decem pedes, cum quatuor digitis, longa, lata vero pedes decem cum dimidio. Novem intro gradibus deſcenditur, lapide, inſcriptione vacuo, longitudinis quinque pedum, ac decem & ſemis pollicum, contectis. In medio amplus ſpectatur ſuggeſtus arcuatus, pedes duos, pollices quatuor ab humo excitatus. Supra iacent duæ calvariæ, cranium unum, ac magnum os fœmoris, cum paucis præterea aliorum oſſium reliquiis, infra vero cineribus, & pulvere obſita oſſa alia. Alia crypta *Lit.* B.

XXI. Ante acceſſum ad altare ſupremum duæ quoque hinc inde ſunt cryptæ minores, ambæ quinque duntaxat pedes, ac decem, & ſemis pollices longæ, tres pedes, & unius partem tertiam latæ. In crypta ab altari ſupremo dextra, *Lit.* D. ſignata, reperiebantur ſolummodo calvariæ, aliaque confuſe congeſta in cumulum oſſa. In ſiniſtra contra *Lit.* C. vilis erat arcula, tenuioribus oſſibus impleta, congeſtisque maioribus aliis ſuperimpoſita. Super hanc cryptam erectum aliquando ſtetiſſe monumentum quadratum, referunt, inſignibus exornatum, at inſcriptionum expers, quod vero in nova templi ædificatione deſtructum periit. Seniores tamen huius Abbatiæ alumni teſtantur, id ſua adhuc ætate viſum, arma gentilitia ELISABETHÆ, MAINHARDI IV. fundatoris, coniugis, exhibuiſſe. Duæ aliæ cryptæ *Lit.* C. & D.

XXII. In has duas poſteriores cryptas ſub ipſa conſecrationis Eccleſiæ ſolemnia, an. 1284. ut diximus, peracta, progenitorum MAINHARDI corpora duodecim a caſtello *Tyroli*, unde regioni nomen, translata fuiſſe, chronicon *Stamſenſe* a) fidem facit, ſuccinentibus ſupra memorato PAULO Abbate, & auctore relationis, ad aulam Cæſaream miſſæ: niſi quod ille rem V. hic III. *Novembris* ſuſceptam fuiſſe, dicat. Chronico contra verius, ut putamus, V. Nonas *Septembris* aſſignante. Ambo præterea, reliqua etiam Comitum *Tyrolenſium*, uſque ad FRIDERICUM IV. ex Auguſta gente *Auſtriaca* provinciæ huius rectorem primum, corpora in iis depoſita fuiſſe, exiſtimant. Verum quo pacto anguſtæ adeo foveæ, funera illa, ab anno 1284. exanimata, quorum Illuſtriſſ. CRONBERGIUS per decurſum ſui operis octo enumerat, nec ideo cetera, de quorum ſepulturæ locis haud conſtat, excludit, capere potuiſſent? nobis itaque vero propius eſſe videtur, minores has cryptas funeribus illis duodecim, ſub conſecrationis tempora illuc deportatis: maiorem vero in medio navis Eccleſiæ, ſequioribus, aduſque dictum FRIDERICUM *Auſtriacum*, recipiendis deſtinatam fuiſſe. Quibusnam deſtinatæ? a

CA-

a) Loc. cit. col. 457. a. b.

CAPUT VII.

DE SEPULTURA MARGARITHÆ, ALBERTI IV. DUCIS AUSTRIÆ, FILIÆ, HENRICI DIVITIS, SEU LANDISHUTANI, DUCIS BAVARIÆ, CONIUGIS.

§. I.

Abbatiæ *Raitenhaſelacenſis* origines.

RAITENHASELACUM, vulgo *Raitenhaslach*, nobile eſt monaſterium, ut ait auctor præfationis ad eius monumenta, noviſſime typis mandata, a) Sodalium D. BENEDICTI, quos *Ciſtercienſes* vocant, ſitumque in Tetrarchia *Burghuſana*, ad tertium ab ipſo *Burghuſio* lapidem, in valle anguſta, anfractuoſa, quam alveum fere dixeris *Salzæ* fluvii, proxime illud labentis. Sacra *Raitenhaſelaci* incunabula debentur WOLFHERO, *Tegernwangenſi* Comiti, ex illuſtri *Abensbergenſium* proſapia orto, qui, annuentibus coniuge EMMA *Vohburgica*, DIEDPALDI Marchionis filia, filiisque
b WOLFHERO, & HEINRICO, anno 1143. VI. Kal. *Novembris* b) aſceterium *Ciſtercienſium* fundavit in prædio ſuo *Schuzing*, ad *Alzam* fluvium, infra *Hohenwartenſe* caſtrum ſito. Irruentia vero ſubinde in hanc partem *Alzæ* fluenta, cum exitium minarentur cœnobio, vix exſtrui cœpto, translatum eſt illud anno 1146. in Parochiam *Raitenhaſelacenſem*, quam de iure *Salisburgenſis* Eccleſiæ, cuius iam ab ARNONIS temporibus fuerat, exemtam, WOLFHERO fratri ad pium hunc finem ultro obtulit CONRADUS Archiepiſcopus, diſciplinæ regularis inſtaurator ferventiſſimus.

Ducum *Bavariæ* per integra duo ſecula commune fere ſepulcretum, ubi & MARGARITHA *Auſtriaca*.

II. In hoc monaſterio per integra duo ſecula, id eſt, ab anno 1396. quo IOANNES, Dux *Bavariæ*, ad annum uſque 1502. quo HEDWIGIS *Polonica*, uxor GEORGII, Ducis *Bavariæ*, cum multis aliis intermediis, huc conceſſit, ſepulturam ſibi elegerunt Auguſtæ gentis *Bavaricæ* Principes, atque inter eos etiam, quæ nos propius tangit, MARGARITHA, ALBERTI IV. D. A. filia, HENRICI *Landishutani*, qui an. 1450. obiit, D. *Bavariæ*, coniux. Ingentem præterea Nobilium, aliorumque haud ex infima plebe, numerum in hac Abbatia ſepulturam ſibi delegiſſe, ex *libro ſepulturarum* eiusdem monaſterii, in cit. monument. p. 215. edito, conſtat. At enimvero dolendum, cum huius, tum ceterorum, ex eadem *Bavarica* domo Principum, nullum hodie ſupereſſe monumentum. Quis porro cryptæ olim ſtatus fuerit, degentes ibi alumni, eapropter conſulti, cum iis ſciunt, qui ignorant. Proviſum tamen commode eſt, quod, ante everſionem monumenti, WILHELMI, Ducis *Bavariæ*, iuſſu

a) *Monument. Boic.* vol. III. p. 99.

b) Fallitur itaque STAINDELIUS ap. Cl. OEFELIUM *rer. Boic.* tom. I. p. 493. a. & HERMANNUS Abbas *Altahenſ.* ibid. p. 660. qui annum 1148. nec non VITUS, Prior *Eberſpergenſis*, ibidem pag. 716. qui annum 1138. aſſignant. Diploma certe fundationis, in citatis monumentis pag. 105. productum, anno 1146. *Non. Iun.* obſignatum eſt; id quod tamen præterea haud obſtat, quin rei initium triennio ante, ut ſæpe obſervavimus, dari potuerit.

iuſſu an. 1591. pro illuſtratione Annalium *Ioannis* AVENTINI, quos tum meditabatur, accurata delineatio, ac deſcriptio procurata fuerit, quemadmodum & eodem tempore, eundemque in finem, Abbas *Fürſtenfeldenſis*, LEONARDUS, ſepulcrorum ſui monaſterii, ut ſupra vidimus, deſcriptiones ad virum Clariſſ. *Hieronymum* NADLERUM I. U. D. ac Duci *Bavariæ* a conſiliis, mittere iuſſus eſt. Schema illius delineationis exhibemus tabula præſenti, explicatio- TAB. XIX.
nem autem haud rectius daturi, quam epiſtolam MATHIÆ Abbatis, ad eundem NADLERUM eodem an. 1591. datam, producendo, quæ Latine reddita, huius eſt ſententiæ:

III. Præſentibus, ſcribit, ſignificandum Tibi duxi, a Principe noſtro gratioſiſſimo, Domino WILHELMO, Duce *Bavariæ*, paucis abhinc diebus negotium mihi datum fuiſſe, ope pictoris, omnium, in hoc monaſterio ſitorum, Principum, lapides, cipposque ſepulcrales, epitaphia, inſcriptionesque delineandi, delineataque Tibi remittendi. Parui, omnia, & ſingula, hic occurrentia, quoad eius fieri potuit, ad amuſſim deſignari curans. Itaque in hoc templo ingens extat buſtum rubeo-marmoreum, decem pedes longum, altum quatuor, quinque & ſemis latum. Exinde chorum verſus eiusdem coloris lapis ſtratus eſt, ſex pedes longus, tresque latus. At ambo monumenta plana ſunt, ſine imagine, aut inſcriptione ulla, niſi quod tumulo ipſi quatuor inſignium teſſeræ ſcutariæ ligneæ, ad lapidem leviter affixæ, cernantur. Quatuor quoque apud angulos tumuli geniorum ſpecies ſimul cum clypeis, & candelabris ligneæ duntaxat ſunt, coloribus delibutæ. Chorum verſus ante tumulum lampas eſt, iugiter ardens. Illum egredientibus ad dextram, in prima templi pila, pictura occurrit, & inſcriptio talis, qualis in adiecta delineatione videre eſt. Ad pilam alteram, tumulo vicinam, alia ſuffigitur tabula picta lignea, in qua clypeus rotundus cum inſignibus *Bavariæ*, ſuperpoſitis utrinque vexillis, iisdem inſignibus decoratis. Ad ſiniſtram e regione altera obvertitur tabula, cui pariter ſuperimpoſitus eſt clypeus rotundus, leone ſignatus, ſupereminente *Bavarico* itidem vexillo. Tabulæ iſtæ coloribus pictæ ſunt, inſcriptiones contra maioribus litteris, quales interdum in vetuſtis codicibus reperi, muro inditæ. Narrant homines huius loci, ætate provectiores, ſub tumulo marmoreo cameram, fornicibus vinctam, latere, in qua Principes perſonæ conſideant: introitumque ad lapidem marmoreum, præ tumulo ſtratum, dari, ſi removeatur. Fertur præterea, Glor. mem. GEORGII Ducis cor quoque hic repoſitum eſſe. Hæc de lapidibus ſepulcralibus, & inſcripturis, Tibi renuntianda habui, nunquam non & in aliis gratificaturus, commendans nos iugiter Deo. Dabam *Raitenhaſelaci* 12. *Martii* an. 91. F. MATHIAS Abbas ibid. Epiſtola MATHIÆ Abbatis.

IV. Ex

TAB. XIX. Ad eandemque corollaria.

IV. Ex his planum fit, in *Bavaria* quoque, ut & alibi, etiamnum ſæculo XV. mauſolea, ac tumulos Principum, plane ſimplices, quibusvis imaginum, inſcripturarum, quin & inſignium ornamentis vacuos fuiſſe. Quales quoque Ducum noſtrorum *Auſtriæ*, ſupra ex monaſteriis *Lilienveldæ*, *Tullnæ*, *Kœnigsveldæ*, *Gemnici*, *Maurbachii*, aliisque, inde a ſeculo XIII. protulimus, vetuſtioribus ſepulcris plano lapide conſtructis, ac inſcripturis ex poſt primum adiectis. Quamobrem etiam Abbas *Raitenhaſelacenſis* id, quod facile alias ex ſe patet, in eadem opinione verſatus fuiſſe videtur; geniorum ſcilicet, inſcriptionum, & vexillorum ornamenta, ligno ſuperinducta, inferiori tempore, minime autem de principio ad buſtum marmoreum adiecta fuiſſe. Nobis ſane inſcriptiones anno 1502. quo ultima earum, ut in tabula noſtra videre eſt, poſita fuit, fideliter ſi exceptæ ſunt, ſuperiores haud eſſe videntur; quippe quod ubique eadem ſcripturæ forma, ab eodem ſeculo etiam aliunde non abhorrens, eluceſcat. Promiſcuo ordine præter *Bavarica*, inſignia adhibentur *Auſtriæ*, *Saxoniæ*, *Mediolani*, *Poloniæ*, ad denotandas Principes, Aug. *Bavaricæ* domui matrimonii vinculo nexas, hicque ad ſepulturam traditas. Quod denique laudatus aſſerit Abbas, aliorum relatu ſe didiciſſe: ſub hoc tumulo cryptam latere concameratam, ad quam aditus, ſtrato in pavimento claudatur marmore, id ei, aliorum eiusmodi monumentorum ſimilitudine edocti, largiter omnino concedimus. At ubi refert: funera Principum ibidem ſedere, id vulgi rumori falſo tribuimus, aut certe haud adeo preſſe accipiendum exiſtimamus.

Epitaphium MARGARITHÆ,

V. Inſcriptio ſepulcralis, in tabula noſtra quarto loco legenda, atque dicta occaſione excidio ſubducta, MARGARITHAM noſtram anno Domini 1447. in vigilia nativitatis CHRISTI mortem opetiiſſe, docet. Hunc annum etiam *Vitus* ARENPECKIUS a) aſſignat, ſecus ac ADLZREITERUS b) præcedentem, ac *Farrago Hiſtorica* apud Clar. OEFELIUM c) annum 1452. At magis fidendum ARENPECKIO accuratiori, ac præcipue inſcriptioni, quæ, quamvis tempore fortaſſis ſequiori, auctoritate tamen publica poſita fuit.

Annique vitæ.

VI. Ætatem huius Principis litteris nemo veterum conſignavit, tacentibus quoque iunioribus. *Regiſtrum* tamen litterarum Archivi Cæſarei *Vindobonenſis* nobis lucem accendit. Ibi enim ſummarium adducitur *diſpenſationis* ALEXANDRI V. Pont. Max. pro HENRICO *Divite*, & coniuge eius, MARGARITHA hac noſtra, quæ tum annos quatuordecim habuiſſe, dicitur. Data eſt *Piſtorii*, anno Pontificatus I. reliqua temporis nota haud adiecta. d) Verum cum ele-

a) *Chron. Bavar.* tom. III. Anecdot. Cl. *Bern.* PEZII P. III. col. 400. a.

b) *Annal. Boic. Gent.* P. II. Lib. VIII. p. m. 172. edit. *Leibnit.*

c) *Rer. Boic.* tom. II. pag. 514. b.

d) Ein Päbſtliche diſpenſation, daſ Herzog HEINRICH von *Bayrn*, und Iungfrailein MARGRETH von *Oeſterreich*, König ALBRECHTEN ſchweſter XIIII. iahr alt, zuſamen heyrathen mögen, unangeſehen, daſ ſye in dieſen grad einander gefreundt ſeynd, ALEXANDER quintus Pontificatus I. Datum *Piſtorii* an. 14--

electio ALEXANDRI in annum 1409. diem vero XXVI. *Iunii* cadat, inſtrumentum hoc ultra annum 1410. differri haud poteſt. Quare anno ætatis 51. vel 52. devixiſſe, cenſenda eſt. Matrimonium tamen ipſum anno primum 1412. ſubſecutum fuit, teſte citato ARENPECKIO, a) id quod præterea ex renuntiatione in bona *Auſtriaca*, an. 1412. in feſto S. CATHARINÆ facta, cuius ſummarium itidem ante oculos habemus, colligimus: eiusmodi autem renuntiationes ut plurimum ſub, aut ante nuptiarum ſolemnia fieri ſolere, compertum eſt. a

CAPUT VIII.

ALBERTI V. INTER IMPERATORES II. AC CONIUGIS EIUS, ELISABETHÆ, NEC NON FILIARUM, ANNÆ, ET ELISABETHÆ, SEPULTURÆ.

§. I.

ALBÆ REGIÆ, in *Hungariæ* regno, vulgo *Stuelweiſſenburg*, in Baſilica B. Virginis, Regum *Hungariæ* communes fere cryptæ emortuales, ſeu monumenta ſepulcralia conſtituta erant; ſed illa a *Germanis* primum temerata, deleta demum a *Turcis*, & exciſa adeo fuerunt, ut nemo hodie mortalium ſit, qui vel veſtigium eorum indicare queat. Queſtus eſt hac de re Vir Clar. *Mathias* BELIUS, in hiſtoria *Albæ Regalis*, cum ex inſtituto de his Regum conditoriis ageret. Per litteras quoque a Cl. P. *Carolo* PETERFYO S. I. edocti fuimus, *Albæ Regiæ*, diruto templo, cryptisque disiectis, nihil hodie præter locum aridum, & lapides, mœnibus munimenti inſertos, reliquum eſſe. Ex quo antiquarii facile colligent, ſilentibus de eo Scriptoribus regni, quid notitiæ ſupereſſet, niſi exterorum memoria, & Annalibus fulciremur. Regum *Hungariæ*, *Albæ regiæ* ſepulcretum, hodie deſtructum.

II. Horum itaque fide ſcribimus: ALBERTUM V. *Auſtriæ* Ducem, inter Imperatores hoc nomine II. *Hungariæ*, ac *Bohemiæ* Regem, *Albæ Regiæ* in dicto templo B. Virginis ſepultum fuiſſe. Obiit autem in *Hungariæ* inſula *Schutt*, loco *Villa longa*, vulgo *Langendorf*, *Hungaris* autem *Mesmel*, ut mox laudandus *Gerardus* de ROO exprimit, vel *Meyer*, ut GUILLIMANNUS habet (at librarii fortaſſis errore) dicta, ab expeditione, contra AMURATEM, *Turcarum* Tyrannum, GEORGII, *Myſiæ*, hodie *Raſciæ*, reguli in gratiam, infeliciter ſuſceptâ, rediens. „Orta deinde (ait *Gerardus* b) in caſtris regiis ſeditione, ALBERTUS exercitum dimiſit, non tam ea re motus, quam quod ex ventris profluvio multos miſere abſumi videret, ac ipſe eadem quoque lue laborare incepiſſet. Cauſſam tam pernicioſi mali nimium fuiſſe æſtum, perhibent, quem ipſe ſibi, immoderato Genus, ac epocha mortis. b

pe-

a) Loc. mox. cit. col. 398.

b) Lib. V. p. m. 179.

peponum eſu, immedicabilem reddiderat. *Budam* primum delatus, cum morbum invaleſcere ſentiret, *Wiennam* verſus iter arripuit, vel quod aeris mutationem morbo remedium allaturam, ſperabat, vel, ſi omnino moriendum eſſet, in paterno ſolo potius, quam inter exteros mori volebat. -- Itaque iter ingreſſus, -- refectis pauliſper (uti videbatur) viribus, cum in pagum quendam, *Mesmel* dictum, veniſſet, vi morbi victus, ultimam voluntatem literis mandari iuſſit, & Chriſtianis ſacris munitus, obiit ſexto Cal. *Novembris*, anno redempti orbis milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono. Sunt, qui ſub ipſam mortem hac orationis formula, uſum fuiſſe, prodi-
a dere: a) *Omnipotens æterne Deus, ignoſce iis, qui morti meæ cauſam præbuere* (ſuadendo ſcilicet, ut eam expeditionem ſuſciperet, ut habet HASELBACHIUS) *quibus & ego ex animi ſententia propter te ignoſco, atque, ut mei miſerearis, oro.*„ His concordant Scriptores, *Gerardo* antiquiores, immo ALBERTI temporibus maximam partem æquales, quos nominare, longum foret; ut adeo LEHMANNUM, in chronico *Spirenſi*, HENNINGESIUM, STAINDELIUM, & ÆNEAM *Sylvium*, qui octavum, & viceſimum *Octobrem* obtrudunt, haud moremur: nec etiam KOENIGSHOFIUM, mortis cauſſam in veneno quærentem, quanquam & idem dicat vetus A-
b nonymus *Mellicenſis*. b) Inſtar omnium eſſe debet FRIDERICUS Imp. in ſuo diario, qui cum multis aliis vigiliam SS. Apoſtolorum SIMO-
c NIS & IUDÆ, adnotavit. c)

Epitaphium. III. Epitaphium in dicta Eccleſia *Albæ Regalis* ei ſequens poſitum fuiſſe, ARENPECKIUS d) teſtatur: „ Anno Domini MCCCCXXXIX.
d „ in vigilia Apoſtolorum SIMONIS, & IUDÆ, obiit ſereniſſimus AL-
„ BERTUS Quintus, *Romanorum*, *Hungarorum*, & *Bohemiæ* Rex glo-
„ rioſiſſimus, Dux *Auſtriæ*, *Stiriæ* &c. fideliſſimus Marchio *Mora-*
„ *viæ*. „ Aliud affert mox excitatus Anonymus *Mellicenſis*, cuius ultimum duntaxat diſtichon, quod quidem diem, & annum mortis confirmat, in medium afferre lubet:

Mille quadringenti triginta novem modo CHRISTI
Sunt anni, ſero SYMONIS aſtra peto.

Ætas. IV. Suffulti auctoritate inſtrumenti publici, annum natalem huius Principis, quin & ipſum diem, tomo præcedenti e) iam tentavimus. Et quoad illum quidem ſtat adhuc eadem animo, contra plurimorum opinionem, ſententia, illum in hanc lucem an. 1397. effuſum fuiſſe. Qui biennio poſt natum perhibent (perhibent autem plerique omnes) a LAZIO decepti videntur, ſcribente: ALBER-
e TUM

a) Inter hos HASELBACHIUS coævus col. 855. b. ubi ſic: „ Domine ignoſce his, qui in „ hac mea morte rei ſunt, & ego iisdem „ ignoſco, propter te, ut & tu mihi indul- „ geas miſericorditer, quæ in te deliqui.„
b) Ap. *Hier.* PEZ. tom. II. col. 462. a.
c) Vid. LAMBEC. *Diar. itin. Cellenſ.* p. m. 10.
d) Col. 1251. c.
e) P. II. lib. I. cap. X. §. V. p. 99. At cur ſententiam nunc quoad diem mutemus, dictum eſt hic ſupra p. 182. not. g.

TUM patre ſuo an. 1404. defuncto, annum ætatis quintum nondum egreſſum fuiſſe. Sed maior haud dubie fides continuatori PALTRAMI, Scriptori coævo, eſt, qui eum tum *forte octo annorum* fuiſſe refert. a) Accedit HASELBACHIUS, Scriptor pariter ſynchronus, ac Profeſſor Univerſitatis *Vindobonenſis* publicus, idemque apud ipſum hunc Principem ſuum *ab ineunte adoleſcentia*, ut ipſe b) ſcribit, magna gratia florens. Is itaque geſta eius fuſe exponens, ætatis eius aliquoties mentionem ingerit, etſi annum, & diem nunquam aperte definiat. „ Acta igitur, ait, communi diæta per qua- „ tuor Status *Auſtriæ*, -- aſſumptus eſt in Dominum terræ, & Du- „ catus *Auſtriæ*, Illuſtris Dominus Dux ALBERTUS Quintus, AL- „ BERTI IV. filius, anno Domini 1406. ipſa die S. LAURENTII, qui „ *ex tunc* decimum agebat annum.„ c) *Ex tunc*, ait, id eſt a feſto S. LAURENTII, decimum ætatis annum iniiſſe; unde inferas, illum eo die an. 1397. in hanc vitam intraſſe. Confirmat hoc Anonymus *Viennenſis* pariter ſynchronus, his verbis: „ Item in die S. „ LAURENTII ſwuren Prälatt, und Herrn, Ritter und Chnecht, „ und die ſtet dem Iungen Herzog ALBRECHT in der Purg ze „ *Wienn.*„ d) Nec obſtat, quod eum in conſequentibus e) ante ſextum *Iunii* 1411. annos pubertatis *attigiſſe*, immo iam *exceſſiſſe*, aſſerat. Cum enim anni pubertatis anno ætatis decimo quarto obvenire ſoleant, Princeps autem, ſecundum hanc hypotheſin, eo tempore ad exitum eius properaret, ac præterea non nihil adhuc temporis, antequam immiſſio in hereditatem paternam, qua de ibi agitur, executioni daretur, præterfluere poſſet: non male dictum eſt ab Hiſtorico, illum pubertatis annos iam attigiſſe, quin exceſſiſſe, ea præſertim tempeſtate, qua Principum filii, ut aliquoties iam obſervavimus, etiam multo maturius ad nuptias convolabant. Deinde cum retuliſſet auctor, quo pacto ALBERTUS, cum ſibi adhærentibus, poſt repentinum patruelis ſui, LEOPOLDI *Craſſi*, obitum, qui, ut diximus, in tertium *Iunii* an. 1411. cadit, ſexto eiusdem, ad capeſſendum Ducatum *Auſtriæ*, urbem *Vindobonam* ingreſſus eſſet, f) nonnullis interiectis, ſubſequitur: „ Anno Domini 1412. „ agebat Dux ALBERTUS ingreſſus ſui tempore quintum decimum „ ætatis annum. g)„ Hunc locum, tomo ſuperiori h) a nobis productum, in mendo cubare, cenſuimus, atque adeo anno 1412. præcedentem ſubſtituendum non ſine gravi ratione ſtatuentes; nimirum quod auctor paullo ante, quam hæc diceret, ingreſſum ALBERTI non ad an. 1412. ſed ad an. 1411. retuliſſet. At commode etiam de tradito ſibi, ac ſuſcepto regimine, accipi poteſt, auctore, pro Latinitatis ſuæ modulo, ingreſſum, pro aditu regiminis, uſur-

a) Apud laud. PEZ. tom. I. col. 729. c.
b) Ibid. tom. II. col. 856. a.
c) Ibid. col. 828. a.
d) Ibid. col. 548.
e) Col. 840. c.
f) Col. 842. c.
g) Col. 843 b.
h) P. II. lib. I. cap. XII. p. 98. §. III. vid. ibi §. IV. & V.

uſurpante. Hoc ut ſentiamus, citatum impellit inſtrumentum, quo SIGISMUNDUS Imp. eundem primum poſtea, id eſt triceſimo *Octobris* eiusdem anni 1411. a tutela exemptum, ac regimini *Auſtriæ* præficiendum, ſententia lata, declarat. Ante hoc enim tempus, licet regimen adire tentaret, id tamen non ſine repugnatione tutorum, fratruelium ſuorum, ERNESTI, & FRIDERICI, qui ægre tandem ad concordiam rediere, factum fuiſſe, cum ex relatu ipſius HASELBACHII, tum ex dictæ chartæ argumento, conſtat. Denique ſive in dicto loco annum 1411. ſive 12. legas, etiam ex ipſius auctoris mente, ſub exitum prioris, ac initium ſubſequentis verum erat, ALBERTUM annum ætatis quintum decimum agere. Congruit quoque ſæpe fatum inſtrumentum, quod illum eo die, quo ſubſignatum eſt, annum ætatis quartum decimum ſuperaſſe, affir-
a mat. a) His ſingulis penſitatis, certum, atque indubitatum eſſe exiſtimamus: ALBERTUM noſtrum an. 1397. natum fuiſſe, probabiliter autem X. *Auguſti*, adeoque, cum XXVII. *Octobris* an. 1439. defunctus ſit, annos vitæ 42. menſes duos, dies ſeptendecim expleſſe. Quibus quidem non obſtantibus, adhuc tamen in dicto loco annum 1411. legendum putamus, ea etiam ex cauſſa, quod ibi adhuc, paucis interiectis, mentio fiat ERNESTI *Ferrei*, *Vindobona* diſcedentis, qui, ut plerique ſcribunt, ac nos infra etiam confirmatum ibimus, eodem adhuc anno iter ſuum *Hieroſolymitanum* ſuſcepit. Quidquid ſit, HASELBACHIUS eo loco, ut dicta eius antecedentia conciliari poſſint, aut non ita preſſe, aut de aditu regiminis, ac quieta poſſeſſione, quæ ante XXX. *Octobr.* an. 1411. ſecuta haud eſt, accipi debet.

Mors ELISABETHÆ, coniugis eius † 1442. XIX. *Dec.*

V. ALBERTUM anno 1442. inſecuta eſt uxor eius ELISABETHA, SIGISMUNDI Imp. ac *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Regis, filia, Genealogia licet *Wittenbergenſi*, b) LAMBECIO, c) & GUILLIMANNO, annum proxime ſequentem adſtruentibus. At potiores nobis ſunt coævus PALTRAMI Continuator, d) & ARENPECKIUS,
b c d e e) qui & inſuper locum ſepulturæ, *Albam Regalem* apud maritum, ac diem obitus, *Mercurii* videlicet ante S. THOMÆ Ap. ſeu XIX. *Decembris*, aſſignant. Non minus auctoritatis habere exiſtimamus
f epicedium, a ſupra laudato Anonymo *Mellicenſi*, f) pariter ſynchrono, productum, iisdem, quoad utrumque ſuffragium ferens, quod proinde hoc loco exſcribere viſum eſt:

Cæ-

a) Loc. cit. P. I. p. 20. „ Und das der vor-
„ genannt ALBRECHT nun über vierzehen
„ iahr kommen iſt. „

b) P. I. cap. V. p. 106.

c) *Commentar. de Bibl. Cæſ. Vindob.* lib. II. cap. VIII. p. 709.

d) Loc. cit. col. 735. b. „ MCCCCXLII. (ait)
„ obiit ELIZABETH, Regina *Ungariæ*, uxor
„ Regis ALBERTI, proxima feria quarta
„ ante feſtum S. THOMÆ Apoſtoli, in *Unga-*
„ *ria*, & ſepulta eſt in *Alba Regali*, & re-
„ liquit tres pueros. (proles.) „

e) Col. 1254. c. ubi eam præterea veneno extinctam, falſo fortaſſis rumore deceptus, aſſerit.

f) Col. 462.

Cæſaris e tribulis e mundi a) filia, neptis a
ELIZABETH iaceo marmore tecta domo.
Regna *Bohemorum*, velut hæres *Pannoniorum*,
Cum LADISLAO prole relicta peto.
Iſte SIGISMUNDUS pater, ALBERTUSque maritus,
Sceptigeri grati nam tenuere mei.
Impia ſed miſeram gens *Hunorum* viduatam,
Me cum pupillo depulit enſe ſuo.
Hoc opus iniuſtum per totum defleo mundum,
Forſitan æternus vindicet ille Deus.
Si poſſem parvo ferre nunc oſcula nato,
Pro quo plus doleo, ſum pia mater ego.
Mille quadringenti quadraginta duo CHRISTI
Anni, *præ* THOMÆ *mercuriante die*,
Tunc fallax vani me ſtitit gloria mundi,
Hic regina moror, pulvere ſparſa tegor.
Suſcipe me Domino, ſuperos da ſcandere CHRISTE,
Sic orate pii, dentur ut iſta mihi. 1442.

VI. Ætatem eius indagandi unicum nobis, quoad ſciamus, in antiquis monumentis veſtigium relictum eſt, HASELBACHIO b) in acceptis referendum, dicenti: ELISABETHAM, defuncto Rege marito, annum ætatis triceſimum nondum egreſſam fuiſſe. Unde eam anno ſeculi XV. circiter nono in hanc lucem editam fuiſſe, colligimus, id quod & præcipua cauſſa fuiſſe videtur; quod ALBERTI nuptiæ in annum 1422. qui tum quintum, & viceſimum, ſponſa vero non niſi tertium decimum ætatis annum agebat, dilatæ fuerint. c) Anni viætæ. b c

VII. Ex ALBERTO, & ELISABETHA nati ſunt liberi quatuor: GEORGIUS, de quo ſupra cap. III. LADISLAUS *Poſthumus*, quo de, cum ad ſepulturas *Pragenſes* ventum fuerit, agere decrevimus. Superſunt ANNA, & ELISABETHA, quarum illa, ut tomo ſuperiori d) diximus, natu maior fuit, id quod & HASELBACHIUS e) affirmat. Obiit in arce *Eccardsberg*, ubi multo tempore a marito iniuſte detenta, ac ærumnis obruta fuit, anno 1462. XIII. *Novembris*, ut ibidem docuimus, calculumque, quoad annum, adiiciente auctore *Thuringiæ ſacræ*. f) *Reinhardsbrunnæ*, ſeu ad *fontem* REINHARDI, ſepulturæ datam fuiſſe, idem teſtatur, quanquam HORTLEDERUS g) in ſuo *Thuringiæ Landgraviorum, Reinhardsbrunnæ* ANNA, ALBERTI II. Imp. fil. † XIII. *Novembr.* 1462. d e f g

a) Obſcura hæc MS. præferre, affirmat Cl. editor in not.
b) Col. 857. b.
c) Conf. tom. præced. P. II. Lib. I. cap. X. p. 100. ſeq. ubi tamen §. IX. lin. ult. loco 426. legendum 436.
d) P. I. proleg. III. §. LXX. p. LXXXIV. Ubi vero nobis error typhographicus irrepſit, ubi pro an. 1462. legitur. 63.
e) Col 853. b.
f) HENRICUS FRIDERICUS OTTO Monument. monaſt. *Reinhardsbrun.* p. 171.
g) In notis ad *Samuelis* REYHERI *monumenta Landgraviorum Thuring.* ab Illuſtr. MENCKENIO tom. II. *rer. Germ.* p. 879. nec non a laudato *H. Frid.* OTTONE edita p. 955.

næ humatorum, *catalogo*, illam præterierit. Illi enim præter *Ada-*
a b *mum* URSINUM a) recentiores etiam adſtipulantur. b) Eſt autem *Fons* REINHARDI Abbatia Ord. S. BENED. in *Thuringia*, quinque milliaribus *Erfordia* diſtans, a *Landgravio* LUDOVICO *Saltatore*,
c ſeu *Salio*, vulgo dem *Springer*, an. 1185. fundata, c) a temporibus autem LUTHERI, cum ruſticorum tumultuantium inſania diriperetur, monachis qua vi, qua metu, expulſis, deſolata. d) Fuit ibi
d *Thuringicorum* Principum, lineæ *Ludovicianæ*, commune fere ſepulcretum. At, eodem HORTLEDERO teſte, temporibus IOANNIS FRIDERICI lapides ſepulcrales, atque oſſa eorum, in arcem *Gothanam* translata, ac dirutis poſtea munimentis, diſperſa quidem fuere, ſervatis tamen nonnullis, quorum inſcriptiones affert laudatus REYHERUS. Lapidem tamen ſepulcralem ANNÆ dicto bello ruſti-
e co temeratum iam, quin & deſtructum fuiſſe, excitatus OTTO e) fidem facit.

Ætas. VIII. Epocha ANNÆ natalis litteris conſignata haud eſt. MÜL-
f LERO tamen teſte, f) anno 1440. annum ætatis octavum agebat, ut adeo 1432. aut præcedenti exeunte, naſci potuerit. Exeunte,
g inquam, quippe quod anno 1431. frater eius GEORGIUS g) natus ſit. Concordat ſummarium *repertorii* Archivi Cæſ. *Vindobon.* quo ſub dato *Francofurti* 1442. feſto S. BONIFACII convenitur, ut ANNA, *Norimbergam* tum mittenda, in Electoris WILHELMI, ſponſi ſui, gynæceo, antequam eidem matrimonio copularetur, duobus adhuc annis alatur, ſcilicet, quod per ætatem eius (quippe quæ, ſecundum eundem MÜLLERI calculum, tum non niſi annos decem, aut undecim, numeraret) copulatio ante fieri nequiret; quanquam eædem nuptiæ, ut loc. cit. diximus, etiam
h longius, atque in annum 1446. dilatæ fuerint. h) Ætatem igitur ad

a) Ap. laudat. MENCKEN. tom. III. p. 1335. c. „ Nach Gottis geburt 1460. (1462.) iar, „ da ſtarb Frau ANNA, Herczog WYLHELMS „ hausfraue, ynn groſsem elende zum „ *Eckersberge* auff dem Schloſse - - *und* „ *wart begraben zu Reinhardsborn.* „

b) Quos inter *Paulus Martinus* SAGITTARIUS ap. MENCKEN. l. c. tom. II. col. 805. c. aliique, mox citandi.

c) Eius hiſtoriam dedit citatus *Henr. Frid.* OTTO in *Thuringia ſacra*, ubi, reliquis Sriptoribus in diverſa abeuntibus, hunc nnum ex Annalibus monaſterii MSS. ab Anonymo, monacho *Reinhardsbrunnenſi*, concinnatis, pag. 55. col. 1. veriſimilius ſtatuit.

d) Teſte eodem OTTONE p. 173. §. CLXXI. Add. LISTEMANNUS, mox excitandus.

e) „ Ephitaphia (ait) lapidesque Principum, ac imprimis LUDOVICI *Pii*, Landgravii *Thuringiæ*, & ANNAE, WILHELMI, Ducis *Saxoniae*, coniugis, dehoneſtarunt. „ Aliquanto plura dicit *Wilhelmus* LISTEMANNUS, monaſterii tum temporis Prior, ab eodem ibidem editus, ubi pag. 294. „ Item die graber, und lichſteine der durchleuchtigen Fürſten geöffnet, und ſunderlich der heiligen durchleuchtigen Fürſten und Landgraven von *Döringen* LUDWICI, Sanct ELIZABETH ehelich Gemahl, gebeine in einer wohlbeſchloſsenen kiſten geöffnet, ſich damit geworffen, desgleichen auch das grab etc. der durchlauchtigen Königin ANNA von *Ungarn*, ehelich gemahl des Hochgebohrnen Fürſten Herrn WILHELM, Herzog zu *Sachſen* etc. die auch heilig geſchazt wird. „

f) *Annal. Saxon.* pag. 21.

g) Vid. dicta hic ſupra cap. III. §. V. p. 178. ſeq.

h) Add. *append. ad chron. vet. Cellenſ.* ap. laudat. MENCKEN. tom. II. p. 412 ubi & dies addittur: *auff montag nach* VITI. id eſt XX. *Iunii.*

ad annum triceſimum, aut certe triceſimum primum perduxit, mœrore, ut videtur, ob mariti (qui, ut diximus, ſuperinducta concubina, eam multis annis captivam detinuit) erga ſe immanitatem, confecta. Eam *Sanctæ* titulo exornat LISTEMANNUS, hic ſupra laudatus. a)

a

IX. ELISABETHAM, alteram ALBERTI II. Imp. filiam, CASIMIRO III. ſeu IV. *Poloniæ* Regi, anno 1454. nuptui datam fuiſſe, tomo ſuperiori docuimus, de quibus nuptiis ibi plura. Mortuo marito, id quod anno 1492. accidit, tertium Ordinem S. FRANCISCI ſuſcepiſſe, auctor eſt CZERWENCKA. b) Obitum eius nonnulli ad XXX. *Iulii* anni 1505. reponunt, alii, ut & epitaphium, mox adducendum, ad XXX. *Auguſti*, cum quibus & nos facimus, maxime cum XXI. *Septembris* primum elata ſcribatur, præſentibus, inter ceteros, magno numero, Principes, Epiſcopos, & Archiepiſcopos, ALEXANDRO, & SIGISMUNDO I. filiis. Depoſita fuit in Eccleſia cathedrali *Cracovienſi* ad ſiniſtrum latus ſacelli S. Crucis, quod ipſa pro ſacerdotibus octo, ac clerico uno, vivens fundaverat.

ELISABETHA, altera ALBERTI filia. † XXX. *Aug.* 1505.

b

X. Eius tamen monumenti hodie nihil ſupereſſe, præter tabulam pictam, a nobis hic ære expreſſam, per litteras nos edocuit Dominus FRANCISCUS WILHELMUS KINNERUS a *Scharffenſtein*, Aulæ Cæſareæ ad *Polonos* legatus, quæ quidem ad *Pinacothecam* noſtram *Auſtriacam* æque referri potuiſſet. Comparent in illa, præter ELISABETHAM noſtram, eius maritus, ac in medio filius eorum, S. CASIMIRUS, flexis genibus Beatiſſimam Virginem ſacro cultu venerantes. In perigraphe initium hymni: *Omni die dic* MARIÆ *mea laudes anima*, legitur, cuius Sanctus ille Princeps auctor putatur. At rem ſecus ſe habere, perdoctus P. *Leopoldus* WYDEMANN, *Carthuſianus Gemnicenſis*, ſingulari diſſertatione inedita oſtendit, docens præterea: illum probabilius CONRADO de *Heimburga*, Priori olim eiusdem cœnobii, qui præter *Matutinale Beatæ Virginis*, iuſſu CAROLI IV. Imp. huius CASIMIRI avi, contextum, ultra ſexaginta eiusmodi hymnos alios concinnavit, adſcribendum eſſe. c) Subiecti in inferiori tabulæ parte tres capuli, tria fœminarum, ex Auguſta *Auſtriaca* gente, *Cracoviæ* humatarum, continent cadavera, ANNÆ nimirum, CAROLI II. Archiducis filiæ, CONSTANTIÆ, eiusdem ſororis, & CÆCILIÆ RENATÆ, filiæ FERDINANDI II. Imp. de quarum obitu ſuis locis, ſervato temporis ordine, agemus.

Cuius tamen monumenti, præter tabulam pictam, hodie nihil ſupereſt. TAB. XX.

c

XI. Laudatus KINNERUS in memoratis litteris teſtatur: nullam apparere ſpem, monumentorum *Auſtriacorum* in *Polonia* amplius quidquam reperiundi, ac ultra hæc in crypta Regia *Cracoviæ* reliquum eſſe nihil. Miſſa quidem ſibi ex *Lithuania*, & *Polonia* maiore, epitaphia quædam, & inſcriptiones, eas vero in ſuis locis reperiun-

Epitaphium eius primum,

a) Loc. cit. pag. 293. & 294. utrinque col. 1.
b) *Pietat. Auſtr.* lib. III. cap. VI. p. 423.
c) Vid. Cl. STEVERERI *addit. ad Commentar.* pro hiſt. ALBERTI II. col. 71. ſeq.

periundas haud esse, atque adeo ex auctoribus *Polonis* TURLAYO, & SAMICIO desumptas. Ut ut se res habeat, eas hic damus:

Si te scire iuvat res claras, siste viator,
Et modica hæc saxis carmina sculpta lege:
ELISABETH iacet hic, regni Regina *Poloni*,
Fœmina, qua nunquam maior in orbe fuit.
Filia Cæsaris, atque soror, tum regia coniux,
Et mater Regum quatuor illa fuit.
Qvintus, adhuc iuvenis divorum sorte potitus.
Sextus pileoli fulsit honore rubri.
Sex pariter tulerat natas, magnisque locavit
Principibus, clarosque genuere Duces.
Huic *Agrippinæ* concedit gloria, Cæsar
Cui natus frater, virque, paterque fuit.
Namque illum constat turpi vixisse tenore,
Horridaque a nato fata tulisse suo.
Hæc caste ac sancte bis octo lustra peregit,
Cœlo animam, cineri restituit cinerem. a)

a Et secundum.

XII. Altera inscriptio, in æde Principis Angelorum super mausolea Regum extitisse dicitur, a SAMICIO producta:

AD GLORIAM NOMINIS ALTISSIMI DEI PATRIS OMNIPOTENTIS, ÆDIFICATVM TEMPLVM HOC ET SACELLVM ISTVD, EX MANDATO MAGNI ET GLORIOSI REGIS SERENISSIMI CASIMIRI DEI GRATIA POLONIÆ ET MAGNI DVCIS LITVANIÆ, TROCENSIS ET SAMOGITIENSIS, ET PRINCIPIS PRVSSIÆ, DOMINI ET HÆREDIS, HARVM ET MVLTARVM ALIARVM TERRARVM MONARCHÆ, ET ILLIVS REGINÆ SERENISSIMÆ DOMINÆ ELISABETHÆ EX STIRPE IMPERATORIA PRÆDECESSORE SERENISSIMO SIGISMUNDO, DOMINO TERRÆ RAGVSSIANÆ, BOHEMIÆ ET HVNGARIÆ, ANNO A NATIVITATE DEI PRIMO SVPRA SEPTVAGESIMVM MILLESIMUM b) PERFECTVM VERO HOC SACELLVM MENSE OCTOBRI DIE XII.

b

OBIIT ELISABETHA CRACOVIÆ ANNO 1505. 30. AVG. ATQVE 21. SEPTEMBRIS AB ALEXANDRO ET SIGISMVNDO I. FILIIS ELATA, IN SINISTRA PARTE SACELLI S. CRVCIS IN ECCLESIA CATHEDRALI CRACOVIENSI EST SEPVLTA.

XIII.

a) Conf. dicta *Pinacoth. Austr.* P. I. prolegom. III. §. LXXIX. pag. LXXXIII.

b) Supple: QUADRINGENTESIMUM.

XIII. Senio conſumptam, ſeptuagenariam prope deceſſiſſe ſcribunt. Quod quidem a veritate non multum abeſſe, ex HASELBACHII verbis colligimus, aientis: „Poſt hanc (ANNAM ſcilicet) „alteram (ALBERTUS) genuit filiam, ELISABETH nomine, quæ „iam quintum decimum ætatis annum agens, perſtitit innupta, ſed „poſtea Regi *Poloniæ*, cui ſedecim pueros (liberos) peperit, nupſit.„ Hoc enim, niſi vehementer fallimur, idem eſt, ac dicere ELISABETHAM ad annum uſque decimum quintum innuptam vixiſſe, ſexto decimo autem iniiſſe nuptias. Hæ igitur cum an. 1454. proceſſerint, emergunt anni vitæ plus minus ſexaginta quinque. Ætas.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS II. LIBER IV.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA
DUCUM, ARCHIDUCUMQUE AUSTRIÆ,
AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM.

DUCTO INITIO AB
ERNESTO FERREO
AD USQUE
PHILIPPUM PULCHRUM,
CASTILIÆ REGEM,
LINEÆ HISPANO-AUSTRIACÆ SATOREM.

CAPUT I.

ERNESTI FERREI, DUCIS AUSTRIÆ, ET STYRIÆ, TUMULUS, ET CRYPTA, IN RUNENSI STYRIÆ MONASTERIO, NEC NON AMBARUM EIUS CONIUGUM SEPULTURÆ.

§. I.

RUNENSE ſacri Ordinis *Ciſtercienſis* monaſterium, vulgo *Rein*, ſive *Rain* dictum, duobus circiter milliaribus *Græcio*, *Styriæ* metropoli, ſeiunctum, a LEOPOLDO, Marchione *Styriæ*, inchoatum, & ab uxore eius SOPHIA, ac filio OTTOCARO, an. 1129. ad faſtigium deductum fuiſſe, accepimus. a) In huius templi a choro exſtat monumentum ſepulcrale *Auſtriacum*, cuius formam prius-

Sacra *Runenſis* Abbatiæ incunabula, ac crypta ibidem ſepulcralis,

a) Vid. R. P. GRANELLII *Topogr. Styriæ*, p. 46.

priusquam deſcribamus, monere liceat: miſſum a nobis an. 1741. ad illud delineandum *Salomonem* KLEINERUM, iam non ibi templi veteris ſtructuram, ſed ædem inveniſſe novam. Commode tamen accidit, ut chorus, in quo dictum conſiſtit monumentum, integrum adhuc repertum fuerit, licet Reverendiſſimus loci Abbas in animo iam tum habuerit, impetrata ab Aula Cæſarea facultate, ſepulcro loco moto, novum condendis oſſibus exſtruendi mauſoleum; quippe quod nova ædes converſa, ab ea parte introitum habeat, ubi chorus ille antiquus, ac ſupremum altare poſitum eſt. Hoc utrum abinde executioni mandatum fuerit, nec ne? nos equidem fugit. Dolemus tamen, ſæpius contingere, ut vetuſta Principum monumenta, hunc in modum transpoſita, oculis tandem, & menti mortalium ſubducantur.

Illiusque forma exterior, TAB. XXI.

II. Vergebat antiquus chorus, cum ſummo altari, Orientem verſus, tribus ſuper pavimentum templi gradibus excitatus. Iuxta idem altare a latere Evangelii contingit tumulus ſaxeus, *Gothica* ratione formatus, longus pedes ſex, digitos undecim, latus pedes quatuor, ac pedes duos, cum tribus digitis, altus. Impoſitum operimentum e marmore rubicundo, longitudine pedum octo, totidemque pollicum, latitudine pedes quatuor, pollices quinque, craſſitudine pedes octo, cum dimidio adæquat. In hoc exciſa eſt imago ERNESTI cataphracti, ac chlamyde Principum induti, capite pulvinari impoſito, ac galero Ducali redimito. Dextra præterea ſceptrum, quamvis ſuperiori parte deiiectum, læva gladium bellatorium gerit, ac duo hinc inde genii dictum paludamentum ſuſtinent. Pedibus duo leonum, *Carinthiæ*, *Carniolæ*que clypeos ſuſtentantium, ſimulacra ſubſtruuntur, in ſuperioribus duobus angulis, *Auſtriæ*, & *Styriæ* inſignibus exſculptis. In margine operimenti ſequens epitaphium, notis *Gothicis*, ſeſe legendum offert: ANNO. DOMINI. M. CCCC. XXIIII. DECIMA. DIE. MENSIS. IUNII. OBIIT. SERENISSIMUS. PRINCEPS. DNS. ARNESTUS. ARCHIDUX. AUSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. CARNIOLE. ZC. REQUIESCAT. IN. SANCTA. PACE.

Uti & interior.

III. Hæc facies tumuli exterior erat. Ad interiorem partem, ſeu cryptam ipſam ut perveniretur, pavimentum (quoniam aditus indicium nullum apparebat) variis in locis tentandum fuit, donec, duabus horis conſumptis, ad murum denique ventum eſt, foramine, quod in ſchemate noſtro indicatur, perfrigendum. Per illud ſe ſe intromittentibus crypta occurrit fornicata, cuius longitudo ab Oriente in Occidentem non niſi pedum ſeptem, digitorum quatuor: latitudo totidem, ac altitudo quinque pedum erat. In parvula hac crypta duo tantum funera, eaque olim loculis quadratis exiguæ operæ, condita, quantum erat ſpatii, complebant. Arcarum aliquot ligna

gna lateraria adhucdum diſcerni poterant: opercula autem prorſus dilapſa, nec quicquam integrum, niſi tabula infima, humi iacens. TAB. XXI.

IV. ERNESTI corpus ad dextram, ſeu verſus meridiem, ex adiacente inſignis magnitudinis gladio, rubigine exeſo, ac vagina lignea, corio obducta, cuius tamen ſutura ſoluta eſt, nec non ex fruſtis coriaceis balthei, cuius fibula, ac roſæ perforatæ, ex orichalco inauratæ erant, facile dignoſcebatur. Gladius hic longus erat tres pedes, capulus vero, cuius decuſſis confracta erat, novem pollices. Nodus pariter inſignis magnitudinis erat, at manubrii pars media eo uſque rubigine corrupta, ut in manibus excipientis diffringeretur. Eius ſchema in noſtra tabula damus. Ipſum corpus, ſitu intacto, veſtimentis holoſericis fuſci coloris, & auro ſcutulatim denſiſſime contextis, inviolatum erat: facie, more conſueto, altare ſupremum verſus reſpiciente. Maxillæ quidem integræ, multis tamen dentibus mutilatæ, occipitium contra putredine exeſum erat. Os fœmoris longitudine pedem unum, ac digitos ſeptem, menſuræ *Vindobonenſis*, æquans, ex comparatione membrorum anatomica, ſtaturam Ducis proceritate ſex circiter pedum fuiſſe, indicio erat. Ibi funus ERNESTI *Ferrei* repertum,

V. Ad ſiniſtram huius corporis, verſus aquilonem, aliud conſpiciebatur funus, cuius amictus, ex panno ſerico fuſci coloris, floribus diſtincto, & ſcutulato, paucis exceptis particulis, deperiit. Caput minus mutilum erat, aliqua tamen pars occipitis conſumpta. Inveniebatur præterea aliquid capillamenti rubicundi, ac intorti, in tabula noſtra pariter exhibiti, quod, unacum oſſium gracilitate, argumentum corporis præbebat muliebris. Quanquam vero, excuſſis rebus cunctis, nulla inventa ſit lamina, nomine inſcripta, haud tamen ambiguum eſt, quin corpus hoc, corpus ſit MARGARITHÆ *Pommeranæ*, ERNESTI coniugis primæ; utpote cum altera, CIMBURGIS nomine, de qua poſtea, *Lilienveldæ* ſuam nacta ſit ſepulturam. Ac uxoris eius primæ, MARGARITHÆ *Pommeranæ*.

VI. De anno, & die obitus ERNESTI dubium obverſatur nullum; quando præter recitatum epitaphium, diem X. *Iunii*, anni 1424. indigitans, etiam teſtem habemus, omni exceptione maiorem, FRIDERICUM *Placidum*, eius filium, poſtea *Romanorum* Imperatorem, in ſuo diario, a) Latine hic reddito, ſic aientem: „Pa- a
„ter meus Archidux ERNESTUS obiit in vigilia Pentecoſtes, an. 1424. „ Accedit lapis *Muræpontanus*, quo de mox, Necrologium *Neoſtadienſe*, codex MS. *Ambraſianus*, aliique, vigiliam Pentecoſtes, quæ tum in decimnm *Iunii* inciderat, diſerte etiam ponentes: quibus accedit Anonymus *Tegernſeenſis*, ſabbatum ante VITI, quod eodem recidit, nominans. b) Quare emendandi ſunt *Vitus* ARENPECKIUS, b
Obitus ERNESTI 1424. x. *Iunii*.

a) Ap. LAMBEC. *Diar. itiner. Cellenſ.* p. m. 10. „Mein vater Erzherzog ERNST iſt ge„ſtorben am Pfingſt abend 1424. „

b) Ap. *Hier.* PEZ. *rer. Auſtr.* tom. II. col. 469.

TAB. XXI. a b c PECKIUS, a) ac Chronicon *Stamſenſe*, b) V. Idus *Iulii*, errore duplici, nec non LEQUILEUS, V. Idus *Iunii*, & BIRCKENIUS nonam eiusdem menſis prodentes. c) Longius aberravit GANSIUS in *Arboreto*, annum 1420. fatalem eidem fuiſſe, narrans. Sunt præterea, qui illum *Græcii* exceſſiſſe putant, ad id *Muræponti* contigiſſe, non ſolum inteſtina, ibi relicta, ſed & Scriptores plerique allegati teſtantur.

Cuius viſcera *Muræponti* condita.

VII. Ibi igitur, vulgo *Brugg an der Muhr*, ſex milliaribus *Græcio* diſtante, in templo Curiali, a S. MARIÆ natalitiis nuncupato, in pavimento prope ſcalam conſtratum eſt marmor ſepulcrale rubrum, octoangulum, quatuor pedes, octoque pollices latum, cuius area circulum conficit, inſignia *Auſtriæ*, *Styriæ*, & *Carinthiæ*, ſuperpoſito galero Ducali, inter parergas ex frondibus repræſentans. Circumſcribuntur in peripheria Latino ſermone, at litteris Germanicis, lectu non admodum expeditis, verba ſequentia: HIC. SVNT. ERNESTI. ARCHI. VISCERA. CLAVSA. DVCIS. I. 1424. DECIMA DIE MENSIS. IUNII. QUO SATVS EST CÆSAR FRIDERICVS TERCIVS. Ex quibus ultimis verbis colligitur, inſcriptionem hanc poſt annum 1440. quo FRIDERICUS Rex *Romanorum* creatus fuit, poſitam fuiſſe; quin anno 1453. ſuperiorem haud eſſe, ex *Archiducis* axiomate colligimus, quod quidem, etſi antea cognitum, quin iam a RUDOLPHO IV. uſurpatum, ante tamen hunc annum legitime, ac pro ſemper introductum haud fuiſſe, compertum habemus. d)

Anni vitæ.

VIII. *Ætatis* eius, reliquis tacentibus, indicium nobis præbet hiſtoria *Auſtralis* MS. illum ætatis XLVI. mundo valedixiſſe, memorans; unde anno ſeculi quarti decimi ſeptuageſimo ſeptimo, ut quidem tomo ſuperiori e) docuimus, in hanc lucem editus eſt. Accedit BIRCKENII auctoritas, aſſerentis, f) patrem LEOPOLDUM hanc filii ſui nativitatem urbi *Auguſtanæ* eodem anno 1377. certo, ac ſpeciali nuntio, notam fieri curaſſe. Serius præterea natum fuiſſe, minus veriſimile etiam ideo eſt, quod nuptiæ eius primæ iam tum an. 1392. ante XIX. *Novembr.* Duce, ſecundum hunc calculum, annum ætatis XV. agente, proceſſerint.

MARGARETHA, ux. ERNESTI prima, quando, & quo anno ſit mortua?

IX. Iam ut ad MARGARETHAM, BOGISLAI V. Ducis *Pomeraniæ Stettinenſis*, filiam, ac ERNESTI *Ferrei* coniugem primam, redeamus, de tempore obitus eius Necrologium *Runenſe*, ubi (ut vidimus, ac ſupra memorata *familia Ducum Auſtr.* codicis MS. *Ambraſiani* etiam confirmat) ſepulta iacet, ſic habet: „ Anno Domini „ MCCCCVIII. obiit devotiſſima in CHRISTO Duciſſa MARGARETHA

a) Ibid. tom. I. col. 1291. c.
b) Ib. tom. II. col. 459. c.
c) In *Pinacothecæ Auſtr.* P. II. p. 128. pro X. *Iun.* III. legitur, ſed MS. noſtro teſte, errore typographi.
d) Vid. dicta *Pinacothec. Auſtr.* P. II. lib. I. cap. XIII. §. IV. p. 120.
e) Ibid. cap. XV. p. 128.
f) *Spiegel der Ehren* lib. IV. cap. VI. p. 438.

„ THA *Auſtriæ*, & *Styriæ*-- fuitque oriunda de *Stetin*. Hæc fuit „ uxor Ducis ERNESTI, qui fuit Dux *Auſtriæ*, & *Styriæ* &c. „ Huius *Necrologii* auctoritatem, BIRCKENIO, a) annum 1410. aſſignanti, præferre, nulli dubitaremus, niſi monumenta *Runenſia*, ut cap. ſeq. dicemus, non uſque adeo probatæ fidei viderentur, & haud dubie ætate illa inferiora. Quare interim, dum certiora illuceſcant, fide BIRCKENII ſtare, viſum eſt. Longius aberrant auctor Chronici *Stamſenſis*, b) & ARENPECKIUS, c) annum 1422. obtrudentes, quanquam ille ſubdubius; *ut puto*, adiiciens. Certum eſt enim, ERNESTUM anno 1412. aut ſequenti, ad nuptias ſecundas convolaſſe. d) Ætas eius in obſcuro eſt. Atenim cum nuptiæ eius, ut mox diximus, anno 1392. quo ERNESTUS annum ætatis XV. agebat, illigandæ ſint, illa tum ætate haud multo provectior fuiſſe videtur. Verum cum, ſi vulgatis tabulis genealogicis fidendum, pater eius BOGISLAUS V. anno 1374. ad plures abierit: illa tempore nuptiarum annos non minus, quam un- aut duodeviginti habere potuit; unde ſi anno 1410. ut quidem exiſtimamus, demortua eſt, anni circiter vitæ ſaltem triginta ſeptem prodibunt.

Tab. XXI. a b c d

X. De CIMBURGA, filia ZIEMOVITI, Ducis *Maſſoviæ*, ERNESTI noſtri coniuge ſecunda, memoriæ proditum eſt: eam in itinere ſacro, ad B. Virginem *Cellenſem* in *Styria*, conſtitutam, ac *Dirnizii* morbo correptam, animam creatori reddidiſſe, die XXVIII. *Septembris* an. 1429. Tum vero corpus *Campililium*, de cuius Abbatiæ monumentis ſepulcralibus hic ſupra e) pluribus egimus, delatum, ibidemque terræ mandatum fuiſſe, tam auctores coævi, quam chartæ eiusdem monaſterii, fidem faciunt. In tumulo fundatoris depoſitam fuiſſe, ſequens locus chronici MS. eiusdem monaſte-

CIMBURGIS, anno 1429. XXIX. *Sept.* defunctæ, ſepulturæ. e

a) Ibid. lib. IV. cap. IV. pag. 415.
b) Col. 460. a.
c) Col. 1291. c.
d) Has nuptias a BIRCKENIO ad an. 1411. ab HASELBACHIO autem, nec non *hiſtoriæ Ducum Styriæ* Auctore, biennio ſerius recenſeri, tomo ſuperiori P. II. lib. I. cap. XV. §. XI. pag. 130. retulimus. Verba HASELBACHII col. 844. b. ad annum 1413. ſunt iſta: „ Tunc etiam Dominus ERNESTUS, „ poſtquam a terra ſancta reverſus, militiam „ adeptus, pretioſe venit ad regalem Cu„ riam, *Budæ* proclamatam. -- Et quia vi„ duatus uxore prima extitit, hinc ad *Cra„ coviam* propria in perſona ad conſpicien„ dam quandam Duciſſam, ZIMBURGAM no„ mine, ſe conferre mutato habitu non „ dubitavit. -- Sed dum ibidem cognitus ex„ ſtitiſſet, & Rex *Poloniæ* cauſam ſui adven„ tus cognoviſſet, præfatam virginem nu„ ptiis ſibi -- copulavit. „ Verum comitia SIGISMUNDI Cæſaris *Budenſia* non ad an. 1413. ſed præcedentem, collocanda eſſe, ex diplomatis, eo in loco ſubſcriptis, ut auctores modo in ſubſidium haud vocemus, abunde patet. Extant apud LUNIGIUM, ac primum quidem *P. Spec. contin. I. Fortſ.* III. p. 31. primo *Iulii* an. 1412. ſignatum: alterum ap. eund. C. I. D. tom. II. p. 2463. IV. *Sept.* eodem anno ſubſcriptum. Quibus ſic ſe habentibus, nuptiæ, citata HASELBACHII verba ſi conſideremus, facile adhuc eodem anno peragi potuerunt, immo revera peracta fuiſſe, auctor etiam coœvus, PALTRAMI continuator, col. 731. c. nec non *Genealogia Wittenbergenſis* conteſtantur. Quare annum 1411. merito, atque ideo etiam excludimus, quod ERNESTUS, ſecundum ſupra excitatum inſtrumentum, eodem anno, & quidem XXX. *Octobr.* adhucdum *Vindobonæ* verſatus, poſtea vero iter ſuum *Hieroſolymitanum* aggreſſus, non niſi anno ſubſequenti, quo in dictis comitiis compauit, redierit.
e) Lib. I. cap. VIII.

naſterii evincit: „Tertium tumuli loculum (ait) occupat ZIM„BURGA, *Auſtriæ* Archiduciſſa. Inſcriptio ſic habet: ANNO „MCCCCXXIX. IN DIE S. MICHAELIS OBIIT ILLUSTRIS PRIN„CEPS ET DOMINA ZIMBURGA, NATA DE MAZOVIA, QUON„DAM SERENISSIMI PRINCIPIS DOMINI ERNESTI, ARCHIDU„CIS AUSTRIÆ, RELICTA, ET HIC SEPULTA IN TUMULO FUN„DATORIS NOSTRI. „ Quam quidem inſcriptionem, quanquam ſat auctoritatis habere videatur, locumque ſepulturæ extra dubium ponat: mendoſam tamen quoad diem fatalem eſſe, inficiari nequit; niſi forte dicamus, Principem poſt veſperas primum obiiſſe, atque adeo, more alias non inconſueto, diem mortis ſequentem annotatum fuiſſe. Nam revera die, feſtum S. MICHAELIS antecedente, exceſſiſſe, teſtem producimus, omni exceptione maiorem, filium videlicet eius, FRIDERICUM *Placidum*, in diario, ſupra allegato: nec non Necrologium *Neoſtadienſe*, cuius notitiam cap. ſeq. dabimus, ac denique ſæpe memoratum codicem *Ambraſianum*, *veterum Marchionum*, *ac Ducum Auſtriæ familiam* exhibentem. Errat ergo iterum Chron. *Stamſenſe*, cum inſcriptione faciens, ac multo magis BONSTETENIUS, ERNESTUM an. 1423. & CIMBURGAM an. 1432. deceſſiſſe, ambosque *Lilienveldæ* ſepultos, exiſtimans.

CAPUT II.

ERNESTI FERREI LIBERI QUINQUE, NEOSTADII AUSTRIÆ AD SEPULTURAM DATI.

§. I.

Tumuli *Neoſtadienſis* deſcriptio. TAB. XII. ſect. II.

NEAPOLI *Auſtriæ* in templo cathedrali, qua parte, recluſis chlatris ferreis, in chorum Canonicorum, citeriori aditu, intratur, poſitus eſt in medio tumulus marmoreus, octo pedes, digitumque unum longus, latus quatuor pedes, cum digitis tribus, ac tres pedes cum octo digitis altus. Monumentum hoc varia ornamenta, ac inter cetera tredecim ſcuta circumdant, quorum, in tribus lateribus, octo conſpiciuntur, ex quibus tamen non niſi quinque provinciarum teſſeræ internoſci poſſunt: *Burgoviæ* ſcilicet, *Alſatiæ*, quinque volucres, ſive parvæ aquilæ, vetus, ut vocant, *Auſtriæ* inſigne, *Habsburgi*, & *Portus Naonis*: reliquis utpote pictura tantum expreſſis, obliteratis. Operculum contra, marmore graviter inciſo, media parte hodierna continet *Auſtriæ* inſignia, cauda pavonis faſtigiata, ac duobus ſuſtentata leonibus. Denique ad quaternos angulos alia proſtant inſignia, *Styriæ* nempe, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, & *Tyrolis*, eaque leonum, aliarumque rerum figuris exornata.

Inſcriptio eius, & epocha.

II. Inſcriptus huic operculo titulus, temporisque notatio, pro genio ſeculi XV. adeo ſunt obſcura, ut ſenſum ægre aſſequaris. Attamen hæc verba: ILLUSTRIS. PRINCIPIS. DOMINI. CLARISSIME.

SIME. VITIS. ARNESTI. GRATI. ARCHIDUCIS. AUSTRIE. NATI. HIC. REQUIESCUNT. ſatis oſtendunt, in hoc loco liberos ERNESTI *Ferrei* cubare, isque fortaſſis viti ideo comparatur, quod numeroſam germinaverit prolem. Subſequitur: ET. ANNI. DOMINI. CRESCUNT. AD. M. ET. QUADRUPLEX. C. BINUM X. I. QUOQUE. DUPLEX. ubi annum CHRISTI MCCCCXXII. quo tumulus erectus eſt, indigitari, non niſi difficulter videas. At hæc ſcribendi ratio cum hoc, tum ſuperiori tempore, docta admodum, & ingenii plena habebatur. Tab. XII. ſect. II.

III. His inſpectis, cum inter denotatum iam tumulum, & altare ſupremum, pavimento impactus animadverteretur abacus ſaxeus, pedes quinque, pollices octo longus, latus vero pedes duos, pollices quatuor, eo facili negotio ſublato, ſcala occurrebat novem graduum, in parvam ducens foveam concameratam, ſeptem pedum longitudine, quatuor, & trium pollicum latitudine, altitudine vero pedum quinque porrectam, ac tumulo examuſſim ſubiacentem. Crypta hæc, etſi per irrumpentem crebro aquarum illuviem, limo, & luto ſcateret, altare tamen verſus exiguarum trium calvariarum reliquiæ, aliaque oſſicula, luto inhærentia, conſpiciebantur. Tum quoque prope ingreſſum duo alii ſe ſe offerebant cumuli, quibus duorum cadaverum exuviæ continebantur; ut adeo quinque hic funera tuto numerari poſſent, eo modo ſita, quo tabulæ noſtræ inciſa ſunt. Ceterum in fornice templi *Auſtriaca* inſignia, coloribus expreſſa, cernuntur, adſcriptis quinque vocalibus litteris *Gothicis*, noto FRIDERICI *Placidi* Imp. cuius expoſitionem in *Nummotheca Auſtriaca* dedimus, ſymbolo. Adduntur clypei regni *Luſitaniæ*, ad illius uxorem ELEONORAM referendi, tribus aquilis argenteis in area cærulea ſubiectis. Quæ quidem indicio nobis ſunt, chori huius aut exſtructionem, aut reſtaurationem, quin ipſam tumuli molem FRIDERICI Imp. pietati adſcribendam eſſe. Cryptæque inveſtigatio.

IV. ERNESTI *Ferrei* liberos, prima ætate, ac maximam partem vivo etiamnum patre, decedentes, huic cryptæ illatos fuiſſe, cum adducta tumuli inſcriptio, tum & Necrologium eiusdem Eccleſiæ, quo de ſæpe mentionem fecimus, fidem faciunt. Magnæ illud tabulæ vernacula lingua inſcriptum, ac ibi ſuſpenſum, initium ſumit a RUDOLPHO I. *Rom.* Rege, finitque cum ANNA FERDINANDI II. Imp. coniuge, an. 1547. defuncta. Exemplum eiusdem in MS. codice Auguſtæ Bibl. Cæſareæ a) quoque ſervatur. Ex eo itaque ut hic excerpta, Latine reddita, proferamus, operæ pretium erit: Funerum quoque recenſus ex Necrologio *Neoſtadienſi*.

Anno Dom. 1424. d. 10. *Iunii*, in vigilia Pentecoſtes obiit ſereniſſ. Dux ERNESTUS, Archidux *Auſtriæ*, ex CIMBURGE, uxore

a) Inter hiſtor. profan. num. 263. p. 22-38

re ſua, tres filios, totidemque filias poſt ſe relinquens: FRIDERICUM ſcilicet, ALBERTUM, & ERNESTUM iuniorem.

Nomina ſuperſtitum filiarum: MARGARITHA, CATHARINA, & ANNA.

Ante patrem e vita migrarunt proles omnino tres ALEXANDRA virgo, RUDOLPHUS, & LEOPOLDUS Principes.

Anno 1429. moritur in feſto S. MARTINI prædicta ANNA, ERNESTI filia, hic in choro ad funus ſororis adpoſita.

Anno 1432. die S. LAURENTII, inter horam nonam, & decimam noctis, e vivis abiit ERNESTUS Iunior, hic in choro cum fratribus, & ſororibus, ſepultus.

Cuius auctoritas firmatur.

V. Cum inſcripturis correſpondet ARENPECKIUS coævus, a) ERNESTI proles his verbis enumerans: „ ALEXANDRIA, ANNA, „ CATHARINA, MARGARETA, RUDOLPHUS, LEOPOLDUS, ER- „ NESTUS Dux, filius ERNESTI Archiducis, obiit anno Domini „ 1432. in die S. LAURENTII. De ALBERTO, & FRIDERICO, iam „ infra dicetur.„ Differt nonnihil citatus codex *Ambraſianus*, de liberis, ab ERNESTO relictis, duntaxat loquens, ante illum mortuos prætermittens ſilentio. Addit tamen, ANNAM, & ERNESTUM, iuvenes obiiſſe. Nec non & LEQUILEUS, cum hoc diſcrimine, quod nonnullos ex prima etiam uxore, id quod & BIRCKENIUS loc. cit. facit, natos exiſtimet, quorum imagines *Neoſtadii* in Eccleſia parochiali pictæ cernantur, omiſſoque FRIDERICO *Placido*, liberos ERNESTI ad numerum nonniſi octonarium cogat, novem cum

a

b fuerint. Graviori errore Anonymus *Gemnicenſis* b) filios duntaxat duos eidem ſupervixiſſe, memorat. Verum nemini ambiguum eſſe poteſt, quin Necrologio, utpote auctoritate publica, ac in ipſo loco humationis confecto, magis fidendum ſit, & quidem non ſolum quoad ſepulturæ locum; ſed & quoad matrem illorum; ut quos ex ſola CIMBURGA procreatos dicit. Primam certe uxorem haud peperiſſe, etiam GUILLIMANNUS adſtruit. Denique cum Necrologio, quoad ERNESTI iunioris obitum, præter adductum ARENPEC-

c KIUM, etiam chronicon *Stamſenſe* c) concordat: ut adeo minus accurate ſcribat HASELBACHIUS, licet ſynchronus, eum *in ſua in-*

d *fantia mox*, *poſt patrem* obiiſſe. d) Neque enim ſtatim poſt patrem deceſſiſſe, dici poteſt, qui eum poſt annos fere octo inſecutus eſt.

Monumenta *Runenſia*, ac LAZIUS, quartam addens filiam, ſubleſtæ fidei.

VI. Ex his facile eluceſcit, quænam fides arbitranda ſit MS. *Runenſi*, poſt verba, ſupra allegata, ſic proſequenti: „ & filia (ERNESTI) „ & frater eius, & Dux RUDOLPHUS *Auſtriæ* (ſubintellige, hic ſe- „ pulti ſunt) iuxta ſummum altare. requieſcant in pace. Amen. „ Enimvero RUDOLPHUM *Neoſtadii* ſepultum vidimus, nec non & fratrem LEOPOLDUM, & ſororem eius ANNAM, quos ultimos auctor

a) Col. 1291. c.
b) Col. 380. c.
c) Col. 460. a.
d) Col. 844. d.

auctor ſcripti nec nominare quidem poterat, quibus certe *Runæ* locus eſſe nequit. Graviter quoque, pro more, hallucinatur LAZIUS, a) quartam ERNESTO affingens filiam, ELISABETHAM nomine, Comiti *Werdenbergenſi* nuptam. Qua tamen in re conſentientem ſibi habet LEQUILEUM ex BUCELINO, Comiti nomen HUGONIS tribuentem, nec non GANSIUM in *Arboreto*, ac denique *Genealogiam Wittenbergenſem.* b) Verum ceteri, quos inter & GUILLIMANNUS, ac præcipue laudatum Necrologium, quod quidem in hac parte omnem fidem meretur, altum de ea ſilent. BIRCKENIUS c) eandem ex CAROLO I. Marchione *Badenſi*, & CATHARINA *Auſtriaca* ERNESTI neptem facit, GEORGIO, Comiti *Werdenbergenſi*, iunctam. At Celeberr. hiſtoriæ *Badenſis* parens, SCHOEPFLINUS d) non niſi filiam illius CAROLI unicam, CIMBURGAM nomine, agnoſcit. Diverſitas opinionum, ac varietas nominum, nec non graviorum ſilentium Scriptorum, LAZIO, ſuisque exſcriptoribus, fidem abiudicant.

a
b
c
d

CAPUT III.

DE SEPULTURIS MARGARITHÆ, ET CATHARINÆ, ERNESTI FERREI FILIARUM, NEC NON MECHTILDIS, ALBERTI VI. CONIUGIS.

§. I.

ALTENBURGI *Saxoniæ*, in templo *Palatino*, ubi olim fuit Eccleſia collegiata S. GEORGII, ſepulturam nacta eſt MARGARITHA, ERNESTI *Ferrei*, Archiducis *Auſtriæ*, filia, ac FRIDERICI *Placidi*, Electoris *Saxoniæ*, uxor. Sepulcrum eius in choro, altari adverſum, conſueta cippi magnitudine, tabulam æneam impoſitam habet, quatuor ulnas longam, & duas latam, ac aſſeribus inſuper contabulatam. Huius delineationem, quam tabulæ XII. inſeruimus, D. L. Baronis a *Seckendorff*, Seren. Duci *Gothano* a conſiliis ſecretis, & ad aulam Cæſaream Legati, ſtudio, ac favori, debemus. Parum abeſt hæc effigies ab eo ſchemate, quod editis a ſe monumentis *Landgraviorum Thuringiæ*, & *Marchionum Miſniæ*, inſeruit *Samuel* REYHERUS, e) quodque deinde *Thuringiæ Sacræ* attexuit ſæpe laudatus OTTO num. 51. Apparet in eo Princeps capite velato, ac palla longiori induta, eum fere in modum, quo hodie Sanctimoniales incedunt. Manibus inſuper corollam continet precatoriam, & in quatuor angulis totidem ſcuta exhibentur, inſignibus *Saxonicis*, & *Auſtriacis*, conſpicua.

MARGARITHÆ, *Altenburgi*, in *Saxonia* ſepultæ, monument. ſepulcrale deſcribitur. TAB. XII. ſect. III.

e

II.

a) In Commentar. p. 265.
b) P. I. c. VI. tab. 6.
c) *Spiegel der Ehren.* Lib. IV. cap. VI. p. 444.
d) *Hiſtor. Badenſ.* tom. II. lib. IV. cap. III. pag. 188.
e) Edit. an. 1692.

Epitaphium.

II. In peripheria hæc inſcriptio legitur: ANNO. DNI. MCCCCLXXXVI. DOMINICA. INVOCAVIT. OBIIT. ILLUSTRISSIMA. DNA. MARGARETHA. DUCISSA. SAXONIE. LANDTGRAVIA. THORINGIE. ET. MARCHGRAVIA. MISSNE. EX. DOMO. AUSTRIE. NATA. CUIUS. ANIMA. REQUIESCAT. IN. PACE. HIC. SEPULTA. Huic ipſi epitaphio, a Clar. MENCKENIO quoque edito, TENZELIUS apud eundem a) hanc notam ſubtexuit: „ Dominica *Invocavit* incidit eo anno in XII. *Febr.* ſed mortua eſt MARGARETHA quatriduo ante MAXIMILIANI Electionem in Regem *Romanorum*, quam omnes Scriptores in diem *Iovis* poſt *Invocavit*, & XVI. *Februarii* conferunt. FRIDERICUS Imperator huic ſorori ſuæ cum toto Imperio ſplendidas *Francofurti* exequias, Dominica *Reminiſcere*, celebravit, quas deſcripſit Anonymus, a BOECLERO editus, pag. 299. Conſervatur codicillus electionis, & coronationis MAXIMILIANI in Regem *Romanorum* apud FREHERUM T. III. *rerum Germanic.* p. 23. De hac die emortuali certo MARGARETHÆ integrum tractatum edidi in 12. „ Hæc TENZELIUS. Tractatum hunc nos equidem haud vidimus, at ſuffragante hoc noſtro epitaphio, contra LINCKERUM, & MÜLLERUM, qui diem quintam *Februarii*, nec non *Hiſtoriæ Styriæ* Auctorem, qui diem inſecutum ponit, aliosque, facile aſſentimur.

a

Aliud eiusdem elogium.

III. Aliud quoque MARGARITHÆ elogium in eadem Eccleſia retro aram viſitur. Inſcriptum eſt inauratis litteris tabulæ ligneæ, novem pedes, & tres digitos altæ, latæ vero quatuor pedes, cum digitis quinque. Inferne pavimento inſiſtit, reliquum muro laterali iungitur. Renovatum hoc monumentum anno 1649. ſed, ut contextus inſcripturæ Germanicæ habet, ad fidem exempli veteris. Integrum hoc elogium, quod cum epitaphio convenit, de cetero autem eiusdem liberos enarrat, ac inſuper etiam horam obitus, nonam ſcilicet pomeridianam addit, in calce huius paginæ adſcribere b) viſum eſt.

b

Ætas.

IV. Ætatem MARGARITHÆ eruere, difficile eſt. ELISABETHA autem, ſorore ſua maiorem fuiſſe, ex *Summario* Archivi Cæſarei,

? vide p. 232

a) *Rer. Saxonic.* tom. II. col. 853.

b) Ehrengedächtnus.
Der weiland Durchleuchtigſten Hochgebohrnen
Fürſtin und Frauen MARGARETEN Herzogin und Churfürſtin
zu *Sachſen*, geborner Erzherzogin zu *Oeſterreich*, nach Ihren
heiligen abſchied anhero geſezt, und bey erneuerung diſer
Kirchen nach dem alten original eigentlich abgebildet im Herbſtmonath des MDCIL. Iahres

Erbarme dich Gott von himmelreich,
MARGRETEN geborn von *Oeſterreich*,
Herzog FRIEDRICHS zu *Sachſen* gemahl,
die erlitten hat des todes fall,
nach CHRISTI geburt vierzehen hundert iahr
darzu ſechs und achzig um neund' hor

ſarei, a nobis tomo ſuperiori a) producto, nec non ex HASELBACHIO b) diſcimus: nuptias autem illius anno 1431. die III. *Iunii* actas fuiſſe, ibidem docuimus. Cum igitur FRIDERICUS, frater eius ERNESTO patri ſuo, primo, ut videtur, loco, & quidem anno 1415. die XXI. *Septembris*, ut infra dicemus, natus ſit: conſequens eſt, ut MARGARITHA, quoad dicto anno matrimonio apta fuerit, anno ſequenti ſexto decimo exeunte, aut, ſi mavis, decimo ſeptimo, in hanc lucem edita fuerit, atque adeo annos plus minus ſexaginta novem vixerit. a b

V. Alteram ERNESTI filiam, CATHARINAM nomine, CAROLO I. Marchioni *Badenſi*, an. 1446. matrimonio elocatam fuiſſe, aliorum auctoritatem ſecuti, tomo præcedenti c) diximus. In eadem quoque ſententia eſſe videmus mox ſupra laudatum SCHOEPFLINUM: d) at eas anno primum 1447. nec ante XXVI. *Iunii* proceſſiſſe, inſtrumenta a nobis Vol. ſequenti producenda, ac præprimis apocha CAROLI, pro accepta ſponſæ ſuæ dote, *Ratisbonæ* dicto anno & die obſignata, ubi adhuc VIRGO audit, oſtendunt. Eam XI. *Sept.* an. 1493. rebus exceſſiſſe humanis, idem *hiſtoriæ Badenſis* conditor affirmat. *Badenvillæ* in Marchionatu Superiori, in choro eccleſiæ Parochialis humatam fuiſſe, MENLIUS, ac LEQUILEUS ex GUILLIMANNO docent. Oſtenditur ibi adhucdum lapis eius CATHARINÆ, ERNESTI filiæ iunioris fata. c d

nach ſanct SCHOLASTICA *des tags*,
der am Sontag INVOCAVIT *was.*
dieſe Fürſtin hochlöblich und milder hand,
hat gros erfreuet *Meiſner* land,
mit geberung fürſtlich groſen geſchlecht,
FRIEDRICH, ALEXANDER, ERNST und ALBRECHT,
der ſturben FRIEDRICH und ALEXANDER in der iugend,
ERNST und ALBRECHT regieren mit fried und tugend.
Vier töchter ſind auch von Ihr geborn,
der zwo zu Eptiſin ſind erkorn,
HEDWIG das ſtifft *Quedlinburg* regirt mit witz,
MARGRETA das Kloſter genant *Seuſelitz*.
AMALIA verheyrathet nach *Beyrn* kam,
ANNA Marggraff ALBRECHT zur ehe nam.
Von dieſem Stam des löblichen hauſes zu *Sachſen*,
ſind viel ehrlicher frücht erwachſen,
Königreichen, Stiften, und fürſtenthumb zu zierde
die davon haben ehr, freud und wirde.
Gott verleihe der todten ewige ruhe,
und reiche den lebendigen hülffe zu,
zu regieren mit fried und gerechtigkeit,
das ſie erwerben ewige ſeligkeit.

Cum feſtum S. SCHOLASTICÆ, X. *Febr.* agi ſolitum, eo anno in diem *Veneris* inciderit, verba huius monumenti, a nobis litteris pronis exhibita, ſic interpungenda ſunt, ut interpunximus; ita, ut ſenſus ſit: MARGARITHAM poſt feſtum S. SCHOLASTICÆ hora nona eius diei obiiſſe, quo Dominica *Invocavit* illuxit, id quod cum adducto epitaphio recte convenit.

a) P. I. proleg. III. p. LXXXVII. not. b.
b) Col. 844. d.
c) Add. dicta tomo ſuperiori, loco, mox. cit.
d) Loc. ſupra cit. cap. III. §. I. p. 152.

eius ſepulcralis, ſed iniuria temporum ita detritus, ut diſcerni nihil poſſit, niſi obſcura quædam figuræ muliebris veſtigia.

Anni vitæ.

VI. De anno, & die natali eius, nihil comperti habemus. At cum in ſummario, hic paullo ſupra §. IV. excitato, cauſſa ſolutorum an. 1428. ſponſaliorum, cum FRIDERICO *Placido*, Electore *Saxoniæ*, antea initorum, non niſi in teneritudinem ætatis eius reiiciatur, vix ante annum 1420. aut etiam ſerius, ante tamen annum 1424. quo pater eius obiit, aut ſequenti, nata videtur. Unde & ultimo hoc etiam ſtante, ſeptuagenaria maior obiiſſe, cenſenda eſt.

Tumulus LUDOVICI II. Comit. *Wirtemberg.* & MECHTILDIS, ALBERTI VI. coniugis, *Tubingæ*. TAB. XXII. a

VII. TUBINGÆ *Wirtembergiæ*, in choro Eccleſiæ B. Virginis, a NAUCLERO a) ad *Carthuſienſes zum Guthſtein* appellatæ, tumulus conſpicitur lapideus, novem pedes in longitudinem, ſeptem pedes, cum duobus digitis, in latitudinem, in altitudinem vero tres pedes porrectus. In ſuperiori lapide a dextris exciſus eſt LUDOVICUS II. Comes *Wirtembergiæ* cathaphractus, ac paludatus, cum galea criſtata in capite, pedibus leonem, fortitudinis ſymbolum, premens, ac dextra lateri admota, ſiniſtra gladium bellatorium demittens. A ſiniſtris ſtatua MECHTILDIS conſpicitur, ſimili ex lapide (nam fruſta lapidea duo ſunt ſibi invicem iuncta) ſculpta. Capite duplici velo obducta, palla induta, ac manibus ſupra pectus poſitis, eandem pallam colligens, pro pedibus canem habet, fidelitatis ſymbolum. In quatuor angulis interioribus totidem ſcuta cernuntur gentilitia, e lapide exſculpta, & coloribus delibuta, quorum a dextris primum cornua cervina *Wirtembergica*, alterum piſces *Mœmpelgardenſes* refert. A ſiniſtris vero, in clypeo ſuperiori, leo *Palatinus*, in inferiori rhombi *Bavarici* conſpiciuntur. Epitaphium in margine lapidis, integris litteris, hunc in modum legendum eſt: ANNO DOMINI MCCCCLIIII. ILLVSTRISSIMVS FAMILIÆ WVRTEMBERGENSIS COMES LVDOVICVS SENIOR IX. KALENDAS OCTOBRIS MORTVVS, ET IN ÆDE BEATÆ VIRGINIS AD BONVM LAPIDEM SEPVLTVS AB EODEM PRINCIPE CHRISTOPHORO OFFICIOSÆ PIETATIS ERGO TVBINGAM TRADVCTVS EST.

EADEM PIETATE ET RATIONE HVC QVOQVE TRALATA EST D. MECHTILDIS PALATINA RHENI AC BAVARIÆ DVX CLARISSIMI LVDOVICI SENIORIS CONIVNX SVAVISSIMA QVÆ LICET POST ALBERTO AVSTRIACO NVPSISSET, DEFVNCTA TAMEN HAYDELBERGÆ ANNO M. CCCC. LXXXII. KALENDAS XI. OCTOBRIS, EVIDENTISSIMI SYNCERI AMORIS ARGVMENTO ILLIC CVM PRIORE MARITO, ET EODEM HIC SIMVL CONDITORIO REPONI PLACVIT.

De epitaphio iudicium. b

VIII. Bina hæc epitaphia CRUSIUS etiam, quanquam cum nonnullo diſcrimine, referens, b) ex *Oſwaldo* GABELCOVERO obſervat,

a) Generat. XLIX. p. m. CCLXXXIII. averſa.
b) *Annal. Suevor.* tom. II. Lib. XII. P. III. cap. XIX. p. 842. Latin. edit. Vid. etiam Lib. VII. cap. IX. p. 395.

vat, notam temporis emortualis LVDOVICI, huius noſtræ MECHTILDIS mariti primi, in mendo cubare; quippe qui non anno 1454. ſed quadriennio citius vivis ereptus ſit. Neque enim, ut hoc addamus, MECHTILDIS anno 1452. ALBERTO *Auſtriaco*, ut mox dicemus, nubere potuiſſet, primo marito ad annum uſque 1454. ſuperſtite. Magis ad propoſitum noſtrum facit pars epitaphii altera MECHTILDEM an. 1482. XI. Kal. *Octobris*, ſeu, ut ibi ſcribitur: *Kal. XI. Oct.* obiiſſe docens. Verum cum *Wirtembergici*, aliique Scriptores plerique omnes, morti eius non XI. ſed *Kalendas Octobris* aſſignent, hicque præterea diem conſignandi modus, numerum poſt *Kalend.* ſcilicet ponendo, inuſitatus omnino ſit: non ſine ratione ſuſpicamur, aut vitio lapicidæ, aut pictoris, exemplum hoc excipientis, numerum XI. abundare, adeoque expungendum eſſe. Putamus autem, lapicidam potius, quam noviſſimum exceptorem, accuſandum eſſe; quando rei veredariæ director *Tubingenſis* D. *Ioannes Georgius* COTTA, cuius humanitati, ac ſtudio ectypon iſthoc debemus, ſancte teſtatur, illud perquam accurate exſumptum, ac, adhibitis viris doctis, cum prototypo collatum fuiſſe. Nec mirum eſt, lapicidam, aut quisquis eius manum duxit, errantem in epitaphio primo, etiam in ſecundo humani aliquid paſſum fuiſſe. Ceterum idem epitaphium LEQUILEUS his verbis illuſtrat: „ Obiit „ MECHTILDIS 1482. Kalendis *Octobris Heydelbergæ*, translata a „ CHRISTOPHORO Duce *Tubingam*, & in eodem conditorio cum „ primo marito LUDOVICO ſeniore in ædis *Georgianæ* choro ſepulta. „ Translatus etiam eo fuerat LUDOVICUS. „

IX. De tempore nuptiarum MECHTILDIS cum ALBERTO VI. Archiduce *Auſtriæ*, haud convenit inter Scriptores. *Gerardus de* ROO a) ad annum 1446. aut ſequentem, collocat, LEQUILEUS contra ad annum 1451. At nobis potior eſt auctoritas ÆNEÆ SYLVII, b) temporibus illis non modo æqualis, ſed & tum in aula Cæſarea, quam & ALBERTUS eadem tempeſtate ſecutus fuerat, verſantis. Is poſtquam acta conſilii cuiusdam, apud *Bruckam Styriæ* habiti, cui ipſe & ALBERTUS intererat, retuliſſet, ſubiungit: „ Sic re concluſa, ALBERTUS in *Sueviam* perrexit. Contraxerat „ enim paulo ante, quam intraret *Italiam* (cum FRIDERICO ſcilicet „ Cæſare, fratre ſuo, de qua profectione, an. 1452. finita, tomo ſu- „ periori egimus) matrimonium cum ſorore FRIDERICI, Comitis „ *Palatini*; neque adhuc ei coniacuerat, quod nunc facturus erat. „ Enimvero rem ita ſe habere, nec ante annum 1451. de matrimonio hoc agi cœptum, idque anno primum inſequenti conſummatum fuiſſe, ex aliquot inſtrumentis, huc pertinentibus, ac a nobis ſuo loco proferendis innoteſcit: ex quibus præterea ſummam dotis, donationis propter nuptias, ac vitalitii intelligimus. Contractus certe matri-

MECHTILDIS, ALBERTO VI. Archiduci *Auſtr.* quo tempore nupta? a b

a) Lib. V. p. m. 200.

b) Apud BOECLERUM in collect. ſcript. veterum pag. 99.

matrimonialis ultimatus ante feſtum S. MICHAELIS dicti anni 1452. quibus proinde diebus nuptias illas ſolemni pompa celebratas fuiſſe, auguramur, editus haud eſt.

CAPUT IV.

MAUSOLEUM FRIDERICI III. IMP. COGNOMENTO PLACIDI, VINDOBONÆ IN TEMPLO METROPOLITANO.

§. I.

Mauſolei *Friderici-ciani* encomium.

AUGUſTUM FRIDRRICI *Placidi* Imp. mauſoleum *Vindobonæ* in templo metropolitano, ad D. STEPHANI, oculos perſtringit intuentium. Inter ceteros in admirationem ſui rapuit CUSPINIANUM, ut illud laudibus velut in cœlum efferre, videatur. a) Operæ pretium erit, nonnulla eius adducere verba, ut B. L. hic velut in veſtibulo intelligat, quale ſit monumentum, quo de nunc operoſius acturi ſumus. „Eſt illud e marmore (ait) vario, porphyretico, ac candido mixto, faberrime factum, ab ingenioſiſſimis architectis, ſtatuariis, ac ſculptoribus, qui neque PRAXITELLI, neque PHIDIÆ, neque ALCAMENI, neque SCOPÆ, herbam porrigerent: neque aliis, quoscunque vetuſtas commendat, cederent. Nam hi ſinguli ſingulis imaginibus ſibi nomen peperere: hi opus hoc inſigne, innumeris refertum imaginibus, & vivis, ut ita dicam, ſignis, omnibus gentibus, nationibus, & populis, qui ad nos uſque commigrarunt, admirandum, ab antea non viſum mauſoleum extruxerunt: tanta arte, ut cum vetuſtiſſimo quoque opere facile poſſit certare. Nam -- ita ſingula expreſſerunt, ut ſine admiratione hoc monumentum poſſit contemplari nemo: hoc nemo ſatis pro rei dignitate admirabitur, quod nobiliſſimum illud marmor, longis e regionibus advectum, varium, partim candidum, partim rubrum, ex infinitis portionibus agglutinatis ingenioſe, ac mire politum, tantam molem reddat uſque adeo inſignem, ut plerique docti viri hanc molem ſtupide aſpicientes, ex tempore pulcherrima ediderint epitaphia.„ Hucusque CUSPINIANUS, qui & dictorum epitaphi-ſeu epicediorum tria adducit. Nobis hic loci, brevitatis cauſſa, unicum, abs *Hieronymo* NAGOROLO, Comite *Vincentino*, concinnatum, afferre, ſatis erit:

Unde tot annorum labor hic operoſus? & unde
Tot cælata uno marmore iuncta loco?
Quis tegitur tantis opibus? ſuperare quis auſus
MAUSOLI, HADRIANI, pyramidumque decus?
Auſtrius, *Hectorea* FRIDERICUS origine, Cæſar
Parte ſui ſacer hic deteriore iacet.

Nam

a) In opere *de Cæſaribus* p. 412.

Nam meliore adiit ſibi debita ſidera, & orbis
Vix famam herois ſummaque geſta capit.
Magnanimus, pius, armipotens, Auguſtus honori
Erexit patrio MAXIMILIANUS opus.

II. Et eſt ſane non de nihilo, quod CUSPINIANUS texuit elogium. Sive enim artis induſtriam cum illa, qua conditum eſt, ætate conuleris, ſive temporis, in artificio inſumpti, diuturnitatem, ſive ſumptuum profuſionem ſpectaveris, certe, in quantum concipi magnificentia poteſt, opus plane auguſtale eſt. FRIDERICUS ipſe, dum viveret, illud inchoaverat, viginti annorum ſpatium impendendo, ac filius MAXIMILIANUS primum poſt totidem fere annorum curriculum perfecit. Qua de re memoratus auctor porro: „MAXIMILIANUS vero, pientiſſimus filius, imperfectum hoc opus „a patre, ſumma cura annis pene duobus de triginta elaborare, & „perfici curavit: erogatis plus quadraginta millibus aureis nummis, „licet FRIDERICUS, priusquam moreretur, ſupremam ſepulcri te„ cturam in vita ſua perfeciſſet.„ Operculum hic intelligit auctor, quod vivente etiamnum FRIDERICO, perfectum fuiſſe, argumento quoque eſt nota temporis emortualis, haud integre exſculpta, cuius quidem ſupplementum, inſecuta poſtea morte, neglectum videmus. Quod autem CUSPINIANUS dicit, MAXIMILIANUM perfectioni mauſolei annos duos de triginta impendiſſe, id cum mox ſequentibus eiusdem verbis haud ſatis cohæret. „Anno dehinc „CHRISTI 1513. ait, Kalend. *Novemb.* cum ſtaret hæc moles, cor„pus FRIDERICI, e crypta Principum *Auſtriæ*, quæ in æde S. STE„PHANI (quem in locum corpus *Lincio*, ubi animam efflavit, ſecundo *Danubio Wiennam* deportatum, interim depoſitum, ſecus, ac *Gerardus* de ROO, FRIDERICUM cum uxore ELEONORA *Neapoli Auſtriæ* ſepultum fuiſſe, perperam tradit a) antea retulerat) „in hoc eſt ſepulcrum translatum, ſumma cum honorificentia. - - „Ego autem funebrem orationem dixi.„ Enimvero cum inter annum 1493. quo FRIDERICUS obiit, & 1513. quo ſecundum translatus eſt, non niſi viginti anni interiecti ſint, manifeſtum eſt, hunc locum mendoſum eſſe. Rectius igitur *Ricardus* BARTHOLINUS annos, a MAXIMILIANO huic operi impenſos, tantum *prope* viginti, quibus tamen labor nunquam intermiſſus fuerit, computat. b)

Eiusque proſecutio.

a

b

III. BIRCKENIUS quidem auguſti huius monumenti ſchema pridem ante nos exhibere curavit, ſed delineandi arte adeo male cedente, figuraque in tam arctos ductus contracta, ut in ea prope nihil diſtincti cernas, nedum ampliſſimi operis magnificentiam agnoſcas. Hiſtoriæ rerum FRIDERICI, ab ÆNEA SYLVIO concinnatæ, & a BOECLERO, aut, ut alia exempla præferunt, SCHILTERO, anno 1685.

Ab aliis quidem antea, ſed parum feliciter delineatum.

a) *Hiſtor. Auſtr.* lib. X. p. m. 390.

b) In *hodœporico* MATHIÆ *Gurc.* Ep. ap. FREHER. tom. II. p. 620.

1685. *Argentorati* editæ, alia huius monumenti, eaque melioris notæ adumbratio ſubiungitur, in ſex tabulas tributa. Adduntur præterea, tabulis decem, nummi aliquot, & ſigilla *Fridericiana*. Verum hæ figuræ adeo parum accuratæ ſunt, ut, ſi eas cum archetypo contendas, multam omnino deprehendas, pro more pictorum, ab eo diſcedendi licentiam; uſque adeo nempe lubuit non plene exſignatum in operimento annum mortis ad extremum terminum vitæ proferre: nec minus pictori viſum eſt, pro imagine AGNETIS, S. LEOPOLDI coniugis, ad Orientem in dextra tumuli parte conſtitutæ, ſpeciem præbere viri, egregie barbati. Multa præterea alia, quoad rationem architecturæ *Gothicæ*, congruentiam partium, delineationem inſignium, anaglyphorum, & figurarum peccata, ſilentio præterimus. Quare nihil reliqui facere viſum eſt, ut inſigne hoc monumentum novo exemplo exhiberemus, & quidem, quoad eius fieri poſſet, quam curatiſſime, tum quoque & alia quædam, huc ſpectantia adiungeremus monumentorum ſchemata, quæ, ut luculentius Lectoris benevoli apparerent oculis, ſex cuncta tabulis comprehendere, conſtituimus.

Monumentum, inteſtina FRIDERICI continens, cum eius inſcriptione, TAB. XXIII.

IV. Hoc vero antequam propius adgrediamur, monumentum præmittimus, condendis Imperatoris inteſtinis deſtinatum. Extat hoc *Lincii* in *Auſtria* ſuperiori (ubi is, eodem CUSPINIANO, aliisque teſtibus, extremum duxit ſpiritum) in templo parochiali B. V. MARIÆ ad parietem, proxime a ſiniſtro latere altaris ſupremi, altitudine novempedali, latitudine pedum quatuor, & ſemis. E marmore ſubrufo exſculptum eſt, circumpoſitis inferne in orbem ſeptendecim ſcutis, ſuperne autem hac inſcriptione inciſa:

INTESTINA CVBANT FRIDERICI HAC CESARIS VRNA
ET COR QVOD SACRO PREFVIT IMPERIO.
QVINQVAGINTA ANNIS RHOMANVM REXERAT ORBEM
ATQVE VNO SEMPER TEMPORE PACIS AMANS.
VIXIT ANNIS SEPTVAGINTA OCTO MENSE VNO DIEBVS II.
EXCESSIT HVMANIS ANNO SALVTIS MCCCCXCIII. DIE
VIGESIMA QVARTA AVGVSTI.

Deque ea iudicium,

V. Inſignium expoſitionem iam non ſuſcipimus; tum quod ex dictis tomo I. horum monumentorum de acceſſionibus ad ſcutum *Auſtriacum*, intelligantur facile, tum etiam, quod cum reliquis ſcutis, in mauſoleo *Fridericiano* redituris, per decurſum huius capitis una exponenda ſint. Id hic loci duntaxat animadvertimus, inſcriptionem hanc cum Scriptoribus eius ætatis haud convenire, plerisque nempe diem ei fatalem XIX. *Auguſti* fuiſſe, memorantibus. a) Soli LEQUILEUS,

a) CUSPINIAN. l. c. pag. 412. UNRESTO *Chron. Auſtr.* pag. 752. *Am Montag vor* BARTHOLOMÆUS *tag*, qui tum reipſa XIX. *Aug.* erat: lisdem verbis utitur Auctor exequiarum FRIDERICI apud cit BOECLERUM p. 47. TRITHEMIO *Annal. Hirſaug.* tom. II. edit. *Sangall.* p 552. Anonymo *Carthuſiano Gemnicenſi*, ap. PEZ. tom. II. col. 381. d. Anonym. *San-Petrenſ.* Chron. *Salisburg.* ibid. col. 444. c. PUTSCHIO p. 35. aliisque.

LEUS, & CRUSIUS eidem inſcriptioni propius accedunt, quorum ille diem XXIV. vel XXVI. hic autem XXV. *Aug.* aſſignat, a) quibus addendus Chronographus *Mellicenſis* b) octavam aſſumptionis B. V. ſeu XXII. *Aug.* & *Gerardus* de ROO c) decimum tertium *Kal. Sept.* id eſt, viceſimum *Aug.* nominantes. Longius diſcedit NAUCLERUS, d) mortem eius in vigiliam Nativitatis B. V. ſeu VII. *Septembris* differens. Nulli profecto dubitaremus, inſcriptionem noſtram, forte iuſſu, & auctoritate Imperatoris in ipſo, quo FRIDERICUS animam efflavit, loco poſitam, tot Scriptoribus, licet ſynchronis, aut ſupparibus, præferre, niſi eam alias, id eſt quoad annos regiminis, ac in eo quoque mendoſam deprehenderemus, quod FRIDERICUM annis ſeptuaginta octo, menſe uno, diebus duobus vixiſſe, ſtatuat. Cum enim anno 1415. die vigeſimo primo *Septembris* natus ſit, conſequens eſt, ut ſive XIX. ſive, ut auctor inſcriptionis vult, XXIV. *Aug.* obierit, hæc annorum vitæ putatio locum habere haud poſſit, ſcribendumque potius fuiſſet: vixit annos ſeptuaginta ſeptem, menſes decem, dies undeviginti. Nam licet non deſint, qui eum die XXIII. *Septembr.* in hanc lucem editum velint, e) haud dubie tamen maior fides eſt ſigillo FRIDERICI Maieſtatico, ubi in feſto S. MATHÆI Apoſtoli natus ſcribitur. f) Addimus ex abundanti ARENPECKIUM, g) hiſtoriam ſuam his verbis concludentem: „ Natus eſt (FRIDERICUS) anno 1415. in die S. MATHÆI Apoſtoli, „ in coniunctione *Iovis*, & *Saturni*, in ſigno cancri. „ Ubi coniicias, illum, cum hæc ſcriberet, diaria aulæ ante oculos habuiſſe. His accedit inſcriptio altera, imagini Imperatoris, ad hoc ipſum ſepulcrum ſuſpenſæ, ſubiecta, diem XIX. *Auguſti* cum reliquis ſtatuens. De ea paullo inferius. Ceterum id demum annotare, fas eſt, in eodem lapide *Linciano* quatuor illos numeros centenarios, notam chronologicam CCCC. exprimentes, haud apparere, ſed a chalcographo, nobis inſciis, adiectos fuiſſe, id quod iterum de primi inciſoris oſcitantia teſtatur. TAB. XXIII. a b c d e f g

VI. Progrediamur iam ad mauſoleum ipſum. Adhæret nempe choro, dictæ Eccleſiæ ad D. STEPHANI *Vindobonenſis* maiori, qui medius a dextro latere altaris ſupremi, quoddam quaſi ſacellum, Deſcriptio mauſolei.

Go-

a) Lib. IX. P. III. p. 497. Latin. edit.
b) Col 270. a. erronee tamen anno 1492. illigat.
c) Lib. X. p. m. 389.
d) p. m. 299. averſa.
e) Apud PFEFFINGER. ad VITRIAR. tom. I. lib. I. tit. V. pag. 700. ubi plures huius ſententiæ Scriptores in unum velut faſciculum collegit. Quos inter BIRCKENIUM lib. V. cap. I. p. 514 nominamus, ubi inſcriptionem, a ſe eius honoribus poſitam, adducit, FRIDERICUM Imp. IX. Kal. *Octobris* natum fuiſſe, memorantem. Add. lib. IV. cap. V. p. 426. Nec non *Gerardum* de ROO Lib. IV. p. m. 154. de ERNESTO *Ferreo* agentem, ubi ait: „ Is, ne omnia ſimul fra- „ ternæ hæreditatis loca ab aliis occuparen- „ tur, *Tyrolim* venit, ac *Oeniponti* Ordinum „ conventum agit, ubi naſcitur ei ex CIM- „ BURGA, SAMOVITI, *Maſſoviæ* Ducis, filia, „ FRIDERICUS, *Romanorum* poſtea Impera- „ tor, nono Calend. *Octobris*, anno eius æræ „ decimo quinto. „
f) Vid. tom. I. horum Monument. de ſigillis tab. IX. num. IV. & tab. X. num. I. ubi legitur: QUI NATUS EST IN DIE MATHEI S. AP. AN. DN. MCCCCXV.
g) Col. 1295. a.

TAB. XXII. *Gothico* more conſtructum, format, in quo illud ſitum eſt. Sacellum ab altari S. Crucis, quod ibi præcipuum eſt, nomen gerit, etſi altare proprie dici haud poſſit; cum tabula tantum picta ſit, quales ſupra aras erigi ſolent; nulla quippe menſa, ſupra quam Divina peragi poſſent, ei ſubiecta. Dicitur etiam *chorus paſſionis*. Area, in qua conſiſtit monumentum, reliquo ædis pavimento tribus gradibus elatior, in ſupremi gradus margine ſepta eſt clathris, duum, ac ſemis pedum altitudine, verſatilibus, aditum præcludentibus. A lateribus monumenti ſingulæ utrinque adſtant aræ, magnitudine mediocri, ad quas rem ſacram faciunt Sacerdotes. Ipſum autem monumentum fundamento inſiſtit, pedem unum, digitos quinque, ab humo leniter edito, ac in longitudinem pedes XVIII. digitos X. in latitudinem vero pedes XIV. digitos VII. extenſo. Hæc baſis corona circumdata eſt, ex clathris arcuatis, quorum ſingula fulcimenta altitudine trium pedum, ac ſeptem, ac ſemis pollicum, craſſitudine unius pedis, ac quatuor pollicum, integram ſimul loricam efficiunt, longam pedes XVI. pollices tres, latam pedes XI. cum dodrante. Inter huius ſepti fulcimina, viginti arcuum intervallis diſtincta, ſigna CHRISTI Servatoris, & Apoſtolorum conſiſtunt, ſingula altitudine unius pedis cum triente: item quadraginta ſigna minora, altitudine octo circiter pollicum, ſpecies Divum exhibentia, ut puta SS. UDALRICI, BARNABÆ, DOROTHEÆ, ceterorum. Proxime hanc coronam inferius in acropodio variæ animantium figuræ, ludentium inſtar, exciſæ ſunt. Scilicet in *Gothica* ædificandi ratione, cum id præcipuum decus haberetur, ſi cuncta figuris, & columellis plena forent, eiusmodi beſtiarum ſigna minime inſolita ſunt. Intra ſeptum, in baſi ſua, conſiſtit ipſum monumentum, ſeu buſtum, velut arca lapidea, operculo clauſa. Hæc ab ima baſeos proiectura in altitudinem exſurgit pedum ſeptem, pollicum quatuor, in longitudinem vero ab eodem termino decempedalem, cum digitis duobus, ac in latitudinem quinquepedalem cum dodrante. Operculi altitudo bipedalis eſt, ſingula autem latera tripedalia. Acropodium denique, ſive baſis, ampliori fundamento, quo de paullo ante diximus, proxima, altitudine duos pedes æquat, cum triente. Totum opus ex porphyride conſiſtit lævigato, ſeu marmore rubro, albicantibus guttis interſtincto, quales lapicidinæ *Salisburg.* ferunt. Fabricationis ratio *Gothorum* ingenio propior, omnia tamen ſumma arte, & diligentia elaborata. Signa humana in eo numerabis CCXLV. inſignium ſcuta XXXVIII. animantium figuras ad quinquaginta.

Operimentum, Cæſaris effigiem exhibens. TAB. XXIV. VII. Operimentum monumenti, novem, ac ſemis pedes longum, latum vero pedes quinque, exciſam e lapide imaginem Cæſaris exhibet, adverſo corpore decumbentem, longitudine, ſi coronam addas, pedum VII. cum duobus digitis. Multa quidem hic occurrunt, diligenter notanda, quamvis & nonnulla, præter artificis ingenium,

nium, momenti nihil trahant. Simulacri habitus, ac veſtitus, Imperatorius eſt, adamantibus, ac unionibus largiter conſertus. Diadematis forma ambiguum te reddet, ut neſcias, coronæ Imperatoriæ magis, an domeſticæ conveniat? Globum Imperialem Cæſar dextra continet, ſceptrum vero, cuius apex, ut & inferne nodus, more *Gothico* affabre cælatus eſt, ſiniſtra. Circa eandem ſchedula circumvolat, quinque litteris vocalibus inſcripta, quæ *Auſtriæ eſt imperare orbi univerſo* exponas, ut alibi diximus. Digitis quatuor, quoad eius animadverti poſſit, annuli inducti ſunt, primus manus dextræ indici, ſiniſtræ vero pollici, indici, & medio. Capiti duo ſubiecta ſunt pulvinaria, qualia mortuis, ſupra tumulos decumbentibus, ſupponi ſolent: ceterum oculorum acies aperta, ac manuum, pedumque geſtus ſpiranti ſimiles, quaſi novam ille faber animo concepiſſet artem, formandi effigiem, vitæ, mortisque ambiguam, vel certe, cum operculum, vivente etiamnum Cæſare, fabrefactum ſit, eum artifex vivo potius, quam mortuo ſimilem exhibere maluit. Ceterum hoc ſimulacrum etiam ſupra excitatus BARTOLINUS *tanto artificio* elaboratum iudicat, ut *ſaxo venerationem quandam habere, quodam modo impellamur*. A dextris pagellam avis roſtro tenet, monogrammate Imperatoris inſignitam. Supra caput *Gothicum* quoddam faſtigium imminet, in cuius medio ſimulacrum S. CHRISTOPHORI gradientis, ac puerulum IESUM humero ſiniſtro geſtantis: ſuperne in ſingulis columnis lateralibus ſingulæ figuræ, non ſatis internoſcendæ, in genua provolutæ cernuntur, inferne autem mas, & fœmina acclinant, quaſi voti cauſſa, preces fundentes. TAB. XXIV.

VIII. In circuitu huius operculi inſignium univerſim ſunt ſpecies ſeptem, a dextris tria, totidemque a ſiniſtris, unicus in imo. Clypeus dextrorſum primus, ut ceteri omnes, inclinatus, ſolam crucis figuram, ſcuti marginem haud tangentem, præfert, impoſita corona Imperiali, cruce pariter faſtigiata. Inſigne hoc crucem hactenus fixit antiquariis: aliis illud pro teſſera regni *Hungariæ* ideo habere volentibus; quod FRIDERICO nomen, ſeu titulus Regis *Hungariæ* anno 1463. ex pacto cum Rege MATHIA, & Ordinibus *Hungaricis* inito, a) ad dies vitæ conceſſus fuerit. Unde etiam in exequiis Cæſaris, teſte *Iacobo* UNRESTO, b) vexillum *Hungariæ*, medio *Auſtriacum* inter, & Imperatorium loco, geſtatum fuiſſe, aſſerunt, eamque ob cauſſam ceteris in hoc monumento ſcutis adiunctum eſſe credunt. Confirmare etiam ſuam opinionem ex eo ſtudent, quod corona, inſigni ſuperpoſita, Regium diadema referat. At vero crux ea, & corona, qua forma hic exhibentur, cum inſignibus, & corona *Hungarica*, nihil commune habent; cum illa, non ut hæc, ſimplex, ſed duplicata ſit, ſeu Patriarchalis, hæc autem non aperta, ſed clauſa, ac aliis etiam ſignis diſtincta. Collocatio præterea ſcuti *Hun-*

Cuius clypei gentilitii examinantur, & quidem primum, crucem referens.

a) Extat inſtrumentum apud BONFINIUM *Hiſt. Pannon.* in fine. lib. VIII. p. m. 478. c.

b) *Chron. Auſtr.* l. c. p. 791.

Tab. XXIV. *Hungarici*, ad dextram clypei Imperialis, inepte prorſus, ac indecens foret. Alii crucem hanc pro teſſera Ordinis militaris S. Georgii, a Friderico noſtro inſtituti, accipiendam exiſtimant. Verum Ordini huic crux quidem aurea cum corona, at corona, circulo incluſa, pro inſigni fuit, ut alias a) oſtendimus, nec milites iſti coronam Imperialem, ſed pileum domeſticum, quod ex dicendis poſtea patebit, loco diadematis geſtarunt.

a

Vetus regni *Germanici* inſigne.

IX. Rinckius denique, aut fortaſſis Reiskius, apud Koelerum b) in ſingulari commentatione, *de inſignibus Imperii*, oſtendendum in ſe recepit: clypeum hunc pro inſigni veteris regni *Germanici* habendum eſſe. Num is fidem datam ſolverit, nec ne, nos equidem fugit: conſideratis tamen omnibus, in eius abire ſententiam, viſum eſt. Atque inprimis ſatis conſtat: Constantinum *Magnum*, dum urbem *Romam* a Maxentii tyrannide liberare pararet, oſtenſo ſibi, inſpectante toto exercitu, Divinitus ſigno crucis in cœlo, labarum, in crucis formam redactum, ſuperimpoſito monogrammate Christi, exercitui præferri præcepiſſe. „Iuſſerat au-
c „tem (ait Eusebius c) Constantinus *Magnus* crucis ſignum „præferri, quod a *Romanis* antea labarum dicebatur, ſignis milita„ribus aliis longe præſtantius, quod id a militibus præferri, & ado„rari, lege cautum fuerit.„ Hanc conſuetudinem multis poſtea ſeculis duraſſe, atque utriusque Imperii inſigne fuiſſe, fuſe oſtendit
d Doctiſſ. Gretserus, d) nummique, ac alia eorum temporum commonſtrant monumenta. Quin crucem vel hodie inter inſignia
e regni *Germanici* numerari, idem in mantiſſa docet, e) coronamque *Germanicam*, æque ac *Romanam*, cruce, nec non pomum Imperii, tanquam præcipuo, & antiquitus iam adoptato ornamento, faſtigia-
f tum eſſe, æque notum eſt. f) Sed & medii ævii Scriptores ſuffragium nobis ferunt, ex quibus excitare iuvat chronicon *Luneburgicum*, vernacula *Saxonum inferiorum* dialecto conſcriptum, ubi legimus: Ottonem de *Luneburg*, qui & alio nomine *puer*, an. 1235. a Friderico II. Imp. in Comitiis *Francofurtenſibus* inter S. R. Imperii Duces, ac Principes adoptatum, eidem homagium *ſupra Crucem Imperii* præ-

a) Tom. I. horum Monument. Diſſert. VI. pag. 137.

b) *Delic. nummar.* P. VI. p. 400.

c) Lib. IX. hiſt. Eccleſiaſt. cap. IX. ap. Gretserum Opp. T. I. lib. II. cap. XLII. pag. 253.

d) Ibid. cap. XXXVI. ſeqq.

e) Syntagmate *de inſignibus Imperii* ibid. in mantiſſa p. 101.

f) Vid. Vitriar. cum notis Pfeffingeri lib. I. tit. VIII. de coronatione p. 871. ubi crux, coronæ Imperii *Germanici* impoſita, a Wagenseilio *Comment. de Republ. Norimberg.* ſic deſcribitur: „Atque dehinc iam ſe offert rurſus aureola frontiſpicii primaria, cui inſuper ex *cruce haud modica*, quæ ſuperne infigi, & demi iterum poteſt, dignitas, ac decus accedunt. Crucis pars anterior, & ipſa ſeptendecim lucentibus gemmis radiat, poſtica lævis eſt, Servatoris, quaſi in cruce patientis, figuram inciſam habens: citra colorum incruſtationem, manus ſanguinem exſtillant. Crux nulla ſculpta adiicitur, cum ipſa illa, quæ imaginem Christi ſuſtinet, ſufficiat tanquam baſis. In apice eſt epigraphe: IHC NAZARENVS REX IVDEORVM.„

præſtitiſſe. a) Supra *crucem Imperii*, inquit, quibus quidem verbis etiam cruce ſignatum vexillum, quo feuda Imperii tradi ſolebant, recte intelligitur, quanquam & RUDOLPHUM I. a Principibus Imperii homagium recepturum, cruce ſine vexillo uſum fuiſſe legamus, „ Mortuo RICHARDO, (ait *Henricus* STERO, ſeu verius HENRICUS Præpoſitus *Oetting*. b) *Romanorum* Rege, -- electus eſt RU- „ DOLPHUS, --qui --ſtatim exegit a Principibus Clericis, & Laicis, „ fidei iuramentum, quod cum recuſarent, propter ſceptri abſentiam, „ ipſe Electus, ſignum crucis accipiens, talia dixiſſe fertur: *Ecce ſi-* „ *gnum, in quo Nos, & totus mundus eſt redemptns, & hoc ſigno utamur* „ *loco ſceptri*. Et, deoſculata cruce, Principes omnes tam ſpirituales, „ quam ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes „ feuda, ſibi fidelitatis iuramentum præſtiterunt. „ Luculentior, iuxta ac validior eſt locus Chronographi *Salisburgenſis*, c) qui de pugna decretoria, ab hoc ipſo Cæſare, cum OTTOCARO, Rege *Bohemiæ* inita, inter cetera hunc in modum diſſerit: „ Exercitus Regis *Romanorum* „ tribus diſtinguitur aciebus, & ſignis totidem. Nobiles *Auſtriæ* divide- „ bantur in duas turbas, (turmas) una portavit vexillum *Romanæ* a- „ quilæ, ſub vexillo *Auſtriæ* altera militavit, alia turba victorioſiſſimæ „ S. Crucis inſignia, *iuxta morem Imperii*, ſequebatur. Sub hoc ſigno „ ſalvifico Rex *Romanorum* militat. „ Ex hoc namque loco plane intelligitur: Crucem ſanctam pro inſigni regni *Germanici*, utut auctor vocabulo *Imperii* utatur, aquilam contra pro teſſera *Imperii Romani*, ſicut faſciam *Auſtriacam*, pro eiusdem provinciæ digmate habitam fuiſſe.

Tab. XXIV. a b c

X. Verum argumentum, pro hac noſtra expoſitione ſtabilienda, fortius, validiusque nullum putamus, ac ipſum clypei ſitum, ſeu poſitionem. Enimvero FRIDERICUM noſtrum tribus Imperii coronis redimitum fuiſſe, teſtatum ſatis, atque in vulgus notum eſt: prima videlicet *Germanica Aquisgrani* an. 1442. altera *Mediolanſi*, non quidem hoc in loco, eo quod ibi peſtis graſſaretur, ſed *Romæ* anno 1452. Idibus *Martii*, ac denique tertia, *Romana*, ibidem, eodemque anno, die vero XVIII. eiusdem menſis, a NICOLAO V. P. Max. magna cum ſolemnitate, & pompa, illi impoſita. Singulæ hæ coronæ noſtro occurrunt in lapide, atque eo ſane ordine, quo ſingulis Cæſar exornatus fuit. Nam alteram, cruci, de qua agimus, coronatæ oppoſitam, coronam eſſe *Mediolanenſem*, ſeu *Italicam*, negari nequit. Tertiam, ſub qua aquila Imperii biceps, diadema eſſe *Romanum*, æque indubium eſt; quidni igitur coronam in hoc lapide

Id quod ex ipſa clypei poſitione firmatur.

omnium

a) Verba chronici ap. Illuſtr. LEIBNITIUM, *rer. Brunſuicenſ.* tom. III. p. 175. ſunt hæc: „ Do de edel OTTO dat ſo upgelaten „ hadde, wo vor, do ſchwor he mit vol- „ den henden in de hand des Keiſers *up* „ *dat Crutze des Rykes* einen edt, dem Ry- „ ke truw tho weſende in allen ſtucken „ na rechte. „

b) In chron. *Bavariæ*, ad an. 1273. ap. Cl. OEFELIUM. *Scriptor. rer. Boicar.* tom. I. p 687.

c) Ap. Clar. *Hier.* PEZ. *Rer. Auſtr. Scriptor.* tom. I. col. 377. b.

Tab. XXIV. omnium primam, ſub qua clypeus, impreſſa cruce conſpicitur, coronam, quam ante ceteras ſuſcepit FRIDERICUS, *Aquisgranenſem*, atque adeo crucem ipſam, *Germanici* teſſeram regni eſſe concludas?

Scutorum ſex ceterorum expoſitio. XI. Reliqui ſex clypei, eodem in operculo conſpicui, interpretatione haud indigent. Etenim in ſiniſtro latere principem locum obtinere inſignia *Longobardica*, ac *Mediolanenſia*, impendente corona ferrea, iam diximus, quemadmodum & aquilam bicipitem, ſuperimpoſita corona Imperiali, ad Imperatorem, *Romæ* coronatum pertinere, nemo dubitare poteſt. Huic ex adverſo opponitur clypeus, quinque volucres præferens, vetus, quod aiunt, *Auſtriæ* digma. Eidem imminet galerus Ducalis, corona radiata cinctus, ac impoſito globulo cum cruce faſtigiatus, quibus ſuperimponitur dimidiatæ, ac coronatæ aquilæ ſpecies, alis expanſis, ac teſſeris minoribus, cordulorum figuram imitantibus, conſperſis. Sequitur in parte dextra clypeus *Auſtriacus*, cum faſcia rubea, quam novam *Auſtriæ* teſſeram dicunt, proque ea etiam FRIDERICI temporibus habita eſt: ac ex adverſo panthera *Styriæ*. Ambo hæc ſcuta a totidem armigeris, leonibus ſcilicet, laxatas caſſides indutis, ſuſtinentur, quos inter leo, armiger *Auſtriacus*, altero brachio gladium erectum tenet, Imperialem nempe. Ambæ caſſides, laciniis exornatæ, ſuperimpoſitam gerunt coronam, ex quarum altera *Auſtriaca*, criſta exſurgit pavonina, ad apicem alterius teſſera *Styriæ* repetitur. In imo leo *Habsburgicus* conſpicitur, tanquam ceterorum omnium baſis, ac fundamentum.

Epitaphium. XII. In margine operimenti inſcriptio legitur, in qua litteram M. cum in contextu, tum in nota temporis, nec non & litteram H. ſingularis formæ eſſe, L. B. facile deprehendet. Ipſe contextus ab eo, quem BOECLERUS loc. cit. protulit, non nihil differt, ac, litteris integris, ſic habet: FRIDERICVS. TERCIVS. ROMANORVM. IMPERATOR. SEMPER. AVGVSTVS. AVSTRIE. STIRIE. KARINTHIE. ET CARNIOLE. DVX. DOMINVS. MARCHIE. SCLAVONICE. AC. PORTVSNAONIS. COMES. IN. HABSPVRG. TIROLI. PHERRETO. ET. KIBVRG. MARCHIO. BVRGOVIÆ. ET. LANTGRAVIVS. ALSACIE. OBIT. ANNO. DOMINI. MCCCC. Qui tituli, totidem fere verbis in tribus monumenti lateribus ſupra clypeos inſcripti, repetuntur: apud dictum BOECLERUM contra vitioſe hunc in modum: *Marchie Sclavonie, ac Portunanis, Comes Habſpurg, Tirolis, Phitredis* &c. additur ſimili errore, ac integris verbis, curſus annorum, ad obitus uſque diem completus: *obiit anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Auguſti decimo nono*, cum tamen in monumento ipſo hæc tantum verba legantur: OBIT ANNO DOMINI MCCCC. Scilicet quod, operimento tumuli, vivente etiamnum Cæſare, ad perfectionem perducto, reliquæ notæ temporis, morte eius ſecuta, in hunc uſque diem ſuppletæ haud fuerint.

XIII.

XIII. Ad latus eiusdem tumuli, inter columnas, ut tabula noſtro XXIII. & XXVI. videre eſt, FRIDERICI noſtri effigies conſpicitur, ſubiectis duabus tabulis ligneis, oleo pictis, quarum ſuperior tres pedes, totidemque pollices lata, alta vero pedem unum, pollices novem, hanc inſcriptionem, iuſſu FERDINANDI I. Imp. poſitam, litteris nigris in area candida, magnitudine dimidii circiter pollicis, legendam offert. Hanc ipſam inſcriptionem etiam R. P. FISCHER a) profert, a noſtra nonnihil alienam. Nos exemplar, a ſæpe laudato Cl. Domino SCHWANDNERO ſubmiſſum, ſequimur, quod ſic habet: TAB. XXIV. Nec non & alia inſcriptio. a

IMPERATOR. CAESAR. DIVVS. FRIDERICVS. TERTIVS. PIVS. PROSPER.
AVGVSTVS. CHRISTIANITATIS. SVPREMVS. PRINCEPS. HVNGARIAE.
DALMACIAE. CROACIAE. ZC. REX. ARCHIDVX. AVSTRIAE. DVX.
STIRIAE. CARINTHIAE. ET. CARNIOLAE. COMES. ET. PRINCEPS.
SVEVIAE. MARCHIO. SVPRA. ANASVM. ET. BVRGAVIAE. COMES.
PHIRETIS. ET. IN. KIBVRG. DOMINVS. MARCHIAE. SLAVONICAE.
ET. PORTVSNAONIS. ZC. PRINCEPS. RELIGIOSISSIMVS. QVI.
SACRVM. ROMANVM. IMPERIVM. SVMMA. IVSTICIA. ET. VIRTVTE.
QVINQVAGENTA. TRIBVS. ANNIS. SAPIENTER. ET. MODERATE.
REXIT. QVIQVE. FILIO. SVO. MAXIMILIANO. IMPERATORI.
GLORIOSISSIMO. SERENISSIMAM. DOMINAM. MARIAM.
VNICAM. FILIAM. ET. HAEREDEM. DIVO. (divi) CAROLI. DVCIS.
BVRGVNDIAE. POTENTISSIMI. ZC. LEGITIMO. THORO.
COPVLAVIT. EX. QVO. QVIDEM. FOELICISSIMO. CONNVBIO.
OMNES. DVCATVS. PRINCIPATVS. MARCHIONATVS. COMITATVS.
ET. DOMINIA. QVE. PREFATVS. CAROLVS. DVX. TERRA.
MARIQVE. POSSEDIT. FOELICI. DOMVI. AVSTRIAE. HEREDITARIO.
IVRE. PERPETVO. ACCESSERVNT. QVE. ET. IMPERATOR.
MAXIMILIANVS. POTENTI. MANV. ET. GLADIO. CONSERVAVIT.
IPSE. FRIDERICVS. TALIBVS. MVLTIS. QVE. ALIIS. IMPERATORIIS.
VIRTVTIBVS. PERPETVATIS. NATVRAE. DEBITO. PERSOLVTO.
CELEBERRIMIS AC. FAMOSISSIMIS. EXEQVIIS. DEVOTE.
CELEBRATIS. IN. HOC. PRECIOSO. MONVMENTO. RECONDITVS.
EST. HIC. FRIDERICUS. III. IMP. AVG. NASCITVR. ANNO.
SALVTIS. NOSTRAE. M. CCCCXV. ELIGITVR. IN. REGEM.
ROMAN. ANNO. M. CCCCXL. CORONATVR. IN. AVGVST.
AC. IMPERATOREM. ANNO. M. CCCCLI. O. XIX. DIE. AVGVSTI.
M. CCCCLXXXXIII. AETATIS. SVE. LXXVIII. IMPER. VERO.
LIII. MEN. IIII. DIE. IIII. CORPVS. EIVS. IN. HOC. SAXVM.
RECONDITVR. ET. TRANSFERTVR. M. D. XIII. DIE. VII.
NOVEMBRIS.

Hanc vero inſcriptionem, quoad coronationis *Romanæ* epocham, mendoſem eſſe, nec annum, quoad noſtrum ſaltem, id eſt *Germanicum* putandi modum, 1451. ſed ſequentem ſignandum fuiſſe, ex iis inter cetera intelligi poteſt, quæ de Auguſti deſponſatione, coronationem præcedente, tomo ſuperiori diſputavimus. Translationem etiam corporis in hoc mauſoleum, non ad diem VII. ſed Kal. *Nov.* referendam eſſe, citatus CUSPINIANUS (niſi ibi mendum irrepſerit) ut paullo infra videbimus, poſtulat, qui tum orationem funebrem dixit. Anni denique regiminis hic non a die electionis eius, ſecundo *Febr.* an. 1440. factæ, ſed ab eius acceptatione, ac conſenſu, ſequenti feſto S. GEORGII dato, computantur. Altera tabula, priori ſub-

a) Brevi notitia urb. *Vindob.* P. III. cap. V. pag. 29. ſeq.

TAB. XXIV. ſubnexa, pedes tres, digitos octo in latitudinem, ac digitos duntaxat duos, cum dimidio, in altitudinem protenſa, litteris aureis in fundo nigro, auctorem totius operis, duabus lineis hunc in modum exprimit:

FERDINANDVS. DEI GRA. ROMANORVM. HVNGARIE. BOHEMIE. CZ. REX. PRINCEPS. HISPANIARVM. ARCHIDVX. AVSTRIE. DVX. BVRGVNDIE. ZC. HOC. OPVS. FRIDERICO. PROAVO. PIE. FIERI FECIT.

Obitus circumſtantiæ.

XIV. Mortis hiſtoriam ſæpe laudatus biographus eius, CUSPINIANUS, a) hunc in modum deſcribit: „Ex ætate igitur, ac labore tandem, fluxuque veteri in tibia, gangrænam, ulcus, acquiſivit, vel ἐρυσιπέλας ἐσθιόμενον. Nam pede illo ſæpiſſime clauſtra, foresque, ac portas omnes fregit, ac disiecit. Cum itaque quatuor menſibus continuis acutiſſimo torqueretur dolore, medicis ſalutem, diuturnioremque vitam promittentibus, tibia ferro deponitur. Inſtabat dies, qui omnium Chriſtianorum voto Beatiſſimæ Virgini MARIÆ celebrandus eſt (Aſſumptionis nempe) quam religioſus ſemper FRIDERICUS conſueverat venerari. Ab omni ergo imprudenter cibo abſtinens, octo melones comedit, quibus quatuor occubuerunt Cæſares: aquam bibens, in ſtomachi incidit laborem. Qui calore deſtitutus, & frigore deficiens, reſolvit alvum Cæſari. Quod ubi ſentiret, acceptis, iuxta Chriſtianorum inſtituta, Eccleſiæ ſacramentis, devotiſſime animam DEO commendavit. - - - In *Lyntzio* autem diem obiit, decima nona *Auguſti*, anno ſalutis 93. ſupra mille quadringentos: ætatis vero 78. Imperavit annis 53. menſibus quatuor, ac diebus quatuor.„ Hæc CUSPINIANUS. Brevior eſt *Gerardus* de ROO: b) „Inter hæc Imperator FRIDERICUS, ait, pace iam in *Auſtria*, ac reliqua *Germania* parta, gravi morbo laborare cœpit *Lintii*, quem nimio melonum eſu auctum eſſe, nonnulli meminere. Alterum crus, ſphacelo affectum, per eosdem dies ex medicorum conſilio reſectum erat. Id cum inſpexiſſet, quæſiviſſe fertur, quid inter Cæſarem, & quemvis ruſticum intereſſet? mox vero ſubieciſſe, ruſticum ſanum ægroto Cæſare longe eſſe feliciorem.„ Exequiarum ſolemnia UNRESTUS c) deſcribit, nec non vetus auctor apud BOECLERUM, d) aliique. Viceſimo poſt obitum anno, e crypta S. STEPHANI exemptum, nova pompa auguſto, quo de hic agimus, mauſoleo illatum fuiſſe, mox adducta inſcriptio docet, nec non laudatus CUSPINIANUS his verbis: „Anno dehinc 1513. Kalend. (ſecus ac inſcriptio VII. *Nov.*) *Novembr.* cum ſtaret hæc moles, corpus FRIDERICI e crypta Principum *Auſtriæ*, quæ in æde S. STEPHANI, in hoc eſt ſepulcrum translatum, ſumma cum honorificentia, præſentibus Antiſtite *Viennenſi*, univerſoque Clero, & proceribus

a) Loc. cit. p. 412.

b) Lib. X. p. m. 389. Add. GRÜNBECKII vita MAXIMILIANI I. Imp. vernacula ſcripta, *Tubingæ* an. 1721. in oct. edita UNRESTUS l. c. ceteri.

c) Chron. *Auſtr.* p. 782.

d) pag. 47.

ribus *Auſtriæ*, procurante quæſtore *Laurentio* SAWERIO. Ego autem funebrem orationem dixi.

Pars mauſolei meridionalis. TAB. XXV.

XV. Ordo iam exigit, ut mauſolei huius latera etiam inſpecturi a tabula XXV. plagam eius meridionalem repræſentante, initium faciamus. Cernimus ibi ſcuta gentilitia omnino decem, quorum nomina hæc ſunt: I. Ducatus *Carinthiæ*, II. *Carniolæ*. III. Comitatus *Tyrolenſis*. IV. *Pherretani*. V. *Kiburgenſis*. VI. Margraviatus *Burgoviæ*. VII. Landgraviatus *Alſatiæ ſuperioris*. VIII. Marchiæ *Vinidorum*. IX. *Portus Naonis*, ac X. tandem Ducatus *Auſtriæ ſupra Anaſum*. Inferius occurrunt tabulæ tres, anaglyphico opere expreſſæ. In prima exhibentur SS. PAULUS, & ANTONIUS barbati, ac Religioſis Ordinis S. PAULI circumfuſi, ſubiecta inſcriptione: ORDO: DIVI: PAVLI: EREMITE: NO: *væ* CIVI: *tatis*. Hunc ſacrum Ordinem a FRIDERICO Cæſare an. 1456. *Neapoli Auſtriæ* introductum fuiſſe, auctor eſt CZERWENCKA, a) at contradicente diplomate fundationis, a Doctiſſ. P. *Bern.* PEZIO b) edito, ac die IX. *Aprilis* anni 1480. *Vindobonæ* ſignato. Fundationem deinde ſuam auxit FRIDERICUS caſtro *Heſpach*, cum omnibus, eo pertinentibus, anno 1493. XXV. *Iunii*, teſte charta apud eundem. c) Alteram inſcripturam, tabulæ ſecundæ ſubiectam, nonnihil impeditam, integris litteris hunc in modum legimus: MONASTERIUM DIVE VIRGINIS IN OBERBURG LABACENSI EPISCOPATUI ADSCRIPTUM. Nam FRIDERICUM Epiſcopatui *Labacenſi*, noviter a ſe an. 1461. fundato, Abbatiam Ord. S. BENED. *Obernburgenſem* adieciſſe, fuſe docet VALVASOR. d) Inſtrumentum fundationis datum eſt dicti anni die VI. *Decembris*. Itaque Abbas GREGORIUS coram imagine B. Virginis in genua, unacum novo Epiſcopo, circumſtantibus *Canonicis*, aliisque Clericis, provolutus, Abbatiam abdicare, ac Epiſcopo conſignare videtur, quanquam & in ſubſequentibus eiusmodi areolis viri mitrati porro occurrant, quorum præſentiæ cauſſam reddere, difficile eſt. Tertia tabula S. PETRUM Apoſtolum exhibet, triregno quaſi Pontificio ornatum, adgeniculatis ſibi duobus Epiſcopis, ac circumſtantibus partim, partim circumſedentibus Fratribus Ord. *Prædicatorum*, addito in imo hoc epigrammate: DIVI: PETRI: NOVE: CIVI: *tatis* FRATRES PREDICA: *tores*. Extat apud laudatum *Bern.* PEZIUM e) epiſtola *Bartholomæi* TEXERII, Magiſtri Generalis Ord. *Prædicatorum*, ſcripta *Lugduni* prima *Ianuarii* 1444. qua Fratribus Conventus prope caſtrum novæ civitatis in *Auſtria* poteſtatem facit, monaſterium ſuum FRIDERICO III. cedendi, & parthenonem S. PETRI eiusdem civitatis occupandi, mo-

a) In ſynopſi *de pietate Habsb. Auſt.* p. 577.
b) *Cod. epiſtol. diplom.* P. III. p. 419. num. CLXXXI.
c) Ibid. p. 429. num. CXCI.
d) *Topograph. Carniolæ* P. II. lib. VIII. ſect. III. p. 653-655. Add. lib. X. P. III. p. 294.
e) Loc. mox cit. p. 300. ſeq. num. CXXIII. & num. CXXIV.

TAB. XXV. monialibus alio translatis. Additur & ibidem eiusdem argumenti altera, ſub eodem dato, ex quibus proinde facti huius epocham intelligimus. Hoc deinde loco, a Fratribus *Prædicatoribus* evacuato, conſtituendo cœnobio Ord. *Ciſterc.* de quo mox, uſus eſt FRIDERICUS. a) Interpoſitæ his tabulis columnæ imagines oſtendunt Electorum, ac Principum Imperii, cuius rei cauſſam poſtea reddemus. In medio a dextris ſummus Præſul, & Elector *Moguntinus* comparent, & inde in extrema dextrorſum *Colonienſis*. A ſiniſtris in columna, *Moguntino* proximiori, inſignia Principis ſecularis hodie haud ſatis dignoſcuntur; cum contra ſat perſpicuum ſit, ultimam figuram, diademate, & ſceptro inſtructam, *Burgundiæ* clypeum tenere, CAROLI *Audacis* haud dubie ſimulacrum.

a

Facies tumuli Orientalis, cuius ſcuta extricatu difficillima. TAB. XXVI.

XVI. Sequitur facies tumuli Orientalis, cuius ſcuta quinque Oedipum ſibi poſcunt; ut quæ comparata ita ſunt, ut in aliis Principum *Auſtriæ* monumentis ſimilia nemo facile ſe vidiſſe meminerit. Novimus quidem, imperante FRIDERICO, ea nimirum tempeſtate, qua ſolida litterarum in *Germania* ſtudia caput nondum extulerant, multa de primis Dominis, ac Principibus *Auſtriæ*, conficta fuiſſe nomina, ſingulisque adinventos clypeos, quorum figura *Neoſtadii Auſtriæ* in facie Orientali templi Palatini, S. GEORGIO ſacri, lapidibus inſculptæ, hodieque cernuntur; at vero ſcuta, in hoc mauſoleo noſtro expreſſa, pro peregrinis, & confictis habere, id demum religioni ducendum foret. Quare, perpenſis omnibus, inclinat animus, iam ſemel laudato KEPFERO noſtro accedere, exiſtimanti, ſcutis hisce maximam partem non niſi dominia, & latifundia, ab Auguſta Domo *Habsbugo-Auſtriaca* in partibus ſuperioribus poſſeſſa, ac ad fœderatos *Helvetios* devoluta, indicari. Qua quidem in ſententia a V. Clar. Domino *Daniele* BRUCKNERO, Senatore, ac Archivario *Baſileenſi*, cuius Viri amicitiæ etiam inſtrumentum, a nobis in auctario diplomatum ad an. 1285. exhibendum, debemus, his diebus nonnihil confirmati, etſi nondum ſatis perſuaſi ſumus, aliquot eorum, ad dominia *Helvetiæ* pertinentium, tam ex vetuſtis ſigillis, quam veteri libro heraldico detegente. Quare operæ pretium erit, ut eorum ſaltem periculum, dum certiora eruantur, faciamus.

Expenduntur tamen. Primum.

XVII. Primum igitur ſub cantherio aquilam coronatum refert, cuius expanſis alis trifolium impreſſum. Symbolum hoc aſſimilatur ſcuto Dominorum a *Schenckenberg*, arcem, ac dominium prope caſtrum *Habsburg* poſſidentium, Pertinebat olim ad *Habsburgicos*, a quibus beneficii, ac emptionis titulo, in variorum manus devenit, donec a *Bernatibus* anno 1460. ultimo eius poſſeſſori MARQUARDO de *Baldeck*. flagrante bello *Turgovienſi*, ereptum eſt. Eius

a) Teſte charta FRIDERICI Archiep. *Salisburgenſis*, edita ibid. p. 301. num. CXXV.

ius ſchema STUMPFIUS a) exhibet, a noſtro tamen in eo differens, quod ibi cantherium infra dimidiam aquilam collocatum ſit; ut adeo iam primus hic clypeus in ambiguo hæreat. Tab. XXVI. a

Certiores ſumus de altero, tribus roſis ornato, & Comites, ac dominium *Raperſwilanum* denotante, quod iure matrimonii ad Comites *Habsburgenſes* devolutum fuit. b) Secundum. b

Inſculpta vitis, tribus uvis, & foliis onuſta, ſcutum eſt caſtri, & præfecturæ *Raronenſis* in *Valeſia*, c) ubi *Auſtriaci* prætorem habebant. Tertium. c

Pileus cuneatus niger, cum plica alba in area flava, ſeu aurea, inſigne fuit *Marquardi* BRISACHERI, Equitis, & Cancellarii Cæſarei: d) differt tamen ab hoc noſtro, quod pilei apex magis incurvatus, & campanulis, ac orbiculis ornatus ſit. STAINERUS tres eiusmodi pileos adducit e) abſque inſcriptione, ſed cum dependentibus tæniis. Quale dominium pileus iſte portendat, ex monumentis, aut Scriptoribus eruere, hactenus datum non fuit. Quartum. d e

Scutum contra quintum numero, & ultimum, incunctanter Comitum *Honburgi*, ſeu *Homburgi*, quibus mutua pacta cum Comitibus *Habsburgi* erant, eſſe dicimus. Erant illis pro inſigni duæ aquilæ nigræ in area aurea. Laudatus BRUCKNERUS ſigillum RUDOLPHI, Epiſcopi *Baſileenſis*, qui temporibus HENRICI II. vixit, cum hoc noſtro apprime convenire teſtatur. Caſtrum eorum gentilitium in valle *Frickthal* olim ſitum erat, hodie in ruinis iacet. Quintum.

XVIII. In ſubiecta area ſimulacrum SS. Trinitatis, nec non B. V. coronatio exhibetur, cuius honoribus, ac præcipue illius, ut mox citandum fundationis diploma habet, monaſterium illud dedicatum fuit. Hanc vero repræſentandi rationem ſingularem eſſe, animadverſione dignum eſt. Spiritus S. non, ut alias plerumque ſolet, figura columbæ, ſed omnes tres ſimul perſonæ ſenum ſpecie, in una ſede, ſive ſolio, pari ætate, eodemque veſtium, & diadematum cultu conſidentes, ſpectantur. Adſunt a dextris Epiſcopus, a ſiniſtris, ut videtur, Abbas, cui monaſterium illud traditum fuerat. Circumſtant Religioſi Ordinis *Ciſtercienſis*, ad indicandum genus fundationis. Innuit hoc plenius ſubtus poſita inſcriptio, quam integris litteris hunc in modum legendam putamus: IMPERATORIS FRIDERICI FVNDATIONES HÆ SVNT MONASTERII NOSTRI S. BERNARDI NOVE CIVITATIS. Stante vero hac lectione, in mentem nobis venit, ſuperpoſitis quinque ſcutis ea dominia indicari, quibus FRIDERICUS monaſterium illud dotavit, ita ut ſenſus ſit: *Imperatoris* FRIDERICI *fundationes, monaſterio noſtro factæ, hæ ſunt, quarum ſcuta ſuperne exhibentur*. Et quamvis in inſtrumento Fundatio Abbatiæ *Ciſterc. Neoſtadii.*

fun-

a) Chron. *Helvet.* tom. II. p. m. 244. averſ.
b) Idem pag. 139. adverſ. Add. *Geneal. Diplomat. Habsburg.*
c) GULER *Rhetia* p. 207.
d) MS. Illuſtriſs. Comitis FUGGERI in Biblioth. Cæſar. tom. I. fol. 342. averſa pag. n. 2.
e) pag. 96.

Tab. XXVI. a

fundationis, a laudato P. *Bern.* Pezio edito, a) non niſi caſtri *Rore*, nec non Curiæ allodialis *in ſuburbiis oppidi Nove civitatis ante portam Ungaricalem ſituate*, quorum inſignia cum ignariſſimis ſcimus, mentio fiat: conſtat tamen, & inter cetera vel ex ipſo paullo ſupra allegato inſtrumento, in gratiam Religioſorum Ord. S. Pauli ſubſignato, confirmatur, Principes viros monaſteria, a ſe fundata, novis identidem prædiis, & dominiis, aliisque acceſſionibus auxiſſe; ut adeo & hic nova, ſucceſſu temporis, accedere potuerint, immo acceſſiſſe, vix dubium ſit.

Signa, in columnis huius areæ conſiſtentia:

XIX. Hanc quoque aream, ut & præcedentem, non nulla ſigna exornant. Primum a latere dextro, perſonam regiam præferens, per obſcuritatem inſignium ægre dignoſcitur: ceterum in clypeo corona oſtenditur, qualis pro inſigni *Auſtraſiæ* paſſim habetur. Quæ vero imago ſiniſtram verſus, forma muliebri, cum corona in capite, demonſtratur, ædificium monaſterii manu tollens, perſonam Agnetis, S. Leopoldi uxoris, ſuſtinere, nemini ambiguum eſſe poteſt; quando eandem tomo præcedenti eodem cultu conſpeximus, & ex adverſo ſignum ipſius S. Leopoldi intuemur. Dignum præterea cum ex aliis multis, tum hoc etiam titulo, fuit, ſanctum hocce par coniugum in monumento *Fridericiano* locum habere; quod Cæſar alteri, i. e. S. Leopoldo Marchioni, Divorum honores ab Innocentio VIII. PP. impetraverit.

Pars tumuli *Septentrional.* inſtitutionem ord. equeſtr. S. Georgii exhibens. Tab. XXVII. b c

XX. Quemadmodum Auſtrale latus tribus anaglyphorum argumentis, interpoſitisque ſignis, exornatum eſt, ita quoque Aquilonaris plaga iisdem ex omni parte dimenſionibus concinnata apparet. Continet illa tres itidem fundationes pias, a noſtro *Neoſtadii* factas, inſtitutionem ſcilicet ordinis S. Georgii, nominationem Epiſcopi, & *Canonicorum* ſecularium, nec non *Canonicorum* regularium ad S. Udalricum. Ordinis S. Georgii initium. cuius ſchema cum inſcriptione primo exhibetur loco, ad an. 1468. refertur, b) quo ſcilicet tempore confirmatio illius a Paulo II. P. Max. obtenta fuit. c) Tendebat finis, & cauſſa eius ad incrementum religionis *Catholicæ*, ferendumque adverſus *Turcas* præſidium. Itaque S. Georgius hic armatus ſiſtitur, altera manu vexillum, gladium altera ferens. Inſigne ordinis erat *crux rubea, vexillo candido intexta.* Singularis formæ galero caput, ut hic videre eſt, operiebant ordinis ſodales, qualem quoque ipſum Cæſarem geſtaſſe, ex nummis, a nobis alibi editis, conſtat. Genus tum erat diadematis domeſtici, a Principibus viris geſtari, ſoliti. Nam & omnes huius ordinis Magiſtri Principum titulis inſignes erant. d)

d

XXI.

a) Cit. *Cod. dipl. epiſt.* P. III. p. 303. num. CXXVII.

b) Auctor *Hiſt. Ducum Styr.* P. II. p. 94.

c) Vid. *Raym.* Duellius Diſſert. *de fundat. templi Cathedr. Novæ civit.* p. 9. Add. tamen Hansiz. *Germ. Sacr.* tom. II. p. 519. §. IV. ubi initium anni ſequentis, Kal. nempe *Ianuarii* ſtatuitur.

d) *Hiſtor. Ducum Styriæ* loc. cit.

XXI. Quod medium hoc loco eſt anaglyphum, una cum ſubiecta inſcriptione, in memoriam revocat inſtitutionem Epiſcopatus *Neoſtadienſis*, cuius primordia ex teſtimonio codicis MS. ſynchroni, a Cl. DUELLIO a) allati, ad annum 1468. referenda. Plura de hoc Epiſcopatu apud mox laudatos auctores, ubi praeterea id quoque notandum, Cæſarem iam tum an. 1444. in capella regii caſtelli eiusdem civitatis collegium *Canonicorum* ſecularium inſtituiſſe, Epiſcopatui poſtea adiiciendum, cuius fundationis diploma laudatus affert PEZIUS. b) Credidiſſes, hic quoque conſpici, oportuiſſe, ſculptam erectionis Epiſcopatus *Vindobonenſis*, an. 1480. factæ, hiſtoriam. Verum operis, quamvis ampliſſimi, anguſtia non omnia capiebat huius Cæſaris benefacta. Eadem de cauſſa omittitur dedicatio templi S. ÆGIDII, quod *Græcii* hodiedum viſitur, quodque FRIDERICUS, everſo veteri, an. 1450. reſtituere inceptum, ſeptenni labore perfecit. Videtur praeterea, Cæſarem ſepulcrum ſibi *Neoſtadii* primum, quo & ELEONORA pridem conceſſerat, elegiſſe, atque adeo & fundationes, ibidem maximam partem factas, repraeſentari iuſſiſſe, tum vero, conſilio mutato, mauſoleum, vivo Imperatore deſignatum, ac inceptum, *Vindobonæ* poſtea conſtitutum fuiſſe.

Tab. XXVII. Nec non Epiſcopatus *Neoſtadienſis*. a

XXII. Tertia denique, ac poſtrema pars, *Canonicos* regulares Ord. S. AUGUSTINI praebet, in eadem *civitate nova* inſtitutos. Prima eorum ſedes ibidem in aula ſupra portam palatinam conſtituta erat, ut habet diploma fundationis, datum *Vindobonæ* die XVII. *Iunii* an. 1460. c) tum vero an. 1478. ad Parochialem Eccleſiam S. UDALRICI, ſeu, ut inſcriptio habet, ULRICI, ante portam *Novecclefienſem* ſitam, translati ſunt, ut iterum ex diplomate, *Græcii* die VII. *Iunii* ſubſcripto, d) diſcimus. Ceterum figuræ, in columnis areas has interdiſtinguentibus, conſpicuæ, difficultati obnoxiæ haud ſunt. Siſtunt nempe, ut ex earum inſignibus facile intelligitur, S. LEOPOLDUM, Marchionem *Auſtriæ*, de quo hic §. XIX. Regem *Bohemiæ*, Electores *Palatinum*, & *Saxonicum*, hosque fortaſſis ideo; quod Electores omnes (nam ceteri in reliquis mauſolei plagis exhibentur) vel per ſe, vel Legatos ſuos, exequiis eius ſolemnibus, ut apud laudatum BOECLERUM, nec non UNRESTUM e) videre eſt, interfuerint: vel quod inter Electores, Principesque, ac Imperatorem, maxima intercedat neceſſitudo; ut adeo ſummum Imperii moderatorem hic loci ſepultum quieſcere, vel taciti loquantur.

Ac denique Canonicorum regularium Ord. S. Aug. c

d

e

XXIII. Intricatior res eſt cum ſcutis, ſupra has tabulas infra operculum exſculptis, non minus, ac illis in plaga Orientali, Oedipum ſibi expoſcentibus. Qui ſe primo loco offert, inſignia continet

Scuta, quo referenda? Primum.

a) Loc. cit. p. 15.
b) Loc. cit. p. 293. num. CXXI.
c) Ap. eund. l. c. p. 391. num. CLVII.
d) Ibid. p. 415. num. CLXXX.
e) Chron. *Auſtral.* ap. HANNIUM *Collect. veter. monument.* tom. I. p. 782.

Tab. XXVI. tinet Comitum *Leiningenſium*, tres nimirum aves, ſeu aquilas erectas, panſis alis, & pedibus. a) Sed qua de cauſſa in mauſoleo *Fridericiano* iſthæc in conſpectum veniunt? Si FUGGERUM b) audiamus, Comites de *Leiningen* Comitibus *Habsburgi* affines erant. Verum fortius nobis argumentum præbet hiſtoria illius temporis, docens: imperante FRIDERICO, anno ſcilicet 1467. familia Comitum *Leiningeſium*, quoad alteram lineam cum HESSONE extincta, Cæſarem in vacuum Imperii feudum intraſſe, aſſumpto eiusdem clypeo: quanquam Comes REINHARDUS de *Leiningen*, lineæ *Weſterburgenſis*, ope FRIDERICI *Victorioſi*, Electoris *Palatini*, reclamante licet Cæſare, terram eius Comitatus occupaverit.

a b

Secundum. XXIV. Quatuor tæniæ aureæ, in area nigra, ſcutum erat Comitatus *Argoviæ*, quod coloribus expreſſum, in laudato ſuo opere MS. FUGGERUS exhibuit. *Argoviam* autem Ducibus *Auſtriæ* ex linea *Habsburgica* quondam paruiſſe, nec ante FRIDERICI noſtri tempora ad fœderatos *Helvetios* tranſiiſſe, tam notum eſt, quam quod notiſſimum.

Tertium. XXV. Scutum hoc, faſcia ſectum, gradientibus hinc inde duobus leonibus, pro teſſera Comitatus *Kiburgenſis* recte interpretamur, niſi id ipſum ad plagam huius mauſolei Meridionalem iam præceſſiſſet. Cum igitur civitates *Vitodurum*, & *Dieſſenhovium*, ſimilem teſſeram pro inſigni habeant, ad alterutram, & quidem probabilius ad ultimam; ut quæ an. 1417. Imperio adſcripta, an. 1442. autem Domui *Auſtriacæ* ſeſe ſponte reſtituit, c) referendum erit.

c

Quartum. XXVI. Clypeus, per transverſum ſectus, Comitatum *Hochenburgenſem* denotare poſſet. At cum ſimili teſſera *liberæ civitates* in *Argovia*, vulgo *die freyen Aembter im Aergau*, uti conſueverint, d) eisdem & hunc, maxime cum plerique huius plagæ clypei cum teſſeris *Helveticis* reſpondeant, tranſcribere, viſum eſt. Simili etiam digmate *Unterwaldenſes* utuntur, coloribus tamen, qui in tumulo noſtro haud exprimuntur, diſtincto.

d

Quintum. XXVII. Quid proprie figura, in hoc ſcuto expreſſa, ſibi velit, ſat aperte diſcerni, nequit: nonnulli eam pro roſa, ſeſe aperiente, ſumunt; alii peram eſſe, exiſtimant: pera vero, ſed nonnihil oblongior, inſigne eſt *Sanctionis*, ſeu *Seccovii*, civitatis ad *Rhenum* ſuperiorem, vulgo *Seckingen*, e) quæ *Auſtriacis* cum olim, tum hodieque paret.

e

Sextum. XXVIII. Leo erectus, & quaſi ad certamen paratus, non modo ſymbolum erat Dominorum de *Grieningen*, f) ſed & civitatum in *Hel-*

f

a) BIRCKEN. *Specul. honor.* p. 29. & 222.
b) In MS. Cod. Bibl. *Vindob.* fol. 86. averſa pag. num. 3.
c) Vid. STUMPF. lib. V. cap. XV. p. m. 73. averſ. & cap. XXXII. p. 109. averſ.
d) Idem *ibid.* lib. VII. in frontiſpicio pag. m. 189.
e) Id. lib. XII. cap. IX. p. 376. adverſ.
f) FUGGER. in laudato MS. fol. 128. num. 5.

Helvetia Bremgartenſis, & *Sempacenſis*, quondam *Habsburgo-Auſtriacarum*, quibus ob dictam cauſſam tribuendum erit. Pro leone *Habsburgico* vix, ac ne vix quidem accipi poterit; quando is in operimento mauſolei iam comparuit. Tab. XXVII.

XXIX. Huic clypeo, quaſi inter zonam nigram, inſcriptæ videntur duæ faſciæ albæ, ſeu, ut ſecundum regulas *Heraldicas* loquamur, *area argentea*, *palo nigro diſtincta*. Atqui hoc ipſum inſigne eſt Comitatus *Badenſis* in *Zürichgovia* ſiti, adiecto ſcutario rubro, a ſcalptore, aliunde haud accurato, forte omiſſum, aut neglectum. Certe, ordinem ſaltem, ac debitam locationem ſcutorum ab eo haud obſervatam fuiſſe, planum fit ex plaga Meridionali, ubi, inter cetera, *Auſtriæ* ſupra *Anaſum* digma omnium ultimo collocatur loco. Videatur §. mox ſequens. Comitatum vero *Badenſem* ad *Auſtriacos* iure hereditario tranſiiſſe, notum eſt. Septimum.

XXX. In plaga Meridionali huius mauſolei tres aquilas conſpeximus, coronis deſtitutas, quas *Tyroli*, *Carniolæ*, & provinciæ ſupra *Anaſum* tribuimus: in præſenti contra clypeo aquila ſiſtitur, corona redimita, panſis alis, & falculis. Hanc ad Landgraviatum *Siſſgoviæ*, a) cuius pars *Auſtriaco-Habsburgicis* etiamnum paret, pertinere, coniicimus; ſimilem quippe exhibente STUMPFIO. b) Nec refert, quod ibidem eadem aquila corona deſtituta ſit: hæc quippe vel ex gratia Cæſaris, vel licentia ſcalptoris addi potuit: quemadmodum is ipſe e contrario *Tyrolenſium* æque, ac *Carniolenſium*, ut diximus, aquilas diademate privavit. Nec locatio, ac ſitus teſſeræ multum difficultatis habet, quando lapicida id quoque ſibi licentiæ ſumpſit, ut univerſim animantium figuras, in quatuor tumuli lateribus occurrentes, eodem ubique, ac conſimili ſitu exhibuerit, ita, ut ſi caput primi animantis dextrorſum, cetera quoque in eodem latere omnia, utut ex ſe alium exegiſſent ſitum, eodem converterit, ut plagam huius mauſolei Meridionalem, ubi notiſſima *Auſtriacorum* inſignia, conſulere, ac intueri volenti, facile patebit. Octavum. a b

XXXI. Caſtrum, cum duabus turribus, teſſera erat Comitatus *Lenzburgenſis* in *Argovia*. Is, unacum Comitatu *Badenſi*, ad *Kiburgios* olim ſpectans, matrimonii iure, RUDOLPHO *Habsburgico*, *Romanorum* poſtea Regi, obvenit. Sed tamen artifex, ſua libertate uſus, & hic quoque, quoad ſitum, & locationem, nonnulla immutare, denuo auſus fuit. Sunt quidem & aliæ civitates, immo & provinciæ, idem ſymbolum pro inſigni habentes: ſed quoniam in iſta monumenti facie potiores clypei dominia in *Helvetia*, ut diximus, ſita, denotant, ſcutum hoc potiori iure *Lenzburgi* Comitatui adſcribendum putavimus. Nonum.

XXXII.

a) Confer. *Geneal. dipl.* tom. I. tab. XXI.

b) Lib. XII. cap. XXXV. p. m. 411. averſa facie.

Tab. XXVII. Decimum.

XXXII. Ultimus clypeus, tres cuneos utrinque acutos ſiſtens, ad dynaſtas de *Bonſtetten*, quibus in *Zürichgovia* a Ducibus *Auſtriæ* ſuprema præfectura delata erat, pertinere, videtur. a) Cuneos præterea utrinque cuſpidatos, tribuit BIRCKENIUS WOLFGANGO de *Seiſeneck*, nobilesque de *Ekker* ſimili gaudent teſſera. b)

a

b

Latus Occidentale. Tab. XXVIII.

XXXIII. In lateris tandem mauſolei Occidentalis area unica Fratres *Ord. Minorum*, CHRISTUM, in cruce pendentem, colentium, turmam conſpicimus, uti ex altera parte viros, fœminasque, B. Virginem venerantes. Subditur inſcriptio: DIVI LEONARDI IN GRECIO FRATRES ORDINIS MINORUM. Hos an. 1463. a FRIDERICO noſtro in ſuburbium *Græcenſe* introductos fuiſſe, a MAXIMILIANO autem filio an. 1495. in urbem ipſam, fidem facit GRANELLIUS, c) ipſo primario monaſterio, ut ſupra d) diximus, Monialibus Ord. *Prædicat.* aſſignato. Unde fœminæ, quarum cultus a cultu Monialium haud abſcedere videtur, in hac area una comparent. Adſtant in columnis, aream hanc claudentibus, duo hinc inde Electores, *Treverenſis* ſcilicet, & *Brandenburgicus*, ex ſuis ſcutis dignoſcendi, quorum ſigna proceritate pedem unum haud excedunt.

c d

Clypei, ibid. inſculpti, cenſentur, ac primum faſciæ *Cileienſes.*

XXXIV. Supra hanc aream quinque itidem ſcuta apparent, proxime præcedentibus notiora. Primum, duabus faſciis, in decuſſim poſitis, diſtinctum, ad Comitatum *Cileienſem*, in *Styria* ſitum, pertinere, autumamus; ut qui ULRICO, ultimo Comite, apud *Albam Græcam* an. 1456. ex inſidiis cæſo, partim iure affinitatis, partim etiam per pactiones, ditioni *Auſtriacæ* acceſſit. e) „In pro„priæ vero (ait SPENERUS f) quadripertitæ *Cileienſis* parmæ prima „ & ultima areola *cærulea*, *ternæ* fulgent *ſtellæ aureæ ſex radiorum*: „ ſecundæ & tertiæ *argenteis* inducuntur *binæ faſciæ rubeæ*.„ Etſi vero hic *Cileienſium* utrumque digma (nam de altero ſtatim ſermo erit) non eo ordine compareant, ut ea SPENERUS ſe vidiſſe, hoc loco aſſerit; facile tamen iterum obſervaverit B. L. artificem noſtrum ordinem ſcutorum, ut ſupra diximus, in hoc monumento haud obſervaſſe. Coniicit laudatus SPENERUS, faſcias familiare eſſe ſymbolum Dominorum de *Sœneck*, *Saneck*, ſeu *Saoneck* (rectius *Seneck*, aut *Saneck*) ex quibus *Cileienſes* Comites, demum Principes creati, orti ſunt, quæ quidem coniectura cum ex diplomate CAROLI IV. quo eos Comitum, tum SIGISMUNDI Impp. quo eos Principum dignitate exornant, g) confirmatur.

e f

g

XXXV.

a) STUMPF. lib. VI. cap. XXXII. p. 183. averſ.
b) *Monument. Boic.* Vol. III. tab. VIII. num. 31.
c) *Topograph. Styriæ* p. 36. col. 2.
d) Lib. præced. cap. VI. §. XIX. p. 212.
e) Conf. P. GRANELLII *Topogr. Styr.* p. 39. nec non Chron. *Cilienſe* apud HAHNIUM, *Collect. veter. monument.* tom. II. pag. 719. ſeqq. ac p. 726. ſeq. ac præſertim Illuſtriſſ. CRONBERG *Tentam. de Comitt. & rebus Goritiæ* cap. IV. §. XXIV. p. 134. & in *chron. Gorit.* ſubiuncto, p. 371. ad an. 1456.
f) Oper. *Herald. P. Spec.* lib. III. c. XLVIII. §. XII. p. m. 750.
g) Extant hæc diplomata ap. HAHN. l. c. tom. II. p. 748. ſeqq.

XXXV. In ſecundo itaque ſcuto tribus ſtellis, quarum cuique ſex radii ſunt, partem *Cileienſium* inſignium alteram deſignari, arbitramur. Qua de re eo minus dubitandum; quod hicce clypeus priorem, cui alteram inſignium partem ineſſe, diximus, proxime contingat; quodque eo ſcuto *Auſtriaci* poſt dictum annum 1456. non raro etiam alias uſi fuerint. a) Putat equidem SPENERUS, ſtellas iſtas pro teſſera habendas eſſe *Sternbergica*, atque ad *Cileienſes* ab *Ortenburgicis* transmiſſas; adeoque *Cileienſium* non niſi incrementum eſſe. Verum argumentum, ab ipſo ex LAZII teſtimonio petitum, LAZIUS ipſe deſtruit, addens: *fuiſſe Sternbergenſium Comitum inſignia tres ſtellas aureas in cæleſtino clypeo, veluti & Cileienſium.* Unde conficitur, ut ab antiquo *Cileienſibus* iuxta, ac *Sternbergenſibus*, una eademque teſſera fuerit. *Sternbergicum* præterea digma in hac ſcutorum ſerie ſigillatim, ut mox videbimus, exprimitur. Accedit ſigillum HERMANNI, Comitis *Cileiæ*, a *Philiberto* HUEBERO b) exhibitum, non niſi tres ſtellas præferens. Etenim præter fidem eſſet, HERMANNUM, inſignibus gentilitiis excluſis, aliunde adſcitis, adventitiisque, uti voluiſſe. Itaque verius fortaſſis UNRESTUS has teſſeras primo proprias fuiſſe Comitibus de *Heumburg*, aſſerit, c) atque ab iis unacum arce *Cileia* ad Comites eiusdem nominis tranſiiſſe.

TAB. XXVIII. Eiusdemque gentis tres ſtellæ.

a

b

c

XXXVI. Sequitur ſcutum, tribus alis conſpicuum, inſignia Comitatus *Ortenburgenſis* in *Carinthia* denotantibus. Hæc enim laudatus SPENERUS hunc in modum deſcribit: „ Inde FRIDERICO, „ & fratribus (*Ortenburgi* Comitibus) video tribui ſcutum biperti„ tum, ex latere dextro apparentibus *teſſellis*, quas *argento*, & mi„ nio tingendas arbitror, ſiniſtra autem medietate iterum transverſe „ ſecta, ita, ut ſuperior pars *familiarem baltheum pinnatum* referat, „ inferior contineat ex angulis ſcuti *argentei inferioribus in ſupre„ mum capitis marginem, lineis non nihil curvatis*, ductum trian„ gulum (Feciales ſuis terminis vocitarent *trabeam ſcutariam*, ſeu „ chlamydem argenteam, ſupra tunicam intextam rubeam) *rubeum*, „ inſcriptis *alis tribus*, quæ in *argento rubent*, *infima candet in mi„ nio.* „ In hoc vero ſcuto nonniſi tres illæ alæ comparent, quibus quidem SPENERI coniectura, illas ad Comitatum *Ortenburgicum* proprie ſpectare, confirmatur.

Faſciæ item *Ortenburgicæ.*

XXXVII. Unde & tres ſtellæ, in quarto hoc ſcuto exhibitæ, procul dubio ad Comitatum *Sternbergicum* referendæ. Teſtibus enim adductis diplomatis, Comitatus iſte, unacum *Ortenburgico*, cui

Ac Stellæ *Sternbergicæ*, unacum *Sueviæ* teſſera.

a) Conf. dicta tom. I. horum monumentorum pag. 100. §. XVII.

b) *Auſtria ex archiv. Mellicenſ. illuſtrat.* tab. 22. num. 12.

c) Chron. *Carinth.* ap. cit. HAHN. tom. I. p. 526. Das Geſchlos *Cili* iſt von alter geweſen der Grauen von *Hewnburg*, nach der aller Tod iſt es erblich geuallen auf die Herrn uon *Sanegk* die haben ſich darauf graffen laſſen. Und die Graffen von *Cili* dieſelb wappen in dem furm auch gefurt.

cui annexus erat, iure hereditatis *Cileienſibus* obvenit, atque adeo, extinctis etiam his, FRIDERICO Imp. a) Ultimo denique ſcuto digma Dūcatus *Sueviæ*, in ſigillis *Auſtriacis* ſatis frequentatum, expreſſum eſſe, nemo non videt.

a

De auctore operis.

XXXVIII. Atque hæc ſunt, quæ de auguſto hoc ſepulcro, deque ſcutis eius, magna ex parte ſumme intricatis, proferenda duximus, ingentem gratiam habituri illis, qui nos meliora, certioraque, docebunt. Ceterum auctorem operis Cl. DUELLIUS b) prodit, illum ſcilicet fuiſſe *Nicolaum* LERCHIUM, lapicidam, ac civem *Argentinenſem*, cuius rei fidem facit epitaphium eius, *Neapoli Auſtriæ*, ubi ſepultus iacet, poſitum; ut in quo huius ipſius mauſolei ſtructura, tanquam ab ipſo profecta, poſterorum memoriæ commendatur. Verum longinquitas temporis, in opere conſumti, dubium ingerit, an ipſe ultimam ei manum impoſuerit? WENCKERUS certe NICOLAUM hunc, quem de LEYDEN, non civem *Argentinenſem* vocat, celebrem lapicidam, a FRIDERICO III. Imp. iam an. 1467. *Argentina*, ubi artem ſuam lapidariam exercebat, evocatum fuiſſe, perſcribit, c) haud dubie, ut coniugis ſuæ ELEONORÆ, eo anno defunctæ, tumulum, quo de capite mox ſequenti, fabricaret. Verum nec iſta annorum ſeries ſi modo, tempore vocationis ſuæ, multum ultra triginta ætatis annos haud numeraverit artifex, humanæ vitæ metas excedit.

b

c

CAPUT V.

DE SEPULTURA ELEONORÆ LUSITANÆ, FRIDERICI PLACIDI CONIUGIS, TRIUMQUE PROLIUM EIUS, NEAPOLI AUSTRIÆ, ITEMQUE FILIÆ EIUS KUNEGUNDIS, MONACHII.

§. I.

Sepulcretum in Abbatia *Ciſtercienſi Neoſtadii*. TAB. XXIX.

ELEONORAM *Luſitanam*, FRIDERICI *Placidi* uxorem, exſtructa a marito, ac capite præcedenti memorata Abbatia Ordinis *Ciſtercienſis*, *Neoſtadii Auſtriæ*, in ſui venerationem adeo traxit, ut ibi ſibi, ſuisque liberis, præcoci morte ſublatis, locum ſepulturæ elegerit. Qua in re exempla veterum imitata eſt, quos in locis fundationis ſuæ humari præoptaſſe, cum per decurſum huius operis vidimus, tum exemplis aliorum quoque Principum, Nobiliumque oſtendi poſſet. d) Ibi igitur trium liberorum eius lapides ſepulcrales, cum inſigni monumento, prout in hac tabula noſtra deſignari, curavimus, occurrunt. Sita ſunt in Abbatiæ eiusdem choro, ad modum quaſi *Gothicum* conſtructa, olim

d

ante

a) Vid. Illuſtr. CRONBERG. loc. cit. p. 371.
b) De fundat. templi cathedr. *Neoſtad.* p. 32.
c) *Apparat. & inſtruct. Archivor.* erſte anmerckung über das erſte capitel. p. 19.
d) Vid. inter cetera lib. I. cap. I. §. IX. pag. 7. ſeq.

ante vetus, nunc autem retro novum iam altare ſupremum, ut ex templi ichnographia ſubiecta videre eſt. Tab. XXIX.

II. Primus omnium huc conceſſit CHRISTOPHORUS, filius FRIDERICI natu maximus, ac ſub lapide, a nobis num. 3. notato, conditus. Medius nempe iacet ſororem inter, & fratrem, natu minores. Inſcriptio eius ſic habet: 1464. IN. DIE. PALMAR. OBIIT. DUX. CHRISTOPHORUS. D. FRIDERICI. ROM. IMPERATORIS. AUSTRIE. ET. STIRIE. DUCIS. ET D. LEONORE. SUE. CONTHORALIS. PRIMOGENIT. HIC. SEPULT. Adduntur in medio parmæ *Auſtriæ*, & *Styriæ*, cum galea coronata, cauda pavonina faſtigiata. In notam temporis ſphalma irrepſiſſe, atque adeo argumentum præbere ſuſpicandi, lapides iſtos æquævos haud eſſe, ex iis conſtat, quæ de nativitate, & obitu huius Principis auctores æquales tradunt. Inter eos ſæpe laudatus MENLIUS, qui iuſſu MAXIMILIANI II. Imp. in tempora Ducum, Archiducumque noſtrorum, emortualia, data opera, inquiſivit, cuique ephemerides Aulæ patuerunt, hæc refert: „ CHRISTOPHORUS, primogenitus FRIDERICI filius, na„ tus eſt an. 1455. menſis *Novembris* die XVI. mane ante ſolis or„ tum, ſub horam forte ſeptimam: mortuus an. 1456. menſis „ *Martii* die XXI. ſepultus in *Nova-civitate* ante ſummum pri„ marii templi altare.„ Idem affirmant BIRCKENIUS, LEQUILEUS, SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* quique ibidem citantur, ac denique, qui primo loco laudandus fuiſſet, *Nicolaus* LANCKMANNUS de *Valkenſtein*, Aulæ *Fridericianæ* Sacellanus, ac pro deſponſanda, ac adducenda FRIDERICO ELEONORA noſtra, Orator ſecundus, qui iisdem fere, quibus deinde MENLIUS, verbis uſus eſt, a) quanquam dies obitus, librarii tamen vitio, in *Peziana* editione, viceſimus, loco viceſimi primi, ſcribatur. Nam revera in die palmarum, qui tum XXI. *Martii* illuxerat, obiiſſe, conſenſus evincit reliquorum quanquam, ut nihil diſſimulemus, ſæpe laudatum Necrologium Parochiæ, ſeu templi Cathedralis *Neoſtadienſis*, Sabbatum ante diem palmarum præferat. Ubi ex FRIDERICI III. prolibus primo CHRISTOPHORUS an. 1456. N. 3. a

III. Fratrem inſecuta eſt ſoror HELENA b) alias etiam ELEONORA, cuius lapidis ſepulcralis, num. 4. ſignati, inſcriptio ſic habet: †. 1462. SABBATO. POST. MATHIE. APOSTOLI. DUCISSA. HELENA FRIDERICI. ROMANORUM. IMPERATORIS. AUSTRIE. ET. STIRIE. DUCIS. ETC. ET D. LEONORE CONTHORALIS. SUE HIC. SEPULTA. Adduntur ſcuta cum *Auſtriæ*, & *Styriæ* teſſeris iuncta, abſque tamen ornamentis. Laudatus LANCKMANNUS de ea ſic proloquitur: „ Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexage„ ſimo, die tertia menſis *Novembris*, in *Wienna*, *Patavienſis* Dioceſis, „ ante Ac ſoror eius HELENA. 1461. N. 4. b

a) Ap. STRUV. *rer. Germ.* FREHERI tom. II. p. 78. nec non ap. *Hier.* PEZ. *rer. Auſtriac.* tom. II. col. 604. c. d.

b) Hanc perperam *Gerardus* de Roo lib. X. p. m. 390. BARBARAM vocat.

Tab. XXIX.

„ ante ortum ſolis, nata eſt Domina HELENA prædicti Domini Impe-
„ ratoris filia, quæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexa-
„ geſimo primo, ultima die menſis *Februarii* in *Wienna* mortua eſt,
„ & in *Nova-Civitate* in Monaſterio *Ciſtercienſis* Ordinis in choro
„ ſepulta eſt.„ Diſcrepant hæc ab inſcriptione noſtra iterum anno uno, cum contra LANCKMANNI utraque editio, diverſis ex MSS. adornatæ, ſibi invicem correſpondeant, cui proinde, cum & priori lapidi, nec non & ſequenti mendum inſit, accedere, haud dubitamus. MENLIUS, de anno hærens dubius, in MS. ſuo ſpatium reliquit, haud dubie ſub ſpe, aliquando eruendi certiora, ſupplendique omiſſa.

Ac denique IOANNES, an. 1467. humati. *N.* 2.

IV. Tertium epitaphium, num. 2. diſcretum, ad Ducem, ſeu, ſi mavis, Archiducem IOANNEM pertinet, huius ſententia: 1467. DIE. SCOLASTICE VIRG. OBIIT. DUX. IOANNES. *fri*DRICI. ROMANOR. IMP*er*ATORIS. AUSTRIE. ET. STIRIE. DUX. ZT. ET. D. ELONORA SUO. CONTHORALIS. a) FILIUS. HIC. SEPULTUS. IN IOH. Quæ ultima verba Oedipum poſtulant. R.P. FISCHER legit: *In Iar*, ac cetera errata emendat. b) Dies præterea mortualis valde dubius redditur ob variationem Scriptorum. Laudatus enim LANCKMANNUS, cui & MENLIUS ſubſcripſit, ſic habet: „ Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto, in *Nova-Civitate*, in vigilia S. LAURENTII, natus eſt Dominus IOHANNES, filius Domini Imperatoris: qui ſequenti anno, quindecima die *Februarii* mortuus eſt, & in prædicto monaſterio novo ſepultus eſt.„ At enim feſtum S. SCHOLASTICÆ, quod inſcriptio noſtra præfert, decima, non quinta decima *Februarii* celebrari, conſuevit. Aliud nos docet ſæpe, ac mox etiam laudatum Necrologium *Neoſtadienſe*, diem lunæ, ante diem *Saturnalium* commemorans, c) qui tum in nonum *Februarii* inciderat. Quare verum hic invenire, difficile eſt: attamen, penſitatis omnibus, dici fortaſſis poterit, IOANNEM poſt Veſperas profeſti S. SCHOLASTICÆ obiiſſe, mortemque adeo eius in epitaphio, quod ſæpe alias quoque factum fuiſſe, alibi obſervavimus, cum die ſequenti compoſitam fuiſſe: LANCKMANNUM contra, & MENLIUM de die ſepulturæ capiendos.

a

b

c

Horum mater ELEONORA *Luſitana*, ibidem condita, duplici gaudebat nomine,

V. Filios, hactenus recenſitos, excepit tandem mater ELEONORA, EDUARDI, *Luſitaniæ* Regis, filia. De eius nuptiis, & coronatione, egimus tomo præcedenti. Hic loci vero addendum eſt: prima pacta nuptialia facta eſſe *Neapoli*, in arce *Capuana* X. *Decembr.* an. 1450. Oratore IOANNE FERDINANDO de *Sylveria*, Doctore, ab ALPHONSO V. Rege *Luſitaniæ*, ſponſæ fratre, ad id ſpeciatim ſub XXVII. *Iunii* eiusdem anni deputato: tum vero prima *Auguſti* d) anni inſequentis ſponſalia de præſenti, Epiſcopo de *Cepta* ſacris fungente, habita fuiſſe *Liſabonæ*, tradito annulo nuptiali. Sed

d

&

a) Sic in lapide.
b) Brev. notit. urbis *Vindob.* P. III. p. 163.
c) An Montag vor den Faſchang-tag
d) LANCKMANNUS ad ſecundum eiusd. menſis refert. ap. FREHER. l. c. p. 59.

& id haud reticendum: NICOLAUM V. ſummum Pontificem, ſub XI. Kal. *April.* 1451. at ſecundum noſtram, hodiernamque annos putandi rationem, 1452. nomen ELEONORÆ in nomen HELENÆ, in memoriam matris CONSTANTINI M. Imp. ea ex cauſſa commutaſſe; quod is Eccleſiæ *Romanæ* multa beneficia contulerit, quodque nomen ELEONORÆ in *Germania* minus notum, aliunde etiam cum HELENÆ nomine unum idemque a multis cenſeretur. a) HELENÆ tamen nomine Imperatricem aliquando uſam fuiſſe, haud legimus, bene vero HELENÆ, eius filiæ, nomen aliquando tribui ELEONORÆ. Tab. XXIX. a

VI. Illi igitur in dicta Eccleſia *Ciſtercienſium* monumentum ab Imperatore ſtatutum fuit, fabricatore eodem, qui mauſoleum poſtea *Fridericianum* exſculpſit, *Nicolao* LERCHIO, quem ab Imperatore an. 1467. quo illa diem clauſit extremum, *Argentina* evocatum fuiſſe, ſupra b) retulimus. Perſuadet id etiam operis utriusque ſimilitudo, eadem marmoris materies, ars eadem, par fere operis induſtria. Monumentum hoc medium conſiſtit a cornu Evangelii, quod vocant, inter duo oſtia. Pavimento æquatum haud eſt, ſed illo nonnihil extantius, ut ingredientibus tota figura facile ſub oculos cadat. Ipſa ELEONORA cum corona, & veſte Imperatoria repræſentatur, pomum, ſive globum Imperii, cruce tamen deſtitutum, dextra tenens, ſiniſtra vero ſceptrum, ſuperiori parte iam deiectum. Utrique manui annuli affatim inducti ſunt. Suſpiciendi quoque eius capilli diſſoluti, & ad talos uſque demiſſi. Ad quatuor angulos totidem exciſa ſunt ſcuta, quorum primum ſuperne a dextris aquilam Imperii bicipitem, alterum ex adverſo *Luſitaniæ* teſſeram, inferne autem alterum *Auſtriæ*, *Styriæ* digma alterum refert: In peripheria hæc legitur inſcriptio: DIVI. FRIDERICI. CÆSARIS. AVGUSTI. CONTHORALIS. LEONORA. AVGVSTA. REGE. PORTVGALIÆ. GENITA. AVGVSTALEM. REGIAM. HAC. VRNA. COMMVTAVIT. III. NON. SEPTEMBR. 1467. Quod deſcribitur, allato quoque epitaphio. b

VII. Cum hac mortis epocha convenit quoque ſæpe laudatus LANCKMANNUS. c) „Anno milleſimo quadringenteſimo ſexage„ſimo ſeptimo (ait) Domina LEONORA - - tertia die menſis Sep„tembris - - migravit ad Dominum, & in *Nova-Civitate, Saltzbur„genſis* Dioceſis, in monaſterio novo, *Ciſtercicum* Ordinis, in cho„ro penes locum, ubi corpus Dominicum reconditur, eſt ſepulta. „ Annum præterea ætatis his verbis adiicit: „Et ſicut ipſa Domi„na (inquit) in *Septembri* nata fuit, ſic in triceſimo ſuæ ætatis „anno in *Septembri* mortua eſt.„ Ex quibus verbis conſectarium foret, illam anno 1437. id quod CUSPINIANUS quoque, & BIRCKE- Anni vitæ. c

a) Diſcimus hæc ſingula ex quatuor ſummariis repertor. Archivi Cæſar. lib. III. pag. 279. ſeqq.

b) Cap. præced. §. XXXVIII.

c) Loc. cit. p. 79. ſeq. ac emendatius ap. *Hier.* PEZIUM loco ib. cit. col. 606. c. d.

Tab. xxix. a b

CKENIUS a) ſciſcunt, in lucem protactam fuiſſe. Verum Clar. KOELERUS b) ex VASCONELLO, FARIO, *Ænea* SYLVIO, aliisque evincit, eam VIII. *Septembris* 1434. natam fuiſſe, ut adeo annos vitæ ad tres, & tringinta, demptis diebus quinque, perduxerit. Prioribus ſane vel ideo etiam minus fidei tribuendum; quod ex eorum hypotheſi ELEONORA nuptiarum tempore annum ætatis non niſi quartum decimum cum dimidio numeraſſet, Imperator contra ſeptem, & triginta, diſſimilitudine tantum non nimia.

Alia inſcriptio.

VIII. Aliam inſcriptionem tabula quondam lignea, ad latus tumuli ſuſpenſa, præferebat. Monumentum hoc nunc honoratius habetur; quippe quod lignea concluſum theca, in qua recens, atque vetus inſcriptio, id eſt tam ea, quæ in margine lapidis ſepulcralis, quam quæ in dicta tabula ſcripta erat, coloribus picta, cernuntur. Hanc ultimam tabulæ noſtræ æneæ incidi curavimus, ubi facile legitur. Eandem UNRESTUS c) chronico ſuo *Auſtriaco* inſeruit, at nonnihil depravatam, maxime ubi *Portugalenus* Princeps, pro *Portugalenſis*, ſcribitur.

c

Sepulcro eius, iuſſu LEOPOLDI I. Imp. aperto, quid inventum?

IX. Poſtremo memoratu dignum eſt, quod in ephemeridibus huius Abbatiæ, de patefactione huius monumenti, iuſſu Imperatoris LEOPOLDI ſuſcepta, *Germanico* idiomate, hic vero in *Latinum* converſo, legitur: „Anno 1668. die XX. *Aprilis* iuſſu S. C. M. LEOPOLDI I. ſepulcrum Imperatricis LEONORÆ, mitiſſimæ memoriæ, coniugis FRIDERICI III. Imp. retro altare ſummum apertum eſt, nec niſi pars cranii, cum aliis oſſiculis, fruſta item aliquot arcæ ligneæ, olim, ut videbatur, aliqua ſui parte inauratæ, nec non duo, triave ferramentorum, pannique ſerici rubri, varii generis, fragmina, reperta ſunt. Quæ ſingula denuo in cryptam, non niſi unius perſonæ capacem, bene tamen concameratam, iniecta ſunt. Huic patefactioni interfuerant præter Abbatem, & alumnos huius cœnobii, Reverendiſſimus huius loci Epiſcopus, D. *Laurentius* AIDINGER, D. FRANCISCUS AUGUSTINUS, Comes a *Wallerſtein*, S. C. M. Præfectus prætorio, *Philippus* MÜLLER S. I. S. C. M. conſcientiæ arbiter, *Philibertus* LOCOBELLA, ex eadem ſocietate, eidemque C. M. a ſacris concionibus, *Petrus* LAMBECIUS, Bibliothecarius Cæſareus, ac Baro *Bonaventura* COROLANZA, S. C. M. ſenior ſecundi ordinis cubicularius. „ Ex hac relatione iure merito negamus V. Cl. KOELERO, aſſerenti: d) funus ELEONORÆ *Neoſtadio Wiennam* translatum, & in mauſoleo coniugis repoſitum fuiſſe. Nam præterquam, quod *Auſtriacarum* rerum Scriptores hac de re, uno, quoad ſciamus, dempto BIRCKENIO, e) nihil memorent, cre-

d

e

a) CUSPINIAN. *de Cæſar.* p. 414. BIRCKEN. *Spiegel der Ehren* lib. V. cap. XIX. p. 747. col. a.

b) *Delic. nummar.* ſeu *Müntzbeluſtigung.* P. I. p. 93.

c) Chron. *Auſtr.* p. 553.

d) Loc. cit. pag. 96.

e) Loco mox cit.

credibile haud videtur, ut relicta parte cranii, oſſium, aliarumque dictarum rerum exuviis, quas utique ſepulcro iterum redditas, nec alias res tum inventas fuiſſe, mox audivimus, reliquum corporis translatum fuerit. Oſcitanter ſane, nec pro funeris dignitate, eiusmodi translatio ſuſcepta fuiſſet. Illuvie igitur potius aquarum, aut terræ voracitate, reliquias eius maximam partem in pulverem iam redactas, exiſtimamus.

X. Dicendum reſtat de filia ELEONORÆ, KUNEGUNDA, quæ licet matri in multam ætatem ſuperſtes, ac *Neoſtadii* haud ſepulta, nullibi tamen aptius recenſenda foret. De eius nuptiis cum ALBERTO IV. Duce *Bavariæ*, initis, egimus tomo præcedenti, inſtrumentis publicis nixi, contendentes, eas clam, & invito Cæſare patre, haud coaluiſſe. Verum BIRCKENIO, aliisque teſtibus, litteræ tum ſuppoſititiæ productæ fuere, quibus SIGISMUNDUS *Tyrolenſis*, apud quem tum KUNEGUNDIS *Oeniponte* agebat, fidem adhibens, in matrimonium conſenſit, idque ſtatim celebrari, permiſit. Qua de re ille fuſius. De nuptiis KUNEGUNDIS retractatio.

XI. Nata erat *Neapoli Auſtriæ* an. 1465. die XVI. *Martii*, ut præter LANCKMANNUM a) coævum, fidem faciunt MENLIUS, LEQUILEUS, BIRCKENIUS, ceteri. Rebus exceſſit humanis an. 1520. die VI. *Auguſti*, ut auctores laudati, ac præcipue CZERWENCKA, b) vitæ eius ſeriem data opera deſcribens, tradunt. A morte mariti, quæ in annum 1508. cadit, celebrata prius die depoſitionis trigeſima, in monaſterium *Pitrichianum*, ſeu *Bytrichianum*, quod *Monachii* eſt, ſeſe recipiens, ſanctam ibi ducens vitam, poſtque obitum habitu tertii Ordinis S. FRANCISCI induta, in æde D. Virginis *Collegiata*, inque crypta ibidem Ducali depoſita fuit, teſte RADERO, *Fortunato* HUEBERO in triplici chronico *Ord. Seraphici*, ac præſertim Anonymo, hiſtoriæ monaſterii *Bytriachiani* auctore, editæ *Monachii* 1721. Etſi vero in ea crypta, anno 1722. (ut inferius pluribus dicemus) aperta, nulla ſingularis Principis noſtræ arca funebris reperta fuerit; occurrebat tamen verſus Imperiale mauſoleum LUDOVICI *Bavari* grandior arca ſtannea, multis referta oſſibus, atque inter ea ſex calvariis. Unde credibile fit, in hanc etiam KUNEGUNDIS reliquias, niſi forte in hoc loco alia crypta, hucusque incognita, lateat, conceſſiſſe. Eiusque mors, & ſepultura.

a) Cit. edit. *Peziana* col. 606. b.

b) *Pietat. Auſtr.* lib. III. cap. VII. p. 427.

CAPUT VI.

DE SEPULTURA MAXIMILIANI I. IMPERATORIS, NEOSTADII AUSTRIÆ.

§. I.

NEAPOLI *Auſtriæ* intrantibus palatium Archiducale, ſub fornice, in ulteriori ingreſſu, ſacellum occurrit inſigne, a FRIDE- Sepulcrum MAXIMIL. I.

Imp. *Neoſtadii*. DERICO *Placido* Imp. exſtructum, ac honoribus S. GEORGII M. conſecratum, in eoque ex adverſo altaris primarii, monumentum ſepulcrale Cæſaris Aug. MAXIMILIANI primi. Verum illud tribus, nunc autem quatuor, ligneis, ante aram poſitis gradibus contectum, in conſpectum haud venit.

Eiusque deſcriptio. TAB. XXX. II. Hoc ſepulcrum iam tum an. 1739. die vero IX. *Iulii*, obtenta prius ab Aug. Aula Cæſarea facultate, datoque ab eadem eius loci *Burggravio*, D. NEYEGENT, imperio, ut ſuam hoc in negotio quamcunque conferret operam, aperire tentavimus. Remotis itaque, præſentibus Reverendiſſ. D. Officiali nec non novi monaſterii Ord. *Ciſtercienſis* Priore, aliisque ſpectatoribus, dictis gradibus, ſepulcrum apparuit, opere cœmentitio, haud fornicato, proxime pavimentum ſacelli ita conſtructum, ut ex una parte ſolidam aræ parietem contingat, ex altera vero excurrat in adverſum, ut ſacerdos aræ ſuperadſtans, pectori Cæſaris, quemadmodum vivens præſcripſerat, a) pedibus inſiſtat. Ipſum opus cœmentitium altitudine pedes duos, digitosque ſeptem, ac ſemis, longitudine pedes ſeptem, cum dimidio pollice, ac latitudine pedes quatuor, digitum unum adæquabat. Huic impoſitum erat operimentum marmoreum illitteratum, pedes quinque, cum octo, ac ſemis digitis, longum, latum vero pedes duos, pollices decem. Opere hoc a murariis perforato, ac ex parte deiecto, fovea apparebat, quatuor pedes, ac duos pollices in latitudinem, & pedes ſeptem in longitudinem porrecta. Intus conſiſtere viſa eſt dedolata ex robore arca funerea, duos pedes, ſeptemque pollices lata, unum pedem, octo pollices alta, longa vero pedes ſeptem. Operculum, cum nonnihil ſuſtolli poſſet, locum faciebat immittendæ manui, quo fiebat, ut Principis calvaries, ægre licet, contingi, lignique fruſta corrupti, ac aliquid lamellæ ferreæ, rubigine exeſæ, parsque lintei denigrati extrahi poſſet. Unde intelligi dabatur: cadaver alio loculo, iam putrefacto, ac primo quidem lamella ferrea per commiſſuras munito, conditum, ac veſtimentis adornatum fuiſſe. Ulteriorem loculi inſpectionem impoſitum tumulo marmor prohibebat, ſatisque viſum eſt, Cæſaris ſepulturam exploraſſe. Aliter enim opus fuiſſet, ſuperimpoſitum marmor, atque adeo ipſum tumuli deſtruere corpus, id quod nec nos auſi, nec a D. *Burggravio* conceſſum fuiſſet; quippe notum ſibi eſſe, monenti, id olim ab Auguſtiſſimo Imperatore CAROLO VI. ne quidem datum eſſe illi, qui tum præerat, de *Vineis*, Epiſcopo *Neoaſtadienſi*, ut tumulum MAXIMILIANI oculis uſurparet, nedum molimine aperiret. Qua quidem in re, gratia Cæſaris, nobis felicioribus eſſe licuit. Idque amplius accidit, ut occupatis nobis in aperiendo, Sereniſſimus Dux *Saxo-Meinungenſis*, ANTONIUS ULRICUS, interveniret, atque omnia præſens intueretur. Iisdem porro ſpectatoribus, factum in aditu foramen ſine mora denuo refectum eſt.

III.

a) Teſte CUSPINIANO, Imperatoris huius Oratore, opere *de Cæſar.* p. 492.

III. Correſpondent hæc magna ex parte, aut ſaltem haud diſconveniunt cum iis, quæ Scriptores eius ævi de rebus, mortem MAXIMILIANI noſtri circumſtantibus, tradiderunt. Præprimis audiendus eſt mox laudatus CUSPINIANUS. a) „Dehinc præcepit (ait) ut poſtquam animam efflaret, pilis eius tonſis toto corpore, omnes dentes evellerentur, in foveaque, ſuppoſitis carbonibus cum igne, in cemiterio obruerentur, corpusque eius flagellatum triplici ſacco ex lino (nigri coloris, ut vidimus) ſerico albo, ac, quod vulgo vocamus, damaſco involveretur, cum calce, cinere mixto. Impoſitus feretro, quod ſecum annis quinque, & amplius, in eum uſum facto, circumduxit, interius ferramentis optime munito. Licet quidam a ſecretis pro repoſitorio rerum illius geſtarum (haberet) neſcius, cur Cæſar, ita fabrefactum, ferreis tot repagulis munire, iuſſiſſet. Tandem egit, ut, poſtquam animam DEO reddidiſſet, hoc corpus ſuum integro die palam omnibus, ipſum adeuntibus, oſtenderetur, ac poſtremo incluſum feretro, in *Novam-Civitatem Auſtriæ* ductum, in ſacello arcis, Sancto GEORGIO dicato, ſub magno altari ſepeliretur, ita, ut a pectore ad caput foris cadaver extenderetur, Sacerdos autem, Divina myſteria celebrans, pedibus pectus calcaret. Omnia cum rite ordinaſſet, ſalutatis omnibus ſuis familiaribus, CHRISTO DEO, poſt percepta Sacramenta, ſuam animam commendavit: ſtrenue ipſum adhortante *Cartuſiano* (P. *Georgio* REISCH, e monaſterio prope *Friburgum* evocato) cui viriliter reſpondit, &, cum vox deficeret, ſignis ſe militem CHRISTI profeſſus eſt.„ Plura eiusmodi alia affert CUSPINIANUS, eundem omnium mortalium verecundiſſimum appellans, id quod in cauſſa fuerit, ut ſe ſe poſt mortem exenterari, prohiberet: plura quoque affert Orator eius funebris, *Ioannes* FABER, Ord. *Prædicatorum*, quæ non niſi intimo animi ſenſu leguntur. b) Effigiem, poſt mortem eius factam, unacum ſigno S. Crucis, Equitum militarium S. GEORGII teſſera, pectori eius impoſita, ſicque ad ſepulturam data, tomo præcedenti exhibuimus. Elogia, ac varia doctorum virorum epicedia, ac trenodia, *Pontus* HEUTERUS, c) & FREHERUS d) ediderunt.

Ac mortis, ſepulturæque hiſtoria. TAB. XXX. a b c d

IV.

a) Pag. 492. Extant praeterea in chronico *Lunælacenſi* p. 307. litterae Cæſaris ad WOLFGANGUM, eiusdem monaſterii Abbatem, ſignatæ XXV. *Novembr.* anno 1513. quibus ab eodem monachum ſapientem præ ceteris, atque prudentem, ad Dominicam *Reminiſcere* anni ſequentis, poſtulat, cuius, aliorumque, quos ex aliis etiam monaſteriis petierat, opera, pro condendo teſtamento ſuo, uteretur. Miſit Abbas, ut ex eius reſponſo, die Lunæ poſt Dominicam *Invocavit* an. 1514. dato, patet, FLORIANUM, monaſterii *Priorem.* Unde concludas, quam verum ſit, quod tradit CUSPINIANUS; nam illum arcam funebrem ex eo tempore, quo de morte tam ſerio cogitare cœperat, id eſt annis ante mortem quinque, circumferre conſueviſſe, etiam inde omnino credibile fit.

b) Extat eius oratio apud FREHER. *rerum German.* edente STRUVIO, tom II. p. 721. nec non *Georgii* SAUROMANNI ibid. p. 743. ac *Udalrici* ZASII ib. p. 770.

c) In appendice ad *res Belgicas* p. 736. ſeq.

d) Loc. mox cit. p. 761.

Mortis genus, & ætas.

IV. Morbi genus *Gerardus* de Roo a) lentam febrem fuiſſe, quæ eum *Oeniponti* invaſerit, perſcribit: „quæ uti ſolis, cœlique muta-
a „tione, aut ipſo itinere diſcuteretur, ſecundo amne in *Auſtriam* de-
„ſcendit. *Welſam* oppidum cum veniſſet, intendi morbum vi-
„dens, ſubſtitit.„ Laudatus Heuterus ſic porro pergit: „Ibi-
„dem febrem perpetua venatione, atque aucupio pellere conabatur.
„Dumque aliquando a venatione reverſus, ardentem ſitim immode-
„rato melopeponum eſu ſedare ſtudet, ſumpto inſuper dubiæ po-
„teſtatis medicamento contra morbum, ac quam adhuc inſtare ſibi
„perſuadebat, febris, quæ per intervalla accedere ſolebat, fit conti-
„nua, accedenteque ventris profluvio, cum duplicis mali vim ſenile
„corpus perferre, non poſſet, ſumpto Chriſtianorum certiſſimo ſan-
„ctiſſimoque viatico- -vitam cum morte XII. *Ianuarii* 1519. ho-
„ra tertia poſt mediam noctem, commutat, cum laborare cœpiſſet
„menſe *Iunio* anni præcedentis.„ Incluſus deinde feretro, ut pergit Cuspinianus, primum in templum de more delatus, parentatum eſt ei. Dehinc per villas, & oppida, *Viennam* allatus, XXIIII. eiusdem menſis in Divi Stephani templo, aſtante univerſa *Auſtriæ* nobilitate, & *Viennenſi* Antiſtite Georgio ſacra celebrante, exequiæ peractæ ſunt, cum maxima omnium aſtantium triſtitia. Poſt triduum in *Novam-Civitatem* delatus, ſub ara Divi Georgii ſepultus, a *Philippo* Gundelio, Profeſſore humanitatis *Viennenſi*, elegantiſſima oratione funebri, ac artificioſiſſima decoratus eſt. Ad-
b dit laudatus *Ioannes* Faber, b) eum fortaſſis in *Nova-Civitate Auſtriæ* ideo ſepulturæ locum delegiſſe, quod in eo caſtro ſit genitus, in ea capella per ſacramentum baptiſmi regeneratus, quodque mater eius, Eleonora Imp. Aug. quam unice dilexit, in ea etiam civitate ſepulta ſit. Denique circa numerum annorum, dierumque ætatis eius, hæc obſervat: „Etſi omnia, quæ in Cæſaris morte ac vita plane ſint miranda, id tamen præ ceteris admirandum magis, quod, cum Cæſar noſter natus ſit anno M. CCCC. LIX. vixerit quoque LIX. annis, menſ. IX. diebus XIX. obieritque anno Christi M. D. XIX. regnaverit vero XXXIII. annis, quod omnes ſcilicet numeri huius Cæſaris in novenarium, qui in ſe ter reductus, ternarium cauſſat, qui omnium eſt perfectiſſimus, terminen-
c tur.„ Verum, cum XXII. *Martii* c) an. 1459. natus, ac XII. *Ian.*

a) *Hiſtor. Auſtr.* lib. XII. p. 476.

b) In orat. funeb. ap. Freher. *Sciptor. rer. Germ.* tom. II. p. 741.

c) Laudatus ſupra Lanckmannus *hiſt. deſponſ.* Frid. III. col. 605. d. edit. *Pezianæ* T. II. „Item eodem anno, tempore *Quadrageſimali*, ſcilicet anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, viceſima ſecunda die *Martii*, poſt meridiem infra quintam, ac ſextam horas, Domina Imperatrix - - in *Nova-Civitate* peperit in lucem filium, quem Reverendiſſimus Dominus *Salzburgenſis* Archiepiſcopus baptizavit, & nomen proprium ei impoſuit „Maximilianus.„ Errant igitur Lazius, Megiserus, aliique, eum in arce *Tanzenberg*, in *Carinthia* natum fuiſſe, perhibentes. Neque enim tum temporis Fridericus cum ſua Eleonora alibi, quam *Neapoli*, eſſe potuit; ut qui hoc ipſo anno, die vero 17. *Martii* ibi

Ian. 1519. denatus ſit, ſaltem quoad dierum numerum res haud coincidit. Unde melius SCHOENLEBENIUS computat: vixiſſe eum annos 59. menſes 9. dies 21. minuta 11.

V. Corpus MAXIMILIANI anno 1580. *Neoſtadio Oenipontum* in *Tyrolim*, opera potiſſimum ERNESTI Archiducis translatum, ibique in magnifico mauſoleo, quo de capite ſequenti, repoſitum fuiſſe, nonnullis hactenus perſuaſum fuerat. Et id ſane non ſine probabili ratione; quando ad hanc ipſam translationem, ut ex inſtrumentis, a nobis parte ſequente ad hunc, & præcedentem annum, vulgandis, intelligitur, ſingula iam parata erant. Quin & inſcriptio, translationis annum, edocens, ad poſterorum memoriam, in dicto S. GEORGII templo ſuſpendenda, auctore Epiſcopo *Neoſtadienſi*, LAMPERTO, iam iam in chartam relata, ac dicti ERNESTI iudicio oblata erat, in hanc ſententiam: Corpus eius ſeculo XVI. *Oenipontum* translatum fuiſſe, putant.

D. O. M.
INVICTISS. POTENTISS. Q. PR. ATQ. DN. P. F. P. P.
MAXIMILIANO. I. ROM. CÆSARI. AVG.
GERMANICO. PANNONICO. BELGICO.
REBUS. MAX. PRÆCLARE. FORIS. DOMIQ. GESTIS.
MUNDO. TOTI. NOTISS.
APUD. VELSIUM. AUSTRIÆ. PIE. DEFUNCTO.
CUM. PER. ANNOS. LXI. HAC. IN. ÆDE. SUB. ARA. SUMMA.
CORPUS. REQUIESSET.
EX. SUOQ. TESTAMENTO. OENIPONTUM. HINC. TRANSFERENDUM. ESSET.
ABAVO. CARISSIMO. RUDOLPHUS. II. IMP. AVG.
CUM. FRATRIBUS. MONUMENTUM. HOC.
PIETATIS. ERGO. F. C.
VIXIT. ANNOS. LIX. M. IX. D. XXI.
REGNAVIT. FELICITER. ET. GLORIOSE. VICTORIOSE.
AN. VII. M. XI. SOLUS. ANNOS. XXV. M. III. D. XXV.
DECESSIT. ANNO. CIↃ IↃ. XIX. DIE. IANUARII. XII.
DEPOSITUS. HAC. SUB. ARA. DIE. IAN. XIX.
TANDEM. TRANSLATUS. AN. CIↃ IↃ. LXXX. DIE.

VI. Verum, totum hoc negotium, neſcimus, quibus ex cauſſis, interruptum fuiſſe, ex dictis conſtat; quippe quod *Neoſtadii* non ſolum arca funebris integra, ſed & veſtimentorum laciniæ repertæ, quin & ipſa mortui calvaries manu contrectata fuerit. Litteris præterea ad RR. PP. *Franciſcanos Oenipontanos* datis hiis diebus edocti fuimus, quorum hic extractum damus, a) ſuo in tabulario nihil uſquam reperiundum, quod huius translationis vel minimum veſtigium præbeat. Aſt perperam.

VII.

ab *Hungaris* Rex ſalutatus, & coronatus eſt. Conf. etiam *Gerard.* de Roo lib. VI. p. 217. SCHOENLEBEN in *Ephemerid.* LAMBEC. *Comment. Bibl. Cæſar. Vindob.* lib. II. cap. VIII. p. 697. nec non not. a. ad §. IV. cap. ſeq.

a) „ Quod cadaver vel etiam ſacri cineres Imper. MAXIMIL. I. ſub mole mauſolei *Oenipontani* quieſcant, nec minimum invenitur, vel in Archivio noſtro, vel fideli Scriptore hiſtorico, quantum mihi conſtat. - - - Ipſa inſcriptio mauſolei prætacti non niſi mentionem facit factorum inſignium, tabellis marmoreis inſculptorum, nullam de inhabitante cineris urna vel cadavere. - - - *Oeniponti* 16. Iul. 1760. *Infimus* F. IACOBUS *de Marchia* Quardianus. „

Quod firmatur nova ſepulcri recognitione, reſtitutioneque.

VII. Oportune fama ad nos pervenit de dilatatione arcis *Neoſtadienſis* in *inferiori Auſtria*, an. 1770. facta, ut ibi ſeminarium militare nobilium iuvenum, ab Auguſtiſſima Imperatrice MARIA THERESIA, aliquot abhinc annis conſtitutum, ſatis magnum haberet campum. Dumque templum academicum, S. GEORGIO ſacrum, tribus etiam altaribus marmoreis condecoratur, contigit, ut murarii, novum altare ſummum, eidem ſancto dicatum, ſtruentes, die XXI. *Febr.* ſub gradibus altaris, qui removendi erant, arcam ſepulcralem pene putrefactam, de qua nobis ſupra §. II. ſermo eſt, detegerent, oſſa MAXIMILIANI I. Imp. continentem. Nos rem tanti momenti, ac ad noſtram ſententiam, ſupra prolatam, apprime facientem, penitius exploraturi, illico per amicos litteras *Neoſtadium* dedimus, operisque noſtris ferias tantiſper indiximus, donec rei geſtæ circumſtantiæ ad nos deferrentur. Obtinuimus autem, ut Ampliſſ. Dominus IOSEPHUS, *Neapoli Auſtr.* ad SS. Trinitatem, Ord. *Ciſterc.* Abbas, non ſolum relationem, ſua manu ſubſcriptam, ſuoque ſigillo munitam, ſed & accuratam novi altaris marmorei, ac arcæ cupreæ, cui in alio loculo quercineo ſacra immortalis memoriæ Cæſaris oſſa incluſa, priſtino loco condita fuere, adumbrationem, pro ſuo in rem litterariam favore, mitteret. Eam, æri inciſam, priori an. 1739. deſumptæ, volumine altero ſubiungimus: relationem vero, recogniti, reſtitutique conditorii, prout accepimus, damus; quippe quæ rem non ſolum omnem ſatis declarat, ſed etiam dicta hactenus abunde confirmat, ut addere aliquid ſupervacaneum foret. En verba:

Poſt TAB. XXX.

„ Nuper igitur, cum altaria huius templi reſtaurarentur, ſub maiori ara, id eſt, ſub illa - - D. GEORGIO ſacra, reperitur a murariis loculus, ſitu & putredine exeſus. Tum vero hi a labore illico deſiſtere, remque ad Admodum Rev. P. CHRISTIANUM *Fengler*, ſuperiorem religioſæ *piarum ſcholarum* familiæ, inſtructioni nobilis militaris iuventutis ibidem præpoſitæ, referre. Rurſum ab illo ad Excell. Campi Mareſchallum, L. B. de HANNIG, Academiæ localem Directorem, relatum eſt, qui, adhibitis militaribus excubiis, continuari laborem prohibuit, nunciumque *Viennam* ad ſupremum Campi Mareſchallum, e Comitibus de COLLOREDO, ſupremum Academiæ Directorem, ablegavit.

Mittitur ab hoc die 23. *Februarii* 1770. ſecretarius, D. de LANG, & architectus D. GERL, *Vienna Neoſtadium*, pro pleniori rei cognitione haurienda. Poſtero die S. MATHIÆ Apoſtoli, clauſis eccleſiæ foribus, inſtituitur loculi viſitatio, præſentibus primoribus Academiæ officialibus, & familia religioſa. Suppedaneo lapide revoluto detegitur ciſta lignea, in cuius ſuperficie crux e cordulis, ut videbatur, ligneis contexta, ceteroquin vero omnino putrefacta, conſpicitur. Remotis ultro a P. Superiore aliquot aſſeribus,

itidem

itidem putrefactis, alia apparet ciſta lignea, 6½. pedes longa, & 2½. lata nigro obducta corio, & in ambabus extremitatibus ſeris ferreis clauſa. Mox ab ulteriori inquiſitione, iuſſu Excell. localis Directoris ceſſatum eſt, quippe ad aulam Cæſaream prius de hac re nuntiandum eſſe, iudicatum fuit.

Quod dum ſedulo fit, Auguſtiſſima Imperatrix noſtra COLLOREDUM Comitem, de quo ſupra, cum MAYERO, Conſiliario ſuo, & ſecretioris ærarii tribuno die 10. *Martii Neapolin* ablegat, datque in mandatis, ut hi, adhibito Superiore religioſæ familiæ, cum alio ſacerdote, ac primariis Officialibus authentice inquiri faciant, utrum cadaver Aug. MAXIMILIANI I. hac in ciſta ſit conditum. Notandum hic, D. MAYERUM librum, *Chronicon Auſtriacum* inſcriptum, & ducentis abhinc annis impreſſum, attuliſſe, in quo de geſtis MAXIMILIANI I. hæc ſub finem legebantur: *Pium hunc Cæſarem morti proximum, in ſuprema ſua voluntate ordinaſſe, ut eius cadaver abſciſſis crinibus, dentibus excuſſis, concrematisque, virgis cæderetur, poſtea viva calce illitum, tela imprimis craſſa, demum tegumento ſerico albi & rubri coloris obvolutum,* WELSIO *ſuperioris* AUSTRIÆ NEAPOLIN *transferatur, ſub altari* S. GEORGII ita *humandum, ut ſacerdos, ſacris operans, ſupra pectus defuncti conſiſteret.* a)

Perruptis igitur duabus, quibus tumba, putredine vix non exeſa, ſeris claudebatur, cumprimis tegumenta ſerica, calcis dehinc fragmenta, ac poſtremo oſſa cadaveris adſtantium oculis ſeſe conſpicienda obtulere; iamque in dubium vocari non potuit, ultimæ pie defuncti Imperatoris voluntati plene ſatisfactum eſſe, eiusque cadaver ſub hac ara quieſcere.

At vero, ob erectionem novi altaris marmorei, corpus omnino movendum erat. Quod ut ea, quæ tanto Cæſari conveniebat pompa fieret, Aug. Imperatrix ordinavit. Igitur ſarcophagi duo, & quidem cupreus unus, alter e ligno, pice illitus, conficiuntur. Cupreo ſarcophago, uti & antipendio aræ marmoreæ hæc verba inſcribuntur:

MAXIMILIANVS I. IMP. AVG.
VELSAE AVST. SVPER. VITA FVNCTVS
SUB HOC ALTARI QVIESCIT A DIE XXIV. IANVAR. AN. MDXIX.
M. THERESIA IMPERATRIX AVG.
DVM ALTARE ITERVM EXTRVI IVSSIT
CADAVERIS RELIQVIAS IN NOVVM SARCOPHAG. REPONI
AC SITVI PRIMAEVO RESTITVI VOLVIT
VII. APRIL. MDCCLXX.

Die

a) Idem nos ſupra §. III. & Monument. noſtr. tom. III. P. II. lib. I. cap. XVII. pag. 164. §. XLII. produximus, imagine ipſa, poſt mortem Cæſaris picta, ibid. P. I. tab. XLII. n. 4. exhibita.

Die igitur VII. *Aprilis* 1770. ſtatuta pro corporis translatione hora 8. matutina, Reverendiſſimus Epiſcopus *Neoſtadienſis*, e Comitibus de HALLWEIL, cum Canonicis Metropolitanæ ſuæ eccleſiæ, ad eccleſiam Academiæ militaris ſe contulit, rurſumque illo adſtante, & præſentibus ſupra nominatis, ciſta lignea aperta, & telæ revolutæ ſunt. Tum vero integrum cadaver, excuſſis dentibus, ſolo in mento dente admodum puſillo relicto, conſpiciendum erat. In cuius pectore tabula plumbea cum ſequenti inſcriptione reperi-
a tur, a) litteris Romanis exarata:

ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QVINGENTESIMO. DECIMO. NONO. DIE. DVODECIMA. MENSIS. IANVARII. DIVVS. CAESAR. MAXIMILIANVS. FRIDERICI. TERTII. ROMANORVM. IMPERATORIS. FILIVS. ROMANORVM. IMPERATOR. SEMPER. AVGVSTVS. AC. GERMANIAE. HVNGARIAE. DALMATIAE. CROATIAE. ETC. REX. ARCHIDVX. AVSTRIAE. DVX. BVRGVNDIAE. BRABANTIAE. ETC. RELICTIS. EX. FILIO. PHILIPPO. REGE. HISPANIARVM. PRAEMORTVO. FILIIS. CAROLO. REGE. ET. FERDINANDO. PRINCIPE. HISPANIARVM. ARCHIDVCIBVS. AVSTRIAE. ETC. HAEREDIBVS. PRINCEPS. CLEMENTISSIMVS. AC. VIRTVTE. BELLICA. ET. RE. MILITARI. INCOMPARABILIS. OBIIT. CHRISTIANISSIME. ANNO. IMPERII. TRIGESIMO. TERTIO. AETATIS. SEXAGESIMO. CVIVS. SPIRITVS. DEO. VIVAT. AMEN. OBIIT. AVTEM. IN. OPPIDO. WELS. HORA. TERTIA. ANTE. AVRORAM.

Præterea crux lignea cum burſa ſerica, in qua reliquiæ conditæ erant, ſupra pectus poſita fuit. Manus roſario albi coloris, in eum modum, quo utuntur RR. PP. *Camaldulenſes* involvebantur. Penes cadaver virgæ rami complures iacebant.

Hæc porro oſſa, ſedulo collecta, in alium loculum, e quercu factum, qui cupreo incluſus eſſet, transpoſita, ab octo Capitaneis ad feretrum, auguſtalibus paramentis ornatum, transferuntur comitantibus PP. *piarum ſcholarum*, Canonicis Capituli Metropolis, Magiſtratu *Neoſtadienſi*, & omnibus Academiæ militaris officialibus. Quo facto *Requiem* cantatur a Rev.mo D. IOSEPHO, abbate inclyti monaſterii Ord. S. BERNARDI *ad SS. Trinitatem*, quo finito, a Reverendiſſimo ac Ill.mo *Neoſtadienſi* Epiſcopo *Libera* intonatur. Hoc a choro muſico decantato, oſſa ad priſtinum locum, pari comitatu, pulſatis campanis, translata, ſarcophago cupreo incluſa, de novo
b tumulantur, priori ſitu nihil immutato, b) ac in ſolitam venerationis teſſeram

a) Tabula hæc an. 1739. nos facile fugit, cum, ut hic ſupra cit. §. II. diximus, immittendæ ſolum manui locus daretur.

b) Situs prior videri poteſt hic parte ſequente tab. xxx. ſect. ſecunda.

teſſeram a iuvenibus, academiæ militaris alumnis, terna ſclopetorum fit exploſio, ſicque hæc ſolemnitas terminatur.

Iuſſit Auguſtiſſima ſibi adferri crucem illam ligneam, de qua ſupra, ut & burſam reliquiarum, ac tabulam plumbeam cum inſcriptione. Quibus viſis, ea rurſum *Neoſtadium* transmiſit, ligneæ ciſtulæ includenda, pro qua aperienda binæ claves confectæ ſunt, quarum una P. Superiori familiæ religioſæ, altera Excell. D. Directori Academiæ ſunt traditæ. „

CAPUT VII.

AUGUSTUM MONUMENTUM FUNEBRE MAXIMILIANI I. IMP. OENIPONTANUM.

§. I.

OENIPONTI, in templo palatino ad S. Crucem, apud RR. PP. *Franciſcanos*, quos *recollectos* vocant, inſigne, ac prorſus auguſtum extat monumentum funebre, memoriæ incomparabilis Imperatoris MAXIMILIANI I. dicatum. Eccleſiam hanc, & monaſterium, unacum mauſoleo, ſeu cenotaphio, iuſſu, ac vi teſtamenti huius Principis, a FERDINANDO I. eius nepote conſtructum fuiſſe, *Felix* REINECCIUS, aut quisquis auctor eſt præfationis, operi eius, quo huius ipſius manuſolei ſtatuæ deſcribuntur, præmiſſæ, teſtatur. Verum monumento huic funebri vivente etiamnum MAXIMILIANO, manum admotam fuiſſe, licet id ex poſt temporis in novo hoc monaſterio, quod ante an. 1558. ad faſtigium perductum haud fuiſſe, ſupra memorati *Franciſcani* per litteras nos edocuerunt, primum conſtitutum fuerit, ex verbis biographi eius, CUSPINIANI, a) colligimus. „Multa deinde (ait) „de ſepultura ſua *pro qua hactenus multa millia aureorum erogata* „*ſunt* ſtatuit.„ Qua in re patris exemplum imitatus eſt.

MAXIMILIANUS etiamnum vivens monumentum ſibi ſepulcrale conſtrui iubet.

a

II. Monumentum iſthoc præclarum ſane, atque magnificum, ut B. L. oculis eo luculentius pateat, tredecim tabulis æneis complectimur. Dividimus præterea in partem infimam, mediam, & ſupremam. Podium, ſive baſis, marmore candido, ſubrubicundis guttis, & virgis ſparſo, triplici circumfertur gradatione, quarum quælibet ad altitudinem pedum duorum, quatuorque pollicum ſurgit. Infima, per intervalla, proiecturis, ſuprema circum metallo cælata, ac belle exornata eſt. Medii operis faſtigium corona cingitur e marmore coloris varii: ſima autem, ſuperiorem partem a media diſtinguens, cuius marmor nigri coloris eſt, in circuitu inſcriptionem continet, auratis litteris inciſam, a nobis §. ſeq. exhibendam. Totius medii operis altitudo eſt pedum ſex, pollicumque

Quod deſcribitur. TAB. XXXI.

a) Loc. cit. p. 491. in fine.

Tab. XXXI. que duorum, longitudo pedum tredecim, latitudo pedum ſeptem, cum digitis tribus. Sedecim pilæ e nigro marmore latera monumenti componunt, quas inter quatuor, & viginti tabulæ, cælatæ alabaſtrite, copioſiſſimis, artificioſiſſimisque ſignis, ac anaglyphis, præcipua rerum, a MAXIMILIANO geſtarum, argumenta continentes, duplici ſerie collocantur. Denique ſupremum, ſeu coronarium cenotaphii opus, duos pedes, totidemque pollices altum, tribus gradationibus, quarum marmor diſcolor eſt, abſolvitur. In vertice media ſpectatur MAXIMILIANI ſtatua, ex ære conflata, loricata, atque habitu Imperatoris exornata. In genua provolutus eſt Imperator, iunctisque, ac erectis manibus, altare ſupremum reſpiciens. Circa hanc imaginem, in gradationis mediæ angulis, quatuor virtutum cardinalium ænea ſimulacra conſident: *Iuſtitiæ* videlicet, *Prudentiæ*, *Fortitudinis*, *& Temperantiæ.*

Adducto etiam epitaphio. III. Epitaphium, ſeu inſcriptio, ſimam monumenti, ut diximus, aureis litteris circumdans, a LAMBECIO, REINECCIO, aliisque, ante nos editum hunc in modum excurrit:

Lateri I. a tergo mauſolei, reſpicienti primariam eccleſiæ ianuam, hæc inſculpta ſunt:

IMPERATORI CAES: MAXIMILIANO PIO FOELICI AUG: PRINCIPI TVM PACIS TVM BELLI ARTIBVS OMNIVM AETATIS SUAE REGVM

Quæ in latere II. plateam verſus reſpiciente ſic proſequuntur:

LONGE CLARISSIMO, SVB CVIVS FOELICI IMPERIO INCLYTA GERMANIA DVLCISSIMA IPSIVS PATRIA, TAM ARMIS QUAM LITTERARUM STVDIIS PLVSQVAM VNQVAM ANTEHAC FLORERE, CAPVTQ. SVPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE CEPIT, CVIVS

Latus III. altare maius reſpiciens, ſic porro pergit:

INSIGNIA FACTA TABELLIS INFERIORIBVS, QVAMVIS SVB COMPENDIO EXPRESSA CONSPICIVNTVR. IMP. CAES. FERDINANDVS

Agmen claudit latus IV. verſus conventum PP. *Franciſcanorum* reſpiciens, hunc in modum:

PIVS FOELIX AVGVSTVS AVO PATERNO PERQVAM COLENDO, AC BENEMERITO, PIETATIS, ATQVE GRATITVDINIS ERGO P. NATVS EST XXVII. MARTII a) ANNO DOMINI. MCCCCLVIIII.

a) Sic in monumento, quod & REINECCIUS vidit. LAMBECIUS, etſi & ipſe oculis illud uſurpaverit, viceſimum tamen ſecundum *Martii* legit: recte quidem, ſed non ex illius fide. Nam errorem inciſoris ſubeſſe, arti ſuæ, quam chronologiæ, magis intenti, non ſolum LANCKMANNUS, cuius verba capite praecedenti, §. IV. not. b. attulimus, perſuadet, ſed & teſtis omni exceptione maior, ELEONORA, MAXIMILIANI parens ipſa, in epiſtola apud BIRCKENIUM lib. V. cap. XIII. p. 659. ad ſenatum *Auguſtanum Neapoli Auſtriæ* ſolemni die Paſchæ, qui tum in XXV. *Martii* inciderat, data, qua lætum hunc filii ſui ortum annuntians, conceptis ver-

MCCCCLVIIII. OBIIT ANNO DO.*mini* MDXIX DIE. XII. MENSIS IANVARII.

REINECCIUS inſcriptionem ſuam hunc in modum concludit: *Natus eſt die* XXVII. *Martii, Anno Domini* MCCCCLIX. *die* XII. *menſis Ianuarii Anno Domini* MDXIX. *Welſæ in Auſtria denatus.*

IV. Aliud epitaphium honorarium, Cæſari noſtro poſitum, APIANUS a) inter monumenta *Auguſtana* refert. Eius autem opus cum oppido rarum ſit, illud huc transferre, viſum eſt, etſi mendis haud vacuum eſſe, curioſus Lector facile deprehendet: Nec non & altero ex APIANO. a

D E O
O P T. M A X.
TRINO. ET. VNI
SACRVM.
NOBILISSIMO. CAES. MAXIMILIANO.
P. F. INVICTO. AVG.
DIVI FRIDERICI AVSTRII FILIO
IMP. MAX. GERM. POT. P P.
LIBERALISSIMO. ET. IN OMNI. FOR
TVNA. MODESTISSIMO. FORTIS
SIMOQVE. PRINCIPI.
OPTIMO. PIISSIMO. CLEMENTISSIMO.
APVD. ANASANAM. WELSAM.
PRAE MAGNO. OMNIVM. LVCTV.
INIQVISSIMIS. FATIS. EREPTO
ANNO. A: CHRISTIANA. SALVTE
M. D. XVIIII.
PRIDIE EIDVS IAN.
VIXIT. ANNOS. LVIIII. MENS. IX.
DIES. XIX.

IMPERAVIT ANN. XXXI. MENS. XI. DI. XXI.
NVLLI AVGG. ET CAESS. IVRIS. ET.
AEQVITATIS OBSERVANTIA. BELLI.
ET PACIS ARTE. SAPIENTIA. TEMPE
RANTIA. PLACABILITATE. INNOCENTIA.
RELIGIONE. ALIA VE. VLLA VIRTVTE
INFERIOR.
PVBLICAE

bis dicit, eum natum fuiſſe die *Iovis* ſancto, id eſt XXII. *Martii*. Eundem quoque diem BURKLEHNERUS, in deſcriptione principalis Comitatus *Tyrol.* cap. 13. de Auguſto noſtro agens, his verbis prodit. „Iſt in dem Iahr Chriſti 1459. an „dem Weichenpfinſttag (i. e. in *Cœna* „*Domini* qui tum, ut diximus in 22. „*Mart.* inciderat) in der *Neuſtatt* in *Oe*„*ſterreich* glückſelig gebohrn, auf den *H.* „*Oſtertag* darnach getauft, und MAXIMIL„LIANUS genañt worden.„ Errat igitur HEUTERUS, XII. Kal. *April.* ſeu XXI. *Martii* aſſignans, in cit. append. pag. 129.

a) Inſcriptiones ſacroſanct. vetuſt. pag. CCCCXXXIIII.

PVBLICAE GERMANORVM SALVTIS
CVRATORI. LIBERTATIS ADSERTORI.
QVIETIS FVNDATORI.
MICHAEL HVMELBERGIVS RAVEN
SPVRGENSIS NVMINI MAIESTATIQVE
EIVS DEVOTVS. RELIGIOSA. MENTIS.
ATQVE ANIMI PIETATE POSVIT.

BENE VALEAS QVISQVIS ADES. FAVES.
LEGIS ET MONIMENTVM OBSIGNAS
MALE PEREAS. QVISQVIS ABES. MARCES.
LIVES. ET. MONIMENTVM DISSIGNAS

Itemque tertio *Aug. Vindelicor.*

V. Addimus & tertium, a *Ioanne* FABRO, Ord. *Prædicator.* *Auguſtæ Vindel.* in templo eiusdem Ord. poſitum, quod ſic habet:

IMP. CAES. MAXIMILIANO
AUG. PIO. FELICI
HUNG. DALM. CROATIÆQ. REGI. ETC. QUOD
SUUM AUSTR. ARCHIDUCATUM. AC. ETIAM
ROM. IMP. PACATUM. REDDIDERIT. AUXERIT
AMPLIAVERIT. QUODQ. PHILIPPUM. FIL. ET
CAROL. NEPOT. HISPANIARUM. REGES. CON-
STITUERIT. VIXIT. ANN. LVIIII. MENSES. VIIII.
DIEBUS. XIIII. OBIIT WELSII. DIE XII.
IAN. SALUT. ANN. M CCCCC
XVIIII. REGNI. ANN.
XXXIII. PRINC.
OPT.
CHRISTIANÆQ. RELIGIONIS. ACERRIMO. PROPU-
GNATORI. FR. IOANN. FABR. AUGUSTAN. THEO-
LOGUS. MAIEST. SUÆ. A. CONSILIO. DEVOTISS.
FACIENDUM. CURAVIT.
ATQ. POSUIT.
MCCCCC XVIIII.

a Huius generis duas inſcriptiones tomo præcedenti a) attulimus, altera ad CAROLUM V. ad FERDINANDUM I. altera pertinente. Quodlibet horum monumentorum altitudine pedes duodeviginti, latitudine pedes octo, ſeptemque pollices, adæquat. Præſens, ad latus Evangelii poſitum, ſupra inſcripturam inſigne Cæſareum, a duobus gryphis deauratis ſuſtentatum, oſtendit, in circuitu autem quadraginta ſcuta gentilitia, coloribus pulchre expreſſa. Aliud proferemus infra, honoribus PHILIPPI *Pulchri*, Regis *Hiſpaniarum*, dicatum.

VI.

a) P. II. p. 197. ſeq. & p. 260.

VI. Supra laudatas cælati candidi marmoris tabulas, numero viginti quatuor, totidem inſcriptiones exornant. Quælibet earum marmori, auratis litteris, inſcripta candido, nigro autem marginata, a binis parvulis geniis quaſi explicatur, ſuſtentaturque. Prima MAXIMILIANUM ſiſtit, ætatis ſuæ annum agentem undeviceſimum, ac matrimonio MARIAM, CAROLI, Ducis *Burgundiæ*, filiam, an. 1477. ſibi iungentem, ſuperimpoſito titulo: MATRIMONIO CVM MARIA POTENTISS.MI BVRGVNDIONVM DVCIS CAROLI FILIA CONTRACTO, OPVLENTISSIMÆ BELGARVM SEQVANOR. DITIONES, AVSTRIACÆ DOMUI ADIECTÆ. De hoc matrimonio fuſius egimus in *Nummotheca Principum Auſtriæ* Qui in tabula inter MAXIMILIANUM, & MARIAM medius ſacris operatur, Epiſcopus erat *Tornacenſis*, teſte mox citando *Gerardo* de ROO. Denique auctor horumce anaglyphorum nomen ſuum, ad poſticum monumenti parietem, pilæ his verbis inſcripſit: ALEXANDER COLINUS MECHLINIENSIS SCULPSIT ANNO MDLVI.

Tabulæ marmoreæ huius monumenti breviter recenſitæ. TAB. XXXII. *N.* 1.

VII. Pars tabulæ altera ante oculos ponit inſignem quidem, ſed cruentam tamen MAXIMILIANI victoriam, de *Gallorum* exercitu an. 1479. VII. *Auguſti* ad *Guynegatam*, *Arteſiæ* pagum, reportatam. De ea pluribus agit *Gerardus* de ROO, a) addens: „De occiſorum numero mire variant Scriptores. GAGUINUS ex *Burgundis* undecim, ex ſuis quinque tantum millia concidiſſe, dicens, famam citat teſtem, fide non interpoſita. In MAXIMILIANI commentariis notatum eſt: ad tredecim millia cæſos, ac eius iuſſu ſepultos eſſe, & inito numero, plures ex *Gallis* inventos. Atque hæc eſt pugna illa *Guynegatana*, a loco ſic dicta, cuius fama, etſi MAXIMILIANUM apud exteros quoque victorem celebravit, Scriptores tamen *Gallicarum* rerum id negant. Modeſtiſſimus inter illos COMMINÆUS: Archiducem fatetur, etſi plures ex ſuis amiſerat, ſtationem tamen in campo, uti victorem tenuiſſe, nec diſſimulat, Regem, apud quem erat, quo tempore adverſi prœlii nuncius ad ipſum perlatus eſt, graviter eam rem tuliſſe, non aſſuetum antea vinci.„ Inſcriptio quanquam, ut ceteræ omnes, rem exponens brevibus, cum hac relatione convenit, quam tamen, ut & ſequentes, ex tabulis noſtris facile legendas, compendii cauſſa, hic loci haud repetimus.

Pugna ad *Guynegatam*. *N.* 2. a

VIII. ATREBATUM, primaria *Arteſiæ* urbs, exhibetur tab. XXXIII. num. 3. prout a milite *Belga*, *Burgundo*que, admotis ſcalis, conſcenſa, *Gallis* eripitur. Factum id eſt an. 1492. pridie Nonas *Novembres*, ut habent *Atrebatenſium* (ait HEUTERUS) Archiva, ut vero alii ſcribunt, *Decembres*. Verum res ea aliter accidit, quam hic ab artifice exhibetur, cum urbs non vi, ſed aſtu capta ſit, quatuor coniuratis, portas MAXIMILIANI militibus intempeſta

Atrebatum, *Arteſiæ* urbs, aſtu capta. TAB. XXXIII. *N.* 3.

a) Lib. IX. p. m. 335.

Tab. XXXIII. ſta nocte aperientibus, qui claves, ab urbis præfecto male cuſtoditas, ſubducentes, ac cera, & plumbo exprimentes, ſimiles confici curaverant, qua de re late agit idem HEUTERUS. a) Chronologicum præterea, quoad hoc factum, ordinem, haud ſervatum fuiſſe a ſculptore, facile intelligitur: cum contra reliqua omnia recto ordine hunc in modum ſequantur.

a

Electio, & coronatio in *Rom.* Reg. *N.* 4. IX. Eadem tabula num. 4. MAXIMILIANI electionem in Regem *Romanorum*, *Francofurti*, & coronationem eius *Aquisgrani* peractam, in memoriam revocat. Illa ad diem XVI. *Febr.* hæc ad IX. *Aprilis* anni 1486. referenda eſt, b) licet *Gerardus* de ROO aliter ſentiat. Singulare eſt, quod artifex in duabus pilis inſignia ſex Electorum exhibens, *Palatini* digma primo comparere voluerit loco. Neque enim dici poteſt, leonem hic repræſentari *Bohemiæ*, quem is tanquam regium ceteris præferendum putaverit; quippe cum teſte *hiſtoria electionis* MAXIMILIANI hic in margine inferiori citata, eidem Rex *Bohemiæ* nec per ſe, nec per Legatum ſuum interfuerit. Quare hanc poſitionem licentiæ ſculptoris adſcribimus. In imo maiori in clypeo leo apparet, illi ſimilis, quo MAXIMILIANUS teſte VREDIO, c) poſt obitum MARIÆ uti ſolebat, niſi quod leo hic coronatus ſit, non item apud VREDIUM, id quod iterum ab artificis arbitrio profectum fuiſſe, ſuſpicamur.

b

c

Veneto-rum copiæ ad vicum *Calianum* fuſæ. Tab. XXXIV. *N.* 5. X. Bellum cum *Venetis* SIGISMUNDO *Tyrolenſi*, ob fines inter *Ripenſes*, & *Arcuanos* regulos, quorum hi ſub fide Archiducis, illi ſub *Venetorum* erant, cum incidiſſet, MAXIMILIANUS ſubſidia miſit. Capto ROVERETO, at milite *Germano*, ob ſtipendia haud numerata, tumultuante, iterum amiſſo, Dux *Venetorum*, ROBERTUS *Sanſeverinus*, in agrum *Tridentinum* movens, *Atheſim* ponte iungit: *Germani* ex urbe egreſſi, *Venetos* palantes, ac ad prædam diffuſos, ad vicum *Calianum* adoriuntur, qui dum ad pontem properant, is multitudine degravatus, diſſolvitur, & *Sanſeverinus*, multique cum eo mortales, & equi, vorticoſo amne abſorpti, miſere pereunt, ut hæc ſingula, & eisdem fere verbis, *Gerardus* de ROO d) ad an. 1488. refert, noſtraque tabula repræſentat.

d

Auſtria recuperata. *N.* 6. XI. Maioris momenti res eſt, quæ tabula eadem num. 6. exhibetur. MATHIAS *Corvinus*, *Hungariæ* Rex, Cæſarem FRIDERICUM multoties bello petens, an. 1485. & ſequenti, potiori *Auſtriæ* Inferioris parte, unacum ipſa metropoli *Wienna*, potitus erat. Verum extincto an. 1490. Non. *Apr.* MATHIA, MAXIMILIANUS amiſſa facile recuperans, ſolemni in urbem pompa ingreſſus eſt. e) Viſitur

e

a) *Rer. Belg.* lib. IV. p. 211. ſeqq.

b) Conf. hiſtor. electionis, & coronat. MAXIMIL. I. tom. III. *Scriptor. rer. Germ.* FREHERI p. 23. ſeqq. ac STRUVII ad eam monitum prævium. p. 22.

c) *Sigill. Comit. Flandriæ.* p. 110.

d) Lib. X. p. 375. ſeq.

e) Id. ib. p. 381. Add. BIRCKEN. CUSPINIAN. alii.

Viſitur is in hac area armatus, & coronatus, ac torque aurei velleris circumdatus, equo, egregie phalerato ſublimis, cuius dorſuali artifex aquilam duplicem, cum *Auſtriæ*, & *Burgundiæ* teſſera, male (nam tum nonniſi *Romanorum* Regis titulo gaudebat) impreſſit, id quod tamen in ſequentibus tabulis, etſi facta eius tanquam *Romanorum* adhuc Regis duntaxat exhibentibus, pariter obſervamus. Tab. XXXIV.

XII. Wienna recepta, etiam *Hungariam* invadere, regnumque ipſum, contra Uladislaum, ex pactis conventis ſibi debitum, repetere, ſtatuit. Sed capta ad decimum quartum Calend. *Octobres Alba Regali*, aliisque urbibus, milite ingenti præda, ibi relata, nondum ſatiato, atque ideo ſtipendia ſeditioſius flagitante, in *Auſtriam* rediit, anno eodem. Pax vero anno inſequenti coaluit. a) Maximilianum, equo inſidentem, ſculptor in ſupremo tabulæ latere ſiniſtro expreſſit. *Alba Regalis* recuperata. Tab. XXXV. *N.* 7. a

XIII. Abducta a Carolo VIII. *Franciæ* Rege, an. 1492. Anna, filia Francisci, ultimi *Britonum* Ducis, natu maiori, Maximiliano deſponſa, res ad bellum reſpiciebat. Sed pace anno ſequenti, tertia, & viceſima *Maii* compoſita, Margaritha, Maximiliani filia, quæ eidem Carolo per pacem *Atrebatenſem* an. 1482. adpromiſſa, atque ex eo tempore in Aula *Francica* educata fuerat, remiſſa, ac reſtituta fuit. b) Hoc factum ſculptor ita exprimit, ac ſi primum in conſpectum ipſius Regis *Romanorum* veniſſet. Verum Heuterus eam per legatos primum ad *Fanum* S. Quintini adductam refert, indeque *Cameracum*, ac poſtea *Valenchenas*, ubi poſt aliquot dierum feſtos dies, nobiles fœminas, ac Virgines *Francicas*, liberaliter donatas, ac tenere plorantes, honorifice valedicens, dimiſit. c) Pax *Atrebatenſis*. *N.* 8. b c

XIV. Quod tabula ſequenti proponitur factum, Heuterus d) paucis attingit, ac ſub initium anni 1494. reiicit. At Mutius e) ad annum præcedentem his verbis annuntiat: „Anno, quo mortuus eſt Fridericus Imperator, *Turca Croatiam* oppreſſit, totamque depopulatus eſt, magnam hominum multitudinem captivam abduxit in ſervitutem duriſſimam ad labores, tantum iumentis ſubeundos. Maximilianus, ubi hæc audivit, mirabili celeritate cum *Germanorum* manu in *Croatiam* properat, *Turcæ* copias abigit, multis ex illis mactatis: *Croatiam* recipit. Nec mediocrem gloriam reportavit ex illa expeditione.„ *Croatia* recepta. Tab. XXXVI. *N.* 9. d e

XV. Fœdus hic repræſentatur, cum Alexandro VI. Pont. Max. Senatu *Veneto*, ac Ludovico *Sforția*, a Maximiliano ictum, quo mediante Carolus VIII. *Gallorum* Rex, regnum *Neapolitanum* deſerere, ac domum redire, coactus fuit, ut habet inſcriptio. Fœdus, contra *Gallum* initum. *N.* 10.

a) Idem ibid. p. 182-385.
b) Heuterus loc. cit. p. m. 191. ad an. 1492. ſeq.
c) Idem l. c. p. 221. Add. auctor. cit.
d) Ibid. libr. V. p. m. 222.
e) Lib. XXX. apud Pistor. *rer. German.* tom. II. p. m. 959. alias 306.

ptio. Alii Regem *Hiſpaniæ* quoque adiiciunt, tractatusque anno 1494. inceptus eſt, ac ſequentis menſe *Aprili* ſignatus. Qua de re hic agere, longum foret: adeatur, ſi lubet, *Corpus hiſtoriæ Germa-*
a *nicæ* STRUVII, a) aliique ab eo laudati. Exhibetur hic MAXIMILIANUS, quo rem luculentius exprimeret artifex, quaſi cum Papa ſermonem miſcens; cum tamen totum negotium per Legatos actum ſit.

Nuptiæ ſecundæ. TAB. XXXVII. *N.* 11.

XVI. Eodem tempore Imperator ad ſecundas nuptias, cum BLANCA MARIA *Mediolanenſi*, progreſſus, LUDOVICO *Sfortiæ*, ſponſæ patruo, eundem Ducatum in beneficium contulit. De iis
b nos pluribus tomo præcedente. b)

Nuptiæ PHILIPPI *Pulchri*, eius fil. *N.* 12.

XVII. Non multo poſt, id eſt an. 1496. etiam filius eius, PHILIPPUS *Pulcher*, matrimonio IOANNAM *Aragonam*, FERDINANDI *Catholici*, ac ELISABETHÆ, *Hiſpaniæ* Regg. filiam ſibi iunxit, quo quidem felici connubio ampliſſimum regnum ad *Auſtriacos* pervenit. Sponſa XII. Kal. *Octobris* claſſi centum triginta quinque navium in *Zelandiam* appulit, nuptiæque *Liræ*, *Brabantiæ* oppido, XII. Kal. *Novembr.* ſacra peragente HENRICO *Bergio*, Antiſtite *Cameracenſi*, exigua pompa celebratæ ſunt, ſed maiori poſtea, ac re-
c gia plane magnificentia, ut HEUTERUS c) ſcribit, *Bruxellis* inſtauratæ. Artifex noſter MAXIMILIANUM, ceremoniis quaſi adſtantem, ac præſentem finxit, ſed is tum, teſte eodem, in Ducatu *Mediolanenſi*, verſabatur, ſociorum cogens exercitum, a LUDOVICO *Sfortia Venetis*, ac ALEXANDRO VI. Papa evocatus, ut CAROLO, *Francorum* Regi, auxilio *Florentinorum* in *Italia* bellum renovanti, obviam iret.

Bohemorum copiæ ad *Reginoburgum* profligatæ. TAB. XXXVIII. *N.* 13.

XVIII. GEORGIUS *Dives*, *Bavariæ* Dux, lineæ *Landishutanæ*, teſtamento heredem ſcripſerat RUPERTUM, PHILIPPI, Comitis *Palatini Rheni*, filium, generum ſuum, cuius confirmationem, diu quæſitam, cum ad tuenda ALBERTI, & WOLFGANGI, Superioris *Bavariæ* Ducum, in eandem hereditatem iura, negaret Imperator MAXIMILIANUS, nec ille a propoſito deſiſteret, bellum enatum eſt, PHILIPPO, ac RUPERTO, ceterisque ſibi adhærentibus, ferale. Ea occaſione MAXIMILIANUS ipſe *Bohemos*, mercede conductos, *Bavaris* auxilio properantes, ad *Reginoburgum* fudit, dele-
d vitque. De illa *Ioannes* FABER in oratione parentali: d) „ *Bohemi* „ quoque, viri omnium bellicoſiſſimi, - - cum, neſcio quid ſiniſtri „ adverſus Cæſarem hunc molirentur, eſſentque auxilio his, qui „ non ſatis obedire viderentur, parva militum manu accepta (ne- „ que enim exercitum ſuum, qui magnus eſſet, expectare voluit) „ apud

a) Period. X. *Auſtriaca*. Sect. III. de MAXIMIL. I. §. V. ac præſertim VI. p. 932. ſeqq.
b) P. II. L. I. c. XVII. §. XII. p. 150. ſeq.
c) Cit. lib. V. p. m. 231.
d) Apud STRUVIUM *Scriptor. rer. Germ.* tom. II. p. 734. Add. Roo lib. XI. p. m. 421. BIRCKENIUS, ceteri.

„ apud *Ratisponam* ab hoc Cæsare nostro prostrati sunt, atque profli- Tab.
„ gati. Nemo eorum salvus remansit, nisi quem innata clementia Cæ- xxxviii.
„ saris conservavit, quos & in verba sua iurare coegit. „ Addit *Gerardus* de Roo, Cæsarem suos & verbo, & exemplo exhortantem, in densissimum hostium agmen invectum, vitæ periculum adiisse, ex quo suorum virtute ereptus sit. Birckenius a) addit: Ericum, *Brunswicensium* Ducem, eidem præcipue saluti fuisse. Utrumque videre est in nostra tabula, ubi Cæsar, ex bicipiti aquila, dorsuali equi impressa dignoscendus, cum equo labens, pone vero Ericus, ex equi pariter tegumento, cui duo leopardi insunt, discernendus, Cæsarique opem ferens exhibetur. Is deinde virtutis, ac fidei præmium tulit, usumfructum scilicet, quoad viveret, Comitatus *Goritiæ*. a

XIX. Est ad *Oeni* ripam, ut *Gerardus* de Roo b) ait, in *Tyrolensis* agri, & *Bavariæ* finibus, Kufsteinium oppidum, quod arcem habet, ex solida rupe excisum, quæ in montis prærupta crepidine collocata, oppido supereminet, ex quo una tantum semita adiri potest, ingenio loci, & opere munitissimum (*Gerolzeggum* vocant.) Hanc per id tempus Cæsar in suam potestatem redegit, ad *Bavariæ* Duces nunquam deinceps redituram. Haud igitur satis proprie loquitur inscriptionis auctor, duas arces nominans. Artifex Maximilianum, tormentum sua manu explodentem exhibet. Quod quidem revera eum feciſſe, a fide haud abhorret; nam illum hac in arte ipsos etiam tormentorum vibratores superasse legimus, c) & sub hanc ipsam obsidionem, cum colubrina, ad deiiciendos muros haud satis valida animadverteret, subvectis *Oeniponte* duabus primæ magnitudinis machinis, præsidiarios ita deterruisse, ut cadentes animo, ac de salute desperantes, fuga sibi, quanquam frustra, consulere tentarent. *Kufsteinium* expugnatum. *N.* 14. b c

XX. Sequentis tabulæ historiam *Gerardus* de Roo d) ad annum 1505. hunc in modum exponit: „ Dum his rebus Cæsar in Comitiis (*Colonienſibus*) operam dat, novi ex *Geldria* motus nunciantur, cuius Princeps (Carolus *Egmondanus*, Dux *Geldriæ*) nunquam quietus, novandis iterum rebus studebat, auxiliis Ludovici Regis fretus -- *Brabantii* tum maximis iniuriis, per Principes sui absentiam, ab illo provocati, collecto milite, *Arnhemium*, haud ignobile illius provinciæ oppidum obsederant, quibus Cæsar, cum plerisque Principibus, soluto conventu, suppetias ire perrexit. *Geldrus*, haud contemnendas illum copias adducere videns, quibus simul & *Brabantinis*, imparem se se agnosceret, deditionem oppidi facit, seque sub certis quibusdam conditionibus, eius fidei commisit. *Arnhemium* captum, Carolus *Geldriæ* regulus, in ordinem redactus. Tab. xxxix. *N.* 15. d

a) Lib. VI. cap. VI. p. 1152. col. 2.
b) Lib. XI. pag. 423.
c) Birckен. cit. lib. VI. cap. III. p. 1125. Vita Maximiliani, Pfinzingii libro *Theuerdanck* subiuncta, p. 34. col. 2. nec non & in libro ipso fig. XXXIX. & L.
d) Lib. XI. p. m. 425. Add. Heuter. lib. VI. p. 274. seqq.

Tab. xxxix. ſit. A Philippo quoque veniam ſupplex petiit (artifex Maximilianum ipſum, quo eius hac in re operam præcipuam exprimeret, ſubſtituit) & in *Hiſpaniam* ſe cum eo iturum pollicitus eſt, id quod minime præſtitit. *Arnhemium*, citra cuiusquam incommodum a Philippi præſidio occupatum. „

Bellum *Venetum*. *N.* 16. XXI. Cum Maximilianus anno 1506. ad coronam, de manu S. Pontificis auream accipiendam, iter in *Italiam* decreviſſet, tranſitus a *Venetis* petitus denegatur. Idemque denuo feciſſe viſi ſunt, cum Cæſar biennio poſt iam ultra *Tridentum* moviſſet; quare res ad bellum devenit, breve illud quidem, ſed *Venetis*, quod Imperator adhuc imparatus eſſet, glorioſum. Unde is inducias paciſci cogitur. Verum fœdere *Cameracenſi* Iulius II. Pont. Max. Maximilianus ipſe, Ludovicus XII. *Galliæ*, & Ferdinandus, *Aragonum* Reges eo convenerunt, uti *Venetos* communibus quaſi viribus adorirentur. Quod quidem bellum a Bembo, Guicciardino, *Ponto* Heutero, *Gerardo* de Roo, aliisque deſcriptum, iis pæne exitiale evaſit, inque his tabulis nonulli quoque eius eventus repræſentantur. Artifex, ut fœdus illud luculentius exprimeret, perſonas regias omnes, ac ſi ſinguli uno in loco conveniſſent, exſculpſit; cum totum negotium a Legatis curatum fuerit.

Patavinm, aliæque urbes a Max. captæ. Tab. xl. *N.* 17. XXII. Deleto igitur an. 1509. xiv. *Maii* ad *Geraddam*, ſeu *Giaradaddam*, *Venetorum* exercitu, inſignes eorum urbes, *Patavium*, *Vincentia*, unacum magna *Foro-Livii* parte, in poteſtatem Cæſaris paullatim devenere, *Brixia* etiam, auxiliaribus *Gallorum* armis vi expugnata, aliaque ditionis *Venetæ* munita loca capta.

Gallo ex *Italia* eiecto, Ducatus *Mediol.* reſtitutus. *N.* 18. XXIII. Verum *Gallo* poſtea, rupto *Cameracenſi* fœdere, exercitum S. Pontificis ad *Ravennam*, Duce *Gaſtono* Fossæo profligante, hic nihil non egit, quoad eius potentia in *Italia* infringeretur. Hoc animadvertens Cæſar, ac *Aragoniæ*, *Angliæque* Regibus illum in eandem ſpem adducentibus, inducias cum *Venetis*, cum Pontifice vero novum fœdus, cui & *Helvetii* acceſſerunt, pepigit. Hinc diſcedente *Gallorum* exercitu, *Mediolanum* ad Maximilianum *Sforſiam* rediit an. 1512. a)

a

Pugna ad *Guynegatam* altera; *Terovana*, ac *Tornacum* captæ. Tab. xli. *N.* 19. & 20. XXIV. Henricus VIII. *Angliæ* Rex, in S. Pontificis Leonis X. gratiam, *Franciæ* Regem anno 1515. bello aggreſſus, *Terovanam*, *Morinorum* urbem obſidione cingit, cui Cæſar ipſe, cum electa *Germanorum*, & *Belgarum* manu auxilio properat. Eam cum Rex *Franciæ* liberare tentat, Imperator, ac Rex *Angliæ*, unacum maxima exercitus parte, ad *Guynegatam* uſque obviam progreſſi, eundem memorabili prœlio ſuperant: tertia poſt die, id eſt, IX. Kal. *Sept.* *Terovana* deditionem faciente, ac *Tornaco* quoque non multo poſt levi opera in poteſtatem redacta. b) Utrumque hac noſtra

b

a) Vid. Auctores cit. ac inter ceteros Roo lib. XII. p. 459.

b) Heuterus lib. VII. p. 306.

ſtra tabula exhibetur, in cuius altera parte artifex HENRICO Regi tribuit barbam nonnihil promiſſam, cum tamen is illo die annum ætatis quartum & viceſimum vix attigiſſet. TAB. XLI.

XXV. Ad memoratum bellum *Venetum* pertinet, quod ſequenti tabula oſtenditur, prœlium ad *Vincentiam*, quo *Venetorum* dux *Bartholomæus* LIVIANUS abs *Hiſpanis*, & *Germanis*, *Raimundo* CORDONIO, confœderatorum contra *Francum* in *Italia*, nomine Regis FERDINANDI duce, Nonis *Octobris* 1513. fuſus, fugatusque fuit. Cæſa e militum vulgo ſunt quinque circiter millia, ex cataphractis equitibus quingenti, tormentis viginti quatuor captis. a) Clades *Venetorum* ad *Vincentiam*, TAB. XLII. *N.* 21. a

XXVI. Simili fortuna uſi ſunt *Veneti*, cum ſub initium anni ſequentis *Maranum*, *Fori-Iulii* oppidum, ad *Aquileienſes* paludes ſitum, terra, marique obſidentes, adventante cum copiis Cæſareis Legato, Comite *Chriſtophoro* FRANGIPANO obſidionem ſolvere, ac diſcedere coguntur. Erumpunt, ut HEUTERUS b) pergit, in poſtremos præſidiarii *Germani*, inſtat a fronte FRANGIPANUS, vulneraturque SCIPIO, alter *Venetorum* dux, ceteri fugam ineunt, *Veneta* triremis una capitur, cum aliquot onerariis, omnibusque hominibus, ac impedimentis, ceteræ cum magno diſcrimine in altum evaſere. Rem nonnihil aliter enarrat *Gerardus* de ROO. c) Et *Maranum*. *N.* 22. b c

XXVII. Celeberrimum MAXIMILIANI I. Imp. & trium Regum: ULADISLAI II. *Hungariæ*, SIGISMUNDI I. *Poloniæ*, & LUDOVICI I. *Bohemiæ*, congreſſum exhibet tabula ſequens. Contigit is XVI. *Iulii* 1515. in campis apertis *Auſtriæ*, prope arcem *Trautmansdorf*, inde poſtridie ſolemni apparatu *Vindobonam* ingreſſi ſunt. Poſt varias conſultationes, de bello contra *Turcam* ſuſcipiendo, pace, inter SIGISMUNDUM & *Moſchos* concilianda, actum eſt: tum vero ad decimum Kal. *Aug.* ANNA, LUDOVICI filia, ad D. STEPHANI, ſacra faciente Epiſcopo *Strigonienſi*, accepto in fidem annulo, MAXIMILIANO Imperatori ea lege deſponſa eſt, ut, niſi intra annum uni ex nepotibus eius, CAROLO, aut FERDINANDO iungeretur, eam ipſe duceret. Deinde LVDOVICO MARIA, Cæſaris itidem neptis, ſolemni ritu adpromiſſa fuit. d) Per eosdem dies pax, ut pergit de ROO, & fœdus promulgatum, ex quo maximæ provinciis illis, & regnis commoditates redundarunt, imprimis vero *Auſtriacis* Principibus ad *Hungariæ*, *Bohemiæ*que regna, ſtratus eſt acceſſus; nam undecimo anno poſt FERDINANDUS, qui ANNAM duxerat, LUDOVICO ad *Mohacium* oppidum a *Turcis* cæſo, utrumque regnum, ex fœderis, & matrimonii iure adeptus eſt. Congreſſus trium Regum cum Cæſare *Vindobonæ*. TAB. XLIII. *N.* 23. d

XXVIII.

a) Hac de re late agit HEUTERUS lib. VII. p. m. 306. Add. *Gerard.* de Roo cit. lib. XII. p. m. 462.
b) Id. Ibid.
c) Loc. cit. p. 464. ſeq.
d) Vid. Roo loc. cit. p. 467. ſeq. Extat hic tractatus ap. DUMONT. *Corps dipl.* tom. IV. P. I. p. 212. ſignatus *Viennæ* 22. *Iulii* 1515. add. CUSPINIAN. *Diar.* ap. FREHER. tom. II. p. 593.

Verona a Venetis fruſtra obſeſſa. *N.* 24. a

XXVIII. VERONÆ obſidionem an. 1516. a *Venetis*, & *Gallis*, duce LAUTRECCIO fruſtra ſuſceptam, exhibet tabularum harum ultima. „Erat in oppido (ut ſcribit de ROO, a) *Marcus Antonius* COLUMNA, cum octingentis equitibus, quinquies mille peditibus *Germanis*, ac mille quingentis *Hiſpanis*. Hi contra omnium oppugnantium vim muros egregie defendebant. -- Cum verò novem hominum millia MAXIMILIANI iuſſu, ex agro *Tyrolenſi* conſcripta in itinere eſſe, iamque *Cluſium* deditione, *Covolum* vi cepiſſe, fama vulgaſſet, LAUTRECCIUS, aut concepto, aut ſimulato metu, quod Regem ſuum pacem, quam bellum malle ſciret, *Villamfrancam* abiit, a quo relicti *Veneti* obſidionem ſolverunt, & *Verona* commeatu, & rebus neceſſariis eſt recreata. Ea in re, & in obſidione fortiter ferenda, commendatur GUILIELMI *Roggendorffii* induſtria, cuius viri virtus & fides, magnis poſtea tempeſtatibus ſub CAROLO Cæſare ſpectata eſt.„ Hunc *Pontus* HEUTERUS b) corrupte RACENDULFUM nominat, auxiliaque ab eo adducta fuiſſe refert, uti & tabulæ noſtræ inſcriptio aſſerit. b

Statuæ, cenotaphium ambientes, deque iis LAMBECII iudicium. c d

XXIX. Magnifici huius cenotaphii ſplendorem poſitæ ad cancellos chori quatuor, tum utrinque, inter columnas, viginti quatuor, adeoque ſimul octo, & viginti ſtatuæ, ex ære ductæ, ac multo artificio expolitæ, altitudine ſeptempedali adaugent. De iis præcipua tomo ſuperiori c) occupavimus, inſertis etiam ſuis locis ſimulacris, Principes *Auſtriacos* referentibus. Earum nomenclaturam, & collocationem ex ichnographia templi, tab. XXXI. ſect. 2. a nobis exhibita perſpicere licet. Statuas, litteris N. & O. a nobis notatas, pro ſimulacris CAROLI V. & FERDINANDI I. Impp. venditari, in eamque ſententiam etiam Doctiſſ. LAMBECIUM d) abiiſſe ibidem diximus. Id vero etſi ex pag. 712. appareat, aliam tamen & eidem fuiſſe mentem, deque iis illum non minus, quam alios dubitaſſe ex iis, quæ pag. 714. ſequuntur, intelligimus. Iuvat igitur illum audire: „Non mediocriter exhilaratus ſum (inquit) ubi nuper inter *Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ* codices manuſcriptos, nullis adhuc certis numeris notatos, fortuito reperi *antiquam* quandam *Germanicam earundem ſtatuarum recenſionem*, tempore ipſius FERDINANDI I. compoſitam & exaratam, cuius titulus: *Verzaichnus der Bilder* &c. hoc eſt *Deſignatio ſtatuarum, ad Glorioſiſſimi Romanorum Imperatoris* MAXIMILIANI I. *monumentum pertinentium, tam quæ iam ſunt fuſæ, quam quæ illis debent addi, & adhuc fundendæ ſunt.* In hac enim enumeratione omnium illarum ſtatuarum, quæ tunc temporis iam fuſæ, quam quæ adhuc fundendæ erant, nulla prorſus fit mentio duarum ſtatuarum Imp. CAROLI V. & Imp. FERDINANDI I. contra autem fit ibi mentio ſex aliarum ſtatuarum

a) Ibid. pag. 472.
b) Loc. cit. p. 328.
c) P. II. pag. 9. ſeqq.
d) Comment. Aug. Bibl. *Vindob.* Lib. II. p. 704. ſeqq.

tuarum iam fuſarum, de quibus in ſupra inſerto RR. PP. *Franciſcanorum* catalogo altum eſt ſilentium. Earum prima repræſentavit S. LEOPOLDUM, quartum eius nominis, Marchionem *Auſtriæ*, cognomine *Pium*, qui A. C. 1136. die XV. *Novembris* obiit. Expreſſe autem ibi additur, ſtatuam hanc *inſcriptione ſua* tunc temporis *adhuc caruiſſe*. Secunda earundem ſex ſtatuarum repræſentavit RUDOLPHUM, cognomine *Mitem*, RUDOLPHI I. filium, qui an. 1290. obiit. Tertia repræſentavit ELISABETHAM, MAINHARDI, Ducis *Carinthiæ*, & Comitis *Teriolenſis* filiam, & Imp. ALBERTI I. uxorem, quæ an. 1313. obiit. Notabile autem eſt, quod ibidem additur, etiam huic ſtatuæ *inſcriptionem ſuam* tunc temporis *adhuc defuiſſe*. Quarta earundem ſex ſtatuarum repræſentavit FERDINANDUM primum eius nominis, *Portugalliæ* Regem, & ELEONORÆ, matris Imp. MAXIMILIANI I. proavum, qui an. 1383. obiit. Quinta ſtatua repræſentavit LADISLAUM Imp. ALBERTI II. filium, cognomine *Poſthumum*, & *Hungariæ*, atque *Bohemiæ* Regem, qui anno 1458. obiit. Additur autem ibi, ſtatuam hanc tunc temporis ſtetiſſe in *Armamentario Oenipontano*, *& capite*, atque *uno pede* adhuc caruiſſe. Sexta denique earundem ſex ſtatuarum repræſentavit ELEONORAM, Regis *Portugalliæ*, EDUARDI I. filiam, & Imp. MAXIMILIANI I. matrem, quæ anno 1467. die tertio *Septembris* obiit. Notabile autem eſt, quod de hac ſtatua ibidem ſpeciatim additur his verbis: *Dieſes bild iſt das in dem langen haar, und kleid, hinden hinaus ganz ſchlecht ohn alle zier, mit bloſſem haupt gegoſſen, iſt vaſt löcherig, und am guß übel gefallen, und das haar nicht ausbereit: manglen die händ, Cron, kertzen, ſchild, und ſchrift. Dieſes bild ſoll der Kayſerlichen Majeſtät gnädigſten Entſchlus, und bevelch nach, wieder anders gegoſſen werden.* Hinc enim patet, ſtatuam hanc, præ ceteris conſpicuam, eadem illa capillorum ſparſorum, & a capite uſque ad pedes pertingentium, elegantia, quæ etiam in altera eiusdem Imperatricis ELEONORÆ ſtatua marmorea ſepulcri *Neapoli Auſtriæ* non ſine admiratione cernitur. „ Hucuſque LAMBECIUS.

XXX. Ex his vero facile intelligimus, ſtatuas CAROLI V. & FERDINANDI I. Impp. in hoc templo, & ad hoc ſepulcrum quærendas haud eſſe. Quin etiam olim multa, ad eas detegendas adhibita opera, fruſtra tamen laboratum fuiſſe, ex codice MS. a RR. PP. *Franciſcanis* hac ipſa in eccleſia aſſervato, cuius titulus: *Encomia Domus Auſtriacæ, æs, & marmor* intelligitur, ubi legimus: „ Quosnam præfigurent (dubiæ nempe illæ ſtatuæ) poſt multam „ inveſtigationem ad certam notitiam pervenire non licuit: qui„ dam tamen CAROLUM V. & FERDINANDUM I. eſſe, fratres, o„ pinantur, alii alios. „ Verum ſtatua ſub littera N. ſevero, & minaci vultu, oreque myſtace horrido, longe alia lineamenta præſe-

Inter quas CAROLI V. & FERDINANDI I. Impp. imagines fruſtra quæruntur.

fert, quam quæ a ſerena, ſatisque cognita CAROLI V. facie non omnino ſint aliena. Idem dicendum de imagine lit. O. FERDINANDI imaginibus prorſus abſimili. Utraque præterea ſignis, atque indiciis, *Romanos* Imperatores prodentibus deſtituitur, quæ FERDINANDUS noſter, auguſti huius monumenti auctor minime neglexiſſet. CAROLUM *Calabriæ*, CATHARINÆ, filiæ ALBERTI I. Imp. maritum, ac LEOPOLDUM *Glorioſum*, *Auſtriæ* Duces exhibere, ſanior quidem, nec tamen ſufficiens quorundam eſt coniectura.

CAPUT VIII.

DE SEPULCRIS MARIÆ BURGUNDICÆ, AC BLANCÆ MARIÆ, MAXIMILIANI I. IMP. CONIUGUM, NEC NON SPONSÆ EIUS, ANNÆ BRITTANNICÆ.

§. I.

Ectypon ſepulcri MARIÆ *Burgundicæ* cuinam debeamus.

BRUGIS *Flandrorum* in templo B. Virginis mauſoleum cernitur MARIÆ, CAROLI *Audacis*, Ducis *Burgundiæ* filiæ, ac MAXIMILIANI I. *Rom.* Imp. coniugis primæ. Delineationem eius Excellentiſſimi D. Comitis CAROLI IOANNIS PHILIPPI de *Cobenzl*, S. C. Regiæque Apoſtol. Maieſtati a ſanctioribus conſiliis, ac in *Belgio Auſtriaco* Miniſtri Plenipotentiarii, munificentiæ, ac liberalitati debemus. Qui a piæ memoriæ Abbate noſtro MAINRADO anno 1764. per litteras interpellatus, nihil antiquius habuit, quam ut ad exornandum, perficiendumque præſens opus (utpote pro immortali honore Domus Auguſtæ, cui ſe ſuaque omnia pridem devovit, ſuſceptum) monumenta *Auſtriaco*-funebria, in *Belgio* unde unde conquiſita, absque ulla mora noſtra faceret. Quo quidem ingenti beneficio id effectum eſt, ut fidem, tomo ſuperiori a) datam, tanto plenius nunc liberare poſſimus, quanto, peritioribus adhibitis pictoribus, accuratiora accepimus ectypa, quantoque, ut ex conſequentibus conſtabit, plura etiam accepimus, quam petieramus. Quod quidem ſine publica gratiarum actione hoc loco præterire, religioni fuiſſet.

a

Quod deſcribitur, ac inprimis opus eius coronarium. TAB. XLIV. ad XLVI.

II. Situm eſt magnificum iſthoc monumentum in dicta eccleſia iuxta ſepulcrum patris MARIÆ, CAROLI *Pugnacis*, Ducis *Burgundiæ*, chorum inter *Canonicorum*, ac altare ſupremum, a cuius gradu infimo ambo recta linea pedibus ſex, digito uno diſtant. Media pariter ſunt inter oſtia templi collateralia, ad chorum iuxta, ac ſacrarium ducentia. MARIÆ tumulus dextrum latus occupat, niſi quod CAROLI pro dextro ideo fortaſſis habendus ſit, quod capita ſtatuarum utriusque, more ſolito, ad Occidentem, ad Orientem vero pedes vergant, ſicque CAROLUS revera dextrum occupare locum, dici poſſit. Par utriusque monumenti magnitudo eſt. Ac illius

a) P. II. p. 167. §. XLIX.

illius quidem, quo de hic præcipue nobis agendum, corpus, ſeu pars media, ex lapidibus coctis, ſolido opere, conſtat; baſis vero, ac coronarium opus ex marmore nigro, quale lapicidinæ *Dinantii Flandriæ* ſuppeditant, exſculptum eſt. Longitudo eius ad pedes decem cum dimidio, pedes autem quinque, ac itidem dimidium, latitudo excurrit. In ſummitate Principis ſtatua, magnitudine humana, manibus erectis, ac ad cœlum tenſis, ſupina iacet, ære cyprio fuſa, tum vero auro, igne liquefacto, obducta, & ex quatuor partibus iuncta. Palla induta eſt, gemmis & unionibus conſerta. Caput, collo nudo, vitta, & calantica, ſub qua crines collecti, ac ſupra hanc corona Ducali redimitum eſt. Pedibus denique canes premit, fidelitatis ſymbolum. Infra illam per circuitum clypei provinciarum hereditariarum, encauſto picti, proponuntur, ita diſpoſiti, ut ſepulcrum a plaga orientali aquilonarem verſus obeunti, eo occurrant ordine, quo & in ſigillis eius, & diplomatis leguntur. a) Sunt autem ſcuta Ducatuum *Burgundiæ*, *Lotharingiæ*, *Brabantiæ*, *Limburgi*, *Lucemburgi*, *Geldriæ*, *Flandriæ*, Comitatuum *Arteſiæ*, *Burgundiæ*, vulgo *Franche Comté*, *Hannoniæ*, *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Namurci*, *Marchionatus* S. R. I. Dominiorum *Friſiæ*, *Salinarum*, *Mechliniæ*. Tab. XLIV. ad XLVI. a

III. Commiſſuræ mediæ partis laminis æreis fuſis, & denigratis, contectæ ſunt. In his clavis ſubauratis firmata ſunt ornamenta, ſeu cymatia ſepulcrum ambientia, ære cyprio ducta, ac auro pariter incruſtata: inter quæ præter quatuor in ſingulis angulis Evangeliſtarum ſpecies, columnis, morem *Gothicum* imitantibus, inſiſtentes, ſcuta gentilitia in laminis cupreis inauratis, encauſto expreſſa, conſpiciuntur, quorum in latere meridionali ſexdecim, ad maiores lineæ paternæ, totidemque in plaga ſeptentrionali, ad progenitores lineæ maternæ ſpectant, adſcriptis eorum nominibus. Hæc cum temporum, tum hominum, notas in *Belgio* turbas excitantium, ut nobis perſcribitur, iniquitate, variis in locis vitium non leve paſſa, anno 1765. nova ſuſcepta reſtauratione, ſanata modo, ac reſtituta ſunt. De clypeis hiſce hic ſigillatim agere, longum foret, & ab inſtituto noſtro nonnihil alienum. Id unum quaſi obiter hic animadvertendum putamus: AGNETEM, quæ in utroque latere occurrit, LUDOVICI I. Ducis *Bregenſis*, uxorem, *Bohemam* haud recte ſcribi, filia cum fuerit HENRICI IV. Ducis *Gloggovienſis*, ut id pluribus Illuſtr. de SOMMERSBERG b) docet. Cetera maximam partem ſuppeditabit *Olivarius* VREDIUS in *genealogia Comitum Flandriæ*, aliique idonei Scriptores. Parsque media, b

IV.

a) Apud *Olivar.* VREDIUM *Sigill. Comit. Flandr.* p. 104. aliosque.

b) *Scriptor. rer. Sileſ.* tom. I. ad tab. Geneal. V. p. 417. & in aſſertionibus ad eandem pag. 440. num. 14. nec non ad tab. II. p. 342. & in aſſert. ad eand. p. 355. num. 25.

Cum epitaphio, Tab. XLIV. ad XLVI.

IV. In plaga tumuli occidentali ſcutum Principis gentilitium, cum inſignibus integris, laminæ, ut ceteræ, de quibus diximus, inſcriptis, eo modo, quo in ſigillis eius apud laudatum VREDIUM, occurrunt, additis litteris, Latine ſic ſonantibus: MARIA BURGUNDICA ARCHIDUCISSA, CAROLI, DUCIS BURGUNDIÆ, & ELISABETHÆ BORBONIÆ FILIA. In plaga vero orientali eius epitaphium legitur, quod hic itidem latine duntaxat reddimus, textu primigenio ex tabula noſtra XLIV. facile hauriendo:

SEPULCRUM ILLUSTRISSMÆ PRINCIPIS DOMINÆ MARIÆ BURGUNDICÆ, DEI GRATIA ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ, DUCISSÆ BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ, LIMBURGI, LUXEMBURGI, ET GELDRIÆ, COMITISSÆ FLANDRIÆ, ARTESIÆ, BURGUNDIÆ, PALATINÆ HANNONIÆ, HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ, NAMURCI, ET ZELANDIÆ, a) MARCHIONISSÆ S. R. IMPERII, DOMINÆ FRISIÆ, SALINARUM, ET MECHLINIÆ, CONIUGIS, ET SPONSÆ SERENISSIMI PRINCIPIS DOMINI NOSTRI MAXIMILIANI, ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, AC POSTEA ROMANORUM REGIS, FRIDERICI IMPERATORIS FILII. QUÆ E VITA MIGRAVIT ÆTATIS SUÆ ANNO VICESIMO QUINTO XXVII. MARTII, ANNO MILLESIMO QUADRINGENTESIMO OCTOGESIMO PRIMO, RELINQUENS POST SE HEREDEM PHILIPPUM AUSTRIACUM, BT BURGUNDUM, FILIUM SUUM UNICUM, NATUM ANNOS TRES, MENSES NOVEM, NEC NON MARGARITAM FILIAM, NATAM MENSES DECEM, ET QUATUOR. IMPERABAT SUPRADICTIS PROVINCIIS ANNIS QUINQUE, VIXIT IN MATRIMONIO, MAGNUM VIRTUTIS EXEMPLAR, VIROQUE SUO, PRÆFATO DOMINO NOSTRO, CONIUNCTISSIMA, ANNIS QUATUOR, MENSES NOVEM, SUI DESIDERIO, LUCTU, AC MOERORE, SUBDITOS, NOTOSQUE, MORIENDO AFFICIENS, QUANTO ULLA UNQUAM PRINCIPUM. ORATE DEUM PRO EA. AMEN.

a

Deque eo iudicium.

V. Sepulcralem hanc inſcriptionem ante annum 1490. poſitam haud fuiſſe, ex titulo *Archiducis*, PHILIPPO, eius filio, tributo; ut qui eum ante hunc annum haud aſſumpſit, b) intelligitur: ſed tamen ante annum 1502. quo *Caſtellæ Principis* axiomate exornatus eſt, c) de quo hic altum ſilentium. Videri præterea poſſit, illam, quoad anni fatalis epocham, in mendo cubare; quando graviſſimi, veteres iuxta, ac iuniores Hiſtorici d) non anno 1481. quem

b

c

d

a) Sic in ectypo ad nos transmiſſo: in ſuperioribus, ut & alias paſſim in diplomatibus, *Zutphaniae* legitur, & haud dubie etiam hic legendum.

b) Teſte *Ponto* HEUTERO, *rerum Belgic.* lib. IV. p. m. 187.

c) Idem lib. VI. p. m. 260.

d) Idem loc. mox citando. Roo lib. IX. p. 342. LAMBECIUS *Bibl. Cæſ.* lib. II. cap. VIII. p. 709. BIRCKENIUS *Spiegel der ehren* lib. V. cap. XXX. p. 914. ac lib. VI. cap. XXI. p. 1388. nec non & cit. lib. V. cap. XXVI. p. 843. ubi tamen annum 1483. manifeſto librarii errore, legimus. SPONDANUS ad an. 1482. NAUCLERUS Generat. I. *Felix* FABER *hiſtor. Suev.* cap. XVIII. pag. 208.

quem illa præfert, ſed ſequenti demortuam, ſcribunt. Præterea cum, ut in *Nummotheca Auſtriaca* a) docuimus, ſecundum hodiernam tempora ſubducendi rationem, an. 1458. XII. *Febr.* nata ſit, ſequeretur, ut an. 1481. XXVII. *Martii* denata, annum ætatis quartum, & viceſimum attigiſſet duntaxat, non, ut eadem inſcriptio habet, viceſimum quintum. Verum iisdem, ibidem prolatis, argumentis inducti, laudatis quidem auctoribus non poſſumus non arbitrari fidem, ſed tamen inſcriptionem a mendo immunem declaramus ideo; quod *Belgæ*, *Francorum* more, ea tempeſtate, quod ibidem diximus, anni initium a Paſchate inchoaverint; unde, ſecundum eorum putandi modum, nec an. 1458. orta, nec an. 1482. mortua dici poterat, bene vero ſecundum noſtrum, hodie ubique receptum. *Pontus* HEUTERUS, qui eam alibi b) an. 1457. XII. aut XIII. *Februarii* in lucem editam, alibi vero c) anno 1482. XXVIII. *Martii* eidem ſubtractam ſcribit, diſcrimen iſthoc, præſertim quoad priorem epocham, haud ſatis animadvertiſſe videtur. Hoc enim ſi advertiſſet, alibi d) dicere non poterat, eam anno ætatis quinto, & viceſimo obiiſſe; cum anno nativitatis eius, quem ipſe obtendit, 1457. ſubſiſtente, ſexto, & viceſimo transſiiſſe, dicenda fuiſſet. Sunt inter citatos, hic in margine inferiori, Scriptores, eidem cum lautato HEUTERO pro die fatali XXVIII. *Martii* tribuentes, e) ſed ſtandum exiſtimamus inſcriptione ſepulcrali, quæ iis omnibus anterior eſt. Cor eius *Antverpiam* delatum, ac ſepulcro matris ſuæ, ELISABETHÆ *Borboniæ* illatum, fuiſſe, nonnulli ex iisdem Scriptoribus teſtantur, nosque alibi confirmatum ibimus.

TAB. XLIV. ad XLVI. a

b

c

d

e

VI. Poſitum olim erat hoc mauſoleum in medio ante altare ſupremum, at CAROLI *Pugnacis*, patris eius, reliquiis anno 1566. *Nanceio*, ubi in templo primario ante ſummum altare, S. GEORGIO, tutelari Divo ſuo, conſecratum, in tumba, a REINERIO, Duce *Lotharingiæ*, eius triumphatore, erecta, ipſiusque ſimulacro exornata quieverat, *Lutzenburgum* primum, deinde *Burgas* translatis, eidem ut locus daretur, propius ad parietem motum fuit, ita, ut nunc ambo pari ab utroque latere diſtantia conſiſtant. Æquali, ut diximus, utrumque magnitudine eſt, eiusdemque ſtructuræ, niſi quod CAROLI ad hodiernam Architectonices rationem propius ac-

Situs tumuli antiquus.

ce-

SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* GANS. in *Arboreto*, HENNINGESIUS, MENLIUS, ceteri, qui mortem eius an. 1482. omnes illigant.

a) P. I. ad tab. X. §. VII. pag. 19. ſeq.

b) *Rer. Burgundic.* lib. IV. p. 143. *edit. Plantin.* ubi XII. *Febr.* & *Rer. Belgic.* lib. I. ſub init. p. m. 56. *Idus Febr.* ſeu diem ſequentem ponit.

c) *Rer. Belg.* in fine p. m. 100. Certe cum lib. I. p. 56. ſcribit, MARIAM ante nuptias annum ætatis primum & viceſimum egiſſe, tanto minus fidem meretur, quod ei adverſatur nummus, a nobis cit. loco productus, ac ſub ipſa nuptiarum ſolemnia cuſus, & diſtributus, MARIAM annum ætatis viceſimum egiſſe nos docens, quemadmodum MAXIMILIANUM undeviceſimum.

d) *Rer. Belgicar.* lib. II. in fine p. m. 100. ubi annum ei fatalem cum ceteris 1482. aſſignat.

e) Inter eos BIRCKENIUS ſibi haud conſtat, cum alibi XVI. alibi XXV. & iterum alibi XXVIII. *Martii* aſſignat, ſed varietas haud dubie typothetæ iterum tranſcribenda erit.

cedat, eiusque effigies ſolida, nec, ut MARIÆ ſtatua, per partes fuſa, ac denique inſcriptura litteris *Romanis*, non *Gothicis*, expreſſa ſit.

Exuviæ MARIÆ, & CAROLI ubi cubent, nec non cor PHILIPPI I. *Pulchri*,

VII. Corpus MARIÆ non in hoc mauſoleo (quod ideo cenotaphium potius dixeris) ſed ſub gradibus dicti altaris ſupremi conditum iacere, laudatus nos edoceri curavit Excellentiſſ. COBENZELIUS; ut adeo, quod hactenus putabatur, MAXIMILIANUS Imp. maritus eius, primus haud fuerit, cui hoc in mentem venerit. Dubitatur præterea, num CAROLUS, eius pater, ſub iisdem gradibus cubet? quippe cum tumulus eius, ex quatuor cæruleis lapidibus quadris conſtructus ita ſit, ut cavitatem, iuſto recipiendo corpori aptam, efformet: *Pontus* HEUTERUS translationem eiusdem brevibus ſic deſcribit, ut patris, filiæque reliquias, non niſi ſub his ipſis tumulis conditas exiſtimaſſe, atque adeo MARIÆ veram ſepultu-
a ram ignoraſſe, videatur. a) Id certum eſt, cor PHILIPPI *Pulchri*, eius filii, in *Hiſpania* defuncti, *Brugas* transmiſſum, in eodem MARIÆ, ſub gradibus altaris ſummi, ſepulcro conditum; cor vero MARIÆ *Antverpiam* translatum, in ſepulcro ELISABETHÆ *Borboniæ*, matris ſuæ, reconditum fuiſſe. Horum alterum ex dicta re-
b latione *Cobenzeliana*, alterum ex laudato HEUTERO b) didicimus.

Epitaphium eius chronologicum.

VIII. HEUTERUS in elogiis Principum *Belgii* c) diſtichon numerale affert, a PETRO de *Groote*, ſacerdote *Bruxellano*, in obitum Principis noſtræ compoſitum, ubi tamen, ut apud *Belgas* in uſu fuiſſe, videtur, littera D. numerum haud facit. En illud:

c
GESTIt eqVo MarIa aLIpedes præVertere CerVos
VI CadIt aC beLgIs fVnera fLenda parIt.

Verum teſte eodem, MARIA eadem venatione, ut mox audiemus, non cervos, ſed ardeas inſectabatur, cuius generis venatione plurimum delectata ſcribitur. Alia quatuor diſticha, eius in laudem ad-
d ornata, tomo ſuperiori d) attulimus.

Mortis hiſtoria.

IX. Mortis anſam venationem præbuiſſe, Scriptores ſæpe laudati fidem faciunt. Luculenter ea de re *Pontus* HEUTERUS e) his verbis: „Erat hoc tempore MAXIMILIANUS cum uxore *Brugis*. Exit illa cum nobilium virorum, ac virginum comitatu ad venationem, inſpectura hierofalconum, atque accipitrum, quibus plurimum delectabatur, artem, ac ſolertiam. Inſidebat noto aſturconi, admodum animoſo, ac feroci: cingula, quæ ſellam ſeſſoriam ſtringe-
e bant,

a) *Rer. Belg.* lib. V. p. m. 187. „Poſtea Imperator, *Belgarum*que Princeps CAROLUS „quintus (ait) *Pugnacis* oſſa *Nancæo Lutzenburgum* transferri, curavit, unde ab eius „ſorore LEONORA *Brugas Flandrorum* ſunt „translata, ac in choro templi S. MARIÆ „Virginis ante gradus ſummi altaris in ſepulcro filiæ eius, MARIÆ, condita, quod „utriusque æneum ibidem ex ære flavo „teſtatur mauſoleum. „

b) In fine cit. lib. II. pag. 101.

c) *Rer. Belg.* pag. 729.

d) P. II. §. XLVIII. pag. 167.

e) *Rer. Belgic.* lib. I. in fine p. m. 100.

bant, dum incitatus aſturco ardentius fertur, inter currendum ſolvuntur. Labitur ſupina equo MARIA in tergum, læditque coſtas adeo graviter, ut poſt tertiam ſeptimanam decumbere, cogeretur. Hactenus enim vim mali diſſimulando, nemini aperire, mariti cauſſa, auſa fuerat. Tandem, accedente continua febri, DEO in urbe *Brugenſi* V. Kal. *Aprilis* anno 1482. animam reddit, quintum (quartum) gravida, ætatis anno vigeſimo quinto, incredibili cum dolore MAXIMILIANI. In ipſo enim adoleſcentiæ flore, ac vigore, conſtituti, invicem tenerrime adamabant: quod vel ex eo conſtat, quia per omnem exinde vitam, cum de ea MAXIMILIANUS mentionem inferret, aut fieri audiret, a lacrymis, aut ſuſpirio, abſtinere non poterat. Conditur MARIA (ut petierat) ſumma cum celebritate *Brugis*, in templo Divæ Virginis MARIÆ, III. Non *Aprilis*. Cor *Antverpiæ* in matris ſepulcro clauditur. „ Brevior eſt *Gerardus* de ROO: a) „Inter hæc annus primus & octogeſimus iam exi- a
„erat (ait) & MAXIMILIANUS cum uxore *Brugis* eam hyemem
„egit, ſub cuius finem MARIA egreſſa, ut animum venando oble-
„ctaret, ex equo prolapſa, lumbos, & femur graviter offendit, &
„dies viginti ex eo caſu decumbens, rebus ex ultima voluntate or-
„dinatis, obiit quinto Calendas *Aprilis*, magnum marito, cuius
„amantiſſima vixerat, & ſubditis omnibus luctum, ac turbulentum
„rerum ſtatum relinquens. Erant, qui uterum geſtare putabant.
„Corpus eius ad D. Deiparæ Virginis ſepulcro illatum, & magno
„cum apparatu celebratæ exequiæ.„

X. Altera MAXIMILIANI coniux erat BLANCA MARIA, *Mediolanenſis*, in Abbatia *Stirpinenſi* ſepulta, qua de ſupra. b) ANNÆ *Britannicæ*, MAXIMILIANI I. ſponſæ, ad S. DIONYSII, prope *Lutetias Pariſiorum*, communi Regum *Franciæ* ſepulcreto illatæ, huc tamen proprie haud pertinentis, mortem, conductum funebrem, ac magnificas exequias, Doctiſſ. MONTEFALCONIUS fuſe deſcribens, multis tabulis æneis illuſtravit. c) De altera ſponſa, ANNA *Hungarica*, eidem ſub conditione promiſſa, infra, cum de FERDINANDO I. Imperatore, agendi locus erit. Altera eius coniux, BLANCA MARIA, & ANNA *Britannica*, eius ſponſa. b c

CAPUT IX.

TUMULUS FRANCISCI, MAXIMILIANI I. IMP. FILII, BRUXELLIS IN BRABANTIA, DEQUE ALIIS EIUSDEM IMP. PROLIBUS.

§. I.

a) Lib. IX. p. 342. Add. CUSPINIAN. ceteri.
b) Lib. III. cap. VI. §. XIII. p. 210.
c) *Monum. de la Monarchie Françoiſe* tom. IV. p. 128. ſeqq.

§. I.

Franciſci tumulus in *Monte Frigido Brabantiæ.*

FRANCISCUS, MAXIMILIANI I. Imp. ex MARIA *Burgundica* filius, tertio partu editus, etſi morte nimium præcoci ſublatus, *Bruxellis* tamen, *Barbantiæ* metropoli, tumulo extantiori, ſeu mauſoleo honoratus fuit. E marmore nigro exciſum eſt, cum contra eidem ſuperiacens imago Principis tunica talari, ac pallio oblongo amicti, ac erectas manus ad cœlum tendentis, e marmore candido affabre fabricata ſit. Situm eſt in templo veteris Præpoſituræ S. IACOBI *de Frigido monte*, vulgo *Caudeberque*, vel *Cauberque*, Ord. *Canonicorum Regularium* S. AUGUSTINI, in medio chori. Eduximus illud e *magno theatro Brabantiæ ſacræ*, atque ad exemplum ab Excellentiſſimo D. Comite de COBENZL, ſupra laudato, ſubmiſſum, corrigi, ac emendari, curavimus.

Tab. XLVII. Sect. I.

Unacum epitaphio.

II. Epitaphium, parergis exornatum, ac a duobus geniis ſuſtentatum, ſtantibus litteris, hæc verba præfert: FRANCISCO DIVI MAXIMILIANI IMP. CÆS. SEMP. AVG. FILIO PHILIPPI HISPAN. REGIS CATOLICI ILLUSTRISS. Q. D. MARGARITHÆ FRATRI GERMANO QUI NATUS AN. MCCCCLXXXI. CUM VIXISSET CIRCITER MENSES QUATUOR CONCESSIT FATIS. Nempe cum anno. 1481. die ſecundo *Septembris* natus, die vero S. STEPHANI Protomartyris occideret, menſes duntaxat tres, dies quatuor, & viginti vixiſſe, dicendus eſt. a) Verum nemini ideo pro eodem tempore exoticum videatur, ſimulacrum Principis in hoc tumulo quaſi hominis nedum trium, aut quatuor menſium, ſed tot circiter annorum, exhiberi. Nam eo tempore hoc uſuveniſſe, ut infantes in ſepulcris ſtatura, ætati illorum haud ſemper commenſurata, repræſentarentur, aliquoties iam obſervavimus, ac Doctiſſ. quoque MONTEFALCONIUS in ſua *Monarchia Francica* plura eiusdem generis adducit exempla. De PHILIPPO, FRANCISCI noſtri fratre, Auguſti generis propagatore, & MARGARITHA, utriusque ſorore, paullo poſt agendi locus erit.

a

Maximiliani utriusque ſexus nothi.

III. Nunc de utriusque ſexus MAXIMILIANI liberis nothis nonnulla ſubiiciemus. Illum namque proles etiam utriusque ſexus in viduitatis ſtatu (nam matrimonium ſancte ſervaverat) procreaſſe, Scriptores cum eius temporis, tum ſubſequi, memoriæ prodiderunt. Inter hos a *Ponto* HEUTERO, b) auctore ſuppari, octo enumerantur,

b

a) Roo lib. IX. p. 342. „Secundo die *Septembris* naſcitur MAXIMILIANO filius *Bruxellæ*, & decimo ſeptimo ab HENRICO *Bergenſi*, *Cameraci* epiſcopo, ſacris undis luſtratur: ſpondentibus pro eo *Philippo* CROYO, Cardinali *Cluniacenſi*, & *Aurantii* Principis uxore. Nomen puero FRANCISCO datum, a FRANCISCO, *Brittaniæ* Duce, cuius vice CROYUS aderat. Natalem illius *Bruxellani* magna cum lætitia celebrarunt, quod Principem haberent, apud ſe natum, ſed non diuturnum illis hoc gaudium fuit, nam eodem anno infans obiit feriis S. STEPHANI Prothomartyris.„

b) Lib. ſingulari de *Habsburgic.* & *Auſtriæ* Principum origine, hiſtor. *Rer. Belg.* præmiſſo, cap. XII. in ſchemate ante p. m. 33.

tur, videlicet: GEORGIUS, Antiſtes *Leodienſis*, LEOPOLDUS, Præſul *Cordubenſis*, N. uxor Comitis *Rochefortii*, N. uxor FRANCISCI *Melunii*, primi *Eſpinoii* Principis, DOROTHEA, nupta IOANNI, EUNONIS, *Oſtfriſiæ* Comitis, fratri, MARGARITHA, nupta Comiti *Hillio*, ac *Thauræ*, N. uxor Comitis *Helfenſteinii*, a rebellibus ruſticis an. 1525. in *Germania* occiſi, ANNA, coniux LUDOVICI *Marcani*, Domini de *Walperghes*, & *Herlemont*.

IV. Hos inter omnium maxime cognitus eſt GEORGIUS, ab anno 1525. *Brixinenſis* in *Tyroli* Epiſcopus, ab anno autem 1539. *Valentinus* in *Hiſpania* Archiepiſcopus, ac tandem, poſt abdicationem CORNELII a *Bergis*, ab anno 1544. die XXXI. *Iulii* Epiſcopus *Leodienſis*, ubi ſolemni pompa XVII. *Auguſti* eiusdem anni in urbem ingreſſus eſt. Eius aliquot nummos dedimus in Nummotheca *Auſtriaca*. Teſtamentum condidit, ſignavitque an. 1556. die XXVI. *Novembris*, cum iam anno 1546. Synodum Diœceſanam celebraſſet. a) Vivere deſiit *Leodii* die V. *Maii* 1557. ſepultus in choro Eccleſiæ ſuæ cathedralis ad latus ſiniſtrum altaris ſupremi, columnas inter duas priores, appenſo ibi epitaphio ſequenti. Atque inter eos GEORGIUS, Epiſc. *Leod.*

D. O. M.
QUI CLARUM AUSTRIACA DE STIRPE GEORGIUS ORTUM
DUXERAT, HEU! TUMULO MORTUUS HIC TEGITUR.
BRIXNIA PRINCIPIO, POST IPSA VALENTIA, TANDEM
SUSCEPIT SACRUM LEGIA PONTIFICEM,
HISQUE LOCIS PRÆSUL, NULLI PIETATE SECUNDUS,
REXIT, QUA DECUIT, CUM PROBITATE GREGEM.
QUINQUAGINTA DUOS NATUS, PAULO AMPLIUS, ANNOS,
LÆTHALI MORBO SÆPIUS ARRIPITUR.
MAI QVINTA ADERAT LVX, SOLE CADENTE SVB VNDAS,
OCCIDIT, AT DEVS HVIC DET FRVIER REQVIE.

Hoc epitaphium hodie tamen haud ſupereſt; ut quod novo ex marmore pavimento, quod hodie viſitur, ibidem ſtrato, cum pluribus aliis ſublatum eſt. b) In hoc chronodiſticho lit. D. iterum non facit numerum.

V. DOROTHEÆ præterea, tanquam coniugis IOANNIS, *Oſtfriſiæ* Comitis, BUCELINUS c) meminit, ELISEBETHÆ, HEUTERO ANNA vocatæ, P. ANSELMUS, d) aſſerens, eam iunctam fuiſſe LUDOVICO II. Comiti de *Marca*, Domino *Novi-caſtri*, *Hebermontii*, & Plenior de iis notitia.

a) Eius decreta denuo edidit EMAN. de *Grieck* *Bruxellis* 1712. 8vo.
b) Hæc ex relatione, a ſupra laudato Comite COBENZELIO ſubmiſſa.
c) *German. Topo-chrono-ſtemmato-graphica* tom. III. fol. recto poſt A 4.
d) *Hiſtoire geneal. & chronol. de la Maiſon de France à Paris* 1732. tom. VII. p. 166. „LOUIS *de la Marck* II. du nom, Seigneur „du *Neuf-Chatel*, de *Hebermont*, & *Ro-* „*chefort*, epouſa ELISABETH d'*Autriche*, „fille naturelle de l'Empereur MAXIMILIEN, „avec laquelle il vivoit an. 1543. & mou- „rut ſans enfants.„

& *Rochefortii*, eamque adhuc in vivis fuiſſe an. 1543. obiiſſeque ſine liberis. Quam vero HEUTERUS anonymam appellat, FRANCISCO, *Meluni* Comiti, nuptam, huic idem P. ANSELMUS nomen
a ANNÆ tribuit, a) quemadmodum & quartam, cuius nomen HEU-
b TERUS pariter reticuit, BUCELINUS MARTHAM appellat. b) Hæc maximam partem ex ſupra citata relatione, quam laudato Comiti
c COBENZELIO debemus. Egit de iis etiam BIRCKENIUS. c) Denique Excellentiſſ. Comes de WURMBRAND ex Archivo *Polheimenſi* MAXIMILIANUM, de *Amberg* dictum, eruit, *Feldkirchii* habitantem. Verba eius ſunt hæc: „Obiit CYRIACUS de *Polheim* anno „1533. *Welſii* ſepultus. Uxor eius, quam diximus, ELISABE„THAM *Oettingenſem* fuiſſe, ſecundis nuptiis ſe iunxit MAXIMILIA„NO, de *Amberg* dicto, MAXIMILIANI I. Imp. filio naturali, qui
d *Feldkirchii* domicilium habuit. d)„ De horum ſepultura nihil nobis conſtat.

BARBARA, *Sylvæ Ducis* ſepulta, aliique duo *Tridenti*.

VI. At *Sylvæ Ducis* in *Brabantia* celebratum olim fuiſſe Virginum Regularium O. S. AUGUSTINI cœnobium, dicitur, quod incolere nemo, niſi ſummo loco nata, potuerit, ibique vixiſſe BARBARAM ab *Auſtria*, filiam MAXIMILIANI I. notham, quam fatis
e defunctam, fama ſanctitatis ſecuta ſit. e) Verum memorati Scriptores hoc nomen ignorant, nec ulla ex Cæſaris filiabus cognita eſt, cui illud inditum fuerit. Nihilo tamen ſecius fieri potuit, ut una ex illis orbata viro, votis ſe ibi adſtringens, nomen, ut in monaſteriis ſolet, mutaverit. Monaſterium ipſum, capta an. 1629. urbe, exciſum eſt, Dominabus ſolum vertere, iuſſis. *Tridenti* denique, urbe ad *Tyrolim* ſpectante, duorum adhuc filiorum, ſanguine *Auſtriaco* ſatorum, funera condita fuiſſe, nonnulli memorant, priorem MAXIMILIANO I. Imp. alterum SIGISMUNDO *Tyrolenſi* Archiduci tribuentes, ſed nomina utriusque reticent.

CAPUT X.

MAUSOLEUM MARMOREUM MARGARITHÆ, MAXIMILIANI I. IMP. FILIÆ, BURGIS SEGUSIANIS.

§. I.

MARGARITHÆ monumentum

BURGIS *Seguſianorum*, in templo S. NICOLAI *Tolentinatis*, Ord. S. AUGUSTINI, monumentum extat funebre, e marmore candido exciſum, & a MARGARITHA *Auſtriaca*, MA-

XI-

a) Loc. cit. tom. V. p. 231. „FRANCOIS de „*Melun* - - créé Comte d'*Epinoy* - - le 28. „*Mart.* 1514. - - Ill. femme ANNE d'*Autriche*, fille naturelle de l'Empereur MAXIMILIEN I. „

b) Loc. cit. fol. B. 2. recto. LUDOVICUS (Comes ab *Helfenſtein*) uxor MARTHA, filia MAXIMILIANI I.

c) Lib. VI. cap. XXI. p. 1387.

d) Collect. *Genealog. Hiſtor.* in addend. p. 176.

e) *Le grand Theatre ſacré de Brabant* tom. II. P. II. lib. I. p. 56. col. 2. Conf. etiam BIRCKEN. loc. mox cit.

XIMILIANI I. Imp. filia, quæ & ipſum monaſterium fundavit, excitatum, ut illo PHILIBERTUM II. *Sabaudiæ* Ducem, maritum ſuum tertium, præcoci morte (utpote annorum duntaxat quatuor, & viginti) an. 1505. IV. Id. *Sept.* ſibi ereptum, honeſtaret. Tribus enim viris iuncta erat, primum CAROLO *Delphino*, *Francorum* poſtea Regi eius nominis VIII. cum vix annum tertium attigiſſet. At ab eo ante nuptias repudiata, ac, ut paullo ante vidimus, remiſſa, an. 1497. IOANNI *Aragonio*, regni *Hiſpaniæ* heredi, in manus convenit: ſed illo eodem adhuc anno exeunte vivis erepto, hæc præ animi dolore, immaturo fœtu maſculo edito, in *Belgium* rediit, an. 1501. memorato PHILIBERTO II. ſocianda. Poſt cuius mortem *Belgio* regundo a patre præfecta eſt. a) Eduximus hoc eius ſchema ex viri Clar. GUICHENONII Genealogia Regiæ Domus *Sabaudiæ*. Bina in eo ſimulacra apparent. Primum ſub medium fornicis PHILIBERTUM oſtendit cum ornatu Ducali, manibus in decuſſim poſitis, ſupinum iacentem, ac præter morem pedibus canem, loco leonis, prementem. Infra nudis pedibus, ac ſine ullo ornatu, eodem ſitu MARGARITHA cubat, paſſis capillis, manibus ad genua demiſſis, ac ſimiliter fere decuſſatis. Scuta gentilitia, a duobus geniis ſuſtentata, ac binis in locis exhibita, a ſummo bipartita ſunt: prior area *Sabaudiæ* teſſeram, altera faſciam, & aves *Auſtriacas*, vetus nempe, quod vocant, & novum digma, nec non & *Burgundiæ* inſignia continent. Quatuor figuræ, totidem columellis impoſitæ, at ſuis ex ſignis haud ſatis diſtinguendæ, aut Principis virtutes, aut totidem Divos exhibent. Symbolum, mauſoleo inſcriptum: FORTVNE. INFORTVNE. FORTVNE. quod Archiducilla ipſa ſibi elegit, variam haud dubie, quam experta eſt, fortunam ſignificat. Suadet id vitæ eius ſeries. Fortunæ enim adſcribere poterat, quod CAROLO, *Franciæ* Regi, mature admodum, ut diximus, deſponſa fuerit: infortunio, quod repudiata: fortunæ denique, quod ſecundis nuptiis Principi *Hiſpaniarum*, hocque iterum præcoci morte ſublato, PHILIBERTO *Sabaudo* elocata fuerit.

marmoreum *Burgis Segujianorum.* TAB. XLVIII.

a

II. Alia ſepulcralis inſcriptio, unde Principis noſtræ tempus natale, iuxta ac fatale, diſcamus, hic deſideratur. Supplet tamen primum *Gerardus* de ROO, b) quartum ſcilicet Idus *Ianuar.* anni 1480.

Eiusque ætas.

b

a) De his fuſius *Pontus* HEUTERUS, *rer. Belg.* lib. II. p. m. 107. lib. V. p. 232. & 33. ubi & epitaphium adducit, a nobis alibi etiam, ſed huc magis quadrans, prolatum, ac a MARGARITHA ſibi ipſi compoſitum. Cum enim *Hiſpanica* claſſis, eandem ad ſponſum ſuum traiectura, *Angliam* in conſpectu habens, ſubita, ac periculoſa oborta tempeſtate, haud procul naufragio abeſſet, iuxta navigantium, in tali periculo verſantium, morem, manus ſibi, ac in iis aliquot aureos obligari paſſa, ut erat *Gallica* lingua, proſa, ac rhythmo facunda, hos verſus chartæ cereæ incluſos, una alligari voluit, ut poſtea ab undis ad littus eiecta, cognitaque, honeſte, ac pro ſtatus ſui dignitate ſepeliretur:

CY GIST MARGOLE, NOBLE DAMOISELLE
DEUX FOIS MARIEE, ET MORTE PUCELLE
MARGARIS HOC TEGITUR TUMULO CLARISSIMA: QUÆ EIS
NUPTA QUIDEM, MANSIT SED SINE LABE PUDOR.

Et lib. VI. p. 252. & 270.

b) Lib. IX. p. m. 336.

TAB. XLVIII. a b

1480. prodens. Utrumque docent BIRCKENIUS, a) & SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus*, ſcriptoresque ab eo ibidem citati, diem natalem eundem, fatalem vero prid. Kal. *Decembr.* anni 1530. aſſignantes. Convenit quoque *Pontus* HEUTERUS, b) in eo tamen calculum haud recte ducens, quando ætatem eius ad duos, & quinquaginta fere annos protendit; cum, ſtante ipſius, aliorumque, mox laudatorum nativitatis epocha, annis non niſi quinquaginta, menſibus undecim, minus diebus decem vixerit.

Burgis Hiſpaniæ haud tumulata. c

III. Laudatus HEUTERUS, BIRCKENIUS, SCHOENLEBENIUS, aliique nonnulli, eam *Burgis* in *Hiſpania* tumulatam perſcribunt c) decepti nempe ſimilitudine nominis. Falſi enim convincuntur non modo ex hoc, quod *Burgis Seguſianorum*, ſeu, ut etiam ſcribitur, *Sebuſianorum* extat, monumento, ſed & ex *Bibliotheca Belgica*, articulo MARGARITHA *Auſtriaca*, haud obſcure nobiſcum faciente. Tabula præterea chronologica Ducum *Brabantiæ*, volumini VI. edictorum publicorum eiusdem provinciæ præfixa, idem aſſerit. Quin dubium omne tollit teſtamentum Principis, XXVI. *Febr.* an. 1508. *Bruxellis* ſubſignatum, & an. 1530. XXVIII. *Novembr.* biduo ſcilicet ante obitum ſuum, roboratum, quo ſepulturam ſibi *Burgis Seguſianis* conceptis verbis ſtatuit. Utriusque horum inſtrumentorum copia, quam vocant, ſeu exemplum, in Archivo Senatus *Bruxellani* aſſervatur. d) Denique, eadem Bibliotheca teſte, duæ olim *Bruxellæ* in templo S. GUDULÆ tabulæ extabant, carmine heroico, eiusdem rei fidem facientes, ſed illæ bello *Belgico* civili iconoclaſtarum inſania confractæ, ac diſſipatæ ſunt.

TA-

a) Lib. VI. cap. XXI. p. 1388.

b) Lib. I. p. m. 97. & lib. X. p. 465. ubi ait: „Prid. Cal. *Decembres* ſub mediam „noctem *Mechliniæ* e vivis decedit MARGARITHA *Auſtriaca*, Cæſaris MAXIMILIANI filia, CAROLI Cæſaris amita, ætatis anno fere quinquageſimo ſecundo.„

c) „Corpus *Burgis* (ait HEUTERUS lib. X. „p. m. 465.) in *Hiſpania* iuxta fratrem, „cor *Brugis Flandriæ* apud matrem, *Mechlinia*, ut patria, ſibi viſcera ſervante.„

d) Didicimus hæc ex litteris ſupra laudati, & adhuc laudandi Excellentiſſ. Comitis de COBENZEL ſub XIX. *Iulii* 1764. Verba memorati teſtamenti ſunt hæc: Item nous eliſons la ſepulture de notre corps en l'Egliſe du Couvent de St. NICOLAUS de *Tolentin* lez *Bourg en Breſſe*, lequel avons fondé, & faiſons preſentement edifier, & conſtruire - - & voulons etre inhumé auprés le corps de feu notre trés cher Sieur, & Mary, le Duc PHILIPERT de *Savoye*, que Dieu abſoitte, en coté feneſtre, & au dextre ſera le corps de feu Madame MARGARITE de *Bourbon*, ſa mere, & le corps de mon dit Mary au mylieu.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER V.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA

ARCHIDUCUM

EX LINEA HABSBURGO-AUSTRIACA,

DUCTO INITIO A

PHILIPPO I. PULCHRO,

MAXIMILIANI I. IMP. FILIO,

CASTELLÆ REGE,

AD USQUE

CAROLUM II.

EIUSDEM STIRPIS REGEM ULTIMUM.

CAPUT I.

DE SEPULTURA PHILIPPI PULCHRI, ET IOANNÆ, CONIUGIS EIUS, REGUM CASTELLÆ, ET LEGIONIS.

§. I.

Philippi *Pulchri* ætas, & obitus.

Ad *Auſtriacos* Principes lineæ *Hiſpanicæ* devolvimur, ac imprimis PHILIPPUM I. MAXIMILIANI I. Imp. filium. Hunc an. 1478. XXI. *Iunii* hora ſecunda promeridiana, cum viginti quatuor minutis, *Brugis Flandrorum* natum fuiſſe, tomo ſuperiori a) docuimus. Vita exceſſit *Burgis Caſtellæ* b) anno 1506. XXV. *Sept.* ardenti febre conſumptus. Veneno necatum, teſte HEUTERO c) fama fuit, negat MARIANA, d) cuius verba hic adducere, operæ pretium erit: „Febris peſtilens nihil minus cogitantem, ait, invaſit (PHILIPPUM) atque intra paucos dies extinxit. Veneno corrupta vitalia, ſenſim venis illapſo, exitiabili tarditate, ſuſpicio quibusdam fuit, inanis tamen, ut eius medici ſunt teſtati, atque in eo numero *Ludovicus* MARLIANUS, qui deinde *Tudenſi* Epiſcopatu donatus eſt in *Galæcia*. Nimiam defatigationem, verius intemperan-

a) P. II. lib. II. cap. I. §. IV. p. 172.
b) Teſte *Gerardo* de Roo, *Ponto* HEUTERO, & MARIANA, mox citandis.
c) *Rer. Belgic.* lib. VI. p. m. 283.
d) *De reb. Hiſpan.* tom. III. lib. XXVIII. p. 325. col. 2. noviſſ. edit.

peratiam, exitio fuiſſe, inter obſequia fortunæ minus, quam arte ſuis cupiditatibus imperanti. -- Ad ſeptimum Kalendas *Octobris* deceſſit prima hora poſt meridiem, ætatis anno octavo & vigeſimo.„ a Eundem diem, & annum fatalem etiam *Gerardus* de ROO, a) aliique, præcipue vero inſcriptio, plumbeo loculo, cor eius continenti, inciſa, de qua paullo poſt ſumus dicturi, confirmant. Ille de morte eius hæc refert, ad an. 1506. „Funeſti ex *Hiſpania* nuncii „adferuntur de PHILIPPI Regis morte, qui *Burgis*, *Caſtellæ* urbe, „ardenti febre ad ſeptimum diem Calendas *Octobris* ſublatus, non „minorem ſuis omnibus luctum reliquit, quam ſpem de ſe excita„verat.„ Vixit itaque annos octo & viginti, menſes tres, dies quatuor, minus horam unam, cum viginti quatuor minutis.

Sepulturaque *Burgis*, & *Granata.*

II. Corpus eius apud *Carthuſianos* iuxta urbem *Burgenſem*, *Caſtellæ* veteris, conditum fuiſſe, cor autem *Burgas Flandriæ* delatum, laudatus tradit HEUTERUS: *Gerardus* de ROO, inteſtinis *Burgis* relictis, corpus *Granatæ Beticæ* depoſitum fuiſſe, aſſerit. Uterque ex vero. Attamen luculentius excitatus MARIANA: „*Granatæ* „corpus ſepeliri mandavit. Dum id fieret, translato funere ad „*Miraflores*, *Carthuſianorum Burgenſe* monaſterium, tumulo com„poſitum eſt.„ Hanc ultimam Regis voluntatem longo poſt tem- b pore etiam executioni mandatam fuiſſe, idem auctor alibi b) affirmat, ad an. 1506. dicens: „*Caſtelle* Regina -- omnium Sancto„rum anniverſaria memoria feſtum diem ad *Miraflores* monaſte„rium celebravit. Ibi ſacris operata, poſt prandium ſepulcrum ape„riri mandavit, ubi viri corpus erat. Ingreſſa intro, & loculo a „*Burgenſi* Epiſcopo reſerato, cadaver attente conſideravit oculis, „contrectavit etiam manu, ſine gemitu tamen, nullisque effuſis la„crymis, ac prorſus nihil, ut videbatur, animo commota.„ Hæc MARIANA. Docet deinde, eam ad tertium decimum Kalendas *Ianuarii Turrecrematam* concedentem, corpus PHILIPPI ſecum aſportaſſe, quaſi ex eo oppido miſſura eſſet *Granatam*, funere, ſepulcroque ſtabili recondendum. Verum illud, multis annis apud ſe retentum, circumduxiſſe, nec niſi CAROLI V. Imp. filii ſui iuſſu *Gra*c *natam* denique perductum fuiſſe, idem teſtatur c) in conſequentibus. Num id ante vel poſt mortem IOANNÆ contigerit? auctor reticet.

Conditorium, ac monumentum ſepulcrale.

III. LUCIO MORINEO teſte, d) Regis PHILIPPI corpus Imperatoris CAROLI V. iuſſu in urbem *Granatam*, delatum fuit ex oppido, quod *Trodeſillas* (*Turrem Syllæ*) appellant, ubi longo tempore iacuerat: ubi etiam poſtea in palatio regio uxor PHILIPPI, d IOANNA, vivere deſiit, uno hodieque tumulo cum marito concluſa

a) Lib. XII. p. m. 432.
b) Lib. XXIX. cap. III. p. 332.
c) Ibid. cap. XVI. p. 359.
d) De reb. *Hiſp.* lib. XXI. T. I. *Hiſp. Illuſtr.* pag. 513.

ſa *Granatæ* in chori regiæ capellæ crypta ſepulcrali, cuius aditus lapide Alabaſtrite inſignis magnitudinis tegitur. Hoc remoto ſcala apparet, gradibus aliquot demiſſa, in ipſum conditorium ducens, quod unacum ſoliis, ſeu loculis ex eodem lapide conſtructum eſt. Quinque Principum funera, ſuis concluſa capulis, in hac crypta numerantur. Ad Septentrionem quippe quieſcunt cineres FERDINANDI V. *Catholici*, Regis *Hiſpaniarum*, ISABELLÆ uxoris eius, ac MICHAELIS, ex filia ELISABETHA, ſeu ISABELLA, nepotis, ad Meridiem PHILIPPI & uxoris IOANNÆ, filiæ eiusdem FERDINANDI, & ISABELLÆ. Hæc marito FERDINANDO, cui *Arragoniæ* regnum, paterna hereditate, ſolum obtigerat, hereditaria *Caſtellæ*, ac *Legionis* regna contulit, quorum deinde IOANNA, poſt fratris IOANNIS, ac ſororis ELISABETHÆ, natu maiorum, atque nepotis MICHAELIS mortem ſola heres fuit. a) Sic IOANNAM *omnia hæc regia ſtemmata colluſtrarunt*, ut epitaphium, quod paullo poſt deſcribemus, habet, monumento ſepulcrali inſcriptum, a CAROLO V. Imp. utrique parenti, PHILIPPO & IOANNÆ, poſito, quod in choro memoratæ regiæ capellæ, cui a FERDINANDO nomen eſt, conditorio ſeu cryptæ incumbit, ſuaque exæquat amplitudine. Longitudo eius ab Oriente, Occidentem verſus, octodecim pedes, *Hiſpanicæ* menſuræ, excurrit, a Meridie autem, ad Septentrionem pedes porrigitur duodecim, ex Allabaſtrite conſtructum, variis figuris ex myſteriis redemptionis noſtræ deſumptis, quas ſtatuæ ſymbolicæ circumſtant, ea arte celatum, ut illud noſtræ ætatis artifices merito ſuſpiciant. In ſummitate Regis ac Reginæ ſtatuæ ſupinæ, magnitudine humana, manibus erectis, ac ad cœlum tenſis ſceptra tenentes, iacent. Ad latera, & pone ad caput inſignia conſpicua ſunt hereditariorum regnorum ac provinciarum, quæ felici hoc connubio *Habsburgo-Auſtriaco* ſtemmati acceſſerunt: in quarta, e regione, epitaphium legitur, in hanc ſententiam: a

VITA DEFUNCTOS: FAMA SUPERSTITES
TEGIT HOC SEPULCRUM.
PHILIPPUM, ET NOMINE, ET AUSTRIACO GENERE HISPAN. REG. I:
QUEM CUM FALCATA MORS INVENISSET VIRTUB. MATURUM AMPUTAVIT JUVENEM, DUM PUTAVIT SENEM. OBIIT. AN. DNI. 1506. ÆTAT. S. 28.
ET IOANNAM EIUS CONIUGEM QUAM OMNIA CASTELLÆ, LEGION. ET ARAGON. REGIA STEMATA COLLUSTRARUNT. OB. AN. 1555. ÆTAT. S. 76.
QUID PLURA?
EX EORUM CONSORTIO MUNDO ILLUXIT SEREN. IMP. CAROLUS V.
QUI PARENTIBUS SUIS HOC EREXIT MONUMENTUM.

Totius monumenti ectypa, quoad ſingulas reſpectat plagas, ſingulari cura elaborata *Granatæ*, atque ad nos nuperrime tranſmiſſa, TAB. L. & L. *. **. ***. VO-

a) *Rocchus* PIRRUS, *Chronol. reg. Sicil.* p. LXXII. col. 2.

volumine altero, damus tabula L. & tribus reliquis aſteriſcis ſignatis.

Cordis repoſitorium.

IV. Cor *Brugas Flandrorum* delatum, in ſepulcro materno repoſitum fuiſſe, citatus HEUTERUS recte tradit. Illud plumbeo locello incluſum, a *Canonicis* ſolemni ritu die XXVIII. *Iulii* 1507. receptum, ac die ultima eiusdem menſis maiori cum apparatu ſepulcro immiſſum fuiſſe, inſtrumentum publicum, a ſæpe laudato Excellentiſſ. Comite COBENZELIO gratioſe nobis ſubmiſſo, fidem
a facit, a) ubi & inſcriptionem loculi hunc in modum legimus: COR SERENISSIMI AC INVICTISSIMI PRINCIPIS PHILIPPI, REGIS CASTELLÆ, LEGIONIS ET GRANATÆ, PRINCIPIS ARAGONIÆ, VTRIUSQUE SICILIÆ, ET IERUSALEM, ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, DUCIS BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, COMITIS FLANDRIÆ ETC. QUI OBIIT BURGIS IN HISPANIA A.° DOMINI MCCCCCVI. DIE VIGESIMA QUINTA SEPTEMBRIS. ORATE PRO EO. Hæc inſcriptio cum ſupra laudatis melioris notæ Scriptoribus, PHILIPPI obitum ad hunc ipſum diem referentibus, conveniens, falſi convincit ſubſcriptionem, imagini eius, a nobis tomo priori editæ, ſubiectam,
b diem ſequentem poſtulantem. b) *Gerardus* de ROO, ſequacem nactus BIRCKENIUM,
c c) cor *Bruxellis* cum ſequenti epitaphio conditum perſcribit:

Urbes & populos diverſaque regna tenebam,
Spes dabat Imperium, ſpes dabat orbis opes.
Si ſpes in quemquam fuerat mihi gloria prima:
Heu! heu! quanta fuit ſpes mea, tanta iacet.

Verum cum certum ſit, cor eius *Brugas*, non *Bruxellas* conceſſiſſe, etiam de inſcriptione hac, publice expoſita, dubitandum eſt.

Epitaphium honorarium *Aug. Vindel.*

V. Huc pertinet epitaphium honorarium, a ſupra laudato *Ioanne* FABRO, in eccleſia *Dominicanorum*, *Auguſtæ Vindelicorum*, ad latus Evangelii iuxta altare ſummum poſitum. Eſt illud eiusdem magnitudinis, qua cetera, ſupra a nobis lib. IV. cap. VII. §. V. p. 274. recenſita, eſſe diximus, niſi quod clypeus gentilitius unicus, a duobus leonibus inauratis ſuſtentatus, hic adumbratus ſit.

PHILIPPO.
CATHOLICO. REGI.
HISPANIARUM. ETC. IMP. CÆS.
MAXIMILIANI. AUG. ET. MARIÆ. DE. BURGUNDIA. FILIO. QUI. VIXIT. ANNIS. XXVIII.
MENS. III. DIEBUS. II. OBIIT. BURGIS.
FLORENTISSIMA. ÆTATE. MAGNA. R. P.

CHRI-

a) Vulgamus illud in auctar. diplomat. vol. I. §. IV. p. 172. ſeq. ad diem ultimum *Iulii* 1507.
b) Vid. *Pinacothec. Auſtr.* P. II. lib. II. cap. c) Lib. VI. cap. XI. p. 1227.

CHRISTIANÆ. IACTURA. RELICTIS. PATRE.
ET. FILIIS. PUPILLIS. CAROLO. REGE.
ET. FERDINANDO. PRINCIPE.
HISPANIARUM.
ETC.
ANNO. SALUTIS. M. D. VI. VII. KL. OCTOBR.
OB. VITÆ. EIUS. FELICITATEM.
I. F. DEVOTISS. POSITUM.
ANN. XPISTI.
M. CCCCCXVIII.

VI. In *Bibl. San-Blaſiana* antiquæ editioni IUVENALIS, num. 221. ſignatæ, MS. carmen parentale, verſu heroico, ſubiungitur, a *Ioanne* STABIO, Poeta laureato, in conſeſſu Principum *Germaniæ* anno 1507. *Conſtantiæ* recitatum, valvisque deinde eccleſiarum affixum, quod cum nimis longum ſit, nec ad vitæ, mortisque eius circumſtantias quidquam conferat, illud conſulto omittimus, eius initio duntaxat hic adducto: Inſcriptiones aliæ.

O Deus, o celum, o elementa maligna,
In crudele chaos ſi tanta redire libido,
Et tociens rerum pulcras abolere figuras.
Et nihil firmum in toto permittere mundo.
Vobis mente ſedet.

Plura haud deſiderabit B. Lector. Aliud carmen numerale, auctore OTTONE *Egmondano*, HEUTERUS a) affert, quod hic locum habere, poterit: a

DVM REX CASTELLÆ LVCTATVR FLORE IVVENTÆ
E SVBITA BVRGIS FEBRE PHILIPPVS OBIT.

Ubi vides, litteram D. iterum nullo in numero haberi. Omittimus alia.

VII. IOANNAM PHILIPPI coniugem, quam *Granatæ* cum marito tumulatam eſſe diximus an. 1479. VIII. Idus, ſeu VI. *Novembr.* in hanc lucem protractam fuiſſe, MARIANA, b) ac poſt eum GANSIUS referunt, BIRCKENIO duobus diebus excedente. MARIANÆ continuator, MINIANA, c) obitum eius brevibus ſic deſcribit: „Ad *Tur-* c
„*deſillam* III. Eidus *Aprilis* IOANNA *Aragonia*, Cæſaris (CAROLI V.)
„parens, etſi minus ſui compos vixerat, morti tamen proxima, rece-
„pta IOANNÆ obitus, & ætas. b

a) Cit. Append. p. 739.
b) *De reb Hiſp.* lib. XXIV. cap. XX. p. m. 142.
c) Tom. IV. lib. V. cap. I. p. m. 191. Annos tamen vitæ male computat, ei 73. tantum tribuens; cum, an. 1479. VI. *Nov.* nata, ac an. 1555. XIII. *April.* denata, annos omnino 75. menſ. 5. cum diebus 7. compleverit. Inde rectius epitaphium §. III. allatum, eandem ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſexto exceſſiſſe, tradit.

„pta mente, extremum diem clauſit pietate mirifica, anno vitæ tertio, „& ſeptuageſimo. Fecundæ Regum parenti multis Chriſtiani orbis „partibus iuſta perſoluta, regia opulentia.„ SCHOENLEBENIUS mortem eius uno die prævertit, eandem ad XII. eiusdem menſis reponens; at magis fidendum Scriptoribus *Hiſpanis*. Extat *Ioannis* CÆSARII *Conſentini* oratio, in exequiis huius Principis habita, nec non epitaphium, a *Petro* HARTMANNO poſitum, inter ſupra excitatas orationes, *Francofurti* editas, ad rem tamen præſentem haud multum facientes.

CAPUT II.

MONUMENTUM FUNEBRE ISABELLÆ, PHILIPPI PULCHRI, REGIS CASTELLÆ, FILIÆ, AC DANIÆ REGINÆ, GANDÆ FLANDRORUM.

§. I.

ISABELLÆ, *Daniæ* Reginæ, tumulus in Abbatia S. PETRI *Gandenſi*. TAB. I. a

INter PHILIPPI *Pulchri*, Regis *Caſtellæ*, filias, an. 1501. die XVIII. *Iulii Bruxellæ* ſecundo loco nata eſt ISABELLA, ſeu ELISABETHA, infelicis *Daniæ* Regis, CHRISTIERNI II. coniux, cui anno eius ſeculi decimo quinto eodem menſe, adeoque annos nata non niſi quatuordecim, in manus convenit, nuptiis *Hafniæ* magnifice celebratis. a) Huic cum marito biennium in *Belgio* exulanti, atque ibidem debitum naturæ ſolventi, monumentum funebre in eccleſia Abbatiæ S. PETRI *Gandæ*, primaria *Flandriæ* urbe, conſtitutum eſt, cuius ectypon, una cum aliis, de quibus mox dicendum erit, huc facientibus documentis, iterum curæ, & liberalitati Excellentiſſimi Comitis de COBENZEL debemus. Conſpicitur nempe in navi eiusdem templi, ad latus meridionale, quod intrantibus, ut ſolet, a dextris eſt, tumulus, ſcalario, ad hanc ipſam navim e choro ducenti, contiguus, e marmore rubicundo, demptis baſi, & coronide, quæ ex lapide lydio ſunt, exſculptus. Longitudo eius pedes quatuor, digitos ſex, altitudo pedes tres adæquat.

Unacum monumento parietino.

II. Ad latus muro adhærent inſignia, nativis coloribus telæ ceratæ inducta, cymatiis aureis, corona faſtigitatis, exornata, ac regulis auratis incluſa. Longitudo eius pedes ſeptem, digitos tres, latitudo pedes quinque porrigitur. Medius clypeus, ad perpendiculum ſectus, priori ſua parte *Daniæ*, & *Sueciæ* inſignia continet, a chalcographo tamen noſtro haud ſatis accurate expreſſa. Etenim laterculus primus, tres leones cæruleos in campo aureo, *Daniæ* ſymbolum, continens, corculis rubeis conſpergendus fuiſſet, ab eo neglectis. Idem in tertio quadrante rubro leonem aureum coronatum, *Norvegiæ* digma, bipenni cum manubrio aureo privavit: ceterum tres coronæ aureæ in area cærulea, *Sueciæ*, ac draco aureus, ſeu

a) Teſte HEUTERO, *Rer. Belg.* lib. VI. p. m. 252. & lib. VII. p. m. 325.

ſeu vermis alatus, & coronatus, veterum *Vandalorum* arma, bene ſe habent: at medium ſcutum, itidem bipartitum, non item. Primus tamen laterculus aureus, duos leones cæruleos, *Slevici* teſſeram, recte ſiſtit. Secundus, in ectypo noſtro haud magis diſtinctus, tria urticæ folia in area rubea, cum medio ſcutulo ex minio, & argento, bipartito, *Holſatiæ* inſigne, repræſentare debuerat. Tertius columbam in campo cæruleo argenteam oſtendit, qualis & in ectypo noſtro, quanquam alias exquiſita cura, & arte adumbrato, viſitur; cum haud dubie eiusdem coloris cygnus, cum corona aurea, collo eius inſerta, *Ditmarſiæ* ſymbolum, pingendum fuiſſet. Denique duæ trabes argenteæ in campo rubeo, *Oldenburgum* deſignantes, in ectypo quidem bene, male tamen inciſæ ſunt ab artifice noſtro. Reliqua inſignia, a nobis per decurſum operis deſcripta, ad amuſſim expreſſa correſpondent. TAB. I.

III. Sub hac tabula, nullo intermedio, lamina dependet ex cupro flavo, eiusdem cum tabula magnitudinis, cui ſequens carmen elegiacum, *Cornelio Duplicio* SCEPPERO, Vice Cancellario Regis, auctore, qui Reginæ, extremum ſpiritum ducenti, inter ceteros præſens ipſe adfuit, inſcriptum legimus. a) Litteræ verſuum initiales variis ductibus incruſtatæ ſunt, reliquæ communes *Romanas*, ſive ſtantes, ſive pronas, ut nos eas hic exhibemus, imitantur. Eſt autem huiusmodi: Ac carminibus elegiacis.

Quam cernis gelido recubantem marmore lector,
Indutam exuviis o Lybithina tuis:
Cæſaris illa ego ſum KAROLI Germana, ſed orba
Iam dudum regnis ISAABELLA tribus.
Si genus inquiras ſummo eſt e ſtemmate ductum,
Longus & e multis Regibus ordo ſcatet.
Si formam: potuit charo placuiſſe marito,
Quina cui ſoboles me pariente fuit.
Si uitam: uario & multo eſt tranſacta labore:
Forſan in hac dices, quod quereremur, erat.
Nondum luſtra ferox Lacheſis tria fecerat: & me
Traxit Hymen patriæ de regione procul.
Atque dedit ſociam Dano conuiuere Regi,
Cumque hoc fortunam iuſſit utramque pati.
Feci: & quam dederat mentem, Deus ipſe, ſequuta
Seruaui caſtos fæmina caſta Thoros.
Non me ullæ ſortes non me ulla pericla nec vnquam
Flectere congeſtæ me Potuere minæ
Sum profugum comitata Virum, per mille labores:
Cumque hoc exilium quod tulit: ipſa tuli.
Me ſæpe inſomnes ducentem Cynthia noctes
Preteriit: Laſſis dum Veheretur equis.
Sæpe etiam Phæbus turbatam ut mente uidebat:
Hæc (ait) a charo cuniuge, cura Venit.
Denique ſi in caſto labi queat Vxor amore,
Hac plus q reliqua labe notanda fui.
Annoter ipſa licet feci: & feciſſe iuuabit:
Pertrahit ad ſuperos me labor iſte deos:
Cætera quid? Decus, & tituli, tot regna, tot urbes
Depereunt: ſola hæc gloria fixa manet.
Hæc cineres ſequiturque meos, ſemperque ſequetur:
Maior & ex iſtis gratia rebus erit.
Talibus in curis, terna trieteride uixi:
Quarta laboranti meta ſuprema fuit.
Hoſpitio exceptam, & morientem *Flandria* Vidit
Heus quantum fatis detulit illa meis:
Nec mors hæc mihi dura foret ſi Danica Coniunx,
Imperia & magni regna teneret aui.
Si deſerta, ſuum ſequerentur pignora, patrem:
Si tegeret cineres Dania licta meos
Aſt fruſtra hæc mea Vota fluunt, manet æthere in alto
Qui regit arbitrio ſingula quæque ſuo.
Hunc præter, ſupero quicquid miramur in orbe,
Et

a) Extant etiam apud HEUTERUM in cit. append. nec non in ſupra memorata oratione. funebr. collectione *Francofurtana.* tom. I. pag. 127. averſ. ſeqq.

TAB. I.

Et ſimul eſt laudis Et rationis egens.
Quare age quisquis ades, Vana hæc ludibria mundi
*Gaudia*que, exemplo ſpernere diſce meo.
Nil mihi nunc proavi, nec opes, nec ſtemmata, proſunt
Non ætas, & quæ forma *pudica fuit,*
Non fratres, quorum imperium, terra omnis adorat:
Non Germanarum, *turba relicta* trium
Diſpar conditio longe eſt, vitæque necisque,
Si qua fuit virtus. *Hæc modo ſola iuuat.*

Aliud

Dania me coluit, pulſam Germania uidit:
Primum ortum dederat terra Brabanta prius
Nulla harum, potuit morientem cernere: ſed quæ
Ganda habuit mentẽ: nunc quoque corpus habet.
Tempora ſi queris *quæ me rapuere ſub umbras,*
Accipe, & in memori ſcripta reconde ſinu.
Pectore ſub medio, Phæbum cernebat Aquarius
Marsque horam tenuit: ſed Venus ipſa diem.

Aliud

Nec non inſcriptio proſa.

IV. In imo laminæ ſcutum, cymatiis marginatum, inſcriptionem continet, litteris uncialibus exaratam, unde monumenti ætatem diſcas. *Pontus* HEUTERUS recitata carmina, quanquam inverſo ordine, nec monumenti huius facta mentione, ſæpe memoratæ appendici inſerens, hanc prætermiſit. Eſt autem huius ſententiæ:

SERENISSIMÆ PRINCIPI D: ISABELLÆ DANIÆ SUETIÆ NORWEGIÆ, GOTHORUM, SCLAVORUM VANDALORUMQUE REGINÆ: ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, &c.ª COMITI FLANDRIÆ, &c.ª DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ CORNELIUS DUPLICIUS SCEPPERUS: PERPETUUM MONUMENTUM ANNO MDXXVI.

Huic clypeo pertica illa menſoria, in imo tabulæ noſtræ exhibita, niſi ad dimidiam ſui partem reducta, haud reſpondet. Idem eſt cum tumulo, infra hoc ſcutum poſito.

Fata monumenti,

V. Idem tumulus ab heterodoxis, unacum templo, bello *Belgico* deſtructus, an. 1600. ab Abbate eius loci COLUMBANO reſtitutus eſt, repoſitis in eo Reginæ, nec non filii ipſius, IOANNIS, oſſibus. Deinde poſt annos duos, & quinquaginta, cum novum templum exſtrueretur, utriusque reliquiæ, ab Abbate ANTONIO eo ipſo in loco, quo antea quieverant, collocatæ ſunt. Eius rei fidem faciunt duæ chartæ membranaceæ, in ipſo tumulo ab hodierno Abbate præſentibus cum monaſterii alumnis, tum viris nobilibus aperto, inventæ, quarum exempla in margine inferiori damus. a) Ea occaſione pa-

a

a) Prima ſic habet: „Anno ab Incarnatione Dominica Milleſimo ſexcenteſimo, R.dus in CHRISTO pater, & D.nus COLUMBANUS *Vranex*, Abbas huius loci, una cum D.no VICTORE *Iours* Priore, & toto conventu, proceſſionaliter poſt miſſam defunctorum transtulit ex ruinis templi, ab hæreticis diruti, in hanc tumbam, ad hoc præparatam, hæc oſſa piæ Memoriæ Illuſtriſſimæ Reginæ ISABELLÆ, VXORIS CHRISTIERNI Regis, & ſororis CHAROLI quinti, & etiam oſſa filii eius IOANNIS, die decimo nono Menſis *Ianuarii.*„

Altera ſic loquitur: „Deinde Anno ab eadem Incarnatione Dominica Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, die decima ſexta *Aprilis* admodum R.dus in CHRISTO Pater ac dnus ANTONIUS *Engrand* Abbas huius Monaſterii Sancti PETRI, una cum D.no AMANDO *Hoveline* &c. Priore, & toto Conventu, proceſſionaliter ante Miſſam defunctorum transtulit ex prædicta tumba eadem oſſa piæ Memoriæ Illuſtriſſimæ Reginæ ISABELLÆ, uxoris CHRISTIERNI Regis, & ſororis CAROLI quinti, oſſa etiam filii eius IOANNIS in novum templum, edificatum in eo ipſo loco, quo vetus, & prædicta oſſa requieverunt.„

„Les deux ſus dittes Copies ſont tirés en ma preſence d'un Vieil ecrit ſur Parchemin ſans ſignature, & ſans paraphe de perſonnes repoſans dans le Mauſole d'ISSABELLE Reine de *Danemarc.* &c. &c. &c.
C'eſt ce que j'atteſte le 6. Sept. 1764. „*étoit ſigné* GUDWAL Abbé de S. PIERRE les *Gand.*„

patuit, corpus eius arcæ ex robore, unacum filii IOANNIS reliquiis, concluſa quieſcere.

VI. Laudatus HEUTERUS, ISABELLAM hanc noſtram XIX. *Ianuarii* anno 1525. obiiſſe, refert, ſequaces nactus BIRCKENIUM, SCHOENLEBENIUM, & quotquot hoc argumentum attigere. At ſecundum hodiernam tempora putandi rationem, ab HEUTERO alias adhiberi ſolitam, ad annum ſequentem reponendum eſſe, ex inſtrumento publico, a nobis in *auctar. diplomat.* ad an. 1526. edendo, conſtat. Scriptum eſt a *Thoma* BLANCHAERT, Notario publico, in caſtro Abbatiæ S. PETRI *Swynarde* dicto, ad ipſius parochiam pertinente, ubi Regina diem clauſit extremum, & unde morbi, rerumque, mortem eius circumſtantium, hiſtoria, nec non exequiarum ratio, quæ brevitatis cauſſa hic loci haud repetenda duximus, innoteſcit. Tetraſtichon SCEPPERI, ſupra adductum, innuit, *Martem* tum horam, *Venerem* diem tenuiſſe, quod quidem ultimum cum reliquis recte cohæreat, etiam prius dubio carere videtur; ut adeo ex Mathematicorum calculo Regina intra horam quartam, & quintam pomeridianam, obiiſſet. Sed tamen id dubium reddit allegata Parochi, Reginæ SS. Sacramenta adminiſtrantis, relatio, qua ſe dicto die hora II. ante meridiem Sacrum pro agonizantibus coram Regina celebraſſe, eoque finito, ac Regina animam agente, primum Evangelium S. IOANNIS, tum precationes & benedictiones, coram inungendis legi, & dari, conſuetas, dixiſſe, teſtatur, quibus peractis, Regina animam DEO reddiderit. Hæc enim cum ſingula unius, aut ad ſummum unius, & dimidiæ horæ ſpatio, fieri potuerint, recte inferri, videtur, eam inter horam primam, & duodecimam expiraſſe. Uterque cum non modo coævus, ſed & rebus his ipſis interfuerit, Lectoris arbitrio relinquimus, num Poetæ magis, quam inſtrumento publico, iuſſu Regis, qui & ipſe aderat, conſcripto, fidem arbitrandam exiſtimet? Mortisque epocha.

CAPUT III.

PANTHEON, SEU SEPULCRETUM HISPANIÆ REGUM, ET PRINCIPUM AUSTRIACORUM, IN SCORIALENSI MONASTERIO, VULGO ESCURIALI.

§. I.

In nova *Caſtilia*, ſeptem milliaribus, a *Madrito*, verſus montes de *Tablada*, in confinio *Caſtiliæ* veteris, monaſterium floret, a regia magnificentia, ſumptuumque, in illud expenſorum, profuſione, inter mirabilia orbis computari ſolitum. Auctorem agnoſcit PHILIPPUM II. Regem *Hiſpaniæ*, CAROLI V. Imp. filium, a PHILIPPO tamen III. & IV. continuatum, perfectumque. Nomen ei inditum *Eſcuriale* a parvo viculo, eidem contiguo. Ibi in facel- Monaſterii *Scorialenſis*, ac ibidem ſepulcreti *Auſtriaci* origines.

cello ſubtus eccleſiam, S. LAURENTIO Levitæ, & Martyri dicatam, exſtructa ſunt magnificentiſſima Regum *Hiſpaniæ* monumenta. Quæ cum non modo ortos ex Auguſta Gente *Habsburgo-Auſtriaca* Principes conditores habeant: ſed & multorum ex hac familia, aut ante conſtructionem vita functorum, aut poſtea illuc affatim delatorum, funera contineant, iure merito (licet noviſſimis temporibus etiam aliarum originum Regia corpora eodem conceſſerint) ſepulcreti *Auſtriaci* nomen accipiunt, & retinent. Quare nobis de iis nunc exponendum eſt. De monaſterio iſto, deque contentis illic ſepulturis, multi ſcripſerunt: nos in eodem deſcribendo *Franciſcum* DE LOS SANCTOS, eiusdem monaſterii alumnum, qui accuratam eius hiſtoriam anno 1657. *Madriti* in folio cum figuris edidit, ſequi ſtatuimus. Explicationem præterea eiusdem molis, *Belgice* ſcriptam, in manibus habemus, eaque etiam, quæ hac de re *Alvarez* de COLMENAR a) annotavit, nonnullique alii. Eorum igitur ductu cryptarum ideam, *Pantheique* ichnographiam fieri curavimus, ternis, quas hic exhibemus, tabulis comprehenſam.

a

Numerus, & ſitus cryptarum ſepulcral. ibid. TAB. LI.

II. Tres ſunt ſubterraneæ in dicto loco cryptæ: maior, atque auguſtior, æquali circuitu, maiori templi ſacello, in eoque ſtanti ſummo altari ſubiecta. Nomen huic *Pantheon* datur, quod in eam prope conſtructum ſit formam, qua olim *Romæ* rotundum illud templum, a M. VISPANIO AGRIPPA conditum, ac *Diis omnibus* dicatum, poſtea tandem a GREGORIO IV. P. Max. ſub nomine *Sanctorum omnium* chriſtiano ritu conſecratum. In eo falſis Deorum numinibus ſuum cuique certis locis ſignum ſtatuebatur. Simili fere modo hoc *Pantheon* in monaſterio *Scorialenſi* ſepeliendis Regibus, & Reginis *Hiſpaniarum* omnibus, quotquot locum habere poterunt, deſtinatum fuit. Verum id tamen proviſum, ut ne aliud unquam illic funus ſepulturæ honorem obtineat, quam aut Regis, qui dominatum tenuerit, aut Reginæ, quæ filium Principem ediderit, regni heredem, compotemque. Reliquis utriusque ſexus Principum, Reginarumque, virili ſtirpe carentium, funeribus duæ aliæ, itemque ſub terra altera alteri ſuperſtructa, & *Pantheo* adhærentes, cryptæ ſepulcrales conſtitutæ ſunt. Quoniam vero inferiori illarum nullum adhuc funus illatum fuit, idcirco in præſenti non niſi duæ cryptæ curam noſtram requirunt, maior ſcilicet, *Pantheon* dicta, & quam, a latere iunctam, minorem diximus.

Aditus ad cryptam, *Pantheon* dictam.

III. Ab introitu, ſeu veſtibulo *Panthei* ordimur. Cum primum ſacrario exitur, ad verſuram patentium orienti, & meridionali ſoli laterum templi, pervenitur ad arcum, leucophæo, quo & externum ædificium, lapide conſtructum. Is ianua clauditur, hebeneo, aliisque lignis, ex *India* advectis, ac muſivo, ſeu moſaico opere, ita vermiculatæ, ut tota compages, mirabili colorum varietate, oculos

a) *Delices de l'Eſpagne & Portugal.* tom. II. p. 253. ſeqq.

los intuentium oblectet. Limen adeunti in conſpectum venit ſcalarium, quod ſimili, ſed ſelectiori lapide conſtructum, ab ortu in magnitudinem ianuæ, ad ſex, & ſemis pedes latæ, & tredecim altæ, lumen accipit. Hoc deſcenditur duodecim gradibus in primam operis ſtationem: unde, cum ad ſiniſtram vertitur, iterumque tredecim gradibus deſcenditur, uſque ad pavimentum, marmore teſſellatum pervenitur. Ad hanc ſcalam inferiorem aditum aperit ianua ornatiſſima, ſexdecim, & ſemis pedum altitudine, ſex latitudine patens, cuius ſingulare ſchema tabula hac noſtra LI. exhibemus. Duæ columnæ ordinis *Romani*, ſtylobatis e metallo, & capitulis auro obductis, ornatæ, poſtium loco ianuam continent. Scapi columnarum, & antepegmenta, ex uno integri marmoris corpore conformata ſunt, circumdatoque ex inaurato ære cymatio expolita. Ipſum oſtium quatuor pedes patet, altum ſeptem, & ſemis, cancellisque, perquam affabre ex ære inaurato factis, claditur. Supra loricam, fronti cancellorum circumdatam, nigro lapidi polito, ex *Italiæ* finibus advecto, tres pedes alto, & quatuor lato, ſequens inſcriptio litteris aureis inſculpta eſt: TAB. LI.

D. O. M.
LOCVS SACER IMMORTALITATIS EXVVIIS
CATHOLICORVM REGVM
A RESTAVRATORE VITÆ, CVIVS ARÆ MAX.
AVSTRIACA ADHVC PIETATE SVBIACENT,
OPTATVM DIEM EXPECTANTIVM,
QVAM POSTHVMAM SEDEM SIBI ET SVIS
CAROLVS CÆSARVM MAX. IN VOTIS HABVIT.
PHILIPPVS II. REGVM PRVDENTISS. ELEGIT.
PHILIPPVS III. VERE PIVS INCHOAVIT.
PHILIPPVS IIII.
CLEMENTIA, CONSTANTIA, RELIGIONE MAGN.
AVXIT, ORNAVIT, ABSOLVIT.
ANNO DOM. M. D C. LIIII.

Binis vero ex metallo, auro incruſtato, concluditur cylindris, quibus dimidiæ humani corporis figuræ ſunt inſculptæ. Superiorem ſaxi partem coronis premit, cui frons incubat, æreis, auroque radiantibus bracteis veſtita. Ad utrumque latus totidem ſtatuæ ſplendent, æneo-inauratæ, in *Italia* multa arte conflatæ. Quæ ad dextram viſitur, naturam hominis, morti obnoxiam, ſeu humanæ magnitudinis vanitatem, luculenter adumbrat; ut cui corona de capite, ſceptro de manu cadente, flores e cornu copiæ eminentes, falce præſcinduntur. Scutum, ſiniſtræ inſertum, hoc in eam rem lemma præfert: NATVRA OCCIDIT. Alterum ſignum, ſpei ſimulacrum repræſentans, hiſce verbis inſcriptum eſt: SPES EXALTAT.

Tab. li. Quadripartita flamma, qua lampas in læva eius manu fulget, nos edocet: ſub frigidis etiam eorum cineribus, qui pro vera religione fortiter certarunt, ſpem ardere melioris, & æternæ vitæ. Inter duo hæc ſimulacra inſignia eriguntur regni *Hiſpanici*, lapillis pretioſis tanta colorum, & artis varietate compoſita, auroque & argento, ſicubi res exigit, interſtincta, ut neſcias, naturæ, an arti plus tribuas. Hac porta pervenitur ad ſcalas, in cryptam ducentes. Gradus ſunt tres ſupra triginta, omnes de marmore *Toletano*, & iaſpide, ceterum in tres ordines diviſi. Parietes, ſive intergeria, triplicibus regulis diſtincta, quadris de iaſpide, marmori incluſis, ac invicem oppoſitis exornantur, eadem arte fornice tabulas iaſpideas continente. Ab oſtio uſque ad primum interſcalarium tredecim deſcenditur gradibus, in cuius quatuor angulis totidem exſurgunt marmoreæ, ac iaſpide incinctæ columnæ parietinæ, quæ cum ſuperpoſitis duobus arcubus quamdam quaſi cellam efficiunt. Prope arcus, murum verſus, aſſurgit hemicyclus, figuram in conum rotundum cum duobus triquetris ex iaſpide, ſub uſque ianuam, ex rarioribus lignis confectam, complexa. De medio fornice illigatus globo ex ære inaurato lychnuchus, ex eadem materia affabre factus, dependet. Denique tredecim gradibus ad alteram deſcenditur aream, eandem cum priori formam habentem, niſi quod non prorſus regulariter quadrata ſit. Reliquis inde gradibus ſeptem ſuperatis, ad dextram imum eſt *Panthei* veſtibulum, quatuor angulatim diſpoſitis columnis inſtructum, quarum binæ priores, extremum ſcalarum fonicem ſuſtinentes, ex iaſpide ſunt: poſteriores binæ ex ære, auro linito, ianuam ſtipant, quam non minus, ac ſuperiorem inaurati ex ære clathri obretiunt.

Deſcriptio *Panthei* ipſius. Tab. lii. IV. Maioris cryptæ, ſeu *Panthei*, figura octangula, centum, & tredecim pedum continetur circuitu. Murus, qui admodum craſſus, in octo recedit cava, in quibus loculi, ianua, & altare conſiſtunt. Diagonalis, ſive media, ab una extremitate muri ad alteram excurrens linea, ſex, & triginta pedes adæquat- Altitudo, uſque ad ſummum fornicis verticem, continet pedes triginta octo, quorum duo & viginti ad circumdatæ loricæ crepidinem uſque pertinent, reliqui ſedecim ſuperius aſſurgunt. Pavimentum ſequenti tabula exhibetur, in ſpeciem ſtellæ formatum, cuius emblemata quadrangularia ex iaſpide, velut radii a centro in circulum marmoreum excurrunt: ipſum autem centrum ornatur figura roſæ, quæ lapillis varii coloris ita adumbrata, quaſi talem ipſa natura generaſſet. Circumcingitur pavimentum baſi marmorea, iaſpideis emblematibus, diverſi coloris, vermiculata, circumdata ex ære inaurata regula. In hac baſi circumſiſtunt ſedecim columnæ parietinæ, ordinis *Corinthiaci*, quarum quælibet quindecim, & ſemis pedes alta, unum cum dodrante lata, atque ita ſingula paria cohærent,

cohærent, ut vacua intercolumnia dictos muri receſſus, ſive cava efforment, quæ ex marmore pariter, æreisque, & auro inductis limbis, quadra concludunt. Materies his columnis eſt iaſpis, baſes, & capitula ex ære inaurato conſtant. Media altitudine columnarum genius conſpicitur alatus, tres pedes longus, ex ære quoque & auro bracteatus, ceream facem manu ſuſtinens. Epiſtylium columnis incumbit marmoreum, ære bracteato exornatum, eius zophoro pariter ex marmore gyris florum æreis ornatiſſime variato. Cum pari ornamento ſpectatur lorica, corona, & fornix. Ex utraque parte columnarum parietinarum inter binas continentur iſti, de quibus diximus, parietum receſſus. In horum uno excipitur ianua, quæ per ſcalas in cryptam ducit, ſolidi marmoris poſte, ære, & auro ornata, ad cuius latera duæ ſunt cavæ, frondibus ex iisdem metallis excultæ, hæ bina ex iaſpide de rubro vaſa luſtralia continent. Ad limen ſuperum in ipſo receſſu ſub epiſtylio binæ inſiſtunt tumbæ, reliquis loculamentis funereis accenſendæ. E regione ianuæ poſitum eſt altare. Reliqui receſſus loculamenta funerum excipiunt. Tholi fornix in altitudinem XVI. pedum exſurgit. In eo formati ex iaſpide in ſemicirculum arcus, ſex pedes alti, atque æreis cymatiis abſoluti. Supra ſingulos arcus eminent marmora triangula, gyros florum æreos inauratos introrſum exhibentia. Per binos arcus, ad Orientem vergentes, lumen admittitur, alius arcus feneſtram habet, per quam etiam ex æde ſacra lumen, cultusque Divini voces tranſeunt. Arcus illi, prioribus, lumen ab ortu accipientibus, oppoſiti, etiam aperti ſunt, lucemque duabus minoribus cryptis vicinis impertiuntur, reliqui vero integri, & continui, non niſi ad ædificii congruentiam faciunt. Supra ſedecim dictas columnas parietinas totidem exſurgunt quaſi coſtæ, ex iaſpide formatæ, latitudine inferius æquali, ſurſum vero ſenſim decreſcentes, in circulum iaſpideum deſinunt, atque octo, quibus diſtinguitur tholus, intervalla curvata includunt. Hæc intervalla marmore conteguntur, & gyris foliorum ex ſubaurato ære ornantur: infima diſtant ſingula octo pedes, ſumma vero in dictum circulum concurrunt. Circulus, ſuper quem fornix coit, circuitu continetur pedum duodeviginti, atque ipſe æreum in ſe globum inauratum continet, cui infixa eſt pertica ferrea, aurato ære obducta, multaque arte nitidiſſimum ſuſpendens lychnuchum. TAB. LII.

V. Qua de ſupra mentionem fecimus ara, ſic in crypta conſtituitur, ut ſtructuræ rotunditati plane non obſtet. Menſa, quam vocant, altaris latitudinem habet octo pedum, altitudinem trium cum dodrante, baſis pedes quatuor. Materies huic eſt lapis ex nigro fuſcus, cuius facies externa auro bracteata, & ſuperfuſis foliorum gyris ornata, lamina obducitur, in medio habente ſculpturam, ovatam anaglyphis, ſepulturam CHRISTI repræſentante. Retro Altare. TAB. LIII.

Tab. LIII. ſtat ſcamnum, ſimili opere, atque ara, confectum, cui imponuntur candelabra. Supra altare eriguntur duæ columnæ, tres pedes in cavum, ſive loculamentum muri recedentes, interque ſe pedes ſex remotæ, quæ utraque cum baſibus, & capitulis, undecim, ac ſemis pedes exſurgunt in altum, latitudine duum cum tribus partibus octavis. Scapi columnarum ex iaſpide *Genuenſi* viridi, guttisque albis perfuſo, perfecti ſunt, ſed ſtylobatæ, & capitula ex ære, auro incruſtato. Poſt has columnas binæ aliæ conſiſtunt pilæ iaſpideæ. Superiorum columnarum membra zophorus, trabeatio, omnia accurato ordine, & altitudine congruunt, eodem genere marmoris confecta, atque ornamentis pariter exculta ſunt. Supra trabeationem eminet tabula marmorea ſummam frontem rotunda, quæ media aream continet æream, aurea bractea obductam, cum inſcripto lemmate: RESURRECTIO NOSTRA: CHRISTUS nempe, ut cuius in intercolumnio pilarum, binis prioribus columnis poſtpoſitarum, ſub arcu marmoreo ſignum ex ære *Cyprio* fuſum, & auro opertum, cruci e marmore nigro affixum dependet, capitique ſuprapponitur titulus, litteris æreo inauratis, cruci adhærentibus. Laudatus ſupra COLMENARIUS mentionem etiam facit de cruce quadam, adamantibus, aliisque gemmis magni pretii diſtincta, omnium rerum in hoc loco pretioſiſſima habita.

Loculamenta funerea. VI. Inter hanc aram, & oſtium, ſex ſunt ex ambabus partibus loculamenta, ſive muri receſſus, cum altitudine, tum latitudine æquales. Singuli dividuntur in quatuor partes, ſive loculos minores, ſibi impoſitos, qui e marmore fuſco perfecti, cymatiis æreis inauratis, & cylindris utrinque exornantur. Singuli loculi continent arcas funereas ex optimo marmore, ſeptem pedes longas, tres altas, & æque admodum amplas. Hæc buſta quaternis quoque inſiſtunt pedibus leoninis e metallo inaurato. Impoſitæ illis arcæ marmoreæ, gyris foliorum æreis inauratis exornatæ, in medio ex eadem materia fabrefactos clypeos oſtendunt, in quorum areis inauratis litteræ nigræ nomen Principis, ibi quieſcentis, indigitant. Operimenta capulorum pariter marmorea paullulum excitantur, atque omni ex parte marginibus ex ære inaurato circumcluduntur, capuli porro funerum dicta ratione in ſingulis loculamentis quaterni, additis duobus, ſupra oſtium poſitis, numero ſunt ſimul ſex, & viginti. Ex hoc tam ſplendido, ac pretioſo ornatu facile percipitur ſepulturæ huius magnificentia, ubi omnia, maxime cum faces accenduntur, dulciſſima colorum varietate, politiſſimo marmore, iaſpide, auro, gemmis, fulgorem ſpargunt eximium. Quare hoc *Pantheon*, omni ætati mirandum, merito inter præcipua, quæ unquam *Europa* vidit, refertur *Auſtriacæ* Gentis monumenta.

Numerus funerum *Auſtria-* VII. PHILIPPUS IV. Rex *Hiſpaniæ*, cum anno 1655. abſolutum hoc *Pantheon* eſſet, multa pompa eo transferri curavit funera Maio-

Maiorum ſuorum: CAROLI V. nempe Imperatoris, PHILIPPI II. & III. Regum, nec non & uxorum eorum, ac inter eas & primæ ſuæ, ELISABETHÆ, novem ante annos defunctæ. In ea funerum translatione animadverſum, Cæſaris CAROLI V. corpus omnium minime fuiſſe corruptum. a) In ſitu funerum iam tum is ordo tenebat, ut Reges a cornu Evangelii, Reginæ a cornu Epiſtolæ, quæ vocamus, ſervata ſerie regiminis, & obitus, ſuis quisque loculamentis alteri ſuper alteros ita componerentur, ut funera maritorum e latere dextro, coniugum autem ex adverſo invicem reſpondeant. Siquidem vero ſupra §. II. notavimus, hoc monumentum Regibus tantum, & Reginis, Regum matribus, deſtinatum eſſe, ideo hic nonniſi quinque reperiuntur Regum *Hiſpaniæ*, ex Gente *Habsburgo-Auſtriaca*, funera, præter recenſitos nempe PHILIPPI IV. & CAROLI II. quæ quidem in duobus receſſibus, altari ad dextram proximis, ſeiunctis tamen, ut diximus, loculamentis, ſibi ſuperimponuntur. Ex adverſa parte compoſitæ ſunt prædictorum Regum uxores, ISABELLA *Luſitanica*, ANNA, & MARGARETHA, *Auſtriacæ*, ELISABETHA *Francica*, & MARIA ANNA *Auſtriaca*. De quibus omnibus nunc enucleatius ut agamus, inſtituti noſtri ratio exigit. *corum in Pantheo.* a

VIII. CAROLUM V. anno ſeculari 1500. *Gandavi*, nobili *Flandriæ* urbe, VI. Kal. *Martias*, die S. MATHIÆ Apoſtolo ſacra, ortum fuiſſe, plerique omnes tradunt: at annum biſſextilem haud obſervantes *Februarii* quartum, & viceſimum, ut videre eſt apud STRUVIUM b) PFEFFINGERUM c) ceteros, aſſignant, ſequens cum ſcribendus fuiſſet. Vidit tamen hoc, ſed non pervidit HEUTERUS, d) quando de CAROLO ait: „Sexto Cal. *Martii*, qui D. „MATHIÆ Apoſtolo tum erat ſacer, quod annus eſſet biſſextilis, „alioqui quinto Cal. fuiſſet, natus eſt *Gandavi*.„ Enimvero, etſi, ut videtur, quintum, & viceſimum eiusdem menſis diem in CAROLI V. Imp. nativitatis, b c d

men-

a) BAELIUS in *Dictionario Hiſt. crit.* voce CAROLUS p. 138. edit. *Gall.* quartæ, not. X. ex CASPARO de *Reies* hæc affert: „Cum nullis balſamis, aut medicamentis pollinctum fuerit regale cadaver, quæ a corruptione præſervare potuiſſent, ipſo Imperatore ſic ante obitum iubente, quid aliud dicere poſſumus, niſi eximium illius animi candorem, & virtutis ſplendorem, cuius ingens ſemper dedit ſpecimen, poſteris DEUM oſtendere voluiſſe? nam cum anno 14. ab illius obitu in cœnobio S. IUSTI corpus exhumaretur, non ſolum integrum, & incorruptum inventum eſt, ſed thymi quoque ramuſculi, quibus monachorum more reſperſum fuerat, virides, & optimum odorem adhuc ſpirantes, una apparuerunt. Anno 1656. (lege 55) cum potentiſſimi Regis noſtri PHILIPPI iuſſu anteceſſorum ſuorum Regia cadavera ad inſigne illud *Pantheonis* monumentum traducerentur, invictiſſimi Imperatoris CAROLI V. cadaver adhuc incorruptum repertum eſt, labe nulla, nulla temporis edacitate, aut putredinis carie infectum, ſpectaculum ſane mirificum, & plane admirandum, poſt annos 96. incorruptum permanſiſſe, ut tradit *P. F. Franciſcus* DE LOS SANCTOS. „

b) *Corp. Hiſtor. Germ.* tom. II. pag. 976. not. 1.

c) Lib. I. tit. V. p. 721. Addatur inſcriptio, in conclavi, ubi natus eſt, poſita, & a nobis tom. præced. P. II. p. 196. §. XLIII. adducta.

d) *Rer. Belg.* lib V. p. m. 245.

mente habuerit auctor, quintus tamen Kalend. *Martii* ſive anno biſſextili, ſive communi, nunquam non XXVI. eſt. Fruſtra igitur STRUVIUS loc. cit. *Gerardum* de Roo emendat, quintum, &
a viceſimum *Febr.* recte ponentem. a) Ex citatis auctoribus nonnulli nativitatem Principis propius definientes, eum hora tertia matutina felicis ſideris inſtar prodiiſſe, referunt. SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus* ſuis eidem horæ beſſem addit: inſcriptio, hic in calce pag. nota b. citata, de hora quarta matutina loquitur.

Mortisque epocha, IX. De tempore mortis magis convenit. Hanc enim an. 1558. XXI. *Sept.* honoribus S. MATHÆI Ap. dicato, in provincia *Extremadura*, non procul *Placentia*, in monaſterio S. IUSTI Ord. Eremitarum S. HIERONYMI, quo ſe poſt abdicationem regni, & imperii conferens, ad ſupremam luctam biennio fere præparaverat,
b accidiſſe, dubio caret. HEUTERUS b) tempus hoc magis diſtinguens, illam inter horam tertiam, & quartam, paullo ante auroræ
c ortum eveniſſe, refert: MINIANA c) nocte, diem S. Apoſtolo MATHÆO ſacrum antecedente, id quod eodem recidit, Apud MENLIUM diem eiusdem menſis XX. BEYERLINCKIUM XXI. *Octobris* MATENESIUM XXI. *Decembris*, ut tradit SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus*, ponentes, mendum librariorum obverſari, haud ambigimus.

Resque, illam circumſtantes. X. De rebus, mortem eius circumſtantibus, e multis audire iuvat MINIANAM: „Cum enim per biennium (inquit) quod mortem præceſſerat, placando numini totum ſe addixiſſet, ſibi adhuc viventi ſuprema officia repræſentari, ſuoque ipſe funeri intereſſe voluit atratus; itaque monachis immiſtus mortuale ſacrum canentibus, æternam ſibimet requiem tamquam depoſito inter ſedes beatas apprecatus fuit, maiori circumſtantium luctu, quam cantu; & genibus nixus ſummo rerum conditori animam ſuam humili precatione commendavit. Inde inter gementium famulorum manus in cellam relatus, poſtera die iam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius ſentire principia cœpit valetudinis. Ceſſerant enim articularis morbi ſenſus: retractumque intra viſcera ſævum virus in tertianam febrim eruperat; quod emittere gemina ſectione venæ cum ſtudent inani ſollicitudine medici, quotidiana cœpit vehementius iactari. Ea vires paullatim exedente, ad extremum deploratur. Haud tamen ea re viſus eſt commoveri. Animi ſordes per confeſſionem eluit; ac Divina paſtus victima, in hæc verba prorupit: *In me mane, dulciſſime* IESU, *ut ego in te maneam.* Deinde ad ſupremam luctam ſacro inunctus oleo, ut ſe deficere ſenſit, CHRISTI cruci affixi, quam ſinu fovebat, effigiem altera manu

a) Lib. XI. p. 412. ſeq.
b) Loc. cit. lib. XIV. ad an. 1556. p. 689.
c) *Cont.* MARIAN. lib. IX. p. m. 216.

nutenens, altera cereum accenſum, eorum, quæ commiſerat, veniam cum ab arbitris voce flebili, tum a divino numine ardentiſſima oratione poſtulavit. Dum autem opportuna ſuppeditantur luctanti animæ adiumenta, abeuntemque hoſpitem religioſorum cœtus ire felicem aſſidua precatione iubet, nocte, diem S. MATHÆO Apoſtolo ſacrum præcedente, ſuprema voce IESUM invocans, placide exceſſit, invicti prorſus corporis, & animi Princeps, virtute & pietate nulli ſecundus.„

Corpus ubinam primum depoſitum?

XI. Corpus inde *Granatam Bæticam* translatum, iuxta matrem IOANNAM, avumque FERDINANDUM, ſepultum fuiſſe, MASENIUS a) ex SPONDANO ſciſcit, addens: illud ſubinde a PHILIPPO II. *Hiſpaniarum* Rege, CAROLI filio, *Pantheo* eſſe illatum; cum id a PHILIPPO IV. eius abnepote, primum factum fuiſſe, cum aliunde, tum ex inſcriptione, ſupra adducta, conſtet. Idem tamen etiam HEUTERUS, b) Scriptor coævus tuetur. Quin & STRUVIUS, epitaphium, invita minerva ibi poſitum, ex BAUDARTIO affert, in hæc verba:

a

b

HIC IACET INTUS CAROLUS QUINTUS
ORA PRO EO BIS, VEL TER, AVE MARIA, VEL PATER NOSTER.

Verum multo maiorem meretur fidem Scriptor *Hiſpanus*, MINIANA, quanquam HEUTERO multo inferior, ubi ſupra, dicens: „Ceterum procurato funere, CAROLI cadaver loculo plumbeo incluſum, ſub ara maxima eiusdem templi *Hieronymiani* depoſitum fuit, & poſt non multos annos in D. LAURENTII ad *Eſcurialem*, regium mauſoleum, illatum.„ Præterea corpus eius anno poſt obitum XIV. exhumatum atque inde haud dubie in monaſterium *Eſcurialenſe* deportatum, inque loco, donec *Pantheon* perficeretur, depoſitum fuiſſe, ex ſupra §. VII. not. a. adductis CASPARI de *Reies* verbis colligimus, aſſeritque præterea FRANCISCUS *de los Sanctos*.

Elogia, & exequiæ.

XII. Nimii eſſemus, ſi epitaphia honoraria, epicedia, aliaque eiusmodi honoribus CAROLI V. dicata, hic in unum colligere adniteremur. c) Parentatum eſt ei non ſolum in *Hiſpania*, ubi diem obiit, ſed in omnibus fere celebribus *Germaniæ*, *Belgii*, & *Italiæ* urbibus. Extat libellus ſingularis, *de exequiis* CAROLI V. *quas* FERDINANDUS *fratri ſuo Auguſtæ Vindel. fecit fieri. Auguſtæ* 1559. in forma quadruplicata editus. Habitæ etiam inter ceteras ſunt exequiæ magna, & exquiſita pompa a PHILIPPO filio *Bruxellis*, quas triginta duobus tabulis æneis, quæ præ manibus ſunt, in folio excudit *Henricus* HONDIUS an. 1619. *Hagæ Comitum*. Caſtrum doloris, eiusdem iuſſu *Neapoli* exſtructum, copioſe

c

a) *Anima hiſtor. huius temporis* lib. VII. p. 403.

b) Loc. mox cit.

c) Extant orationes funebres, nec non carmina, & epitaphia, honoribus CAROLI dicata, in ſupra memorata collectione *Francofurtana*, a viris doctis conſcripta.

a ſe deſcribit SUMMONTIUS, a) additis eius inſcriptionibus, quas, quamvis Cæſaris facta magna ex parte, ac luculenter exprimant, prætereundas tamen duximus. Primam duntaxat, ſpeciminis loco hic dare, iuvat.

DIVO CAROLO V. IMP. CÆS. AUG. OPT. MAX. INVICTISSIMO, GALLICO, ITALICO, INDICO, TURCICO, AFRICANO, GERMANICO, NOVI ORBIS REPERTORI, VICTORI ET TRIUMPHATORI FELICISSIMO, DIVINA MENTIS VIRTUTE, ANIMI ALTITUDINE, RERUM FELICITATE, SIC SUPRA MORTALIUM SORTEM SUMMO, UT HIS VERE INAUGURATUS, IN IPSIS SUÆ ÆTATIS FLORESCENTIBUS PRIMORDIIS PRINCIPUM ELECTORUM IUSTIS COMITIIS IMPERATOR ELECTUS SIT, QUEM POSTEA CLEMENS VII. ADDUCTUS IPSIUS GLORIOSI TOTO VITÆ SUÆ CURSU NOMINIS MAIESTATE, RERUM, PACE, ET BELLO GESTARUM MAGNITUDINE, BONONIÆ CONSECRAVIT, CORONAQUE IMPERATORIA INSIGNIVIT. PATRI SUPRA OMNES CÆS. AUGUSTISS. IN HISPANIA E TERRIS SUBLATO, REX PHILIPPUS FILIUS, CUM APUD BELGAS ESSET, HUNC TUMULUM NEAPOLI ERIGENDUM, IUSTAQUE EXEQUIARUM IMPERATORIO MORE

F. I.

Epitaphium a IOANNA *Luſitana*, filia eius, poſitum.

XIII. Omitti tamen haud debet epitaphium, eidem a IOANNA filia, *Luſitaniæ* Principe, poſitum, quod ex GUICCIARDINO eductum, in monaſterio S. LAURENTII *Scorialenſi* extare, affirmat PFEFFINGERUS ad VITRIARIUM, laudato tamen FRANCISCO nullam eius mentionem faciente. Reperitur quoque in *relatione hiſtorica Torquatorum aurei velleris*, b) non tamen ſine mendo, præſertim vero in *tabula chronologica Ducum Lotharingiæ, Brabantiæ,* c d *Limburgi* &c. c) & PFEFFINGERO. d)

D. OPT. MAX. S. 1)

D. CAROLO. V. IMP. AVG. MAX.

INDICO. TART. 2) AFRIC. GERM.

HISPANIÆ. SICILIÆ. ET INDIARVM. REGI.

P. P. PRINCIPI. POTENTISS. ET INVICTISS.

SACRI. IMPERII. LIBERATORI.

FVNDATORI. QVIETIS.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. ACERRIMO. PROPVGNATORI.

IVSTITIA, ANIMI MAGNITVDINE, PRVDENTIA, RELIGIONE, CLEMENTIA, PATIENTIA, 3)

ALIISQVE INSIGNIBVS VIRTVTIBVS

LONGE ORNATISSIMO.

QVI

a) *Hiſtor. Neap.* tom. IV. p. 209.
b) Edita *Vindobonæ* 1728. fol.
c) Edita *Mechliniæ* 1669. 4. p. 20. ſeqq.
d) Lib. I. tit. V. p. 738. unde variantes lectio-

QUI POST INGENTES VBIQVE TERRARVM PARTAS VICTORIAS
ET CLARISSIMOS DE GALLO, TVRCA, AFRIS, ITALIS. 4) GERMANIS.
ACTOS TRIVMPHOS
TOT 5) MVLTIS INDIÆ PROVINCIIS
ET INSVLIS ETIAM PRISCIS INCOGNITIS,
PER LEGATOS MAGNO REIP: CHRISTIANAE ORNAMENTO
INVENTIS ATQVE LVSTRATIS:
DENIQVE POST FELICITER ADMINISTRATAM ET PRVDENTER CONSTITVTAM
REMP.

PHILIPPO FILIO
TOT AMPLISS. HISPAN. REGNIS, FLANDRIÆ, ET ALIIS PROVINCIIS
INAVGVRATO:
RELIGIONE DVCTVS
EX FLANDRIA IN HISPANIAM TRAIECIT.
SEQVE IN IVSTVM HIERONIMIANI ORDINIS COENOBIVM
ÆDIBVS ILLIC IVSSV EIVS CONSTRVCTIS,
RECEPIT:
VBI RELIQVVM VITÆ,
QVOD VIX BIENNIVM FVIT,
TRANQVILLISSIME EGIT ET SANCTISSIME
OBIIT XI. KAL. OCTOB. M.D.LVIII.
IOANNA LVSITANIÆ PRINCEPS, HISPANIARVM GVBERNATRIX.
PATRI OPT. ET MAX. P.
VIXIT ANN. LVIII. MEN. VI. DI. 6) XXVII.
IMPERAVIT ANN. XL. REGNAVIT ANN. XLIII.

XIV. In choro Eccleſiæ Cathedralis *Antverpienſis* circum altare maius, ubi olim Principibus *Belgii* parentatum eſt, hæc inſcriptio a) legebatur: Nec non & ab *Antverpianis.*

a

D. O. M.

D. CAROLO V. M. IMP. AVG. POTENTISSIMO, QUI CUM ANN. XXXIX. SUMMA CUM LAUDE RERUM GUBERNACULA TENUISSET, TANDEM MAXIMIS TERRA MARIQUE PARTIS VICTORIIS, POST ABDICAT. IMPERIUM, ÆTATIS ANNO LVIII. IN DIVOS RELATUS EST DIE XXI. SEPTEMBRIS ANNO CHRISTI M. D. LVIII.

S. P. Q. A. HONORIFICENTISS. HIC PERSOLUT. IUST. BENE MERITO GRATITUDINIS ERGO DIC.

Edidit hanc ipſam inſcriptionem *Io.* TONIOLA, b) ubi tamen pro POTENTISSIMO legens P. P. annum etiam mortis MD LXXXVIII. mendoſe profert.

b

XV.

nes depromere viſum eſt. 1) Ap. eund. legitur D. O. M. S. 2) Tart. ille *Turc.* 3) Patientia. apud eund. *Pietate.* 4) Italis ibi deeſt. 5) tot. ille *tam.* 6) di. idem *dies*, ſicut & alia plura verba intergre exprimit.

a) Vid. *Le Grand theatre Sacré de Brabant* tom. II. P. I. p. 32. col. 2.

b) *Baſil. Sepult.* in append. p. 58.

PHILIPPI II. fata,

XV PHILIPPUM II. CAROLI V. Imp. filium, *Valliſoleti* anno 1527. XXI. *Maii* primam lucem aſpexiſſe, ſatis convenit inter
a Scriptores. Biographus eius, *Gregorius* LETI, a) id ſub crepuſculum eveniſſe, refert: LEQUILEUS contra, GANSIUS in *Arboreto*, ac SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus*, hora ſecunda pomeridiana cum minutis octo, & quadraginta. Tempus fatale æque dubio caret, annumque 1598. diem vero Dominicam, XIII. *Sept.*
b idem LETUS, b) ſuffragantibus aliis, ſtatuit. Addit hic, id ſole ad meridiem properante, accidiſſe; at vero Excellentiſſ. KHEVEN-
c HILLERUS c) qui res, mortem PHILIPPI circumſtantes, fuſe deſcribit, horam quintam matutinam ponit. Cui quidem vel ideo etiam magis accedendum putamus, quod rei omni, ipſomet teſte, ipſe interfuerit. Obiit in monaſterio *Scorialenſi*, quo ſe, cum lenta febri per triennium exeſus, & doloribus arthritidis, morbi fami-
d liaris, ut ait MINIANA, d) excruciatus fuiſſet, accedente demum hydrope deferri voluit. Exceſſit autem, multis pœnitentiæ, ac Chriſtianæ pietatis editis ſignis, quæ ſingula illi fuſe proſequuntur. Errant tamen, cum nullum *Auſtriacæ* Domus Principum eius ætatem, ſupra primum ſcilicet, & ſeptuageſimum annum, attigiſſe, docent; cum illam certe RUDOLPHUS I. ac multo magis FRIDERICUS *Placidus* Impp. ſuperaverint. Ceterum poſt exequias, quæ moderatæ fuere, & ſacra mortualia, inter gemitus, & lacrymas
e peracta, corpus, ut iterum ait MINIANA, e) nullis differtum odoribus, nec pollinctoris opera attaminatum, ſicut ipſe edixerat, plumbeo loculo incluſum fuit, tumuloque Regio illatum, ſuo tempore, ut ſupra diximus, in *Pantheo* deponendum.

Ac inſcriptiones.

XVI. Quemadmodum PHILIPPO ſecundo, iuſſu PHILIPPI III. filii, & ſucceſſoris eius, variis in locis magnificæ, teſte laudato MINIANA, exequiæ habitæ, ita & eidem inſcriptiones, ac epitaphia
f honoraria poſita fuere. Horum *Magnum theatrum Brabantiæ*, f) ut & ex parte SWERTIUS, ac TONIOLA duo affert.

D. O. M.

DIVO PHILIPPO II. CATHOLICO HISPP. INDIARUMQUE REGI, TOTIUS ORBIS MONARCHÆ POTENTISSIMO, QUI MAXIMIS REBUS TERRA MARIQUE GESTIS, IMPERIO AMLPISS. LUSITANIÆ REGNIS AUCTO, AC BELGICIS PROVINCIIS ISABELLÆ FILIÆ IN DOTEM CUM ALBERTO AUSTRIACO DATIS, ÆTATIS LXXI. INTER VIVOS ESSE DESIIT IDIB. SEPTEMB. CIↃ. IↃ. IIC.

S. P. Q. A. CELEBRATIS HIC HONORIFICE (EXEQUIIS) PIÆ ET ÆTERNÆ MEMORIÆ CONSECRAVIT.

Alterum

a) *Vie* de PHILIPPE II. tom. I. lib. IV. p. m. 128.
b) Idem ibid. tom. VI. lib. XX. p. 385.
c) *Annal. Ferdin.* tom V. col. 2025. ſeq.
d) T. IV. Lib. X. cap. XIV. ineunte, pag. 404. ſeq.
e) Ibid. p. 406.
f) Loc. cit. p. 33. col. 1.

Alterum *Sylvæ ducis* in primario D. IOANNIS *Evang.* templo poſitum, ſic habet:

MEMORIÆ SACR.
DIVO PHILIPPO II. INVICTISS. HISPP. REGI CATHOLICO, D. CAROLI V. IMP. SEMPER AUG. FILIO UNICO, BRABANTIÆ DUCI INCLYTO, PATRIÆ HUIUS PROTECTORI CLEMENTISS.
S. P. Q. SYLV.
MOERORE PERFUSI, PIETATIS ET OBSERVANTIÆ GRATIA VIII. NOV.
AN. CIↃ. IↃ. XCVIII. P. C.
QUA MICAT EOUS, REGIA FAMA VOLAT.

XVII. PHILIPPUM III. PHILIPPI II. ex ANNA *Auſtriaca*, coniuge quarta, filium, anno 1578. die XIV. *Aprilis* hora ſecunda antelucana *Madriti* natum fuiſſe, Excellentiſſ. KHEVENHILLERUS, in opere, quo Imperatorum, Regum, ac Principum effigies exhibet, a) aſſerit: in *Annalibus* contra *Ferdinandeis* b) diem præcedentem ponens. Quæ res Lectores dubios reddere poſſet, niſi diem priorem etiam VASCONCELLUS, VERNULÆUS, GANSIUS, PIESPORDIUS, MATENESIUS, ac *Iacobus* STRADA apud SCHOENLEBENIUM in *ephemeridibus*, ac præſertim ſupra laudatus FRANCISCUS *de los Sanctos*, aſſignarent. Mortem oppetiit in eodem nativitatis loco, die vero XXXI. *Martii* an. 1621. morbo, quem primo periculoſum eſſe, nemo unus putabat, nec niſi pro pituita habitus erat, dierum triginta trium exantlato. Eius circumſtantias idem Excellentiſſimus KHEVENHILLERUS fuſius deſcribit. Defuncti corpus die tertia *Aprilis* in *Scoriale* delatum, ac in crypta Regum maiori conditum eſt, eodem FRANCISCO teſte. In errore itaque BIRCKENIUS, & COLMENARIUS verſantur, quorum ille, aut certe oſcitantes typographi, obitum eius ad XXX. *Martii*, alter vero ad an. 1620. reponit. Inſcriptiones eidem *Mediolani*, cum exequiæ eius haberentur, poſitas affert *Emanuel* THESAURUS, c) quas, cum præter verba nihil contineant, prætermittendas duximus. Philippi tertii, a b c

XVIII. PHILIPPUM IV. anno 1605. die VIII. *Aprilis*, in die Paraſceves *Valliſoleti* ortum fuiſſe, laudatus KHEVENHILLERUS d) aſſerit, correſpondentibus eius temporis monumentis aliis. LEQUILEUS id hora nona, minutis 38. SCHOENLEBENIUS minutis 37. pomeridianis eveniſſe, ait, cum contra idem Excell. Comes minus anxie mediam decimam memoret. Debitum naturæ ſolvit *Madriti* anno 1665. XVII. *Sept.* horam inter quartam, & quintam matutinam, die Dominica illuceſcente, arthritide, ac ad ultimum hæmophthyſi conſumptus. e) Inſcriptiones, eius honoribus *Antverpiæ* in æde Cathedrali die XVIII. *Decembr.* anno 1665. quo ſolemnes Et Quarti fata. d e

a) Tom. I. pag. 131.
b) Tom. I. p. 9.
c) Edit. *Francofort.* 1715. p. 1.
d) *Conterfet, und Kupferſtich* tom. I. p. 131.
e) Vid. *Theat. Europ.* P. X. ad an. 1665. p. 81.

ſolemnes eius exequiæ celebrabantur, dicatas, in memorata *tabula Chronologica Ducum Lotharingiæ*, *Brabantiæ* &c. leguntur. Eas tamen, quamvis eleganti *Gaſparis* GEVARTII ſtilo expreſſas, ex adductis cauſſis prætermittimus.

Nec non CAROLI II.

XIX. Poſtremus tandem *Hiſpaniæ* Regum, ſanguine *Auſtriaco* ſatorum, ſurculus in magnificam hanc cryptam conceſſit CAROLUS II. natus die VI. *Nov.* an. 1661. a) denatus primo eiusdem, anno ſeculari 1700. inter horam ſecundam & tertiam pomeridianam. b) Caſtrum doloris, eidem inter multa alia, alibi ſtatuta, *Vindobonæ* erectum, Auctor *Theatri Europæi* deſcribit, adductis etiam inſcriptionibus. c) Corpus eius, aromatibus infartum, VI. *Novembr.* eadem die, & hora, qua ante novem, & triginta annos lucem aſpexerat, in *Pantheo* depoſitum fuit.

ISABELLA, CAROLI V. uxor.

XX. Numerus Reginarum, ad ſiniſtram aræ, ut diximus, ſitarum, ad quinarium omnino redit. Prima ISABELLA, EMANUELIS, *Luſitaniæ* Regis, ex MARIA, coniuge ſecunda, filia: teſte FRANCISCO *de los Sanctos*, *Ulyſſiponæ* prognata, d) CAROLI V. uxor erat. Eam *Toleti* ipſis Kal. *Maii* an. 1539. ex partu obiiſſe, fœtu melioris ſexus haud vitali edito, MINIANA e) refert: ſecus ac *Pontus* HEUTERUS, f) filium hunc paucis diebus ſupervixiſſe, aſſerit. Iuſtis illi, ut ait MINIANA, magnifico, ac vere Regio apparatu perſolutis, corpus magna pompa ad mauſoleum *Granatenſe*, dum *Pantheon* perficeretur, delatum eſt, funus proſequentibus FRANCISCO BORGIA, *Gandiæ* Duce, aliisque viris Clariſſimis, id quod illi ſanctioris poſtea vitæ occaſionem dedit.

ANNA *Auſtriaca*, PHILIPPI II. uxor.

XXI. Hanc excepit ANNA *Auſtriaca*, MAXIMILIANI II. Imp. filia, ac PHILIPPI II. uxor quarta. De ortu eius iuvat hic audire MENLIUM coævum, ac de eiusdem Cæſaris progenie data opera agentem. „Nata eſt (inquit) ANNA, MAXIMILIANI II. Rom. Regis, primogenita filia, *Zigaliæ* in *Caſtilia*, *Hiſpaniæ* regno, anno 1549. menſ. *Novemb.* die ſecunda, die SATURNI, nocturno tempore, uno horæ quadrante ante primam, in ſigno arietis, baptizata die tertia eiusdem menſis a Rev.mo Epiſcopo *Lugenſi*. Compatres fuere Marchio de *Tobarra*, Comitiſſa de *Farro*, & POLIXENA *Laſſa*, eiusdem Regiæ infantis ANNÆ ſuprema aulæ Præfecta: „ Temporibus illis æqualem fuiſſe auctorem (cuius libellus de poſteris MAXIMILIANI II. Imp. num editus ſit, nec ne, adhucdum dubitamus) ex verbis eius conſequentibus patet: „ Nupta eſt (ait) „ potentiſſimo *Hiſpaniarum* Regi PHILIPPO an. 1571. Suſcepit „ ex eo utriusque ſexus liberos, de quorum ominibus, & tempore nativi-

a) *Theatr. Europ.* P. IX. ad. h. a. pag. 479.
b) Idem P. XV. pag. 825. WAGNER. *Hiſtor.* LEOPOLDI *M. Cæſ.* tom. II. lib. X. p. 562. eum hora ſecunda obiiſſe, meminit.
c) Loc. cit. p. 826.
d) Loc. cit. Add. *Duard. Nonius* LEO, de *vera Regg. Portugalliæ Genealogia. Hiſpan. Illuſtrat.* tom. II. p. 1269.
e) Lib. III. cap. VII. p. m. 113.
f) *Rer. Belg.* lib XI. p. m. 512.

„nativitatis mihi nondum conſtat, ſed ſciri propediem poterit.„ MENLIO adſtipulatur laudatus FRANCISCUS *de los Sanctos*, ac nonnulli alii. Maligna febri correpta, e vita abiit ſeptimo, & viceſimo *Octobr.* anno 1580. corpore eius, iuſſu PHILIPPI, ad *Eſcuriale*, MINIANA referente, a) delato, id quod XI. *Novemb.* factum fuiſſe, FRANCISCUS *de los Sanctos* aſſerit, addens, eam XXVI. *Octobr.* obiiſſe, veriſimilius utique; quando eundem diem auctor omni exceptione maior, KHEVENHILLERUS b) quoque ponit, addens & horam, ſextam ſcilicet inter & ſeptimam matutinam. Idem præterea mortis cauſſam in pituitam, haud dubie ſuffocativam, reiicit, vigiliis & ærumnis, mariti cauſſa, paullo ante graviter decumbentis, contractam, immo & precibus etiam ad cœlum emiſſis, quibus inſtabat, ut, ſi ex inſcrutabili Divinæ voluntatis arbitrio Regi moriendum eſſet, id ſibi ipſi potius contingeret. In errore igitur verſatus BUDÆUS, mortem eius ad XVII. *Novembr.* anni 1581. reiiciens. c)

a
b
c

XXII. Tertio loculamento quieſcunt oſſa MARGARITHÆ, CAROLI Archiducis filiæ, ac PHILIPPI III. coniugis unicæ. Hæc *Græcii* in *Styria* primam aſpexit lucem XXV. *Decembr.* anno 1584. MENLIUS de ea breviter his verbis: „MARGARITHA nata eſt „*Græcii* an. 1584. XXV. *Dec.* Compatres fuerunt ERNESTUS, „Archiepiſcopus *Colonienſis*.„ Reliqua tacet. At laudatus KHEVENHILLERUS d) nativitatis tempus propius definit: eam eodem anno, & die, uno cum dimidio horæ quadrante poſt nonam matutinam in lucem editam, perſcribens. Diem ſupremum clauſit in monaſterio *Scorialenſi* III. *Octobris*, magno totius *Hiſpaniæ* luctu, an. 1611. inter horam 8. & 9. matutinam; cum ex partu laboranti febris acceſſiſſet, teſte eodem. e) Hanc ipſam epocham etiam excitatus FRANCISCUS cum pluribus aliis tuetur. Quare deſcriptionem *Scorialenſis* monaſterii *Belgicam*, MARGARITHÆ natalem ad XV. *Decembr.* nec non COLMENARII *delicias Hiſpanicas*, diem fatalem ad XXVI. eiusdem menſis reponentes, deferere cogimur.

MARGARITHA *Auſtriaca*, PHILIPPI III. uxor.

d
e

XXIII. Quartus capulus reliquias ELISABETHÆ, ſeu ISABELLÆ *Francicæ*, PHILIPPI IV. uxoris primæ, continet. Filia erat HENRICI IV. ex MARIA de *Medices* die XXII. *Nov.* an. 1602. exorta, teſte LEQUILEO, ac VERNULÆO: licet alii annum ſequentem ſtatuant. Ad ſuperos evolavit in regia *Madriti* die VI. *Octobris* anno 1644. corpore poſt biduum in *Scorialenſe* cœnobium delato. Sola hæc eſt inter Reginas, quæ, etſi regno ſucceſſorem haud dederit, ſepulturam tamen in *Pantheo* nacta eſt. Verum cum ante BALTHASAREM CAROLUM, regni ſucceſſorem deſignatum,

ISABELLÆ *Valeſiæ*, PHILIPPI IV. uxoris primæ, fata.

a) Lib. VIII. cap. VI. p. 326.
b) *Annal. Ferdinand.* tom. I. col. 159.
c) *Thanatologiæ* p. 255. inter LEUCKFELD. *rer. Germ. Scriptor.*
d) Loc. cit. tom. II. col. 319.
e) Loc. cit. tom. VII. col. 417.

gnatum, obierit, id ei hunc honorem conciliare poterat, etſi ille præcoci morte ante patrem ſublatus, ad coronam haud pervenerit.

Ac denique MARIÆ *Auſtriacæ*, PHILIPPI IV. uxoris ſecundæ.

XXIV. Ultima tandem ex *Habsburgo-Auſtriaco* ſanguine quietis locum in magnifico hoc ſepulcreto conſecuta eſt MARIA ANNA IOSEPHA, FERDINANDI III. Imp. filia, PHILIPPI IV. coniux altera, ac CAROLI II. *Hiſpan.* Regis, mater. De ea LEQUILEUS his verbis: „Nata eſt an. 1635. XXIV. *Decembris Neoſtadii*, baptizata a FRANCISCO de *Dietrichſtein*, Cardinale: patrini fuerunt LEOPOLDUS GUILIELMUS, Archidux, & ſorores regiæ. „An. 1649. ut A. A. nupſit PHILIPPO IV. *Hiſpaniarum* Regi. „Mortua eſt an. 1696. die XVI. *Maii Madriti*, ſepulta in *Eſcuriali*.„ Quæ ſingula cum monumentis eius temporis recte conveniunt.

Statuæ, & inſcriptiones, in *Scorialenſi* templo poſitæ.

XXV. Antequam hinc diſcedamus, de ſtatuis & inſcriptionibus, in *Scorialenſi* templo poſitis, nonnihil memorandum eſt. In medio nempe ſacelli, quod ea ex parte oratorii regii ſitum eſt, ubi Evangelium legitur, quinque cernuntur ſtatuæ ex metallo, ad ignem ſubauratæ, iuſtam viri magnitudinem excedentes. Prima invictum Monarcham CAROLUM V. Cæſarem, ornatu Imperatorio, ſed inoperto capite, amictum, ac in genua provolutum ſimulat. Ad eius dextram pari modo locatæ ſunt ſtatuæ uxoris eius ISABELLÆ, & filiæ MARIÆ. Ad ſiniſtram, eodem ſitu, comparent Reginæ *Franciæ*, & *Hungariæ*, ELEONORA ſcilicet, & MARIA, eius ſorores. Hæ porro ſtatuæ univerſim ita diſpoſitæ ſunt, ut de altari, uno ſitu, ſingulæ diſcerni poſſint. In intercolumnario autem, quod poſtes inter, & murum eſt, litteris ex metallo inauratis nigro marmori inſcriptum legitur:

D. O. M.
PHILIPPVS II. OMNIVM HISP. REGNOR.
VTRIVSQVE SICILIÆ ET HIEROS. REX CATH.
ARCHIDVX AVST. IN HAC SACRA ÆDE
QVAM A FVNDAM. EXTRVXIT. SIBI. V. P.

In ea parte, quæ proxime a principe ara cernitur vacua, ſequens inſcriptio eſt exarata:

HIC LOCVS DIGNIORI INTER POSTEROS
ILLI, QVI VLTRO AB EO ABSTINVIT,
VIRTVTIS ERGO ASSERVATOR.
ALTER IMMVNIS ESTO.

Epitaphium vero, a PHILIPPO II. patri, CAROLO V. Cæſari, poſitum, huius eſt ſententiæ:

D.

D. O. M.
CAROLO V. ROMAN. IMP. AVGVSTO
HOR. REGNORVM. VTR. SIC. ET HIERVSALEM REGI
ARCHIDVCI. AVSTRIÆ. OPTIMO. PARENTI.
PHILIPPVS FILIVS.
IACENT SIMVL ELISABETHA VXOR ET MARIA
FILIA IMPERATRICES, ET LEONORA, ET
MARIA SORORES, ILLA FRANC. HÆC
VNGARIÆ REGINA.

Prope aram principem verſus murum marmori inſcriptum legitur:

HVNC LOCVM SI QVIS POSTER. CAROLO V.
HABITAM GLORIAM RERVM GESTARVM
SPLENDORE SVPERAVERIS, IPSE SOLVS
OCCVPATO. CETERI REVERENTER ABSTINETE.

In loco, huic vicino, alia inſcriptio ita habet:

CAROLI V. IMPERATORIS STEMMATA
GENTILITIA PATERNA: QVOD LOCVS COEPIT
AVGVSTIOR: SVIS GRADIBVS DISTINCTA
ET SERIE.

Denique retro ſtatuas in parte, eccleſiam comminus attingente, nigro in marmore ſequens legitur inſcriptio:

PROVIDA POSTERITATIS CVRA IN
LIBERORVM NEPOTVMQVE GRATIAM ATQVE
VSVM RELICTVS LOCVS POST LONGAM
ANNORVM SERIEM CVM DEBITVM NATVRÆ
PERSOLVERINT OCCVPANDVS. a) a

CAPUT IV.

DE ALTERA AUSTRIACORUM PRINCIPUM IN REGIO SCORIALENSI MONASTERIO CRYPTA, PANTHEO CONTIGUA.

§. I.

Alterius cryptæ minoris in *Eſcuriali* delineatio. TAB. LI.

Aſcendentibus ex *Pantheo* ſeptem gradibus ad alteram ſcalæ areolam duo occurrunt oſtia, quorum quod ſiniſtrum eſt, per porticum, ſedecim pedum longitudine procurrentem, in cellam feralium ducit, æquali longitudine, & latitudine triginta pedes patentem. Altera ianua ad dextram intratur ad ſepulturas Principum utriusque ſexus e familia regia, ac primum quidem in cryptam

a) In deſcriptione *Eſcurialis Hollandica* pag. 12. Add. *Ioſephi* MORILLI deſcript. civitatis *Neapol.* p. 47.

cryptam cameratam, triginta ſex pedes longam, latam ſedecim, totidemque altam. In eius extremitate aſcenditur cochlea, quatuor, & viginti graduum, extra angulorum verſuras octo pedes procurrente, in cameram, inferiori æqualem, ſepulturæ eorum funerum, quæ in *Pantheo*, ut diximus, componi non ſolent, deſtinatam. Parietes huius cryptæ in tres loculamentorum ordines diſtribuuntur. Pavimento undique circumfertur podium marmoreum, iaſpide interſtinctum, in quo conſiſtunt ſigna humana figuræ dimidiatæ, trina invicem ſibi ſuperpoſita, baſibus, & capitulis inauratis, exeuntia in globos aureos. Singula capulorum funereorum loculamenta, inter quæ dictorum triplicatorum ſignorum columnæ erectæ, quæque, FRANCISCO de *los Sanctos* auctore, numero LI. ſesqui tertios pedes alta ſunt, & octo pedes in murum recedunt. Unumquodque etiam, inaurato clypeo præditum, illati funeris nomen oſtendit. E regione ianuæ in eodem podio ſtant duæ columellæ, quæ ſimul cum frondibus, & coronis, altitudinem fornicis æquantes, picturam inter ſe concludunt, imaginem CHRISTI Servatoris, de cruce pendentis, repræſentantem. Etſi vero non alius ſit huius cameræ ornatus, quam parietum candor, omnia tamen eleganter, & pro Regio monumento magnifice ordinata comparent. Claves denique, obſerandis, aperiendisque arcis funereis deſtinatæ, ac certis numeris, & ſignis diſtinctæ, in archivo eiusdem Regiæ Domus pro utraque crypta cuſtodiuntur.

Conditorum ibidem funerum *Auſtriacorum* numerus, & ordo.

II. In hac crypta ſepulcrali tractu temporis, compoſita ſunt funera ex *Auſtriaco-Habsburgica* Domo ſequentia. Primo ordine, ex adverſo ianuæ, conſiſtunt in receſſu muri capuli funerei duarum uxorum PHILIPPI II. triumque ſororum Imperatoris CAROLI V. hoc ordine: I. MARIA *Luſitanica*, PHILIPPI II. uxor prima. II. CATHARINA, CAROLI V. Imp. ſoror. III. ISABELLA *Francica*, eiusdem PHILIPPI uxor tertia. IV. MARIA *Hungariæ*, & V. ELEONORA *Franciæ* Reginæ, ambæ CAROLI V. ſorores. Secundo ordine quieſcunt quatuor Principes: I. CAROLUS, PHILIPPI, & MARIÆ *Luſitanicæ* filius. II. CAROLUS, *Hiſpaniarum* infans, PHILIPPI tertii, & MARGARITHÆ filius. III. FERDINANDUS, iisdem parentibus procreatus, S. R. E. Purpuratus. IV. WENCESLAUS, MAXIMILIANI ſecundi Imp. filius. Tertia ſerie occurrunt quidem quinque capuli, ſed tres duntaxat ſunt funeribus *Auſtriacis* referti. Primus eſt BALTHASAR CAROLUS, PHILIPPI IV. filius. II. CAROLUS Archidux, FERDINANDI II. Imp. frater. III. IOANNES ab *Auſtria*, CAROLI V. Imp. filius. In reliquis loculamentis ſita ſunt corpuſcula eorum *Hiſpaniæ* Principum, qui in prima ætate vitam deſeruerunt, videlicet CAROLI V. filii, FERDINANDUS, & IOANNES, ſecundo, & tertio loco nati: FERDINANDUS, DIEGO, MARIA, & CAROLUS LAURENTIUS, PHILIPPI II. liberi, ex coniuge

iuge ANNA ſuſcepti. MARIA, ALPHONSUS MAURITIUS, & MARGARITHA FRANCISCA, a PHILIPPO III. ex MARGARITHA *Auſtriaca* procreati: ac denique PHILIPPI IV. ex ISABELLA *Borbonica* proles, videlicet: MARIA MARGARITHA, MARGARITHA MARIA CATHARINA, MARIA ISABELLA THERESIA, ANNA ANTONIA, FRANCISCUS FERDINANDUS. His accedunt MARIA II. & Anonyma. De his iterum eo ordine agendum eſt, quo huc aut conceſſerunt, aut certe locati ſunt.

III. Primum igitur omnium hic locum occupat MARIA, PHILIPPI II. conditoris uxor prima, IOANNIS III. *Luſitaniæ* Reg. & CATHARINÆ, Imperatoris CAROLI V. ſororis germanæ, filia, nata eodem die & anno, ut vult *Gregorius* LETI, a) quo PHILIPPUS ipſe. At plus deferendum putamus *Duardo* NONIO, genealogiam Regum *Luſitaniæ* data opera illuſtranti, b) diemque XV. *Octobr.* anni 1527. obſervanti. Res, obitum eius circumſtantes, MINIANA c) his verbis deſcribit: „*Valliſoleti* VIII. Idus *Quinctilis* (an. 1545.) MARIA, PHILIPPI coniux, filium enixa eſt, cui avi Cæſaris in ſacra ablutione inditum nomen. Aſſidebant puerperæ decumbenti ALBANI coniux, & MARIA *Mendocia*, FRANCISCO *Covo* nupta, cubiculo præfectæ. - - Illæ - - in publicum progreſſæ (iudicium ſcilicet *Inquiſitionis*, ſontes rogo addicentis, inſpecturæ) ſolam cum puellis mulierem principem relinquunt, quarto die a partu. Cui, dum abſunt, cupere ſignificanti malum citreum, nihil mali ſuſpicatæ, ut morem gererent, continuo obtulerunt. Præſentiſſimum venenum fuit, adeo, ut peracta re, domum reverſæ, exanimatam invenerint magno aulæ tumultu, & luctu acerbiſſimo. - - Iuſtis regia opulentia perſolutis, *Granatam* funus perlatum fuit, & magnifico tumulo compoſitum.„ Idem dicit METERANUS apud laudatum LETUM, d) ſed apud quem fidem haud invenit. Utcunque ſit, citrinum, aut, ut METERANUS habet, melopeponem mortis ei cauſſam attuliſſe, Scriptore *Hiſpanico* affirmante, haud ambigimus. Hanc mortem quarto poſt partum die, i. e. XII. *Iulii* eveniſſe, cum MINIANA idem LETUS, & FRANCISCUS *de los Sanctos* affirmant, qui & eandem præterea ex regia capella *Granatenſi* anno 1574. die vero IV. *Febr.* in *Eſcuriale* translatam fuiſſe, refert.

MARIA, PHILIPPI II. ux. I. † XII. *Iul.* 1545. a b c d

IV. CATHARINA, PHILIPPI I. filia poſthuma, IOANNIS III. *Luſitaniæ* Regis coniux, vitam adiit *Turrecrematæ* XIV. *Ianuarii* an. 1507. De ea FRANCISCUS *de los Sanctos* nihil meminit. At MARIANA

CATHARINA, PHILIPPI I. fil. Re-

a) *Vie de* PHILIPPE II. tom. I. lib. VII. p. m. 282.
b) Loc. cit. p. 1271.
c) Continuat. MARIANÆ, tom. IV. lib. IV. cap. III. p. m. 150. col. 1.
d) Loc. mox cit. lib. VIII. p. 339.

gina *Luſitaniæ* † 1578.

RIANA a) hunc in modum: „IOANNA Regina *Turrecrematæ* erat „ ineunte ſalutis anno milleſimo quingenteſimo ſeptimo, mente va- „ cillans, nulla reipublicæ cura. In eo oppido poſtridie Idus *Ianua-* „*rii* die *Iovis* filiam enixa eſt, cui CATHARINA nomen, regnum, „ accedentibus annis, *Luſitania* fuit.„ Ad plures abiiſſe an. 1578.

a

b MINIANA b) fidem facit, alii præcedentem ſtatuunt, at illi plus tribuimus. Auctor deſcriptionis *Scorialenſis* monaſterii *hollandicæ* tradit: eam *Valliſoleti* die XII. *Iulii* an. 1545. deceſſiſſe, ac corpus demum die IV. *Febr.* 1574. ex urbe *Granata* in dictum *Eſcuriale* devectum, inque minorem cryptam Regiam delatum fuiſſe. At epochas has multis modis a vero diſcedere, compertum habemus, videturque auctor, CATHARINAM cum MARIA, de qua §. præcedenti, confudiſſe. Nam CATHARINAM poſt obitum mariti, qui in XI. *Iunii* an. 1557. cadit, nepotis ſui SEBASTIANI tutelam, etſi non multo poſt ſponte relinquendam ſuſcepiſſe, ſupra

c laudatus *Duardus* NONIUS c) auctor eſt. Deinde Reginam *Ulliſſiponæ*, non *Valliſoleti* exceſſiſſe, ex MINIANA, iuxta, ac CONESTAGGIO citatis colligimus. Unde & vehementer dubitamus, utrum exuviæ eius unquam huc deportatæ fuerint; maxime cum ſæpe laudatus FRANCISCUS nullam eius rei faciat mentionem.

ISABELLA *Valeſia*, ux. PHILIPPI II. tertia † XIII. *Oct.* 1568.

V. ISABELLA *Valeſia*, HENRICI II. *Galliarum* Regis, & CATHARINÆ *Mediceæ* filia, PHILIPPI II. uxor tertia, diem XIII. *Octobr.* an. 1568. *Mantuæ Carpetanorum* fatalem experta, elapſo vix quinquennio, videlicet die VIII. *Iulii* anni 1573. in *Eſcuriale* translata fuit. Ita FRANCISCUS *de los Sanctos*. Ubi vero locorum Regium cadaver medio, mortem inter, & translationem, tem-

d pore depoſitum fuerit, haud memorantem ſupplet MINIANA, d) illud in Regio D. FRANCISCI Virginum templo interim aſſervatum fuiſſe, docens. Idem addit, morbum, ac mortem eius, imprudentiæ Medicorum datam fuiſſe, quod uterum gerenti remedia, hydrope laborantibus dari ſolita, adhibuerint, immaturi fœtus virilis ſexus iactura. Ortum Reginæ SCHOENLEBENIUS cum STRADA, VERNULÆO, & HENNINGESIO ad XXII. *Martii* anno 1545. quamvis VERNULÆUS alibi ſecundum *Aprilis* ſcribat, reponit, con-

e f traveniente THUANO e) & *Gregorio* LETI, f) eam tempore pacis *Cameracenſis*, III. *Non. Aprilis* an. 1559. ſubſcriptæ, undecennem fuiſſe memorantibus. Unde ſecundum hunc calculum ſub ſolemnia

a) *Rer. Hiſpanic.* lib. XXIX. cap. V. p. 336. COMECIUS de rebus geſt. *Franciſci* XIMENII archiep. *Toletani*, lib. III. *Hiſpan. Illuſtratæ* tom. I. pag. 999. manifeſto errore, typographico tamen, XIX. Kal. *Ianuarias* ponit anni 1507. cum hoc pacto PHILIPPI I. anno 1506. XXVI. *Septembr.* demortui, filia eſſe non potuiſſet. Add. *Hieron.* CONESTAGGIUS, *de Portugall. & Caſtiliæ coniunctione* ibid. tom II. p. 1073. quanquam is annum præcedentem aſſignare, videatur. BIRCKEN. p. 1391.

b) Continuat. MARIANÆ lib. VIII. pag. 310. col. 2.

c) *Hiſpan. Illuſtrat.* tom. II. pag. 1272.

d) Loc. cit. lib. VI. cap. VIII. p. 253.

e) *Hiſtoriar.* lib. XXII. p. m. 617. d.

f) Loc. cit. tom. II. lib. XIV. p. 160.

ſolemnia nuptiarum, anni ſequentis menſe *Ianuario Mantuæ Carpetanorum* celebratarum, annum ætatis duodecimum minime adhuc compleſſet. Quin ſoror eius CLAUDIA, natu minor, eodem anno 1559. Non. *Febr.* CAROLO II. Duci *Lotharingiæ* iuncta, a) tum vix annum duodecimum attigiſſet, reclamante lege naturali. Quare, cum, cit. LETO affirmante, *Princeps pacis* ideo cognominata ſit, quod non modo pacis *Cameracenſis* conditionibus PHILIPPO II. in matrimonium ceſſerit: ſed & ipſo prorſus tempore, quo anno 1546. die VII. *Iunii* pax inter FRANCISCUM I. & HENRICUM VIII. *Franciæ*, & *Angliæ* Reges coaluit, in hunc mundum venerit: nativitatem eius ad idem tempus referre viſum eſt. a

VI. MARIA, PHILIPPI I. filia, LUDOVICI, Regis *Hungariæ* vidua, ac *Belgarum* per viginti quinque annos Gubernatrix, vitæ humanæ curſum ingreſſa eſt *Bruxellis* die XVII. *Sept.* 1505. b) Ad extremam mortalitatis metam pervenit die XVIII. *Oct.* 1558. in villa, *Hiſpanis Cigales* dicta. Defunctæ corpus, FRANCISCO *de los Sanctos* auctore, c) *Valliſoleto* die XVII. (in deſcriptione *hollandica* IV. ſed, ut opinamur, perperam ponitur) *Februarii* 1574. in *Eſcuriale* delatum, ſuæque gentis cineribus appoſitum eſt. Fallitur itaque *Guilielmus* BUDÆUS, d) ut ſæpe alias, diem obitus XIV. *Octobr.* ut & ſupra memorata tabula chronolog. Ducum *Lotharingiæ*, locum ſepulturæ *Burgos* in *Hiſpania* notantes. e) MARIA, PHILIPPI I. filia, *Hung.* Regina, † XVIII. *Octobr.* 1558. b c d e

VII. ELEONORA, PHILIPPI I. filia, CAROLI V. ſoror, EMANUELIS, Regis *Luſitaniæ* vidua, ac FRANCISCI I. Regis *Galliæ* uxor altera, lucem accepit *Lovanii* XXIV. *Nov.* 1498. ſalutari aqua ab Epiſcopo *Cameracenſi* abluta. f) Spirare deſiit XVII. *Febr.* ad *Pacem Auguſtam*, vulgo *Badaioz*, eodem anno, quo CAROLUS frater, an. 1558. ſcilicet, cuius rei teſtis eſt ſæpe laudatus FRANCISCUS *de los Sanctos*. Eundem menſem etiam THUANUS g) aſſignat, cum contra HEUTERUS *Martium*, MINIANA h) vero *Ianuarium* velint. Sed prioribus magis fidimus, cum THUANUS in *Gallia*, ubi Reginæ ab HENRICO privigno iuſta perſoluta ſunt, FRANCISCUS autem in *Hiſpania* ſcripſerint, in tempora fatalia Regum & Principum ſuorum, in *Scorialenſi* quieſcentium, data opera inquirens, immo inſcriptiones eorum ſepulcrales ante oculos habens. Apud MINIANAM ſphalma operarum irrepſiſſe ſuſpicamur. Iisdem etiam *epitome rerum in variis orbis partibus - - geſtarum* i) ſuffra- ELEONORA, PHILIPPI I. filia † XVII. *Febr.* 1558. f g h i

a) HEUTERUS *rer. Belg.* lib. XV. p. m. 710.
b) Id. ibid. lib. VI. p. 275. Add. FRANC. *de los Sanct.*
c) Add. THUANUS l. c. p. 579. c. & HEUTER. lib. XIV. p. 689. quanquam is diem aperte haud exprimat.
d) *Tanatologiæ* p. 231. apud LEUCKFELD. *rer. Germ.* Scriptor.
e) Pag. 23.
f) SCHOENLEBEN. in *ephemerid* auctoresque, ibid. laudati. HEUTER. *rer. Belgic.* lib. V. p. 234. eund. annum. prodit, diem ignoraſſe videtur. GANSIUS die uno excedit.
g) Lib. XXI. p. m. 577. c.
h) Loc. cit. lib. V. cap. IX. p. 216.
i) Ap. SCHARDIUM tom. III. p. 2133.

ſuffragatur. Subdit idem FRANCISCUS: corpus eius e *Merida*, ſeu *Emerita*, die IV. *Febr.* 1574. in *Scorialenſem* cryptam deductum fuiſſe.

ALOYSIA † XII. *Febr.* 1689. M. ANNA † XVI. *Iul.* 1740. uxores CAROLI II.

VIII. Huic ſeriei accenſendæ videntur CAROLI II. Regis *Hiſpaniarum* uxores duæ, de quibus FRANCISCUS *de los Sanctos*, ac deſcriptio huius cryptæ *Belgica*; utpote ætatem illarum haud attingentes, ſilent. Prima eſt MARIA ALOYSIA ſeu LUDOVICA, PHILIPPI I. Ducis *Aurelianenſis*, filia, nata XXVII. *Mart.* an. 1662. denata *Madriti* XII. *Febr.* horam inter ſeptimam, & octavam nocturnam, an. 1689. corpore eius regia pompa XV. eiusdem in hoc dormitorium delato. a) Altera, MARIANA ANNA, PHILIPPI WILHELMI, Comitis *Palatino - Neoburgici*, ac Electoris, filia, an. 1667. XXVIII. *Octobr.* orta, quæ marito ſuo ad quadraginta annos ſuperſtes, demum *Guadalaxaræ* in *Hiſpania* diem clauſit ſupremum XVI. *Iul.* 1740. Corpus in hac ipſa quoque crypta reconditum eſt. b)

a

b

CAROLUS, PHILIPPI II. filius † XXIV. *Iul.* 1565.

IX. Secundo, ut diximus, ordine quieſcunt liberi PHILIPPI II. unacum WENCESLAO, Imperatoris MAXIMILIANI II. filio. Primus inter eos infelix CAROLUS eſt, a MARIA *Luſitana* primo, iuxta ac ultimo partu, an. 1545. *Iulii* die VIII. *Valliſoleti* in lucem editus. De eius fatis alibi nonnulla attulimus, atque inter cetera etiam eam opinionem, quæ illum iuſſu patris violenta morte ſublatum aſſerit. Negat tamen id MINIANA, c) tum nondum manibus noſtris verſatus, præ ceteris fide dignus, cauſſam mortis non niſi in ingenium Principis fervidum, elatum, ac potentiæ avidum, reponens; ut qui a patre, ob mala conſilia, cuſtodiæ traditus, cum tantam ignominiam ferre non poſſet, in eius remedium mortem ſibi conſciſcere, animum obſtinaverat; unde modo cibo abſtinens, modo ſe plus ſatis replens, immodice etiam nivata uſus fuerit, quo factum, ut his, & aliis talibus labefactatis ſtomachi viribus, in morbum inciderit exitialem, ita, ut Medicis de eo reſtituendo deſperantibus, pœnitentia, cœleſti pabulo, & ſacro demum oleo expiatus, magna ante actæ vitæ deteſtatione XXIV. *Iulii* an. 1568. e vita abierit *Madriti*, funere temporario in Regium ſacratarum D. DOMINICI virginum templum illato. Verum violentam Principis mortem ſæpe laudatus KHEVENHILLERUS d) haud negat, ei venenum in iuſculo propinatum fuiſſe, teſtatus. Fuſius de eius interitu *Gregorius* LETI e) agens, vi ſublatum fuiſſe, itidem contendit. Funus inde VIII. *Iunii* an. 1573. in cœnobium *Scorialenſe* translatum fuit, teſte FRANCISCO *de los Sanctos*, qui & eandem mortis

c

d

e

a) *Theatr. Europ.* P. XIII. p. 960.
b) *La* LANDE Hiſt. de l'Empereur CHARLES VI. tom. V. p. 446. *relat. hiſt. Francofurt. autumn.* ad h. a. p. 77. ſeq.
c) Contin. MARIANÆ lib. VI. cap. VIII. p. 252.
d) Effigier. tom. I. p. 128. c. Add. THUANUS, loc. cit. lib. XLI. p. 412. d. ſeq. ac præſertim p. 414. b. c. ubi ſimilia tradit.
e) *Vie de* PHILIPPE II. tom. III. lib. XX. p. m. 302. ad 342.

tis epocham, ut & KHEVENHILLERUS, aliique ſtatuunt, ut adeo BUDÆUS a) XXIII. *Iulii* obtendens, in errore verſetur. a

X. Alterum hic locum occupat CAROLUS alter, PHILIPPO III. ex MARGARITHA *Auſtriaca* quarto loco genitus. Id vero anno 1607. *Septembris* die V. *Madriti* eveniſſe, laudatus KHEVENHILLERUS in effigiebus, *Annalibus Ferdinandeis* præmiſſis, perſcribit. b) At in *Annalibus* ipſis c) quintum decimum legimus. Uter horum locorum ſincerus, & genuinus ſit, dictu difficile foret, niſi nos SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus* doceret, etiam BUCHOLZERUM, quintum *Sept.* adnotantem, ſecundum ſtilum veterem intelligendum eſſe. Eodem KHEVENHILLERO teſte, neo-natus Princeps in capella Regia ſacro fonte ablutus eſt, ſpondentibus PHILIPPO, eius fratre, ac Rege huius nominis IV. & ANNA MARIA MAURITIA, eius ſorore, *Franciæ* poſtea Regina, licet ille annum ætatis non niſi tertium, hæc autem ſextum ageret. Diem clauſit extremum *Madriti* anno 1632. *Iulii* trigeſimo, ſæpe memorato FRANCISCO teſte, KHEVENHILLERUS contra, ad effigies, *Annalibus* præmiſſas, d) uno anno & die excedit, errore haud dubie typographico, cum in *Annalibus* ipſis e) idem annus 1632. omiſſo tamen die, legatur. *Theatrum Europ.* f) eundem annum prodit.

CAROLUS alter, PHILIPPI III. fil. † XXX. *Iul.* 1632.

b c

d

e

f

XI. Iisdem, quibus CAROLUS præcedens, parentibus, die XVI. *Maii* an. 1609. hora duodecima meridiana *Lermæ* ortus FERDINANDUS, g) Archiepiſcopatus *Toletani* Adminiſtrator perpetuus, S. R. E. Purpuratus, ac *Belgii* Gubernator, tertium hic locum occupat. Supremus eum dies in flore ætatis, variolis laborantem, oppreſſit *Bruxellis* an. 1641. die IX. *Nov.* h) corpore inde fere biennio poſt, XXIX. *Iunii* in *Scorialenſe* perlato, quanquam, *Theatro Europæo* docente, ultima edita voluntate in Eccleſia metropolitana *Toleti* humari petierit.

FERDINANDUS, eiusdem PHILIPPI fil. † IX. *Nov.* 1641.

g h

XII. WENCESLAUS, MAXIMILIANI II. Imp. filius, quartum hic locum implens „natus eſt, (ut ait MENLIUS) *Neoſtadii* anno 1561. menſis *Martii* die IX. & Dominico, nocturno tempore uno quadrante horæ poſt X. in ſigno capricorni. Baptizatus eſt in magno arcis atrio die lunæ ſequenti a Rev.mo Epiſcopo eiusdem civitatis,

WENCESLAUS, MAXIMIL. II. Imp. fil. † XXII. *Sept.* 1587.

! Mennel ist vor 1526 gestorben!

a) Loc. cit. p. 243.
b) Tom. I. p. 135.
c) Tom. VI. col. 3214.
d) Cit. tom. I. p. 135.
e) Tom. XII. col. 434.
f) Tom. II. p. 777.
g) Teſte KHEVENHILLERO *Annal. Ferd.* tom. VII. col. 257. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* In tomo prodromo eiusdem KHEVENHILLERI p. 136. diem XXIV. *Maii* legimus, annumque 1610. ſed haud dubie typothetæ errore. Qui VI. *Maii* ponunt, ſtilum veterem obſervarunt.
h) Ita editor mox dictarum Effigierum in notis, ac præſertim SCHOENLEBEN. l. c. Qui XXXI. *Octobr.* proferunt, veteri calendario uſi ſunt. *Theatrum Europæum* ſtilum novum data opera exprimit P. IV. p. 568. col. 2.

tatis, nomine Doctore LOGO, qui fuit Archiducis CAROLI præceptor. Compatres fuerunt *Galliarum* Regis Orator, cuius nomen ignotum, Dominus CHRISTOPHORUS ab *Eytzing*, Regis *Bohemiæ* ſupremus Aulæ præfectus, & POLYXENA *Laſſa*. Mortuus eſt WENCESLAUS in *Hiſpania*.„ Hæc MENLIUS, plura non addens. Supplet tamen MINIANA a) ad an. 1578. breviter his verbis: „ *Mantuæ Carpetanorum* VENCESLAUS, MAXIMILIANI Cæſaris fi-„lius, XI. Kal. *Octobris* ætatis ſuæ XV. naturæ quoque debitum „ſolvit.„ Differt igitur memoratus KHEVENHILLERUS b) die uno, XXII. *Sept.* ſcribens, cui quidem, niſi ibi aliunde ſphalma irrepſit, tanto lubentius accedimus; quod ſe funus Principis ad monaſterium *Scorialenſe* comitatum fuiſſe, teſtetur, quodque MINIANA eidem annos ætatis non niſi quindecim tribuat, cum decimum ſeptimum, ut ille recte advertit, conſecutus fuerit, manifeſto indicio, ei, cum hæc ſcriberet, animum haud ſatis præſentem fuiſſe. Longius aberrant, qui cum SCHOENLEBENIO, aliisque, ab eodem adductis, mortem eius in VII. *Novembr.* reiiciunt. GANSIUS tamen itidem *Septembrem* nominat, diem ſilentio premens.

a

b

BALTHASAR CAROLUS, PHILIPPI IV. fil. † IX. *Oct.* 1646.

XIII. Tertia ſerie tria *Auſtriaci* ſanguinis continentur funera, ac primo quidem BALTHASARIS CAROLI, PHILIPPI IV. ex ISABELLA *Valeſia* filii *Madriti* an. 1629. XVII. *Oct.* hora ſexta matutina, ingenti Aulæ *Hiſpanicæ* gaudio nati, ac IV. menſis ſequentis ſacro fonte luſtrati, cuius ſolemnitates fuſius deſcribit KHEVENHILLERUS, c) qui tum præſens aderat, Principem ad ſacrum baptiſma comitatus. LEQUILEUS, qui eidem præter dicta, nomina quoque DOMINICI, LUCÆ, PHILIPPI, & VICTORIS tribuit, illum XI. *Octobr.* an. 1646. mundum reliquiſſe, perſcribit. Eidem accedit SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* nixus auctoritate BIRCKENII, prudenter tamen monens, MS. *Iacobi* FUGGERI, cui is ſua ſuperſtruxit, diem eiusdem menſis nonum præferre; id quod veriſimilius exſtimamus; cum, temporibus iis æqualis, ſæpe memoratus FRANCISCUS *de los Sanctos*, cum eodem conſentiat, nec non & *Rocchus* PIRRUS, PHILIPPI IV. Hiſtoriographus, qui Chronologiam Regum *Siciliæ* magna diligentia conſcripſit. d) Addit idem, mortem hanc *Cæſar-Auguſtæ* contigiſſe, defunctique corpus XXVIII. præfati menſis *Scorialenſi* cryptæ illatum fuiſſe. Idem PIRRUS locum ei fatalem *Saguntum* nominat: at hac in parte plus tribuimus FRANCISCO.

c

d

CAROLUS, CAROLI *Græcenſ.* fil. †

XIV. Poſt hunc CAROLUS IOSEPHUS, CAROLI *Græcenſis* Archiducis filius poſthumus, Epiſcopus *Uratislavienſis*, & *Brixinenſis*, Ordinisque *Teutonici* ſupremus Magiſter, cubat. In vitam introiit *Græcii*, in *Styria* VII. *Aug.* an. 1590. teſte ſæpe laudato KKEVENHILLE-

a) Continuat. MARIANÆ lib. VIII. cap. I. p. m. 313. col. 2.
b) *Annal. Ferd.* tom. I. p. 9. col. 2.
c) Ibid. tom. XI. col. 583. ſeq.
d) *Sicil. ſacr.* tom. I. p. LXIX. c.

HILLERO. a) Nam etſi in vitæ eius compendio undecimum eiusdem menſis legamus, b) priorem tamen præferendum eſſe, non ſolum GANSII, & SCHOENLEBENII teſtimonio tenemus, ſed & auctoritate *libelli Genealogici* Archivi *Græcenſis* MS. coævi, ubi ortus eius circumſtantiæ pluribus exponuntur: ſcilicet eum VII. *Aug.* an. 1590. dimidio quadrante ante horam quartam veſpertinam prodeuntem, undecimo primum *Nov.* inter horam tertiam, & quartam ſacro fonte a MARTINO Epiſcopo *Secavienſi* lotum fuiſſe, ſpondentibus ERNESTO Archiduce, ac nomine EMANUELIS CAROLI, Ducis *Sabaudiæ*, & CATHARINÆ, uxoris eius, IOANNE AMBROSIO, Comite de *Turre*. Quod vero idem baptiſma tamdiu dilatum fuerit, moræ Nuntii *Sabaudiæ* Ducis adſcribitur, cui, ſi adveniſſet, vices horum eidem ſubeundæ fuiſſent. Ad ſempiternam lucem exceſſit *Mantuæ Carpetanorum* in aula regia an. 1624. XXVI. *Dec.* mane hora tertia. Corpus eius plumbeo loculo, eique ſuperinducto ligneo, concluſum, in *Scorialenſe* translatum eſt: cor vero, aromatibus pollinctum, & argenteo vaſe cohibitum, ad Collegium S. I. in *Sileſiæ* urbe *Neyſs*, ab ipſo fundatum, ut teſtamento iuſſerat, transmiſſum fuit. c) Funus eius, & exequias pluribus deſcribit mox laudatus KHEVENHILLERUS. XXVI. *Dec.* 1624. a b c

XV. Tertium hic locum occupat corpus IOANNIS ab *Auſtria*, CAROLO V. Imp. viduo ex nobili fœmina *Ratisbonenſi*, BARBARA *de Blomberg* an. 1547. nati. Hunc nimirum annum ſtatuit BIRCKENIUS, diemque præterea addens, XVII. *Februarii*. *Famianus* STRADA d) eundem illi diem natalem, qui parenti CAROLO Cæſari fuerat, tribuit, feſtum ſcilicet, ut in margine legimus, S. MATHIÆ Ap. XXIV. *Febr.* an. 1545. qui tum, ut in die nativitatis Cæſaris, quod ſupra diximus, biſſextilis haud erat. Verum, ut diem STRADÆ facile concedimus, ita quoad annum nondum diſcedere poſſumus ab ea ſententia, quam alibi, e) auctoritate nummi inducti, adoptavimus, annum ſcilicet ex tribus illis 1545. 46. aut 47. quos inter nonnulli optionem lectoribus ſuis relinquunt, ultimum ſeligentes. In qua quidem opinione tanto magis firmamur; quod plerique matrem eius *Ratisbonenſem* fuiſſe, affirment, atque *Ratisbonæ* etiam cognitam. Atqui Cæſar eam urbem annis præcedentibus 1544. & 45. non vidit, bene vero an. 1546. quo ſolemnia illuc Comitia convocaverat: ut adeo IOANNES anno ſequenti facile naſci potuerit, ac veriſimilius etiam tum natus ſit. Ad *Namurcum* in caſtris *Bougianis* ardenti febre, ut FAMIANUS habet, aut continua, ut inſcriptio cap. ſeq. adducenda, loquitur, correptus, morboque ingraveſcente, expiatis totius vitæ noxis, ſumptoque cœleſti viatico, Kal. *Octobr.* anno 1578. ſub meridiem heroicam animam IOANNES ab *Auſtria*, † I. *Octobr.* 1578. d e

a) Tom. I. Effigier. p. 4. c.
b) Ibid. p. 92.
c) Idem *Annal. Ferd.* tom. X. col. 485.
d) De *bello Belgico* Decad. I. lib. X. p. 289. noviſſ. edit.
e) *Nummothec. Auſtr.* P. I. p. 124. col. 1.

mam efflavit. Corpus XXIV. (ut ait FRANCISCUS) *Maii* an. 1579. *Scoriali* illatum eſt. Num veneno interierit, diſputant plures, negat MINIANA, STRADA aſſerere non audet: nos in medio relinqui-
a b mus. a) Addit STRADA, b) translationem perocculte factam, ad evitandos ſcilicet ſumptus, ac Magiſtratuum, Sacerdotumque in urbium aditu certamina, quæ in Principum ſeu viventium, ſeu mortuorum, itineribus fieri ſolent; utque rei ſuſpicio averteretur, corpus omne, ſolutis artuum commiſſuris, diſtrahi placuiſſe: oſſibusque brachiorum, & femorum, & tibiarum, ad hæc thorace, & capite (exempto prius cerebro) & aliis partibus ſeorſim poſitis, impleſſe bulgas tres: quas viatoria ſupellectili refertas, atque, uti aſſolet, ante ephippium convolutas, ii, quibus, numero circiter octoginta hominibus, cum GABRIELE NIGNIO *Zuniga*, *Hiſpanorum* tribuno, ac IOANNI, dum viveret, ſtabuli præfecto, negotium datum erat, per mediam *Galliam*, obtenta prius itineris ſecuritate, quaſi qui ex defuncti familia eſſent, in *Hiſpaniam* delatus ſit. Eo cum ventum fuiſſet, oſſibus iterum commiſſis, æreique nexu fili colligatis, totam facile articulaſſe compagem corporis: quod tomento expletum, ac ſuperinductis armis, pretioſisque veſtibus exornatum, ita Regis PHILIPPI II. obtuliſſe oculis, quaſi pedibus innitens.

Eiusque filiæ. † † 1630.

XVI. Sunt, qui IOANNI huic duas tribuunt coniuges, ſed gratis; quando eum innuptum obiiſſe, ſatis conſtat. Duas tamen genuiſſe filias, non minus certum eſt. Prima nominatur ANNA, *Mantuæ Carpetanorum* ex MARIA *Mendozia* ſuſcepta. Hanc MAGDALENA *Ulloa*, IOANNIS ipſius educatrix, clam a ſe eductam, poſt annos ſeptem ad *Madrigale* Sacrarum Virginum monaſterium transtulit. At iuſſu PHILIPPI Regis inde tradueta, *Burgos* in Sacrum D. BENEDICTI Gynæceum, perpetua earum Sanctimonialium Antiſtita creata fuit. Alteram, IOANNAM nomine, ex DIANA *Phalanga*, Nobili *Surrentina*, genitam, MARGARITHA, *Parmenſis* Duciſſa, ſua ſub cura habens, patre mortuo, *Neapolitanæ* D. CLARÆ cœnobio educandam tradidit. Poſt annos autem viginti, quibus ibi convixerat, BUTERO in *Sicilia* tandem Principi nupſit. Utraque autem anno 1630. eodem ſcilicet anno, menſeque eodem, fato conceſſit. c) De hoc Principe plura cap. ſequenti.

c

FERDINANDUS, & IOANNES CAROLI V. Imp. filii an. 1530. & 32. defuncti.

XVII. In reliquis, ut diximus, loculamentis, corpora *Hiſpaniæ* Principum, in tenera ætate defunctorum, continentibus, in primis CAROLI V. Imp. filii numerantur, FERDINANDUS, & IOANNES, ille natu ſecundus, hic tertius. Priorem an. 1530. alterum biennio poſt ad meliorem vitam vocatos eſſe, *Gregorius* LETI d) memorat,

d

a) Conf. LETI *Vie de* PHILIPPE II. tom. IV. lib. IV. p. m. 293.
b) Loc. cit. p. m. 296. Add. MINIANA Cont. MARIANÆ lib. VII. cap. XV. p. 308. col. 2.
c) STRADA l. c. p. 294. Add. MINIAN. l. c. p. 309.
d) *Vie de* PHILIPPE II. tom. I. lib. VI. ante an. 1539. p. m. 228.

morat, cum contra BIRCKENIUS ſeniorem anno primum 1545. expiraſſe velit, a) de IOANNE, ut plerique ceteri, nullam prorſus faciens mentionem. Verum cum mater eorum iam tum anno 1539. mundo valedixerit, conſequens foret, ut vel ambo, vel FERDINANDUS ſaltem, ad aliquot annorum perveniens ætatem, Scriptores non uſque adeo fugere potuiſſet; ut nullam eius facerent mentionem. *Rocchus* PIRRUS conceptis verbis teſtatur, FERDINANDUM in cunis obiiſſe. b) Unde LETO potius accedendum putamus. Uterque, FRANCISCO *de los Sanctos* affirmante, anno 1574. die IV. *Febr.* in regium *Scorialenſe* monaſterium translati fuere. a b

XVIII. PHILIPPI quoque II. quatuor liberi, ex ANNA *Auſtriaca* ſuſcepti, ad hanc ſepulturam dati ſunt. Primus erat FERDINANDUS, qui vitam die IV. *Dec.* an. 1571. c) conſecutus, eandem an. 1578. die XVIII. *Oct. Hiſpali* depoſuit, d) biduo poſt in *Scoriale* transportatus. BIRCKENIUS, & qui eius auctoritatem ſecuti ſunt, minus recte morti eius annum 1575. deſtinavere. FERDINANDUS, PHILIPPI II. filius † XVIII. *Octobr.* c d

XIX. Hunc inſecutus eſt DIEGO, ſeu IACOBUS, iisdem parentibus anno 1575. die XII. *Iul. Mantuæ Carpetanorum*, teſte laudato *Roccho* PIRRO e) exortus. LETI f) diem eius natalem biennio prævertit. Verum is IACOBUM cum fratre eius CAROLO LAURENTIO confudiſſe videtur; quippe quod, ut mox videbimus, an. 1573. hic, non ille, natus fuerit. Inter vivos eſſe deſiit an. 1582. die XXI. *Nov.* ut, poſt FRANCISCUM *de los Sanctos*, SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* cum laudato PIRRO docet. Sæpe laudatus KHEVENHILLERUS g) quidem XXI. *Dec.* ponit, ſed errore, ut putamus, operarum. FRANCISCO tanto magis hic fidendum, quanto maiori ſtudio dies horum Principum fatales indagavit, quin immo inſcriptiones ante oculos habuit. Qui & idem teſtatur, corpus eius biduo poſt obitum in cryptam Regiam translatum fuiſſe. LETI annum quidem eundem ſtatuit, diem præterit ſilentio. DIEGO, eiusdem PHILIPPI fil. † XXI. *Nov.* 1582. e f g

XX. MARIA, Infans *Hiſpaniarum*, ſæpe dictis parentibus *Madriti* die XIV. *Febr.* an. 1580. nata, ibidem immitis Parcas ſenſit IV. *Aug.* an. 1583. indeque XXIII. eiusdem in *Scoriale* delata, inter fratres quieſcit, teſte eodem. MARIA, foror eiusdem † IV. *Aug.* 1583.

XXI. Excipit hunc capulum CAROLUS LAURENTIUS, PHILIPPI II. itidem filius, mortuus *Madriti*, die XXX. *Iunii* an. 1575. & die X. *Aug.* eiusdem anni in hanc cryptam delatus. Laudato CAROLUS LAURENTIUS, eiusdem

PIRRO

a) *Specul. honor.* ſeu *Spiegel der ehren* lib. VI. cap. XXI. p. 1393.
b) *Chronolog. Reg. Sicil.* p. LXVI. c.
c) LETI tom. III. lib. XXII. p. 557. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* auctoresque ibid. allegati. *Rocchus* PIRRUS l. c. p. LXVIII. a.
d) Idem. FRANCISCUS *de los Sanctos* loc. cit.
e) *Chronolog. reg. Sicil.* mox cit. p. LXVIII. b.
f) LETI *Vie de* PHILIPPE II. tom. IV. lib. I. p. m. 58.
g) *Annal. Ferd.* tom. I. col. 258.

frater, † XXX. *Iuni* 1575.

PIRRO auctore, in lucem protractus erat in *Villa-Calapæ* XII. *Aug.* 1573. Idem diem eius fatalem ad IX. *Iunii* reponit, ſed ſtandum putamus fide FRANCISCI *de los Sanctos*.

MARIA, PHILIPPI III. fil. † 1. *Mart.* 1603.

XXII. Ex PHILIPPI III. liberis, nondum adultis, primum hic locum occupat MARIA, natu ſecunda, die prima *Martii Valliſoleti* an. 1603. defuncta, cum non multo antea ibidem, id eſt menſe præcedenti, die vero itidem prima, ex MARGARITHA *Auſtriaca* ſuſcepta fuiſſet, ut nobis præter SCHOENLEBENIUM, ſæpe citatum, fidem facit laudatus FRANCISCUS *de los Sanctos*. Accedit Excellentiſs. KHEVENHILLERI auctoritas, diem nativitatis, quem
a FRANCISCUS pro more reticet, eundem aſſignans. a) Corpuſculum eius VI. eiusdem ad ſepulturam in hanc cryptam delatum fuit. Hanc *Rocchus* PIRRUS præteriit.

ALPHONSUS MAURITIUS, eiusdem frater, † XVI. *Sept.* 1612.

XXIII. ALPHONSUS MAURITIUS, ex eadem Regina MARGARITHA octavo, & ultimo, qui ei etiam exitium attulit, partu, an. 1611. die XXII. *Sept.* in *Eſcuriali* genitus, b) anno ſequenti die XVI. eiusdem menſis, ut habet FRANCISCUS, eandem inſecutus eſt, biduo poſt, i. e. XVIII. dicti menſis in hac crypta depoſitus. Mox
b c laudatus KHEVENHILLERUS c) nativitatem eius XXIX. *Sept.* adſcribit. Verum ibi iterum ſphalma ſubeſſe exiſtimamus, idque maxime etiam ideo; quod matrem quarto poſt partum die febri correptam aſſerat, cuius vi conſumpta fuerit tertia *Octobris*. Cum enim hæc ipſa tertia *Octobris*, ſecundum hunc calculum quarta poſt partum dies fuiſſet, qua febri primum affecta fuit: hæc autem neminem de repente morti tradat, partum diebus aliquot eidem præceſſiſſe neceſſe eſt; ut adeo citatis Scriptoribus haud ægre aſſentiamur.

MARGARITHA FRANCISCA, eiusdem ſoror, †XII. *Mart.* 1617.

XXIV. Tertia in hoc ordine liberorum PHILIPPI III. filia ſeptima, MARGARITHA FRANCISCA, vitæ uſuram accipiens *Mantuæ Carpetanorum* XXIV. *Maii* an. 1610. d) morte extincta eſt ibidem die XI. vel XII. *Martii* anno 1617. funere poſtero die in hanc cryptam devecto. BIRCKENIUS natalem aſſerturus, pro XXIV. *Maii*, XXV. *Martii* ſcribit, haud dubie tamen erronee.

d

MARIA MARGARITHA, † XV. *Aug.* 1621. & MARGARITHA MARIA

XXV. Maiori numero liberi PHILIPPI IV. ex ISABELLA *Borbonia* procreati, requiem hic obtinuerunt. Prima erat MARIA MARGARITHA. Hæc immaturo nonnihil partu die XIV. *Aug.* inter horam XI. & XII. noctis an. 1621. *Mantuæ Carpetanorum* edita, e) poſt horas triginta vivere deſiit, triduo poſt, ut ait FRAN-

e

a) Ibid. tom VI. col. 2762.
b) Teſtibus LEQUILEO, & SCHOENLEBENIO, cum auctoribus ab eo laudatis.
c) Loc. cit. tom. VII. col. 417.
d) Id. ibid. col. 328. *Rocchus* PIRRUS l. c. p. LXIX. b. eam XXIV. *Nov.* an. 1610. natam putat, ac mox iterum extinctam.
e) Id. tom. IX. col. 1497. ubi tamen eam MARGARITHAM MARIAM appellitat. Conſentit SCHOENLEBEN. in *ephemerid. Rocchus* PIRRUS diem XV. *Aug.* annumque ſequentem aſſignat.

FRANCISCUS, in *Scorialenſe* deportata. Altera, MARGARITHA MARIA CATHARINA, biennio poſt, nempe XXV. *Nov.* hora decima, & quidem, ut ex contextu KHEVENHILLERI liquet, matutina, an. 1623. eodem in loco effuſa, & VIII. die menſis ſequentis ſacro fonte, magno cum apparatu abluta, a) brevem vitam eiusdem menſis die XXII. amittens, poſtero die in hanc cryptam traducta eſt. CATHARINA, PHILIPPI IV. filiæ, † XXII. *Sept.* 1623. a

XXVI. Hanc excepit MARIA *de Præſentatione*, iisdem parentibus XXI. *Nov.* die ſcilicet præſentationis B. V. M. unde ei cognomen, an. 1625. *Madriti* progenita, ac baptizata, ceremoniis tamen, quod Cardinalis de BARBERINO, qui eam nomine Papæ URBANI VIII. e ſacro fonte levaret, expectandus eſſet, in VII. *Iunii* anni ſequentis dilatis. b) Vitam clauſit XXI. *Iulii* (SCHOENLEBENIUS XX. ponit) an. 1627. in loco eodem, tenero corpore poſtridie huc delato, ſæpe memorato FRANCISCO teſte. Eodem anno pridie Kal. *Novembris Mantuæ Carpetanorum* nata eſt filia quarta, ISABELLA THERESIA *de los Sanctos* nomine, poſtridie itidem demortua, & hic ſepulta, eodem FRANCISCO, nec non & SCHOENLEBENIO referentibus. Denique poſt undecennium ANNA quoque ANTONIA ſubſecuta eſt die V. *Decembris* an. 1636. *Madriti* defuncta, ac, teſte eodem FRANCISCO, poſtridie hic ſepulta, cum die XVII. *Ianuarii* eiusdem anni, BIRCKENIO, ac SCHOENLEBENIO affirmantibus, in lucem producta fuiſſet. Ambo hi pro die emortuali, loco V. diem VIII. *Dec.* ſtatuunt, rectius fortaſſis, ac apud FRANCISCUM legimus, tribus illis unitatibus a librario facile prætermiſſis. KHEVENHILLERUS, eo anno a Cæſarea Maieſtate in *Germaniam* vocatus, eius haud meminit. Huc pertinet MARIA II. an. 1655. *Mantuæ Carpetanorum* itidem exorta, c) ac in cunis extincta, nec non Anonyma, anno 1662. menſe *Novembri* nata, eandemque ſortem experta, quas ambas in hanc cryptam conceſſiſſe non ambigimus. Nec non MARIA XXI. *Iul.* 1627. ISABELLA THERESIA I. *Novembr.* eod. an. & ANNA ANTONIA VIII. *Dec.* 1636. defunctæ, ac MARIA II. & Anonyma. b c

XXVII. Cum his ſeptem ſororibus compoſitus quoque fuit FRANCISCUS FERDINANDUS, qui, eodem *de los Sanctos* affirmante, an. 1634. XII. *Martii* in villa, *Hiſpanis Iſaſi* dicta, vivere deſiit, ipſo Sabbatho Sancto hic ſepultura affectus. De hoc alii nihil memoriæ prodiderunt. At binos alios PHILIPPI IV. filios, ex ſecunda coniuge MARIA ANNA ſuſceptos, videlicet PHILIPPUM PROSPERUM, & CAROLUM THOMAM, in *Scorialenſi* quoque cœnobio tumulatos fuiſſe CZERWENCKA d) refert. Prior, ut SCHOENLEBENIUS e) perhibet, XVIII. (ap. PIRRUM XXVIII. legimus) *Nov.* an. FRANCISCUS FERDINANDUS † XII. *Mart.* 1634. d e

a) KHEVENHILLER *Annal. Ferd.* tom. X. col. 335. ad 339. SCHOENLEBEN. l. c.
b) Id. ibid. col. 1058. & 1087. SCHOENLEBEN. & PIRRUS loc. cit.
c) SCHOENLEBEN. in *ephemerid.*
d) De *ſepultur. Auſtr.* p. 10. in append. ad *Pietat. Auſtr.*
e) Add. *Theatrum Europæum* P. VIII. p. 320.

an. 1657. mundo datus, eidem primo *Nov.* an. 1661. ſe ſe ſubduxit. a) Alter XXIII. *Dec.* an. 1658. lucem primam intuitus, incertum quo tempore, locove terris valedixerit.

a

Filii PHILIPPI IV. naturales.

XXVIII. Hi liberi PHILIPPI IV. legitimi erant. Ex nothis eius maxime cognitus eſt IOANNES ab *Auſtria*, quem an. 1629. VII. *Apr.* ex MARIA CALDERONA *Comica* natum alibi b) diximus, addentes de eo non nulla alia. Mortem oppetiit *Mantuæ Carpetanorum Sept.* die XVII. an. 1679. c) Corpus, loculo plumbeo incluſum, in Regium monaſterium *Scorialenſe* translatum fuit, d) atque adeo in *Pantheo* præter morem reconditum. Eidem Excellentiſs. KHEVENHILLERUS filiam tribuit, CATHARINAM ISABELLAM nomine, *Bruxellis* in parthenone quodam XXVI, *Nov.* an. 1714. defunctam. Alterius, IOANNIS, PHILIPPI filii, ex contubernio itidem ſuſcepti, mentionem facit *Rocchus* PIRRUS, e) quem, priori ætate anteponens, infantem obiiſſe, aſſerit. Denique, *Theatro Europæo* memorante, f) an. 1634. ISIDORUS ab *Auſtria* exceſſit; natus annos octo, Magnus Magiſter de *Caſtilia*, Ord. *Melitenſis*, iam deſignatus. Hos ambos in dicto Regio monaſterio ſepulturæ traditos fuiſſe, etſi certo affirmare haud queamus, fortaſſis tamen a vero haud multum abeſt.

b

c

d

e

f

CAPUT V.

IOANNIS AB AUSTRIA NAMURCI IN BELGIO SEPULCRALE MONUMENTUM, NEC NON MARGARITHÆ, SORORIS EIUS, PLACENTIÆ.

§. I.

IOANNIS ab *Auſtria* ſepulcrale monumentum *Namurci*, TAB. LIV.

IOANNI ab *Auſtria*, CAROLI V. Imp. filio, de quo cap. præced. potiora occupavimus, antequam eius reliquiæ in *Hiſpaniam* ad *Scoriale* ducerentur, monumentum ſepulcrale, in eccleſia Cathedrali S. ALBANI *Namurcenſi*, ab ALEXANDRO *Farneſio*, eius in imperio exercitus *Hiſpanici* ſucceſſore, conſtitutum eſt. Ex ligno, & lapide cæruleo, ac marmore exſculptum, vices altaris ſupremi ſubibat. Anno vero 1751. quo eccleſia iſta deſtructa, ac demolita fuit, ut nova conſtrueretur, in loco ſeparato ſepoſitum, currente æſtate anni 1764. cura & ſollicitudine ſæpe a nobis laudati Comitis de COBENZL, cui hoc monumentum inter cetera etiam debemus, in locum priſtinum reſtitutum fuit. In eo præter CHRISTI Domini, de Cruce pendentis imaginem, in medio conſiſtentem,

a) Cit. *Theat. Europ.* P. IX. pag. 479. col. 1.
b) *Pinacoth. Auſtr.* P. II. p. 242. Add. *La vita di Dom.* GIOVANNI *d'Auſtria* per Anonymum in *Colonia* 1686. in 12. pag. 4. KHEVENHILLER effig. tom. I. p. 117. u.
c) Id. Anonym. p. 628. ſeq. KHEVENHILLER l. c.
d) Iidem ibid.
e) Loc. cit. pag. LXIX. f.
f) P. III. p. 211.

tem, quatuor in totidem cavis figuræ occurrunt. Prima a dex- TAB. LIV.
tris inter duas columnas figura virilis armata, dependente a tergo pallio, ſeu paludamento, dextra elata, ſiniſtra ædificium ſuſtinet, qua quidem primum Eccleſiæ fundatorem, ALBERTUM, Comitem *Namurci*, deſignari, vix eſt, quod ambigamus. Ex altera parte S. ALBANUS Martyr apparet, Eccleſiæ huius tutelaris, caput, ut a pictoribus, ſculptoribusque exhiberi conſuevit, manibus ante pectus ferens. Infra in ſtylobatis hic B. V. MARIA, cum puerulo IESU, inde vero Princeps noſter armatus, ac in genua provolutus, cernitur; pone quem S. IOANNEM *Baptiſtam*, cuius nomen geſſerat, obſervamus. Supra loricam altaris in ſemicirculo inſignia Principis, coloribus expreſſa, & torque aurei velleris circumdata, comparent, cum lemmate, ſchedæ volitanti inſcripto: OVLTRA PROPERA, quod quidem a ſymbolo CAROLI V. patris eius, *plus ultra*, haud multum abeſt.

II. A tergo altaris ſequens inſcriptio, in tabula lignea exarata, legenda proponitur: Eiusque inſcriptio.

D. O. M.

SER.MO PRIN. IOANNI AUSTRIACO
D. CA. V. IMP. FILIO POST MAUROS Ī
BETICA REBELLĀTES SUBJUGATOS
TVRCARVQZ MAX: CLASSEM APUD
PATRAS EO DUCE FUNDITUS FUGA
TAM DELETAMQZ, CV̄ IN BELGIO
PROREGEM AGERET, IN CASTRIS
BOUGIANIS CŌTINUA FEBRE IN
IPSO JUVĒTUTIS FLO: SUBLATO
AVV̄CULO AMĀTISS. ALEXANDER
FARNESIUS PARMÆ PLACENTIÆQZ
PRINCEPS Ī IMPERIO SUCCESSOR:
EX MĀDATO D. PHILIPPI HISP. AC
INDIAR. REGIS POTENTISS: HANC
ALTARIS TABULĀ COENOTAPHII
LOCO PONI CURAVIT
1578.

III. Huius monumenti mentionem facit *Famianus* STRADA, a) Ubi eius viſcera condita videntur.
ſed breviter admodum. Principis viſcera, vaſi cupreo incluſa, veriſi-

a) *De bell. Belg.* Decad. I. lib. X. exeunte pag. 296.

riſimiliter ibidem depoſita, ac humata fuiſſe, ex relatione ab eodem Excellentiſſ. Comite nobis ſubmiſſa, intelleximus: quanquam præter traditionem nihil certi affirmare potuerint Domini Canonici, qui in crypta quadam, ad latus Evangelii eo in loco, ubi ſacræ reliquiæ reponi ſolebant, detecta, anno 1751. XXV. *Sept.* urnam repererunt cupream, inſcriptione deſtitutam.

MARGARITHÆ ab *Auſtria* mauſoleum *Placentiæ*, TAB. LV. ſect. prima.

IV. PLACENTIÆ in templo Abbatiæ S. SIXTI Ord. S. BENEDICTI mauſoleum cernitur, memoriæ MARGARITHÆ *Auſtriacæ*, CAROLI V. Imp. filiæ. nothæ, ALEXANDRI de *Medices*, *Florentiæ* Ducis, viduæ, ac OCTAVII *Farneſii*, Ducis *Placentiæ* & *Parmæ*, uxoris, conſecratum. Illud hic tanto lubentiores ſiſtimus, quatenus ex eo luculentius oſtendamus, quo ornatu, quoque ſtructuræ genere *Itali* temporibus noſtris viciniores, funera Principum tum honeſtarint. Fieri illud curarunt Abbas, & monachi, prædicti monaſterii alumni, anno demum 1617. grati animi ergo, tum quod illa in *Samnio*, ſeu *Aprutio* decedens, oſſa ſua in hanc Abbatiam transferri voluerit, tum quod multa illis contulerit beneficia. Typum porro inſignis huius mauſolei in acceptis referimus Reverendiſſimo D. *Mauro* GAGNANIO, eiusdem monaſterii Abbati, humaniſſime nobiſcum communicatum.

Eiusque deſcriptio,

V. Structura ex marmore eſt, affabre & eleganter ad regulas artis elaborata, quæ quantum a genio ædilium medii ævi recedat, nemo non videt; quin veterum *Romanorum* normam in multis imitatur. Tumulo, in medio poſito, bini incumbunt leones, quibus, ut videtur, ad *Belgii* gubernacula, quæ MARGARITHA quondam tenuit, alluſio fit. Matronæ, loricis utrinque inſidentes, quarum altera ovem, canem altera fovet, vitæ innocentiam, ac patientiam in adverſis, nec non fidelitatem, præcipuas MARGARITHÆ virtutes, adſignificant. Columnis quoque hinc inde impoſitæ armaturæ Gubernatricem heroam denotant. In area media ex marmore pariter inſculptum eſt caput MARGARITHÆ, quod nobis ſeorſim miſſum, ſeorſim quoque in tabula noſtra exhibemus. Huic ſubiectum eſt epitaphium, aureis litteris marmori inſcriptum, ſtatimque afferendum. Statuæ denique, hinc inde ad columnas parietinas conſiſtentes, ac monumentum velut ſtipantes, ſceptra tenent manibus, & una quidem exuviis leonis, altera leone adſidente diſtincta, vel fortitudinis propriæ Principis defunctæ, a qua maximopere commendata fuit, vel amborum Heroum, ac Ducum, cum quibus MARGARITHA matrimonii vinculis iuncta fuerat, ſimulacra cenſeri debent.

Ac epitaphium.

VI. Inſcriptio, de qua diximus, aureis litteris exarata, hunc in modum procedit:

MAR-

MARGARITHÆ AUSTRIACÆ
KAROLI V. AUG. F.
OCTAVII FARN. PLAC. ET PAR. DUCIS II.
VXORI
ALEXANDRI MAX. DUCIS III. MATRI
RAINUTII DUCIS IV. AVIÆ
MAIORIBUS VIRO ET SOBOLE
FELICISSIMÆ
RARISSIMI EXEMPLI FEMINÆ
REBUSQ. IN BELGIO GESTIS
INSIGNI
QUOD IN SAMNIO DECEDENS OSSA SUA
IN HANC ÆDEM TRANSFERRI IUSSIT
QUODQ. EIDEM PRETIOSAM SUPELLECTILEM
ET COENOBIO IN PIOS USUS PECUNIAM
LEGAVIT
ABBAS ET MONACHI POS.
CIↃ IↃ CXVII.

Tab. LV.

VII. Nihil hic de ætate MARGARITHÆ. Eam tamen anno 1522. quadriennio ſcilicet antequam CAROLUS V. Cæſar matrimonio ſeſe adſtrinxerat, ortam fuiſſe, *Famianus* STRADA a) fidem facit. Mater eius erat MARGARITHA, IOANNIS *Vangeſtii*, ac MARIÆ *Coquambæ*, Nobilium *Flandrorum Aldenardenſium* filia, Cæſari cum *Aldenardam* pertranſiret, ab aulicorum quodam eo ex genere, ut idem STRADA ait, qui ad Principum gratiam non niſi malis artibus aditum habent, per tenebras adducta. Mortem oppetiit an. 1586. ultima *Ianuarii Tortonæ*, regni *Neapolitani* civitate, quam, brevi ante a ſe emptam, viſura, morbo correpta, deceſſit, teſte KHEVENHILLERO b) ſæpe laudato.

Nec non & ætas obitusque Principis.

a

b

CAPUT VI.

DE RELIQUIS GENTIS HISPANO-AUSTRIACÆ PRINCIPUM SEPULTURIS.

§. I.

Recenſendi ſuperſunt lineæ *Hiſpano-Auſtriacæ* ii principes, qui ſive in *Hiſpania*, ſive exteris in regnis defuncti, locum in *Eſcuriali* haud invenerunt, nec ſingulari tumulo, aut mauſoleo, alibi honeſtati ſunt. Ex his prima occurrit MARIA, HENRICI VIII. Regis *Angliæ*, ex CATHARINA *Aragonia* filia, regnique heres, PHILIPPI II. R. *Hiſpan.* uxor ſecunda, an. 1558. XVII. *Nov.*

MARIA *Anglicana*, PHILIP. II. uxor II. † XVII. *Novembr.* 1558.

a) Loc. cit. Decade I. lib. I. pag. 20.

b) Tom. I. prodromo *Effigier.* pag. 140. Add. STRADA l. c. Dec. II. lib. VIII. p. 258. ubi tamen in margine menſem *Februarium*, die non expreſſo, legimus.

Nov. extincta, a) ætatis tertio, & quadrageſimo, non vero quarto fere, & quinquageſimo, ut *Gregorius* LETI b) habet; quippe cum HENRICUS VIII. CARHARINAM, eius matrem, ante annum 1509. haud duxerit. Nata itaque erat anno 1516. die VIII. *Febr.* ut vulgati habent Genealogi; ut adeo haud dubie etiam erret SCHOENLEBENIUS, ex BIRCKENIO anni ſequentis XVIII. *Ian.* ſtatuens. Depoſita eſt in Abbatia *Weſtmonaſterienſi* teſte laudato KHEVENHILLERO. c)

IOANNA, Regina *Luſitaniæ*, † 1578.

II. IOANNA, CAROLI V. Imp. filia, orta eſt *Mantuæ Carpetanorum* die XXVII. *Iunii* 1537. d) Hæc IOANNI, IOANNIS III. Regis *Luſitaniæ* filio, ac heredi futuro, elocata fuerat. Verum illo anno 1554. die ſecundo *Ianuarii* ante patrem e medio ſublato, cum SEBASTIANUM *Poſthumum*, ac in regno ſucceſſorem, enixa eſſet, in *Hiſpaniam* rediens, aliquamdiu regnum illud, Rege PHILIPPO, eius fratre, in *Belgio* commorante, temperavit. Tum vero monaſterium Virginum S. CLARÆ *Diſcalceatarum*, *Mantuæ Carpetanorum* a ſe fundatum, ingreſſa, ac an. 1578. ad meliorem vitam evocata, e) ibidem, ut videtur, ſepulta iacet. Nam in *Eſcuriali* haud quieſcere, ſilentium cum FRANCISCI *de los Sanctos*, tum deſcriptio eiusdem monaſterii *hollandica* indicio eſt. CZERWENCKA, f) qui eam in Regio *Scorialenſi* monaſterio ſepultam putat, opinionem tamen non reticet exiſtimantium, illam apud dictas *Diſcalceatas* cubare.

MARIA, MAXIMILIANI II. Imp. ux. † XXVI. *Febr.* 1603.

III. MARIA, CAROLI V. filia, MAXIMILIANI II. Imp. uxor, *Mantuæ Carpetanorum* an. 1528. die XXI. *Iun.* hanc lucem primum aſpicere cœpit. g) Mortuo marito, vitam aliquot annis apud filium RUDOLPHUM II. Imp. egit. Tum vero una cum MARGARITHA filia in *Hiſpaniam* profecta, ac mox memoratum monaſterium Virginum *Diſcalceatarum* ingreſſa, inter Sanctimoniales piam, atque ſanctis operibus fœcundam traduxit vitam. Tandem ſeptuagenaria maior, ardenti febri correpta, animam non ſine ſanctitatis opinione die XXVI. *Febr.* an. 1603. mane intra horam quartam, & quintam, Creatori ibidem reddidit. Poſt mortem vero habitu Ordinis induta, in communi Monialium cœmeterio, ut petebat, humata fuit, ſubinde, an. ſcilicet 1615. XI. *Martii* iuſſu ac præſente Rege PHILIPPO III. totaque Regia familia, in chorum eccleſiæ monaſterii eiusdem transferenda, ac in iaſpideo loculo condenda.

Qua

a) RYMER. *Act. Angl.* tom. X. P. II. p. 40. col. 2. HEUTERUS *rer. Belgic.* lib. XV. pag. 709.
b) Loc. cit. tom. II. lib. XIII. p. m. 211.
c) *Effigier.* tom. I. p. 157. ubi ELISABETHAM ſororem annis poſt humationem tribus e ſepulcro exemptam, & ad MARIAM in ſacellum ibi quoddam translatam fuiſſe, memorat.
d) *Rocchus* PIRRUS *Chronolog. Regg. Sicil.* p. LXVI. d.
e) Vid. PFEFFINGER. ad VITRIAR. lib. I. tit. V. §. 2 p. 722.
f) *Pietat. Auſt.* in append. p. 7.
g) KHEVENHILLER. *Effigier.* tom. I. p. 4. d. *Rocchus* PIRRUS l. c. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* auctoresque ibid. laudati. PFEFFINGER loc. mox cit.

Qua de re *Ioannes* de PALMA, cuius fide hæc referimus, obſervat, corpus eius, tum exhumatum, integrum adhuc repertum fuiſſe. a) Laudatus KHEVENHILLERUS, uti & SCHOENLEBENIUS, eam *Valliſoleti* exceſſiſſe ſcribunt: at in hac parte citato *Ioanni* de PALMA, mortem & ſepulturam eius diffuſe deſcribenti, ac res eius omnes, præſertim vitam, in hoc monaſterio pie & ſancte tranſactam, ſingulari ſtudio perquirenti, plus tribuendum putamus. a

IV. Matri ſubiungimus filiam, MARGARITHAM, religionis cauſſa de *Cruce* cognominatam. Exorta eſt *Vindobonæ* an. 1567. feſto converſionis S. PAULI Apoſt. XXV. *Ianuari*, intra horam IX. & X. nocturnam in ſigno leonis. b) Cum matre in *Hiſpaniam* profecta, ac ipſo die natali ſuo veſte Ordinis ſacri amicta, circumacto anno, die XXV. *Martii* (nam conſtitutum tempus, quod dies aſſumpti habitus fuiſſet, Aula regia, moram ex mora nectendo, protelabat) ſolemni ſacramenti ſponſione DEO, & ſacræ familiæ ſeſe adſtrinxit. Denique omni virtutum genere exculta, ut quæ maxime, variisque etiam morbis fatigata, malignæ demum febri, ſuccedentibus aliis malis, ſuccumbens, in cœlum evolavit anno 1633. V. *Iulii*, die declinante in veſperum, immenſo ſui deſiderio, famaque ſanctitatis poſt ſe relicta, ac poſtero die magno cum apparatu, præſente Rege, Regina, totaque Aula regia, in choro apud matrem depoſita, ut hæc, aliaque copioſe deſcribit laudatus *Ioannes* de PALMA, illius confeſſor. c) MARGARITHA, eiusdem filia † 1633. V. *Iul.* b c

V. Eodem in monaſterio DEO ſeſe, laudatæ modo MARGARITHÆ opera, pariter conſecravit DOROTHEA, ſeu ANNA, Imperatoris RUDOLPHI II. filia, ex contubernio ſuſcepta. Tempus nativitatis eius haud ſatis novimus. Attamen mox memoratus de PALMA, d) eam ſub obitum ANNÆ, Imp. MATHIÆ coniugis, qui in annum 1618. cadit, annum ætatis ſeptimum egiſſe, cum referat, anno 1611. nata videtur. A ſupra dicta igitur amita eius in *Hiſpaniam* evocata, habitumque Ord. S. FRANCISCI *Diſcalceatarum* in eodem monaſterio aſſumens, anno 1628. die XVIII. *Sept.* ſolemnia nuncupavit vota. e) De eius exceſſu nihil certi habemus, haud tamen ambigui, illam in eodem monaſterio, qua vixerat, defunctam, & ſepulturæ traditam fuiſſe. DOROTHEÆ nomen in baptiſmate, ANNÆ in confirmatione indepta eſt, idque Imperatricis ANNÆ iuſſu, quæ illam ſibi cognominem eſſe voluit. DOROTHEA, fil. RUDOLPHI II. Imp. notha. d e

VI. CATHARINA, PHILIPPI II. ex ISABELLA *Valeſia*, tertia uxore, filia, an. 1567. *Octobris* die X. prognata, ac anno 1585. CAROLO PHILIBERTO, Duci *Sabaudiæ*, matrimonio copulata, numero- CATHARINA, PHILIPPI II. fil. Duc. *Sabaud.* † 1597. M. *Nov.*

a) *Ioannes* de PALMA. Vitæ lib. IV. cap. XIII. p. m. 326.
b) Id. PALMA lib. I. cap. I. p m. 3. & infra deſcribenda tabula genealog. coæva poſterorum FERDINANDI I. & MAX. II. Impp.
c) Lib. VI. cap. XIX-XXVI. p. 571. ſeqq.
d) Lib. IV. cap. XVII. p. m. 350.
e) Id. ibid.

merosæ prolis utriusque sexus mater effecta est. Diem clausit extremum in flore ætatis anno 1597. mense *Novembri*, *Taurini*, ut
a videtur, in communi Ducum crypta recondita. a) *Rocchus* PIR-
b RUS b) nativitatem eius ad XVIII. *Octobris* reponit. Sed eam genealogiam, quanquam de cetero sat accuratam, hoc loco in mendo cubare, putamus, ut adeo consensui ceterorum derogare nequeat.

ANNA MARIA MAURITIA, PHILIP. III. fil. † XX. *Ian.* 1666.

VII. ANNA MARIA MAURITIA, PHILIPPI III. filia, vitæ lumen *Vallisoleti* an. 1601. die vero XXII. *Sept.* mane hora secunda adiit. c) Hæc LUDOVICO XIII. *Franciæ* Regi, nuptui tradita, eidem LUDOVICUM XIV. genuit. Carcino affecta, in novo castro ad Fanum S. GERMANI in *Laia*, quatuor leucis a *Lutetia Parisiorum*, morti victima cessit an. 1666. XX. *Ian.* horam inter quartam, & quintam antelucanam. Cor eius die sequenti, latere, ut
c ipsa iusserat, aperto, ac reliquis intestinis intactis, exemptum, in Abbatia Monialium *Vallis gratiæ*, quam ex agro *Parisiensi* in suburbium Sancti IACOBI *Lutetias Parisiorum* translatam, ac a solo excitatam, multis muneribus exornavit, auxitque, depositum est. Corpus vero, capulo plumbeo inclusum, die octavo, & vicesimo eiusdem mensis ad monasterium S. DIONYSII regio conductu, etsi sine ceremoniis sepeliri, vivens rogitaverit, deportatum, in sepulcro
d HENRICI IV. & LUDOVICI XIII. humatum fuit. d) Elogia nonnulla, seu epicedia, memoriæ eius dicata, ac *Gallica* lingua concepta, biographa illius Domina de MOTTEWILLE, una cum testamento, quo quidem singula hæc non modo confirmantur, sed & quantis beneficiis Abbatiam suam *Vallis gratiæ* prosecuta fuerit, in-
e telligitur, adducit. e)

MARIA THERESIA, PHILIP. IV. fil. † XXX. *Iul.* 1683.

VIII. MARIA THERESIA, PHILIPPI IV. ex ISABELLA *Borbonia* filia, LUDOVICI XIV. *Franciæ* Regis, uxor prima, an. 1638. die XX. *Sept.* *Mantuæ Carpetanorum* in lucem protracta, f) rebus humanis anno 1683. die XX. *Iulii Versaliis* exempta est, apoplexia suffocata. g) Cor eius post octiduum in dicta Abbatia *Vallis*
f g *gratiæ*, corpus vero in monasterium S. DIONYSII delatum, v. *Se-*
h *ptembris* in communem Regum *Franciæ* cryptam multis cum ceremoniis demissum est. h) De reliquis Principibus, sanguine *Hispano-Austriaco* satis, quorum tamen numerus exiguus est, in consequentibus dicendi locus erit. TA-

a) KHEVENHILLER. *effgier.* tom. I. p. 128. d. LETI Vie de PHILIPPE II. tom. VI. pag. 250. seq. SCHOENLEBEN. in *ephemerid* LEQUILE.

b) *Chronol. Regg. Sicil.* p. LXVII. d.

c) Memoires pour servir a l'histoire d'ANNE d'*Autriche*, par Mad. de MOTTEWILLE tom. I. pag. 9. & tom. V. p. 496.

d) *Theatr. Europ.* P. X. pag. 392. seq. MOTTOWILLE ubi supra.

e) Tom. V. p. 491. 493. 497. & 498. Iuvat tamen ad complendum hoc spatium fragmentum illius adducere, quod p. 496. legitur, chronotaxin vitæ eius hunc in modum recensens: „Née de PHILIPPE III. Roi d'*Espagne*, & de MARGUERITE d'*Autriche*, à *Valladolid* le Samedi 22. *Septembre* 1601. nommée au Batême ANNE MAURICE au même Lieu, le Dimanche 7. *Octobre*. Suivant mariée avec LUIS XIII. Roi de *France*, surnommé le Juste, le 9. *Novembre* 1615: Mere de LUIS XIV. *Dieudonné*, le 5. *Septembre* 1638, & de PHILIPPE de *France* aujourdhui Duc d'*Orleans*, le 20. *Septembre* 1640: morte le 20. *Ianvier* 1666.„

f) *Rocchus* PIRRUS l. c. p. LXIX. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* ex MS. FUGGERI.

g) Idem PIRRUS ibid.

h) *Theatr. Europ.* P. XII. pag. 601. seq.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER VI.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA

ARCHIDUCUM AUSTRIÆ EX LINEA GERMANICA,

DUCTO INITIO A

FERDINANDO I. IMP. PHILIPPI PULCHRI FILIO

AD USQUE

IMP. MAXIMILIANI II. POSTEROS.

CAPUT I.

MAUSOLEUM CUM CRYPTA PRAGÆ IN BOHEMIA, AD DIVI VITI MARTYRIS, A RUDOLPHO II. IMP. CONDITUM.

§. I.

PRAGÆ in templo metropolitano, ad Divi VITI Martyris, RUDOLPHUS II. Imp. cryptam, condendis Regum *Bohemiæ* funeribus ſub finem ſeculi XVI. fieri curavit, ſuperimpoſito magnifico, ac ſumptuoſo mauſoleo. Situm eſt illud in medio templi, ſupra pavimentum extans, atque Orientem verſus ſummam reſpiciens aram; retro aſſurgunt organa pneumatica, hinc, atque inde ſacella, cameræ, columnæ, pulchro ordine viſui obiectæ. Mauſolei *Pragenſis* origo, & ſitus. TAB. LVI.

II. Tota moles ex alabaſtro undecim pedes in longitudinem porrigitur. Baſis duos gradus habet, ſingulos pedem unum altos: integra vero monumenti altitudo novem pedum, triumque digitorum eſt; latitudo totidem pedes, & ſeptem pollices æquat. Tumulus, ſeu tumba, quatuor pedibus, totidemque digitis aſſurgit, operculum, dempto pollice, pedem unum altum; tria vero ſimulacra iconica, ſuperne iacentia, ſex pedes & novem pollices longa. Gradus ſupra tumulum ſex pueris, ſive geniis, ſcuta tenentibus, exornantur. Septimus, lævo brachio iam mutilus, vertici inſidet, quaſi funera lugens: e regione ſtatua CHRISTI Servatoris palliolati, ac in pedes erecti, alta pedibus tribus, conſiſtit populo elata manu bene Itemque materies, & dimenſio. TAB. LVII.

TAB. LVII. precantis, pedeque dextro calvariam, unde ſerpens prodit, mortis, quam deſtruxit, ſymbolum, calcantis. Spatia denique tumuli, ſeu ſcuta, in quovis latere terna, ac columellas inter inæqualia, opere anaglyptico icones, epitaphia, ſcuta, & alia, ad ornatum facientia, continent.

Simulacra funerum. III. Tria funerum ſimulacra binos Imperatores, & Auguſtam fœminam referunt. In medio recumbit FERDINANDUS I. a dextris MAXIMILIANUS II. & a ſiniſtris ANNA, prioris uxor. Ambo Cæſares, pro more eius ſeculi, barbati, coronati, nec non cataphracti, & paludati ſiſtuntur, quoque a ceteris *Bohemiæ* Regibus facile dignoſcantur, torque aurei velleris, additis pomo Imperii, & gladio, ornati ſunt. ANNÆ caput, aperta corona redimitum, culcitræ reclinat, corporeque palla obtecto, manu ſceptrum tenet. Quod vero RUDOLPHUS Cæſar non niſi trium dictorum funerum icones exprimi iuſſerit, monumentum iſthoc nomen mauſolei *Auſtriaci* obtinuit; quanquam a plebe alias ſimpliciter tumba regia, vel ſepultura Imperatorum nuncupetur. Reſpexerat nimirum auctor operis ad maiores ſuos, ex ſanguine *Auſtriaco* oriundos, & *Romani* Imperii ſceptro, coronaque *Bohemica* claros, quorum memoriæ hunc tumulum præcipue ſacrum eſſe voluit, neque tamen immemor ceterorum funerum, in eandem cryptam, ſubtus exſtructam, illatorum, eorum capita, opere anaglyptico, a tumbæ inferiori parte nonnihil extantia, inſcripturisque conſpicua reddi curavit.

Latus orientale cum epitaphio FERDINANDI I. Imp. TAB. LVIII. Sect. I. IV. Facies mauſolei orientalis, ubi imaginem Servatoris conſiſtere diximus, epitaphium FERDINANDI, duabus lineis conſtans, offert, his abſolutum verbis: FERDINANDVS. I. ARCHID. AVST. ROM. IMPERATOR. HVNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REX. NATVS. MEDINÆ. ANNO. MDIII. DIE. X. MART. CORONAT. PRAGÆ ANNO. MDXXVII. DIE. XXIII. FEBRVARII. MORTTVVS. ANNO. MDLXIIII. DIE XXV. IVLII. Inter columellas terna ſpatia totidem inſignia occupant, ſupra expreſſis ſimulacris correſpondentia. Priora duo ad dictos Cæſares, atque Archiduces ſpectant, tertium ad lævam ſcutum refert quadripartitum, a duobus angelis ſuſtentatum, impoſita corona, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* inſignia referens. Singulare eſt, ad dextram Servatoris globum, aut cœleſtem, aut terreſtrem exhiberi, impoſita aquila Imperii bicipiti; unde vel hinc auctorem operis, Cæſarem RUDOLPHUM, Mathematicis diſciplinis apprime deditum agnoſcere liceat.

Iudicium de eo. V. Epitaphium, quoad ortus, obitusque æram, recte ſe habet, ſuffragantibus nempe Scriptoribus, mox laudandis, eundem annum 1503. decimumque *Martii* prodentibus. At quoad locum nativitatis iidem variant. Inter eos præcipui ſunt MARIANA, a) qui

a

eum

a) De *reb. Hiſpan.* tom. III. lib. XXVII. cap. XIX. p. m. 270. col. 1.

eum *Compluti*, & *Pontus* HEUTERUS, a) qui eum *Alcalæ*, quod eodem redit, natum perſcribunt. Accedunt SAMBUCUS in oratione parentali, b) BIRCKENIUS, c) nec non SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus*, qui & tempus propius exprimens, horam nonam, minuta 56. poſt meridiem computat. HENNINGESIUS contra, BUCHOLZERUS, MATHIÆ *theatrum hiſtoriæ*, MORERIUS in lexico, aliique nonnulli apud PFEFFINGERUM, d) nec non & CUREUS e) cum epitaphio faciunt. Nobis MARIANÆ auctoritas; utpote Scriptoris *Hiſpani*, iuxta ac accurati, qui & inſuper res circumſtantes addit: nempe puerum, ad ſextum idus *Martii* natum, ab Archiepiſcopo *Toletano* aquis ſalutaribus, ſuſceptoribus *Angari* Duce, & VILLENIO, ablutum fuiſſe, haud deſerenda videtur. Non minus vero, in hac præcipue parte, momenti habere videtur HEUTERUS, Scriptor ſuppar, qui eodem loco diarium itinerarium PHILIPPI, *Hiſpaniarum* Principis, FERDINANDI patris, affert, duobus menſibus ante partum IOANNÆ per *Franciam* in *Belgium* ſuſceptum, quod dum hæc ſcriberet authenticum ante oculos habuiſſe videtur. „Nona *Martii* (ait inter cetera) *Mincium* venit, decima *Aragonem*, „decima quarta *Aurantium*, inde ad *Pontem S. Spiritus*, ubi ei nun„tiatur, uxorem IOANNAM *Alcalæ* peperiſſe filium FERDINANDUM.„ Epitaphium contra multo inferius eſt, quam ut hiſce fidem demere queat: nec deſunt exempla, a nobis cum antea allata, tum poſtea etiam afferenda, quibus eiusmodi ſepulcralia monumenta nonnunquam ab erroribus haud immunia eſſe patuit, patebitque. Quin inter hæc ipſa epitaphia etiam alia nutare, ſtatim apparebit. TAB. LVIII. a b c d e

VI. Aliud epitaphium SAMBUCUS, ubi ſupra, & ex eo PFEFFINGERUS f) affert, quod etſi longiuſculum, huc tamen, quod tanti Imperatoris hiſtoriam mortis una referat, transferendum duximus: Aliud epitaphium, cum mortis, exequiarumque hiſtoria. f

POSTERITATI SACRUM!

IMPERATORI CÆSARI DIVO FERDINANDO, FILIO PHILIPPI CASTELLÆ, FRATRI CAROLI V. NEPOTI MAXIMILIANI I. PRONEPOTI FRIDERICI III. ETC. GERMANICO, PANNONICO, BOEMICO, DALMATICO, CROATICO ET CÆSARI PIENTISSIMO, AUGUSTISSIMO, FELICISSIMO, VIGILANTISSIMO, LIBERALITATE, LENITATE, IUSTITIA, PRUDENTIA SINGULARI, ET OPTIMO PRINCIPI, TYRANNORUM MAXIMO ET INFESTISSIMO HOSTI, PACIS AMANTISSIMO, VITA MODESTISSIMO, CONSILIIS SANO, ARMIS INVICTISSIMO, CONSUETUDINE FACILI, RELIGIONE USITATA, ET UNIVERSA, OMNIBUS DESIDERATISSIMO. QUI, QUUM SE MOLESTISSIMIS AC PERPETUIS OCCUPATIONIBUS, NON MODO NON EXOLVERE, SED NE RELAXARE QUIDEM UNQUAM VELLET, OBSCURA PRIMUM FEBRI, AC VARIE ARREPTUS, MOX PER SEX MENSES EA PALAM VEHEMENTIUS, AC INTESTINE ADURENTE, UT PARTES ALI-

a) *Rer. Belg.* lib. VI. p. m. 262.

b) In Appendice ad BONFINIUM p. m. 569. c. ubi tamen perperam pro X. *Martii*, *Maii* legitur. Eundem tamen menſem etiam apud *Ludovicum* DOLCE, in vita huius Imperatoris pag. 2. legimus, haud dubie tamen mendoſe; quando tot alii Scriptores, *Hiſpani* æque, atque *Germani*, *Martium* volunt. Diarium certe HEUTERI, cuius hic mentionem facimus, alium menſem haud admittit.

c) Lib. VI. cap. XXI. pag. 1395.

d) Lib. I. tit, V. pag. 738.

e) *Chron. Sileſ.* verſ. *Germ.* P. I. pag. 304.

f) Ad VITRIAR. loc. cit. pag. 743.

Tab. LVIII. ALIQUAMDIU SOLIDAS ATTENTAVIT: PITUITA QUOQUE TENUI SOCIA PER FAUCES ACRITER, FT TABIDE PECTUS IAM REPLENTE, SANGUINIS ETIAM PROBITATE, HABITUDINEQUE UNIVERSA, EXTREMO TIMORE INDICE, IN AQUAM PENE CONVERSA, TRIBUS FILIIS, MAXIMILIANO II. IMPERATORE, FERDINANDO ET CAROLO ARCHIDUCIBUS, NOVEMQUE FILIABUS RELICTIS, COMPOSITE, ET FACILLIME, AB HOMINUM SOCIETATE AD COELESTEM REGIONEM, QUO EIUS PERPETUO CONATUS, MENS, PRECESVE RESPECTABANT, IPSO IACOBI DIE, OMNIUM MOERORE INCREDIBILI EXCESSIT, UT, QUOMODO IS APOSTOLUS HISPANOS PRIMUS AD CHRISTI AMOREM, ATQUE PROFESSIONEM VOCAVIT: ITA HIC INFANS HISPANIÆ EIDEM APOSTOLO DIE SACRO, CÆTERIS, UT VITAM CHRISTIANE EXUANT, PRÆIRET. CUJUS EX VOLUNTATE AD CONJUGIS DULCISSIMÆ OSSA, CINERIBUS APPARATISSIME FUNESTISSIMEQUE DEPOSITIS, CORPORIS CUM ANIMA HIC REDIVIVAM CONJUNCTIONEM, SPE CERTA, INTERQUE INCERTA, EXSPECTAT. CUJUS MANIBUS, HOSPES, LÆTA PRECATOR: POST ABI, HANCQUE CONDITIONEM BEATAM SCITO.
VIXIT ANN. LXI. M. VI. D. XIV. H. XX.

Notat hic PFEFFINGERUS, loco VI. rectius ſcribendum fuiſſe, menſes quatuor, id quod diem nativitatis eius, cum die obitus contendenti, facile illuceſcet. Verum ſi tabulæ genealogicæ mox laudandæ, fides, quæ mortem eius *Viennæ Auſtriæ*, horam inter ſextam & ſeptimam, ac SCHOENLEBENIO, qui eam paullo ante horam VII. veſp. anno & die prædictis, eveniſſe docet, anni ætatis LXI. menſes quatuor, dies XIV. horæ autem omnino XXII. prodibunt. CUREUS a) in omnibus totidem computat, at horas tantum viginti; quippe qui eum hora ſexta, non ſeptima obiiſſe perſcribit. Parentatum eſt FERDINANDO variis in locis, id quod & ex orationibus parentalibus, carminibusque, tum temporis habitis, recitatisque, ac *Francofurti ad Mœnum* coniunctim editis, b) intelligitur.

a

b

Latus occidentale cum epitaphiis variorum. Sect. II.

VII. Pars huius tabulæ inferior faciem exhibet monumenti ſolem occidentem verſus. In ſummitate, ornatus cauſſa, impoſitum opus quoddam anaglypticum, cymatiis ad genium artificis effigiatum. Superiori gradui tres inſident pueri, quorum medio, duas tædas tenente inverſas, alter ad dextram ſcuto Imperiali, aquilam bicipitem coronatam pectori *Hungariæ*, & *Bohemiæ* inſignibus impreſſis, referenti incumbit, læva calvæ cadaveris impoſita: alter dextra ſimilem calvam apprehendens, inſignia *Poloniæ* præbet ſiniſtra. Anaglypha inter columellas in medio tumbæ tria ſpectantur, ſingula protomas Regum, & Reginarum, coronis laureis incluſas, cum infra ſcriptis elogiis complectentia. Medium, ac præcipuum locum tenet CAROLI IV. Imp. caput, cum ornatu Cæſareo, hoc inſcripto titulo, quatuor lineis comprehenſo: CAROL. IIII. ROM. IMPERAT. BOH. REX. NAT. ANO MCCCXVI. CORONAT. ANO MCCCXLVII. MORT. ET SEPVLT. ANO. MCCCLXXVIII. Dextrorſum in prima area bina Regum *Bohemiæ* capita: LADISLAI, quo de paullo poſt, & GEORGII PODIEBRADII, cum hac inſcriptione, octo lineis abſoluta comparent: GEORG. PODIEBRAD. CORONAT. REX. BOH. ANO. MCCCCLVIII. MORTVVS. ET. SEPVLTVS. ANO. MCCCCLXXI. DIE. XXII. MARTII. Area ad ſiniſtram

a) *Chron. Sileſ.* P.I. p. m. 309. *Germ.* edit. b) Tom. I. a pag. 336. averſ. uſque ad fin.

niſtram bipartita quoque eſt, duo capita fœminea, coronis ornata exhibens, BLANCÆ ſcilicet, & ANNÆ, uxorum prædicti CAROLI IV. Priori hocce lemma adſcriptum, ſeptem lineis expreſſum eſt: BLANCA. FILIA. PHILIPPI. COMIT. VALESIÆ. VXOR. I. CAROLI IIII. REGINA. BOH. MORT. ET. SEPVLT. ANNO. MCCCXLVIII. Alterius memoria ſeptem item lineis hunc in modum conſervatur: ANNA. FILIA. PALATINI. AD. RHENVM. COMIT. VXOR. II. CAROLI IIII. REG. BOH. MORT. ET. SEPVLT. ANNO. MCCCLII. TAB. LVIII.

VIII. Inſcriptio, ad LADISLAUM poſthumum attinens, novem verſibus ſic proloquitur: LADIS. NAT. ANNO. MCCCCXXXIX. CORONAT. AN. MCCCCLII. DIE. SIMO. ET IVDÆ. MORTVVS. AN. ÆT. XVIII. SEPVLTVS. ANNO. MCCCCLVIII. DIE. XXX. NOVEMB. Omnia hæc virgula cenſoria opus habent. LADISLAUM enim non an. 1439. ſed ſequenti, & quidem XXII. *Febr.* in oppido, ſeu caſtro *Hungariæ Comaromio* ortum, nec Regem *Bohemiæ* an. 1452. ſed 53. XXVIII. *Octobr.* feſto SS. SIMONIS & IUDÆ App. die (ut id quidem inſcriptio recte cenſet) coronatum, ac denique an. 1457. die S. CLEMENTI P. & M. ſacro, i. e. XXIII. *Nov. Pragæ* inter ipſum nuptiarum apparatum extinctum, ac triduo poſt, XXV. menſis eiusdem, ibidem in eccleſia S. VITI ſepultum fuiſſe, certiſſime conſtat; teſtimonium nempe reddentibus Scriptoribus, maximam partem coævis, ap. Cl. *Hieron.* PEZIUM, a) aliisque. Potiores, eum veneno, ab *Huſſitis* propinato, interiiſſe ſcribunt, quanquam nonnulli per verba: *ut creditur*, *ut dicitur*, ſe famam ſequi, ingenue teſtentur. Ea de re BONFINIUS b) hunc in modum: „LADISLAUS igitur, quem *delicias orbis* appellabant, - - adoleſcens, fauſta, ac incomparabili pulchritudine, ſapientia præcoci - - annos natus duodeviginti, horarum ſex & triginta ſpatio, poſtquam ægrotare cœperat, anno vero ſalutis quadringenteſimo quinquageſimo octavo ſupra milleſimum humanis exceſſit, non ſine perpetua cunctarum gentium commiſeratione. - - Aliqui morbo, veneno alii, ſubreptum fuiſſe affirmant, & *Theutones* præſertim medici, qui præcipuam curam corporis gerebant, hi evidentiſſima veneni ſigna in eo deprehendiſſe, poſtquam in *Auſtriam* rediere, pertinaciter aſſeverabant, in aliena terra ſe nihil dicere auſos, LADISLAI poſthumi fata.

a) ARENPECKIUS, *Scriptor. rer. Auſtr.* tom. I. col. 1253. d. 1260. d. & 1270. a. b. chron. *Mellic.* ibid. col. 258. c. WOLFGANGUS de *Styra* in *Itinerar.* tom. II. col. 449. a. b. Anonym. *Gemnic.* ib. col. 378. d. 379. a. Chron. S. PETRI *Salisb.* ib. col. 429. c. d. Chron. *Stamſenſe* col. 460. c. Anon. *Mellic.* col. 464. b. Anonym. *Tegernſeenſ.* col. 470. a. LANCKMANNUS de deſponſatione FRIDERICI III. col. 604. d. HASELBACH. col. 857. d. & 885. d. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* ei pro natali XXI. *Febr.* noctem ſcilicet, feſtum *Cathedræ* S. PETRI antecedentem, tribuit, Scriptoribus, ut videtur, quorum auctoritate nititur, noctem illam ad diem præcedentem computantibus, mortem autem, cum nonnullis aliis, quos inter & BONFINIUS, mox excitandus, ad an. 1458. aſt perperam reponit. a

b) *Rer. Hungaric.* Dec. III. lib. VIII. p. m. 361. ſeq. Add. ÆN. SYLV. *Hiſtor. Bohem.* ex edit. FREHERI cap. LXXI. p. 205. b

ſos, ne illorum animos læderent, quorum ſcelere ille perierat. Quin etiam ſe Regi clam dixiſſe, affirmabant, veneno eſſe potionatum: illum contra reſpondiſſe, ſe id non latere, imo ſilentium indixiſſe, ne unacum ſuo Rege enecarentur. - - Utrum potius affirmem, haud facile dicere auſim.„ Hæc, & plura alia BONFINIUS. *Gerardus* de ROO adhuc circumſpectius loquitur. Extant denique U-LADISLAI IV. *Hung.* & *Boh.* Regis litteræ publicæ affirmantes: quod cum vagi hactenus ſermones fuerint, qui LADISLAUM veneno ſublatum tradunt, ſe prius habita inquiſitione ſedula, in præſentia procerum ſuorum, & nobilium, tumulum ipſius aperiri feciſſe, & in eo corpus eius incorruptum inveniſſe, nec ullum in eo ſignum, ex quo illum veneno interiiſſe, colligere licuerit, reperiſſe. Datæ *Pragæ* die *Veneris*, qui S. VALENTINO ſacer, an. 1472. a)

a

Eiusque elogia.

IX. LADISLAUM variis epicediis, ac threnodiis proſecuti ſunt eius temporis viri Litterati. HASELBACHIUS b) ei ſat longum carmen funebre, ſed invita plane minerva compoſuit. Leſſum, *Germanica* lingua non magis venuſtum, ab Anonymo conſcriptum, Doctiſſ. *Hier.* PEZIUS c) edidit. Tertio; utpote brevi admodum, verſibus, leoninos ex parte imitantibus, ab Anonymo *Mellic.* itidem concinnato, & ab eodem vulgato, d) hic locum dare viſum eſt:

b

c

d

Sceptra LADISLAI, CLEMENS tu Sancte, rotabas,
Annis millenis quinquaginta quoque ſeptem,
CLEMENTIS feſto LADISLAUS doxatur pomo,
Rex *Bohemorum*, *Ungarorum*, Dux *Auſtriæ* Domus,
Perfidos *Huſſitas*, *Hæreticos*, & *Bicleſitas*,
In urbe *Praga*, Katholicæ fidei plaga,
De BODOBRAT natus dicitur eſſe reus,
Uſurpans regnum ſibi per hoc: nam fecit ob hoc.
Vindicet Deus, puniatur in hoc malo reus.

Facies meridionalis, cum epitaphio MAXIMILIANI II.

TAB. LIX. Sect. I.

X. Latus monumenti meridionale, verſus ſacellum fidelium defunctorum ſpectans, ſimulacrum MAXIMILIANI II. Cæſaris, cum ornamentis, ſuperius ſcriptis, conſpectui præbet. Tres pueri, infra in gradu ſedentes, ſcuta tenent, quorum medius bina cum ampliſſimis inſignibus *Hiſpano-Auſtriacis*, dexter ſymbola *Poloniæ*, ſiniſter *Burgundiæ* oſtendit. Paullo inferius epitaphium Cæſaris, duobus verſibus diſtinctum, legere eſt: MAXIMIL. II. ARCHID. AUSTR. ROM. IMPERAT. HVNG. ET BOH. REX. NATUS. AN. M. DXXVII. DIE. I. AVGUSTI. MORT. RATISPONÆ. AN. LXXVI. DIE XII. OCTOB. CIRCITER. HOR. IX. ANTEMERIDIANAM. SEPVLT. DIE XXIII. MARTII AN. MD. LXXVII. Apprime hæc conveniunt cum Scriptoribus, & monumentis eius temporis, quæ proinde

a) Apud SOMMERSBERG. *Rer. Sileſ.* tom. I. p. 1079. num. CCIII.
b) Loc. cit. tom. II. col. 887.
c) Loc. cit. col. 679.
d) Ibid. col. 463.

inde ſigillatim iam adducere, ſupervacaneum foret. In tabula genealogica Auguſtæ Domus, membranæ inſcripta, ac apud nos ſervata, qua poſterorum FERDINANDI I. & MAXIMILIANI II. Impp. dies nativitatis & obitus accurate ſignantur, natus ſcribitur *Vindobonæ* an. 1527. Kal. *Aug.* die *Iovis* hora undecima nocturna, in ſigno libræ. Hanc tabulam coævam eſſe, ac circa annum 1566. confectam, inde colligimus; quod CAROLUS, huius MAXIMILIANI filius, hoc eodem anno defunctus, ultimus ſit, cuius tempus obitus in ea deſignatur, teſſellis, pro reliquis ipſum ſecuturis, vacuis relictis. Hanc tabulam deinceps etiam in noſtros uſus convertemus. Mortis cauſſam in perpetuas regnorum atque Imperii curas, & labores, quibus & calculi dolores, iique haud dubie præcipuum momenti adiicientes, accedebant, reiiciunt eius temporis Scriptores, quibus demum fractus ſuccubuit. Corpus anno deinde ſequenti XXI. *Mart. Pragam* advectum, ac in Eccleſia S. IACOBI Fratrum *Minorum Conventualium* depoſitum, poſtero die magna pompa ſepulturæ traditum fuiſſe, ex Magiſtri BIDZOVINI MS. teſtatur CRUGERIUS ad XII. *Octobr.* At inſcriptio, mox recitata, ſepulturæ eius diem ſequentem aſſignat. Addit SAMBUCUS a) aliud epitaphium, ſiglis in fine hoc modo expreſſum: VIXIT ANNOS IL. M. II. D. X. OBIIT H. X. A. M. P. B. M. C. H. V. DUM ARTUS REPOSCAT. Quæ quidem, etſi verba ultima haud ſatis intelligamus, ſic interpretandæ ſunt: Vixit annos XLIX. menſes II. d. X. obiit hora decima ante meridiem: poſuit bene merenti cum hoc voto: dum artus repoſcat. Verum ſecundum inſcriptionem, quæ horam IX. ponit, tabulamque prædictam, menſes duo, dies XI. horæ XIV. emergunt. TAB. LIX. a

XI. Diviſio *ſcutorum* ad columellas, in ſimilitudinem ceterorum, tripartita eſt. Duæ areæ poſteriores vultus cum cymatiis exhibent, ex arbitrio artificis ornatus gratia, vel certe interim ideo additos, ut, novo accedente funere, eximi, eorumque loco, ad imitationem reliquorum, protome noviter defuncti cum inſcriptione ſubſtitui poſſit. Prima autem area bipartita, capita Reginarum *Bohemiæ*, ANNÆ, & ELISABETHÆ, uxorum pariter CAROLI IV. Imp. complectitur, ad normam præcedentium efformata. Prius epitaphium, octo lineis completum, ſic ſonat: ANNA. FILIA. BVLCONIS. DVCIS. SVIDNICENSIS. VXOR. III. (Chalcographus male incidit: IIII.) CAROLI IIII. REGINA. BOH. MORTVA. ET. SEPVLTA. ANNO. MCCCLXII. b) Alterum elogium, totidem lineis abſolutum, huius eſt ſententiæ: ELISABETHA. FILIA. DVCIS. STETINENSIS. BOGASLAI. VXOR. IIII. CAROLI. IIII. REG. BOH. MORTVA. ET. SEPVLTA. ANNO. Supple: MCCCXCIII. XII. Ad Nec non ANNÆ, & ELISABETHÆ, uxorum CAROLI IV. Imp. b

a) In append. ad BONFIN. p. m. 608. c.
b) Conf. SOMMERSBERG. *Rer. Sileſ.* tom. I. tab. IV. p. 386. & aſſert. ad eam p. 404. ubi eam XI. *Iul.* an. 1362. obiiſſe docet.

Latus ſeptentrionale, cum epitaphio ANNÆ, FERDINANDI I. coniug. TAB. LIX. Sect. II.

XII. Ad Septentrionem, verſus ſacellum S. SIGISMUNDI, ſimulacrum ANNÆ, ULADISLAI, Regis *Hungariæ* filiæ, uxoris FERDINANDI I. conſpicitur, qua de ſupra mentionem fecimus. Stipant illud tres pueri, clypeos tenentes, ſymbolis Imperii, ac regnorum *Hungariæ*, *Bohemiæ*, & *Poloniæ*, nec non Archiducatus *Auſtriæ* inſignes. Epitaphium, loricæ monumenti inſcriptum, atque unico verſu completum, ſic habet: ANNA. FILIA. VLADISLAI. REGIS. HVNG. ET. BOHEMIÆ. IMPERATR. VXOR. FERDI. IMPERAT. VIXIT. ANNO.ſ XLV. MORT. ANNO. MDXLVII. DIE. VLT. IANVAR. Etiam hanc inſcriptionem mendoſam eſſe, ex die eius, quam aſſignat, fatali innoteſcit; quippe quum ANNA haud quaquam ultimo, ſed XXVII. *Ianuar.* anno, in inſcriptione notato, & quidem ex partu IOANNÆ filiæ, *Pragæ* in arce regia obierit, ut præter Scriptores, fide dignos, a) etiam ſupra memorata tabula genealogica affirmat, inſimul addens: id horam inter octavam, & nonam eveniſſe. b) Nata erat anno 1503. XXIII. *Iulii* hora ante meridiem ſeptima, CUREO aſſerente, c) quocum, quoad annum, & diem, plures quoque alii faciunt.

Itemque WENCESLAI Imp.

XIII. In ipſa tumba ſpatia inter columellas bina priora non niſi ornamenta, de quibus ſupra diximus, continent, tertium vero caput WENCESLAI Imp. cum inſcriptura, quinque lineis abſoluta, ſic loquente: VENCEL. ROM. IMPERAT. BOH. REX. NATVS. ANNO. MCCCLXI. CORONAT. ANNO MCCCLXIII. DIE XII. IVNII. ÆTAT. LVIII. MORT. ET. SEPVLT. ANNO MCCCCXVIII.

CAPUT II.

DESCRIPTIO CRYPTÆ SEPULCRALIS, SUB EODEM PRAGENSI MAUSOLEO RECENS APERTÆ, ADDITA DELINEATIONE.

§. I.

Luſtratio cryptæ *Pragenſis.*

Recenſito, qua parte hominum conſpectui obiicitur, mauſoleo Regio, ac Imperatorio *Pragenſi*, iam ſub ipſam terram eundum eſt, quo cryptam, ſubtus conſtitutam, luſtrare, atque illuſtrare detur. Aperta illa fuit iam anno 1743. decima menſis *Iunii*, non quinto, & viceſimo, ut tum novellarum auctores falſo retulerunt. Præſentes erant Excellentiſſimi Comites de KINSKY, & SCHAFFGOTSCH, quorum ille ſupremus regni Cancellarius, alter *Burggravius* erat. His præcipua rei cura ab Auguſtiſſima Regina, MARIA THERESIA, tum recens coronata, demandata fuit. Tum vero & Reverendiſſimo D. de LANKISCH, regiæ metropolitanæ

a) PETRUM de *Rota* in carmine funebri, tom. I. Orationum parentalium, *Francofurti* an. 1566. editarum, fol. 329. averſ. CUREUM, SCHOENLEBEN. BLOTIUM, aliosque.

b) Octavam ſimpliciter aſſignat idem PETRUS de *Rota*. *Fridericus* vero NAUSEA, Epiſcopus *Vindobon.* in oratione parentali ibid. pag. 302. adv. *Feria V. circiter horam minoris horologii VIII. antemeridianam* ponit.

c) Loc. cit. p. m. 265.

tanæ eccleſiæ Archidiacono, ut actui interſit, ac Reverendo D. Sacriſtæ, ut hac in re notarii munus expleat, Aula iubet. Quibus acceſſit D. de MOHR, S. M. Cancellariæ ſtatus intimæ Officialis, ac poſtea Cancellariæ Imperialis Referendarius, qui pro ſua, dum viveret, in rebus antiquis ſolertia ac doctrina, ad opus hoc rite explendum plurima ſane contulit. Aderant præterea viri illuſtres ac nobiles, D. ab ENGEL, S. M. tum Archiater, D. de ROSENTHAL, eo tempore Secretarius Cancellariæ *Bohemicæ*, nunc Conſiliarius Cæſareus & Archivarius, D. de DOLNSTEIN, Regiſtrator Cameræ *Bohemicæ*, D. *Ioannes* STANDLER, Cameræ Regiæ pro-Secretarius, PICKARDUS iunior, cryptam, loculosque delineans, aliique metropolitanæ eccleſiæ a ſervitiis. TAB. LIX.

II. Inter duas columnas retro mauſoleum, lapide ab oſtio revoluto, ad cryptam hanc ſepulcralem patebat aditus per ſcalam non nihil difficilis, quatuor pedum, totidemque pollicum altitudine. Camera funerea in longitudinem octo ſupra decem pedes porrecta, pedes decem cum ſemiſſe alta, complectitur octo cum ex ſtanno, tum ex ligno loculos, quos inter eminet in medio poſitus, ſignisque ornatus quaſi tumulus, primo intrantium conſpectui obiectus, reliquis ſeptem retro hunc locatis. Typus totius cryptæ hic adiectus, triplici forma genuinum loci, ac loculorum ſitum edocet, qua nimirum parte funera introeuntibus ſe præbent, & qua forma loculi nonnulli aperti in conſpectum veniunt. Schema eiusdem, numerusque loculorum. TAB. LX.

III. Tumba, de qua mox diximus, ex ſtanno, in medio cryptæ locata, baſi lapideæ, ſeptem pollices altæ inſiſtit. Ipſa quinque pedes, & decem pollices longa, duos pedes, & octo pollices alta, lata vero duos, & ſemis pedes. Spatia laterum, columellis decem interſtincta, novem ſupra decem ſcuta, inſignibus Domus Auguſtæ conſpicua, continent. Columellæ angelorum capitibus, annulos ore ferentibus, nec non totidem infra poſitis, molemque ſuſtinentibus exornatæ ſunt: impoſitis ſex geniis, palmas manu continentibus, quorum pars coloribus, pars auro artificioſe obducti rutilant. Operculum, quod tantæ molis erat, ut illud ſine metu inferendi damnum monumento amoliri nequiverit, CHRISTI e cruce pendentis imagine, adſtantibus Virgine Deipara, & S. IOANNE, venerationi eſt. Infra hanc crucem epitaphium, litteris *Romanis* exaratum, atque his verbis conceptum legitur: RUDOLPHI II. Imp. tumba cum epitaphio.

D. O. M.
D. RVDOLPHO II. CÆS. AVG. HVNG.
ET. BOHEMIÆ. REGI. D. MATTHIAS.
IMP. ET. FRATRES. FRATRI. P. C.
VIX. ANN. LIX. MENS. VI.
OB. DIE. XX. MEN. IAN.

TAB. LX.

ANN. DN. MDCXII.
ROM. XXXVII.
REGN. SVO. HVNG. XXXX.
BOHEM. XXXVII.
CVI. ÆTERNVM. BENE. SIT.

Ætas Cæſaris, mortisque, & ſepulturæ hiſtoria.

IV. De loco itaque, ſituque funeris RUDOLPHI iam nihil ambigendum, nec dubium ſubeſt de eius ætate; quando eum anno 1552. *Iulii* XVIII. in mundum veniſſe ſatis conſtat. Addit ſupra memorata tabula membranacea etiam locum, *Vindobonam* ſcilicet, nec non & horam, tertium nempe quadrantem ante ſeptimam veſpertinam, in ſigno geminorum, quicum & MENLIUS convenit; ut adeo in errore verſetur GANSIUS, id XV. *Iulii* hora ſecunda minutis 15. poſt meridiem accidiſſe memorans. Horam præterea obitus Excellentiſs. KHEVENHILLERUS a) prodit, ſeptimam nimirum matutinam, genusque mortis ſubitaneum, ita, ut SS. Eccleſiæ Sacramentis recipiendis tempus haud ſupereſſet; quanquam & ea improviſa omnino haud fuerit; cum iam exeunte anno 1611. accedente ad crus alterum, ex gravi fluxu inflammatione, indies peius habere cœperit. Sepulturam eius, regia magnificentia factam, SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* ad uſque I. *Octobris* dilatam fuiſſe refert: at illud alii de ſolemnibus exequiis accipiunt. b) Corpus Cæſaris exenteratum, aromatibus infartum, ac toga ſerica damaſcena involutum, arcæ, panno holoſerico ſubſarcinatæ immiſſum fuiſſe, idem Excell. Comes teſtatur, impoſita pectori cruce, ad latus vero ſiniſtrum gladio, & ad dextrum aurei velleris inſigni. Operculum præterea vitro cryſtallino pellucido inſtructum fuiſſe memorat, quo Cæſareum funus proſpectari poſſet.

a

b

De ſcutis gentilitiis.

V. Scuta, ſuperius memorata, talem in ſchemate impreſſum ordinem ſervant, quem adiectæ, nigroque colore pictæ inſcriptiones loquuntur. Nam I. aquila biceps Imperialis comparet, parmulam cordi impreſſam gerens, *Auſtriæ* ſymbolum. II. Infra illam inſignia Comitatus *Goritiæ*. III. Com. *Phirretarum*. IV. Ducat. *Luſatiæ*. V. Duc. *Carniolæ*. VI. Duc. *Carinthiæ*. VII. Duc. *Styriæ*. VIII. Duc. *Sileſiæ*. IX. March. *Moraviæ*. X. Regni *Bohemiæ*. Ex altera parte num. XI. aquila Cæſarea, ut ſupra. XII. Regni *Hungariæ*. XIII. Regni *Croatiæ*. XIV. Regni *Dalmatiæ*. XV. Regni *Boſniæ*. XVI. *Bulgariæ*. XVII. Archiducatus *Auſtriæ*, in bipartito ſcuto faſciam albam a dextris, quinque aves ad lævam exhibens. XVIII. *Auſtriæ* ſupra *Anaſum*, ac denique XIX. Marchionatus *Burgoviæ*. Ordo quidem concinnior fuiſſet, ſi ab hoc ultimo latere, quatenus Ducatus, Comitatusque regnis præponerentur, inire numerum voluiſſemus. Attamen etiam hoc pacto ſcutum regni *Bohemiæ*

a) *Annal. Ferdin.* tom. VII. col. 439.

b) PIASECIUS p. 281. *Mercur. Gallo-Belg.* p. 155.

miæ ordinem ſuum haud tueretur. Verum non unus hic artificis error eſt; quando etiam in nonnullis ſcutis ſymbola confudit, atque externa commiſcuit. *Boſniæ* nempe clypeum, præter morem, in quatuor areas diſtribuens, in prima dextrum brachium cataphractum, e nubibus porrectum, ſtrictum manu gladium tenens recte exhibet, leonem tamen nigrum in area rubea, ſimilemque in campo aureo pictum, nec huc pertinentes, aliunde advocavit, quemadmodum & apri caput, alieno hic loco apparere certum eſt; utpote quod ad *Serviæ* regnum ſpectat. *Bulgariæ* regnum, in medio campi rubri, quaternis faſciis auratis oblique ſciſſi, album lupum, currenti ſimilem, pro teſſera habet: at artifex in ſcuto argenteo faſciam viridem diagonalem, percurrente eam vulpe, anſerem ore ferente, adumbravit; quanquam & chalcographus noſter hanc aream & ipſus male exhibuerit. *Luſatiæ* quoque inſignia ludit auctor, leonem rubeum in area argentea exprimens, faſciam præterea addens *Auſtriacam*; cum conſtet, Comitatus huius clypeum in parte inferiori bovem rubeum, ventre albicante, in ſuperiori laterculo cæruleo aureum murum, nigro opere cœmentario diſtrinctum, præferre. Ad extremum *Pherretani* Comitatus ſcutum, alias ſimplex, ac rubeum, cui ex adverſo ſibi oppoſiti impreſſi ſunt piſces aurei, in quatuor areas dividens, in prima rubram aquilam in campo argenteo, in ſecunda teſſeram *Alſatiæ* ſuperioris, in tertia area duos leones, alterum alteri impoſitos, ac ultimo denique loco dictos, qui ſoli comparere debuerant, piſces repræſentat. TAB. LX.

VI. A tumba RUDOLPHI II. retrorſum, parietem verſus, ſeptem poſiti ſunt capuli, ordine nunc ſuo recenſendi. Primus parvus, ex ligno confectus, holoſerico rubro iam iam obſoleſcente tectus, ſignum crucis impreſſum habet. In illo ſtanneus latet loculus, ſed non niſi funeri infantili, ut iis quidem, qui luſtrationi huius cryptæ interfuerunt, videbatur, par capiendo. Ferrumination loculum aperiri vetuit; cumque inſcriptione careret, nec inſignium appareret veſtigium, funus iſtud in medio relictum eſt. Quod ſi tamen coniecturæ locus, erit fortaſſis filia ipſius RUDOLPHI Cæſaris, nomine CAROLINA, *Mechliniæ* die XII. *Ian.* 1662. defuncta, ibique primum apud RR. PP. *Carmelitas*, in choro maiori, ſepulcro credita, ubi eius epitaphium *Gallice* conſcriptum, adhucdum, *Magno Theatro Brabantiæ* a) referente, legendum, *Latine* redditum ſic ſonat: HIC IACET ILLUSTRISSIMA DOMINA CAROLINA AB AUSTRIA, FILIA RUDOLPHI II. IMP. MORTUA MECHLINIÆ XII. IANUAR. 1662. Verum, eodem affirmante, funus

Funus anonymum, aut potius CAROLINÆ, RUDOLPHI II. filiæ nothæ. N. 1.

a) Tom. I. lib. I. p. 71. col. 2. Textus *Gallicus* hic eſt: Cy giſt Trés-Illuſtre Dame CAROLINE d'AUSTRICHE fille de RUDOLPHE II. Empereur, qui mourut a *Malines* le 12. de *Ianvier* 1662.

Tab. lx. funus illud ex poſt temporis alio, &, ni fallimur, in hanc cryptam translatum eſt. Vulgamus tamen diploma RUDOLPHI, datum *Pragæ* an. 1607. ad diem primum menſis *Martii*, quo ille hanc filiam ſuam natalibus reſtituit; unde conſequitur, eam quinquagenaria maiorem obiiſſe. At vero hoc coniecturæ noſtræ non obſtat; cum, ut ſæpius factum fuiſſe ex decurſu huius operis patet, oſſa, ſub translationem e primævo ſepulcro educta, in cumulum acervari ita potuerint, ut maiori arca, quam quæ in hac crypta noſtra viſitur, opus haud fuerit. Sane ipſa firmiora ferramentorum munimina indicio ſunt, ſarcophagum procul advectum fuiſſe. Huc pertinet ELISABETHA CONSTANTIA ANNA DOROTHEA, RUDOLPHI II. Imp. itidem filia, qua de ſingula tomo præcedenti occupavimus. a) Corpus eius in dicti ibidem monaſterii cœmeterio Monialium communi humatum fuit.

a

Ac ELEONORÆ, MAXIMIL. II. filiæ. N. 2.

VII. Ampliorem notitiam ſuppeditat loculus ſequens, num. 2. notatus. Is enim ex ſtanno compoſitus, inſcriptum gerit epitaphium, certiores nos reddens, contineri illo funus ELEONORÆ, MAXIMILIANI II. Imp. filiæ, hunc in modum:

ELEONORA AVSTR. MAXIM. II. IMP. FILIA
NASCITVR VIENNÆ MDLXVIII. QVARTO
DIE NOVEM. VESPERI INTRA OCTA-
VAM ET NONAM. OBIT PRAGÆ LXXX.
AE. XII. MART. I. INTRA SEXTAM ET
SEPTIMAM POMERIDIANAS.

Aliter nonnihil horam eius natalem definit ſupra memorata tabula genealogica coæva, id die *Mercurii* intra horam nonam, & decimam nocturnam, in ſigno tauri eveniſſe, commemorans. Ante horam decimam nocturnam MENLIUS dicit, addens: eam in lucem editam adeo debilem fuiſſe, ut vix ſpiraverit, ſextoque die menſis eiusdem in triclinio Imperatoris ſacro fonte ablutam, a *Martino* EISENGREIN, Cæſaris Eccleſiaſte aulico, ſpondentibus D. *Ioanne* TRAUTSON, ſuæ Maieſtatis aulæ Præfecto, eiusdemque uxore, ac Domina LUISA, *Hiſpana* quadam matrona. Epitaphium, ſi recte intelligimus, obiit an. 1580. primo *Martii*, ætatis duodecimo, horam intra ſextam & ſeptimam *pomeridianam*, qua de re alium quendam mentionem facere, haud meminimus. Amoto, quod facile erat operculo, corpus ELEONORÆ, rubeam veſtem holoſericam indutum, repertum eſt, binis corollis, ex roſa marina offuſci coloris ac circulo, auro obducto, nexis, altera pectori, capiti altera impoſitis, quas pro virginitatis ſigno habemus.

Itemque LADISLAI poſthumi. N. 3.

VIII. Qui porro ſequuntur capuli lignei, viciniori nobis, ut apparebat, ætate fabrefacti ſeu reſtituti ſunt, ſed, quod dolendum maxime,

a) P. II. p. 283. §. VIII. Nata erat circa an. 1580. obiit an. 1624.

maxime, nullum in iis primigenium epitaphium, aut authentiæ ſignum ſupereſt, cuius fide certi efficiamur, ad quos *Bohemiæ* Reges, *Auſtriæ*ve Archiduces, reſidua oſſa pertineant. Ventum igitur ut eſt ad capulum ligneum, num. 3. in ſchemate noſtro ſignatum, in eius operimento creta duntaxat rubra, manu currenti, ac recenti, hæc verba legere erant: TAB. LX.

Lud. Rex Hung.
& Bohemiæ
& Archid. Auſtriæ.

Aperto loculo, cadaver ſeſe integrum ſtitit, oſſibus manuum, quæ in cineres abierunt, exceptis, reliqua ſceleti compago ſitu naturali locata erat, qualiter ſchemate noſtro exhibetur. Funus autem hoc regium eſſe, caput corona ligneo-inaurata, globusque, eodem metallo obductus, docuerunt. Os dentes omnes hactenus conſervarat. Corpus tunica talari holoſerica, quæ inferne, ubi tibia, pannis involuta, pesque comparent, non nihil lacera erat, tegitur. Bina CHRISTI, e cruce pendentis, ſigna funeri ſunt addita, unum, quod manibus olim tenebat, ex plumbo, ſeu ſtanno quidem factum, corruptioni iam proximum eſt; alterum maius ligneum ad genua uſque pertingit. Refert BALBINUS, a) anno 1590. cum Regum corpora, conſtruendi mauſolei, cryptæque gratia levarentur, ac iuſſu Cæſaris alio interim loco ſeponerentur, LADISLAI corpus integrum adhuc repertum fuiſſe, quemadmodum id an. 1472. ſimiliter ſe habuiſſe, cap. præcedenti retulimus: at interim cum hoc, tum cetera corpora, in hac fovea quieſcentia, corruptioni proximius acceſſiſſe, inſpectio fere ſingulorum edocuit. a

IX. Loculus, alteri incumbens, priorique, mox deſcripto, proximus, & quaſi in medio poſitus, a circumſtantibus viris eccleſiaſticis CAROLO IV. Imp. ſacer dicebatur. Illi tamen iniectus tapes linteus, attritus licet, atque putridus, pictas *Hungariæ*, *Bohemiæ*, & *Auſtriæ* teſſeras, etiamnum conſpicuas referens, id inficiari videbatur. Verumtamen facile contigit, tapetem illum, a loculo *Auſtriaco* ablatum, huc migraſſe, nec a fide alienum eſt, huic Imperatori, cum crypta hæc conſtituta fuit, principem locum facile datum fuiſſe. Remoto itaque illo linteo, loculus comparebat ſimplex, ex tabulis ligneis confectus, cuius operculum, iam iam putreſcens, facili negotio ſublatum eſt. In eo autem alius continebatur capulus itidem ligneus funus viri, ſtatura proceri, integrum repræſentans, pallio fuſci coloris holoſerico, auro intexto, floribusque argenteis hodieque ſplendido, eum fere in modum, quo funus RUDOLPHI IV. Ducis *Auſtriæ* ſupra conſideravimus, opertum. Sub illo ſericum rubrum, quo corpus primum involutum eſt, latuiſſe, argumento erant eius reliquiæ, ſparſim proiectæ. Sceleton non modo ordinate, Funus CAROLO IV. Imp. adſcriptum. N. 4.

ſeu

a) *Epitom. rer. Boh.* lib. V. p. 510.

Tab. LX. ſeu ſitu naturali compoſitum iacet, ſed hinc inde caro etiam comparet, illi, quam *Arabes mumiam* dicunt, haud abſimilis, manifeſto indicio, corpus ſtatim ex obitu aromatibus infartum fuiſſe, affirmante id etiam ſpongia, in medio capuli reperta, recipiendarum trium, aut quatuor librarum unguenti capace, ac olim pollinctura haud dubie impleta. Præterea varia ibidem fruſtula corii reperta ſunt, quæ pollincturæ gratia addita volunt. Fides inde firmatur Pontano, Præpoſito metropolitanæ eccleſiæ *Pragenſis*, apud Balbinum a) atteſtanti: ſe anno 1589. Caroli IV. corpus incorruptum, & quaſi paullo ante mortuum vidiſſe. Denique corona, ad ſpeciem *Bohemicæ*, ex ligno tamen elaborata, & viridibus vix ullius pretii lapillis exornata, manu tacta in fruſta abiit. Adſtantibus demum dicentibus, ex traditione haberi, manus Caroli annulatas eſſe: facta ulteriori inveſtigatione, extractisque utriusque manus oſſibus, eius rei nihil productum, nec aliud, præter iam expoſita, authentiæ ſignum reperire erat. Capulus itaque in ordinem compoſitus, nonnihil ſeponebatur, ut loculum, eidem ſubſtratum, diſcutiendi copia fieret.

a

Oſſa congeſta, alio loculo adſervata. N. 5.

X. Qui num. 5. a nobis inſcriptus comparet loculus, ceteris minorem, ac fere quadratam refert formam, oſſuariis, ſeu thecis, ad condendas Sanctorum reliquias aptatis, non multum abſimilem. Corio obductus eſt, cymatiis ornato. Seræ autem, & manubria rubigine adeo exeſa, ut iam dehiſcat, nec opus ſit aperire thecam. Hæc conſpectui præbebat oſſa, cineres, veſtesque putres, nullum vero cranium integrum Archiater Regius, ſupra nominatus, reliquiis hiſce diſcuſſis, bina funera promiſcue in eum loculum quondam coacervata fuiſſe coniectabat, ſigna autem indiciave nominum, aut temporis emortualis, quo hæc funera referenda ſint, fruſtra quærebantur.

Caroli IV. Imp. trium uxorum oſſa. N. 6.

XI. Maiorem credulitatem præbebat capulus proxime ſequens ligneus, hanc in operculo inſcripturam, manu tamen currenti, ut loquimur, ac præcedenti, ut poſtea dicemus, ævo exaratam, præferens:

Uxores
tres Caroli IV.
Romanor. Imperat.
cum filio Wenceslao
Rege S. Rom. I.
& Bohemiæ &
Ioanne *March.*
Moraviæ & Comit.
Tirol. &c.

Aperto loculo, ſignum authentiæ, aut diſtinctionis nullum, cuncta vero

a) Ibid. lib. III. cap. II. p. 381.

vero promiſcue, & acervatim iacebant cadavera. Præterea, quatuor duntaxat repertis craniis, quintum, quod exigente inſcriptione ſimul adeſſe debuerat, deſiderabatur, fortaſſis tamen inter cineres, oſſa, aut veſtes putres deliteſcens. Sed ruſpatoribus integrum haud erat, congeſta illa funera longius tractare, atque in omnes partes, quoad illud reperirent, verſare.

XII. Progreſſum eſt itaque ad ſeptimum, & ultimum huius cryptæ capulum. Is ex ligno quoque fabrefactus, fide inſcripti creta rubra in operimento nominis, per hæc verba: *Georg. Rex*, funus complectitur GEORGII *Podiebradii*, Regis *Bohemiæ*. Levato operculo, reliquiæ ſtolæ regiæ etiamnum conſpiciebantur, oſſibus tamen confuſe, ac promiſcue iacentibus. Primo aſpectu binæ quaſi calvæ comparebant, altera viri, pueri altera, ſed diligentior inquiſitio mox docuit, unum duntaxat viri cranium eſſe, alterum, quod pueri eſſe credebatur, non niſi globum ligneum, in ſignum regiminis, funeri Regis adiectum. Capulus funeris GEORGII *Podiebradii* Regis, recens inſcriptus. N. 7.

XIII. His ita præmiſſis, diſquirendum iam eſt, cuius auctoritate, aut manu inſcriptiones illæ creta rubra adpictæ ſint? tum vero, quo loco FERDINANDI I. eiusque uxoris ANNÆ, nec non & MAXIMILIANI II. Impp. corpora, in hac crypta haud apparentia, quærenda ſint? Quod ad primum attinet, litteris conſignatum nihil uſquam reperimus. Ædituus tamen eccleſiæ, factæ huic luſtrationi præſens, coram teſtatus eſt, ſe a patre ſuo accepiſſe: ante annos circiter tum ſexaginta, cryptam hanc cauſſa ruinæ, cameræ impendentis, reſtauratam fuiſſe. Addebant viri ordinis Eccleſiaſtici adſtantes, ea occaſione a PESSINA, capituli Cathedralis tum Præpoſito, nomina funerum loculis ligneis inſcripta fuiſſe; id quod a veritate eo minus abhorrere videtur, quod manus iſta, ut & ipſi ſarcophagi, tum forte reparati, reſtitutique, recentiorem plane ætatem ſapiant. Unde & iisdem præterea inſcriptionibus tanto maior accreſcit fides, quod a viro docto, ac ſpectato, qui id temere haud fecerit, profectæ ſint. Etſi vero *Georgius Bertholdus* PONTANUS, eiusdem Eccleſiæ Decanus, ac poſtea Præpoſitus, cui transferendorum negotium funerum an. 1589. & ſequenti, datum fuerat a RUDOLPHO Cæſare conditore, iuramento obſtrictus fuerit, curam gereret, ut ne funera commiſcerentur, demortuisque cum in effoſſione, tum in novam cryptam translatione, debitus honos haberetur: ex cauſſis tamen, modo nobis haud cognitis, fieri potuit, ut vel ſub ipſum actum, vel etiam poſtea id evitari nequierit, a) ut adeo probabile non minus, quam vero ſimile ſit, *Auſtriaca* funera non niſi illa in ſubterranea hac cavea quieſcere, quæ, uno dempto loculo, FERDINANDI I. ANNÆ, ux. eius, & MAXIMIL. II. Impp. corpora, ubi ſita?

a) Vid. BALBIN. *Miſcell. hiſt. Bohem.* tom. I. lib. III. p. 122. lib. IV. P. II. p. 69. 89. & in *epit. rer. Bohem.* lib. III. cap. XXI. p. 381. & ibid. lib. V. cap. III. p. 510. ſeq.

loculo, num. 1. ſignato, inſcriptionibus, quas vidimus, ſignisque aliis, rite diſtincta ſunt, reliqua vero ad Reges, ac Principes Domus Auguſtæ *Lucemburgicæ*, *Bohemiæ*que ceteros, pertinere. Unde & concludendum eſt, dictos tres Imperatores; utpote quorum non modo epitaphia, ſed & ſtatuas, mauſoleum exornantes, cap. præced. vidimus, non hic ſubtus terram, ſed in ipſa tumba marmorea, ſeu tumulo mauſolei, ibidem deſcripti, ac trium plane funerum capaci, diem iudicii expectare.

CAPUT III.

DE FILIARUM FERDINANDI I. IMP. SEPULTURIS.

§. I.

ELISABETHA, FERDINANDI I. Imp. fil. † XV. *Iunii* 1545.

Expenſa FERDINANDI I. Imp. ANNÆque, eius coniugis, ſepultura, antequam ad filios deſcendamus, de filiabus eorum nonnullis, quæ diverſis in locis ſepultæ, aut ſingulari tumulo, vel mauſoleo honeſtatæ haud ſunt, aut ſi honeſtatæ, ætatem tamen haud tulerunt, modo agendi occaſio erit. Inter eas principem ſibi locum vendicat ELISABETHA, primo ANNÆ partu *Lincii* in *Auſtria* an. 1526. die *Lunæ* IX. *Iunii* hora quarta matutina in ſigno cancri effuſa. a) Hæc, ut alibi diximus, SIGISMUNDO II. SIGISMUNDI I. Regis *Poloniæ* filio, matrimonialiter anno 1543. copulata, biennio poſt XV. *Iunii*, *Vilnæ* in *Lithuania* diem clauſit extremum, non ſine veneni, clam propinati, ut loquitur BALBINUS b) ſuſpicione, ætatis ſuæ XIX. Corpus eius ibidem in templi cathedralis ſacello, S. STANISLAO conſecrato, quo & ALEXANDER Rex tumulatus, depoſitum fuit. Sunt, qui apud SCHOENLEBENIUM pro XV. *Iunii*, menſem ſequentem ponunt, ac EYZINGERUS XX. *Iunii*; ſed ſtandum putamus auctoritati cum BALBINI, tum SCHOENLEBENII, Scriptorumque, ab hoc laudatorum.

ANNA, eiusd. Imp. fil. † XVI. *Oct.* 1590.

II. Altera FERDINANDI I. Imp. filia, ANNA nomine, *Pragæ* in *Bohemia* an. 1528. die *Martis* VII. *Iulii*, hora quarta matutina, in ſigno arietis oritur. c) ALBERTO V. *Bavariæ* Duci, matrimonio iuncta, fato perfuncta eſt anno 1590. die XV. *Octobris*, aſſerente mox adducenda inſcriptione funebri; cum contra alii apud SCHOENLEBENIUM diem ſequentem obtendant, quin & *Iacobus* FUGGERUS

a) Teſte ſæpe memorata tabula geneal. membran. Idem affirmat MENLIUS loc. ſæpe cit. Add. PETRUS de *Rota* ſingulari carmine omnium FERDINANDI & ANNÆ prolium, diem, menſem, annum & locum nativitatis, uti & baptizatores, ac ſuſceptores perſtringens, inter cit. orat. funebr. *Efurti* an. 1566. ed. pag. 323. quem tamen poſtea, niſi forte cum dicta tabula differentem, haud allegabimus.

b) *Miſcell.* Dec. I. lib. VII. ſect V. cap. II. p. 239. Verumtamen GORNICIUS in *hiſt. Polon.* de veneno nihil memorat.

c) Teſte mox laudata tabula, ut & MENLIO conſentiente.

RUS diem eiusdem menſis XVIII. GANSIUS annum 1587. ADLZREITERUS a) annum quidem 1590. recte aſſignans, diem omittit. Nos utrosque, GANSIO, & FUGGERO, apud quos facile error irrepſit, exceptis, conciliandos putamus, exiſtimando, quod, cum Princeps poſt mediam noctis exceſſerit, inſcriptionis auctorem, noctem ad diem præcedentem (id quod ſæpe factum, alias obſervavimus) computarit. Sepulta eſt *Monachii* in æde Divæ Virginis, in crypta, a SIGISMUNDO Duce conſtituta, ac plurium Principum, Electorumque funeribus honeſtata. Hæc an. 1722. XXVII. *Nov.* aperta fuit, præſentibus DD. *Ioanne Bapt.* OSSINGER de *Heybach*, eccleſiæ Decano, *Franciſco* SCHWEGERLE, ſummo Cuſtode, *Antonio Caietano* UNERTL, Scholaſtico, & Officiali in *Schlierſee*, D. *Georgio* HAGN, Officiali in *Illmünſter*, aliisque nonnullis. Deſcripta tum eſt a laudato UNERTELIO, cuius deſcriptionis apographum præ manibus eſt: a Viro Clariſſimo D. OEFELIO, hoc in opere ſæpe laudato ſubmiſſum. Ex eo docemur: ſex in illa loculos ſtanneos, verſis ad altare chori capitibus, alteros ſuper alteros ſtare. In hoc numero habetur quoque capulus funebris ANNÆ *Auſtriacæ*, cum memorato epitaphio eidem inſcripto, quod quidem cum vernacula expreſſum ſit, in calcem marginis reiicimus. b) De hac crypta etiam ſupra mentionem fecimus. c)

a

b

c

III. MARIA, FERDINANDI I. Imp. filia, primam lucem aſpexit *Pragæ* an. 1531. die *Lunæ* XV. *Maii*, primo quadrante poſt horam primam pomeridianam, in ſigno tauri. d) Anno 1546. XVIII. *Iulii* WILHELMO, Duci *Iuliacenſi*, matrimonio iuncta, ad ætatem vergens provectiorem, in mentis, ut ſcribit MENLIUS, incidens alienationem, ut & quodammodo ipſe Dux, ac alternis diebus, mente veluti emota obſtupeſcens, nec linguæ promptitudine uti valens, vitæ fine *Düſſeldorpii* an. 1583. die V. *Ianuarii* æt. 53. facto, ibidem ſepulturam nacta eſt. e)

MARIA, eiusd. Imp. fil. † V. *Ian.* 1583.

d

e

IV. ELEONORA, præcedentium ſoror, nata eſt *Wiennæ* anno 1534. die *Lunæ* II. *Novembr.* in ſigno libræ, hora quinta matutina. f) Hæc GUILIELMO, *Mantuæ* Duci nupta, ac die V. *Aug.* an. 1594. poſt horam, ſecundam *Italicam* numerandi rationem, XXII. ad meliorem vitam vocata, ibidem in templo maiori collegii S. I. humata eſt. Sepulcrum Principis deſcripſit P. GUINISIUS S. I.

ELEONORA, eiusd. Imp. filia, † V. *Aug.* 1594.

f

a) *Boicæ Gent. Annal.* P. II. lib. XII. p. m. 316.

b) Ao. 1590. am Montag in der nacht um halbe 2. uhr 15. *Octobris*, Starb die Durchlauchtigſte Hochgeborne Fürſtin, und frau frau ANNA *Pfalzgräfin bey Rhein* Herzogin in *Obern*, und *Niedern Bayrn*, gebohrne Königin in *Ungarn* und *Beheimb*, Erzherzogin in *öſterreich*, welche ihres alters 63. iahr, und ſonſten gegen den armen eine hilfleiſtente fromme fürſtin geweſen.

c) Lib. IV. cap. V. §. XI. pag. 263.

d) Teſte, una cum MENLIO, ſupra memorata tabula Genealog. Alii itaque male annum præcedentem ſtatuunt.

e) GANS. in *Gynæc.* p. 215.

f) Teſte mox cit. tabula genealog. MENLIUS inter quintam & ſextam horam ait. PETRUS de *Rota*: *ante diem medium tres circiter horas.*

S. I. litteris ad Clar. virum P. *Antonium* STEYERERUM anno 1715. datis, dicens: illud esse foveam in presbyterio, marmore strato, cui impositus lapis eiusdem generis, insignibus defunctæ conspicuus, cum hac simplici inscriptione: ELEONORA ARCHIDUCISSA AUSTRIÆ, DUCISSA MANTUÆ. Dictum vero templum hoc epigramma præfert:

TEMPLVM HOC VNI DEO, TRINO, VIVENS AD CVLTVM,
SOCIETATI IESV AD BENEVOLENTIAM,
SIBI MORIENS AD SEPVLCRVM,
RELIGIONIS, LIBERALITATIS, PIETATIS, SACRVM,
PERENNEM, IVSTVM TESTEM, INDICEM,
MONVMENTVM EREXIT, DOTAVIT, INCOLVIT,
SERENISSIMA ELEONORA AVSTRIACA GONZAGA,
CÆSARVM, REGVM, DVCVM FILIA,
SOROR, VXOR, PARENS.
ANNO MDLXXXVIII.

BARBARA eiusd. Imp. fil. † XIX. *Sep.* 1572.

V. BARBARA, FERDINANDI I. Imp. itidem filia, nata anno 1539. die *Mercurii* XXX. *April.* intra tertiam, & quartam horam matutinam, sole libram percurrente, *Vindobonæ* in lucem edita est. a) Anno 1565. ALPHONSO II. Duci *Ferrariæ*, viduo, nupta ibidem etiam dein anno 1572. *Sept.* die XIX. b) diem obiit. Singulare ei monumentum erectum fuisse, nuspiam legimus, quanquam *Ferrariæ* sepultam fuisse, compertum habeamus.

a b

IOANNA eiusd. Imp. fil. † VI. *April.* 1578.

VI. IOANNA, FERDINANDI I. Imp. filia ultima, primam lucem *Pragæ* vidit die *Lunæ* XXIV. *Ian.* 1547. hora octava vespertina in signo piscium. c) FRANCISCO, *Magno Etruriæ* Duci, an. 1565. elocata, ex partu filiæ (quemadmodum & ipsa matri caussa mortis fuerat) obiit an. 1578. die VI. *April. Florentiæ*, *Magnorum* Ducum *Etruriæ* cryptæ illata. d)

c

d

CAPUT IV.

MAUSOLEUM FERDINANDI ARCHIDUCIS, COMITISQUE TYROLIS, QUOD EST OENIPONTI IN SACELLO ARGENTEO.

§. I.

Auctor huius monumenti, & ædiculæ,

OENIPONTI templum Palatinum ad S. Crucem, apud RR. PP. *Franciscanos Recollectos*, sibi adiunctam habet ædiculam, sive cellam, quam argenteam appellant, B. Virgini

a) Sic unacum MENLIO sæpe citata tabula genealogica. Supra tamen laudatus de ROTA id post horam secundam evenisse, scribit: *Quando duas incepta dies transegerat horas.*

b) BUDÆUS *Thanatol.* p. 247. inter Scriptor. *rer. Germ.* LEUCKFELD.

c) Affirmante id cum MENLIO, ead. tab. geneal.

d) KHEVENHILLER. Effigier tom. I. p. 113. & p. 263. not. c.

ni MARIÆ, ſine labe conceptæ, dicatam. Auctorem agnoſcit ipſum, quo de hic agimus, FERDINANDUM, teſte CRUSIO, aut PHILIPPINAM, uxorem eius primam, teſte RONERO, a) aut certe utrosque ſimul. In ea ſtatim ad ingreſſum templi a dextris quinque & viginti gradibus aſcendendum eſt. Ibi ad ſiniſtram, proxime ad introitum retro ianuam conſpicitur magnificum ſane, ac ſummo artificio elaboratum FERDINANDI II. Archiducis, FERDINANDI I. Imp. & ANNÆ, *Hungariæ* Reginæ, filii, mauſoleum, quod Archiducem vivum ſibi conſtituiſſe, ex verbis inſcriptionis primæ, mox adducendæ, intelligimus. a

II. Ipſa ſtructura monumenti arcu excipitur, novem pedes, ac tres pollices lato, alto autem pedes duodecim cum dimidio, cuius receſſus in murum eſt pedum trium, totidemque, & ſemis pollicum. Totum undique opus tabulis marmoreis nigris, & candidis affabre compactum cernitur. Super ſubiectum marmor, altitudine octo digitorum excitatum, ſtrata eſt imago Archducis ex marmore candido, ſex pedum, & quatuor pollicum longa. Imaginem circumcingunt ſex & viginti inſignium areolæ, inſcriptis eorum nominibus, omnes variis, ſibique competentibus coloribus, ſecto marmore, opere muſivo, ſeu moſaico, multa arte concinnatæ, a quarum recenſione, cum tituli, cuique impoſiti, e tabula noſtra facile legantur, conſulto abſtinemus. Eiusque ſtructura. TAB. LXI.

III. Ad ſummam parietis partem, a tumulo retrocedentem, in medio ſuſpenſus eſt clypeus, cauda pavonina faſtigiatus, crucique S. ANDREÆ impoſitus, plenorum inſignium, qualia & in nummis eius videre eſt, complexu conſpicuus, cum aurei velleris, galero Archiducali, ac galeæ laciniis, quæ ſingula ex marmore varii coloris ſcite elaborata ſunt. Ab utroque latere locum ſibi vendicat epitaphium, auratis litteris marmori nigro hoc modo inſcriptum: Clypeus, & cetera ornamenta, cum epitaphio Archiducis.

D. O. M.

SERENISSIMO PRINCIPI DN̄O FERDINANDO
ARCHIDVCI AVSTRIÆ DVCI BVRGVNDIÆ ETC.
COMITI HASBVRGICO ET TYROLENSI
ETC. HEROI IMPRIMIS MAGNANIMO,
PIO, FORTI, ACERRIMO RELIGIONIS CATHOLICÆ
IVSTITIÆQVE
VINDICI.

QVI AVGVSTÆ DOMVS SVÆ GLORIAM A MAIORIBVS ACCEPTAM ET BELLO ET PACE ILLVSTRAVIT. QVI SVPERIORES DOMVS AVSTRIACÆ PROVINCIAS TRIGINTA TRES ANNOS,

a) Utrumque cap. ſeq. excitabimus.

Tab. LXI. ANNOS, ET DIMIDIVM ÆQVABILITER REXIT. QVI SUB DIVIS IMPERATORIBVS FERDINANDO PATRE, ET MAXIMILIANO II. FRATRE EXPEDITIONI IN TVRCAS SECVNDO SVSCEPTÆ, TANTA INDUSTRIA VIRTVTE, ET FELICITATE PRÆFVIT VT DIVVS RVDOLPHVS II. IMP. AVGVSTVS SVMMVM IPSI TOTIVS EXERCITVS SUI IN AMVRATEM II. TVRCARVM TYRANVM EDVCENDI IMPERIVM ANNO M. D. XC. IV. DETVLERIT. ID VERO QVO MINVS GERERET IMPEDITVS GRAVISSIMO MORBO QVO PAVLO POST MAXIMO OMNIUM DOLORE VIVIS IMATVRE EREPTVS EST. HOC INTERIM SIBI MONVMENTVM,

MORTIS MEMOR, VIVVS CONSTITVIT.
VIX. AN. LXV. MENS. VII. DIES. X.
OBIIT M. D. XC. V. DIE. XXIV. IAN.

Natus erat FERDINANDUS, ſæpe memorata tabula genealogica teſte, *Lincii* anno 1529. die *Mercurii* XIV. *Iunii* (qui tamen eo anno non in diem *Mercurii*, ſed *Lunæ* inciderat) hora tertia veſpertina in ſigno ſcorpionis, id quod & MENLIUS, diem tamen etiam *Mercurii* ponens, affirmat. GANSIUS, & MEGISERUS, decimum quartum *Iunii* ſimpliciter, absque addito, produnt. Unde intelligere eſt, inſcriptionem hanc, cui Scriptores citati accedunt, recte ſe habere, ſecus, ſi die *Mercurii*, qui tum ſextus decimus erat, natus fuiſſet; cum, hoc ſtante, non niſi dies octo, ſupra menſes ſeptem, vixiſſet.

Anaglypha quatuor cum inſcriptione. Prima,

IV. Inſcriptioni, inſignibusque, ad amuſſim ſubiiciuntur quatuor anaglypticæ tabulæ maioris, atque ad harum latera duæ aliæ minoris formæ, omnes e marmore candido exſculptæ, præcipua Archiducis geſta annuntiantes. Prima ad dextram intra arcum, translatum in eum a patre FERDINANDO I. regnum *Bohemiæ* hunc in modum exponit:

FERDINANDVS ROMANORVM HVNGARIÆ BOHEMIÆQUE REX ACCEPTA A CAROLO FRATRE ROMANI IMPERII ADMINISTRATIONE, VT SE TOT REGNORVM, GLISCENTIBVS ADHVC VARIIS IN LOCIS TVMVLTIBVS BELLICIS, IMMENSIS CVRIS ET ONERIBVS ALIQVANTVLVM SVBLEVARET, FERDINANDVM FILIVM REGNO BOHEMIÆ PRÆFECIT, CVIVS GVBERNATIONEM EA ANIMI DEXTERITATE, HVMANITATE ITEM ET IVSTITIA ITA MODERATVS EST, VT CONCILIATIS SIBI OMNIVM PENE REGNI ORDINVM ET SVBDITORVM ANIMIS, EVM TANQVAM PATREM MIRA DILECTIONE ET HONORE PROSECVTI SINT.

V. Al-

V. Altera expeditionem eius, contra *Turcas* anno 1556. ſuſceptam, his verbis explicat : Tab. LXI. Secunda,

CVM ANNO M. D. L. VI. SOLIMANNI TVRCARVM IMPERATORIS IVSSV ALY BASSA ARCEM ZIGETH GRAVISSIME OBSIDERET, FERDINANDVS GLORIÆ MILITARIS DESIDERIO INCENSVS, APVD PATREM, VT CVM EXERCITV IN HVNGARIAM MITTERETVR, OBTINVIT. VBI TALE FORTITVDINIS ET INDVSTRIÆ SPECIMEN DEDIT, VT HOSTIS FAMA ET FELICITATE EIVS TERRITVS, OBSIDIONEM SOLVERE, ET CVM VNIVERSO EXERCITV RETROCEDERE COACTVS FVERIT. FERDINANDVS VERO ALIQVOT LOCIS PARTIM EXPVGNATIS, PARTIM RECEPTIS, ARCEM COMMEATV, ARMIS, TORMENTIS ET FORTIORI MILITVM PRÆSIDIO FIRMAVIT, VICTORIOSVSQVE AD PATREM REDIIT.

VI. Sequens a latere dextro aliam expeditionem, in *Saxoniam* ductam, exhibet, hoc adiecto epigrammate : Tertia,

CVM CAROLVM QVINTVM ROMANOR. IMPERATOREM ALIQVOT GERMANIÆ PRINCIPES, CONSPIRATIONE FACTA, ARMIS PERSEQVERENTVR, ET FERDINANDVS CAROLO FRATRI AVXILIARES COPIAS MISISSET, FILIVMQVE FERDINANDVM EIS ADIVNXISSET, CVM PATRE SVBSECVTO ADOLESCENS ADHVC VICTORIÆ, CAPTO IOANNE FREDERICO SAXONIÆ DVCE ET ELECTORE, INTERFVIT.

VII. Quarta denique ultimam Principis expeditionem, MAXIMILIANI Imp. fratris ſui, cauſſa ſuſceptam, exponens, ſic prolo-quitur : Et quarta.

SOLIMANNO ANNO MDLXVI. POSTREMAM SVAM SIBIQVE FATALEM EXPEDITIONEM IN HVNGARIAM MOVENTE, MAXIMILIANOQVE ROM. IMP. CVM ROM. IMPERII COPIIS, POSITIS APVD IAVRINVM CASTRIS, ET OBVIAM PROCEDENTE, FERDINANDVS ARCHIDVX FRATER VALIDAM EQVITVM TVRMAM CVM INSIGNI NOBILITATE SVIS STIPENDIIS ADDVXIT, SVPREMIQVE TRIBVNI MILITARIS MVNERE LAVDABILITER FVNCTVS EST.

VIII. Ad ſummi arcus coronidem extat imago CHRISTI ad crucem affixi, adſtantibus B. V. MARIA, & S. IOANNE Evangeliſta, cui a dextris S. IACOBUS reſpondet. In medio interioris arcus ſignum S. FRANCISCI eminet, ad cuius dextram S. GEORGIUS, ad ſiniſtram vero S. LEOPOLDUS conſiſtit. Singula hæc ſigna e marmo- Reliqua ornamenta.

Tab. LXI. marmore candido duum pedum exſculpta ſunt. E dextra parte huius mauſolei cataphracta Archiducis, ab ipſo in acie, pro more eius temporis, geſtari ſolita, ita compoſita eſt, ut, genibus flexis, verſus altare proſpiciat, parvæ ſtereobatæ, ferreis fulcris ſuſtentatæ, impoſita. Ad ſiniſtrum latus in alto ſuſpenſus eſt grandis admodum clypeus rotundus, auro bracteatus, in cuius medio exhibentur picta inſignia *Auſtriæ*, inque circuitu eorum ſupra memorata viginti ſex inſignia regnorum, & regionum Domus *Auſtriacæ*. Eidem ſuperſtat caſſis aperta, coronata, ac pennis pavoninis criſtata.

CAPUT V.

TUMULUS PHILIPPINÆ, FERDINANDI TYROLENSIS UXORIS PRIMÆ.

§. I.

Tumulus Philippinæ, Ferd. *Tyrol.* uxor I. *Oenipon-te*, deſcribitur. Tab. LXII.

In eodem, quo de capite præcedenti diximus, ſacello argenteo, templi Palatini *Oenipontani*, proxime ad ianuam a ſiniſtra parte, monumentum ſepulcrale ſuperbit, illius a pulchritudine, ac venuſtate qua mentis, qua corporis tum commendatæ Philippinæ, Archiducis Ferdinandi, cuius mauſoleum mox deſcriptum dedimus, uxoris primæ. Edidit illud infra nominandus biographus *Marci* Velseri, ſed parum accurate expreſſum. Nos a *Salomone* Kleiner, in arte ſua, dum viveret, cum primis verſato, delineatum exhibemus. Tumulus iſthic ſolidus, e marmore candido exſculptus, ac in longitudinem ſeptem, & ſemis pedum, non computato arcu ſuperiori, porrectus, altitudine trium pedum, uno digito minus, erigitur. Fulcitur columellis, quas inter duo hinc inde anaglypha conſpiciuntur, ex hiſtoria litterarum ſacrarum, opera miſericordiarum demonſtrantia: nimirum quod a dextris eſt, opera pietatis adverſus defunctos, ſiniſtrum ſimilia opera adverſus vivos repræſentant; ut enim ait Crusius, a) „ Summo ſtudio æ-
„grotos inviſit, aut inviſendos curavit: e partu laborantibus fœ-
„minis ſæpias adfuit, eleemoſinas largiſſime diſtribuit. Myropo-
„lium etiam proprium in pauperum uſum habuit.„ In altera præterea columnarum conſtituti ſepulcri epocha, annus videlicet 1581. qui poſt obitum alter erat, legitur. De cetero inſignia hic gentilitia deſiderantur. Super tumulum ſuum Philippina ſupina iacet, ſtatura perfecta, quinque & ſemis pedes porrecta, ac ſignum crucis, una cum corolla precatoria manibus continens, capiteque bino ſuper pulvinari reclinato. Superſtat arcus media altitudine pedum duorum, duumque & ſemis pollicum, ac pedes duos, pollices novem in murum recedens. Eidem duo genii, funalia extincta, atque inverſa continentes, inſident, adiectis aliis mortis ſymbolis.

a

II. Infer-

a) *Annal. Suevic.* P. III. lib. XII. cap. XVII. pag. 773. *Latin.* edit.

II. Inferne inter duo anaglypha ſequens inſcriptio, ab Archiduce ipſo poſita, legitur: Adducto eius epitaphio.

FERDINANDVS DEI GRATIA
ARCHIDVX AVSTRIÆ DUX
BVRGVNDIÆ COMES TIROLIS PHILIPPINÆ CONIVGI
CHARISSIMÆ FIERI CVRAVIT. OBIIT XXIIII. MENSIS
APRILIS ANNO SALVTIS
M. D. LXXX.

Cum hac inſcriptione conveniunt auctores ceteri, LAMBECIUS, ZEILERUS, BURGLEHENER in *Aquila Tyrol.* aliique, XXIV. *April.* qui tum in Dominicam poſt feſtum S. GEORGII, non vero in ipſum feſtum, ut laudatus CRUSIUS, & mox laudandus RONERUS volunt; inciderat, uno ore affirmantes.

III. Aliud epitaphium, eiusdem memoriæ, & honoribus conſecratum, orationi ſuæ parentali, in obitum Sereniſſimæ huius Principis habitæ, ſubiunxit RONERUS I. C. a) quod, cum eius fata non nihil enucleatius enarret, huc transſcribere viſum eſt: Aliud epitaphium.

„ Sereniſſima Princeps ac Domina, D. PHILIPPINA, Marchioniſſa *Burgoviæ*, Comitiſſa Provincialis de *Nellenburg*, & Comitiſſa in *Hochenberg* &c. Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini, D. FERDINANDI, Archiducis *Auſtriæ*, Ducis *Burgundiæ*, *Brabantiæ*, *Stiriæ*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Luzenburgiæ*, & *Wirtenbergæ*, *Landgravii Alſatiæ*, Principis *Sueviæ*, Comitis *Habsburgi*, *Tyrolis*, *Goritiæ*, & *Sorretis* (Pherretis) in *Kyburg*, Marchionis S. R. I. in *Burgovia*, Domini *Marchiæ Sclavonicæ*, *Portus Naonis*, & *Salinarum*, SUAVISSIMA, ET DILECTISSIMA CONIUX; quam benigna DEI manus ex iſta fragili, & caduca rerum humanarum conditione, non diutius calamitoſis, & tumeſcentibus ærumnarum procellis vexari volens, feliciter eripuit. Deceſſit ex mortalis huius vitæ lugubri, & navifrago pelago ad portum æternæ ſalutis anno Domini 1580. menſe *Aprilis*, die 24. circiter horas quartam & quintam pomeridianam, in ipſa die Dominica, qua celebratur feſtum S. Martyris & Equitis GEORGII. Sepulta eſt autem magnifico mauſoleo, in hoc ſacello, a præfato Sereniſſimo D. Archiduce ſumtuoſiſſime conſtructo, quod idem D. Archidux D. MARIÆ Virgini devotiſſime dedicavit, ac in honorem eius per Reverendiſſimum in CHRISTO Principem, ac Dominum, D. IOANNEM THOMAM, Epiſcopum *Brixienſem* anno 1579. proxime elapſo,

a) Impreſſa eſt *Aug. Vindelicor.* apud *Valentin.* SCHÖNIGK an. 1580. teſte *Chriſtoph.* ARNOLDO in vita *Marci* VELSERI, ipſius operibus præmiſſa.

lapſo, in ipſo die Conceptionis Deiparæ Virginis MARIÆ, quæ erat 8. menſis *Decembris*, conſecrari fecit; cuius defunctæ Principis anima in æterna pace quieſcat. Amen.„ Addit auctor nonnulla alia epitaphiorum ac epicediorum fragmenta, ex eadem orationis funebris appendice educta, a quibus, cum oratione ipſa deſtituti, ea integra exhibere nequeamus, conſulto, nec cum gravi veritatis hiſtoricæ diſpendio, abſtinemus.

Mortis hiſtoria, exequiæ, deque ætate coniectura.

IV. At res, mortem eius circumſtantes, exequiarumque, ab ipſo pariter relatas, non poſſumus non hic commemorare. Ait nimirum: Principem noſtram die XIV. *Aprilis* dicti anni morbo urgeri cœpiſſe, eoque XXIII. eiusdem menſis ingraveſcente, poſtridie eius diei, quæ Dominica fuerit, inque eam feſtum S. GEORGII Martyris (quod tamen abs re eſſe iam monuimus) inciderit, intra quartam, & quintam horam veſpertinam, animam DEO reddidiſſe. a) Tum vero corpus mortuum triduo (ſi recte meminerit) cunctis, cuiusque, & quantumvis infimæ ſortis hominibus paſſim, priusquam ſarcophago includeretur, palam ut conſpiceretur, permiſſum fuiſſe; poſtque hæc lignea ciſta, ſtanneo ſarcophago obducta, cohibitum, die XXIX. eiusdem menſis *Aprilis*, in dicta capella S. Crucis depoſitum fuiſſe. Similia, ac iisdem fere verbis refert CRUSIUS. b) Annum, & diem natalem, in litteras relatos, hactenus haud legimus; quod ſi tamen marito ſuo ad triginta annos, ut alibi c) ex KHEVENHILLERO retulimus, convixit, quinquagenaria non minorem exceſſiſſe, exiſtimandum eſt.

a
b
c

CAPUT VI.

CENOTAPHIUM ANDREÆ AB AUSTRIA, FERDINANDI TYROLENSIS EX PHILIPPINA FILII.

§. I.

Deſcriptio mauſolei. TAB. LV. Sect. II.

ROMÆ, in eccleſia S. MARIÆ *de anima*, monumentum viſitur marmoreum ANDREÆ ab *Auſtria*, FERDINANDI Archiducis, ac Comitis *Tyrolis*, ex PHILIPPINA *Welſera* filii, S. R. E. ſub titulo MARIÆ *Novæ* Purpurati, Epiſcopi *Conſtantienſis*, ac *Brixinenſis*, & reliqua. Eius dimenſionem haud adiecit, qui delineationem miſit. Corpus monumenti in tres areas, ſeu clypeos diſtinctum eſt. Primus inter duas columnas CHRISTUM repræſentat reſurgentem, Cardinale ipſo a ſiniſtris in genua, complicatis manibus, provoluto, & beatæ reſurrectionis gratiam quaſi exoraturo. In coronide, cruce faſtigiata, inter duos cylindros, quibus dimidiæ humani corporis figuræ inſculptæ, imago DEI Patris, ac paullo ſupra

a) Loc. cit.
b) Loc. cit.
c) *Pinacoth. Auſtr.* P. II. lib. IV. §. VIII. p. 304.

pra Spiritus S. oſtenditur, ad latus vero duæ figuræ muliebres, quarum altera Fidem, altera Spem, ſeu Conſtantiam, quemadmodum inferne hinc Iuſtitiam, illinc Veritatem, præcipuas nimirum Principis virtutes adſignificari putamus.

II. Epitaphium, inferne poſitum, ſic ſonat: Eiusque epitaphium,

D. O. M.
MEMORIÆ
ANDREÆ AB AVSTRIA FERDINANDI ARCHIDVCIS F.
FERDINANDI IMP. CÆS. AVG. NEP.
S. R. E. CARDINALIS CONSTANT. ET BRIXINENS. EPISC. S. R. IMP. PRINCIPIS.
QVI MAIORVM SPLENDOREM PROPRIÆ VIRTVTIS GLORIA EXEQVENS,
RELIGIONE CONSERVANDA ET AVGENDA
IVSTITIA, CLEMENTIAQVE TEMPERANDA PER OMNES SVÆ DITIONIS PARTES DILIGENTISSIMVS.
BELGICÆ PROVINCIÆ DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS A PHILIPPO II. REGE PRÆFECTVS, EAM INCOMPARABILI PRVDENTIÆ ET FORTITVDINIS LAVDE ADMINISTRAVIT, PERDVELLES ARMATOS TOGATVS TERRVIT.
ROMAM AN. SÆCVLARI RELIGIOSO PEREGRINI HABITV VISENS A CLEMENTE P. O. M. AGNITVS IN VATICANAS ÆDES AMANTISS. RECEPTVS
POST SOLEMNES BASILICAS VENERATAS, VI MORBI LECTO AFFIXVS, SACRIS MYSTERIIS AB EODEM PONT. RITE EXPIATVS
EX TERRENA PEREGRINATIONE AD COELESTEM PATRIAM MIGRAVIT.
INCREDIBILI VRBIS DESIDERIO DEFLETVS, PVBLICO FVNERE ELATVS, EXEQVIIS PRÆSENTE SACRO COLLEGIO ET CVRIA HONESTATVS EST.
VIXIT ANNOS XLII. MENSES V. DIES XXVII. OBIIT ANNO MDC. PRIDIE IDVS NOVEMBRIS.
CAROLVS AB AVSTRIA S. IMP. MARCHIO BVRGAVIÆ LANDGRAVIVS NELLENBVRGI ETC.
FRATRI VNICO VNICVS DESIDERANTISSIMO MOERENS P.

III. Ex hac inſcriptione conſectarium fit: ANDREAM nec XII. *Decembris*, ut tomo præcedenti exiſtimavimus, nec XV. *Iunii*, ut SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus* habet, natum fuiſſe, ſed potius XV. aut XVI. *Maii*, ut annos XLII. menſes V. dies XXVII. ſeu rectius XXVIII. vixiſſe, dici poſſit; quanquam ſi menſes duntaxat quatuor ſtatuamus, dies illi, a SCHOENLEBENIO tributus, aut, ſi mavis, ſequens, recte conveniat. SCHOENLEBENIUS certe ſua pro opinione CIACONIUM, & OLDOINUM, auctores ſat idoneos, allegat. Atque ætas.

Inteſtina ubinam ſepulta?

IV. Inteſtina Principis eadem in alma urbe, in eccleſia cœmeterii nationis *Germanicæ*, vulgo *Campo Santo* appellata, condita ſunt. Ibi enim ante aram maiorem, non nihil ex parte epiſtolæ, lapidi, ſine ornamentis, inſcriptum legitur:

✠
ANDREÆ CARDINALIS AB AVSTRIA
IN VATICANO
ANNO DOMINI MDC. MORTVI
CORPORE AD S. MARIAM DE ANIMA
TRANSLATO
INTESTINA HIC IACENT.
✠

CAPUT VII.

CAROLI AB AUSTRIA, PHILIPPINÆ ITIDEM FILII, EIUSQUE UXORIS, SIBYLLÆ, MONUMENTA.

§. I.

Caroli ab *Auſtria Yberlingæ* decedentis monumentum. Tab. LXIII.

Vltima die menſis *Octobris* anni 1618. hora tertia matutina, *Yberlingæ*, oppido Imperiali, finem vitæ fecit CAROLUS ab *Auſtria*, Marchio *Burgoviæ*, Archiducis FERDINANDI, Comitisque *Tyrolis*, ex prima coniuge PHILIPPINA filius. Sepultis ibi inteſtinis, corpus, comitantibus viris duobus, ex ordine Senatorio eiusdem civitatis, *Pfullendorfium* uſque, inde *Ginzburgum*, veterem Marchionum *Burgoviæ* ſedem, delatum, ibidemque conditum eſt. Locus, ubi inteſtina eius repoſita fuerunt, hodie ignoratur. Accuſantur nempe incendia, quibus acta & codices civitatis in flammas abierint. Attamen in publicis ibi curiæ commentariis prædictum tempus CAROLI fatale conſignatum reperitur, hodieque in ſenaculo tabula adſervatur lignea grandior, cuius ſchema hic damus, Principis demortui ſimulacrum exhibens. Ad latus imago CHRISTI Servatoris, in crucem ſublati, unacum B. V. & S. IOANNIS ſimulacris comparet, ac paullo remotius CAROLI inſignia.

Cum inſcriptione, unde eius ætas:

II. Subiecto carmini, e tabula noſtra ænea facile legendo, ſequentia verba adduntur: ANNO CHRISTIANO CIↃ IↃ C. XVIII. ÆTATIS VERO SUÆ LX. IN VIGILIA OMNIUM SSORUM HIC VBERLINGÆ PYSSIMVS PRINCEPS PYSSIME OBYT HORA TERTIA MATUTINA. At vero cum ſecundum Excellentiſs. KHEVENHILLERUM a) CAROLUS anno 1560. in lucem editus ſit, annos ætatis ſexaginta, in hac inſcriptione eidem tributos, non ita preſſe accipiendos, exiſtimamus, potiusque adeo dicendum, illum annos non niſi 58. compleviſſe, aut, quod magis credimus, citato loco ſphalma irrepſiſſe.

III. Lapis

a) Tom. prodr. effigier. p. 117.

III. Lapis eius ſepulcralis, ex albicante marmore, *Ginzburgi* in medio templi *RR. PP. Capucinorum*, ab ipſo Marchione conſtructi, præter inſignia eius, a nobis alibi expoſita, inſcriptionem exhibet, ex ſchemate noſtro haud difficulter hauriendam. Exinde vero dies, & annus obitus eius confirmantur. Ac lapide ſepulcrali *Ginzburgi*,

IV. Ad lævam cippus alter, ex albicante pariter marmore, SIBYLLÆ, uxoris eius, WILHELMI, Ducis *Iuliaci*, & *Cliviæ*, filiæ, oſſa continet, exſculptis in eo illius inſignibus, ac inſcriptione, qua illam anno MDCXXVII. DIE XVI. DECEMBRIS (& quidem *Oeniponti* in *Tyroli*, mox laudato KHEVENHILLERO teſte) e vita abiiſſe, intelligimus. Hanc anno 1557. *Aug.* die XXVI. in mundum veniſſe, idem Excell. auctor refert, a) addens: primum PHILIPPO, Marchioni *Badenſi*, huius nominis II. ſcilicet, matrimonio iunctam fuiſſe, cuius viri fidem & nos quoque tomo præced. ſecuti fuimus. At hiſtoriæ *Badenſis* parens Cl. SCHOEPFLINUS b) PHILIPPUM ante nuptias die XVII. *Iunii* an. 1588. deceſſiſſe, perſcribit. Uti & coniugis eius SYBILLÆ. a b

CAPUT VIII.

ANNÆ MANTUANÆ, FERDINANDI ARCHIDUCIS, AC COMITIS TYROLIS, CONIUGIS SECUNDÆ, EIUSQUE FILIÆ, ANNÆ CATHARINÆ, CIPPI, ET INSCRIPTIONES IN MONASTERIO SERVARUM B. V. M. PROPTER OENIPONTUM.

§. I.

In vicinia urbis *Oenipontanæ* monaſterium tertii Ordinis, vulgo *Regelhaus* vocatum, *Servarum*, ſeu *Servitarum* Beatiſs. Virginis MARIÆ conſiſtit, ab ANNA CATHARINA, Ducis *Mantuæ*, WILHELMI, filia, poſt obitum mox memorati mariti ſui, FERDINANDI Archiducis, cui viduo in manus convenerat, exſtructum, atque dotatum. In illud, recuſato cum MATTHIA Imp. connubio, aſſumptoque nomine ANNÆ IULIANÆ, ſeſe abdiderat Princeps vidua, DEO, & B. V. nuncupatis votis, reliquum vitæ conſecratura. Matris exemplum ſecuta filia, ANNA CATHARINA, ſpretis pariter PHILIPPI III. Regis *Hiſpan.* nuptiis in eodem monaſterio velum ſumpſit. c) ANNA *Mantuana*, monaſt. Servar. B. V. conſtituit. c

II. Ambæ hæ Principes, in eodem cœnobio ad finem uſque vitæ perſeverantes, ibidem quoque ad ſepulturam traditæ ſunt, earumque corpora in medio iacent contra aram ſummam, in ſepulcro, quod marmor candidum, ſex pedes longum, & tres latum, pavimento templi iniectum, obtegit, idque cum brevi epitaphio, ut petierat, ſine inſignibus, aut aliis ornamentis. Cum contra reliquarum In quo cum filia ſepelitur. TAB. LXIV.

a) Tom. prodr. effigier. p. 116. d. §. X. p. 61. ſeq.
b) *Hiſtor. Badenſ.* tom. III. lib. V. cap. IV. c) Conf. Scriptores paullo infra citand.

rum monialium crypta ſepulcralis, ab ea Archiducum prorſus ſeiuncta, non in choro, ſed in medio navis eccleſiæ conſtituta ſit.

Earum epitaphia, & ætas.

III. Epitaphio brevis hæc ſententia, ex *Officio defunctorum*, quod appellamus, deſumpta, præmittitur, quatuor lineis completa: MISERERE MEI DOMINE, DVM VENERIS IN NOVISSIMO DIE, tum poſt aliquod intervallum, quatuor itidem lineis: FVNDATRIX ANNA IVLIANA MATER OBIIT III. AVG. AO. MDCXXI. Sequitur totidem lineis: ANNA CATHARINA FILIA. OBIIT. II. MARTII. AO. MDCXLIX. ÆT. SVÆ AO. LXV. ROMERUS in *Servitute Mariana*, a) qua ortum, & progreſſum huius cœnobii deſcribit, matrem, in feſto S. ANNÆ ægrotare incipientem, cum inſcriptione conveniens III. Nonas *Aug.* hora nona veſpertina deceſſiſſe perhibet, cum vixiſſet annos 55. menſes VI. dies X. cum contra b) in præcedentibus b) ſcribat, eam natam fuiſſe an. 1566. XVII. *Iannarii*, quicum & LEQUILEUS facit. Biographus contra eius P. *Ioſephus Maria* BARCHI in libro, *Italice* ſcripto, diem ponit antecedentem, quæ ſingula ſibi haud ſatis reſpondent. Nobis cum LEQUILEO, & inſcriptione facere, viſum eſt, immo & cum ipſo ROMERO, ita tamen, ut Principem annos LV. menſes VI. dies XVIII. vixiſſe autumemus. Minor difficultas obverſatur de ætate filiæ, ANNÆ CATHARINÆ; ut quam idem LEQUILEUS an. 1584. natam fuiſſe ſcribit, ROMERUS etiam diem addit, XVII. c) Kal. *Iulii*, S. VITO ſacrum. c) Corpus denique matris, cum tumulus, ad condendam in eodem filiam aperiretur, poſt viginti ſeptem annorum ſpatium, illæſum repertum fuiſſe, idem obſervat. d)

Clypei ſub arcu templi.

IV. Intra arcum chori, gypſo obductum, tres clypei, ſuperimpoſita corona, variis ornamentis conſpicui obſervantur, ubi in ſupremo tria ſanctiſſimorum nominum IESU, MARIA & IOSEPH monogrammata, in medio vero ſymbolum *Auſtriæ* apparet, & ad latera utriusque Archiducis repetuntur epitaphia. Subtus verſus ex Pſalmo XXXIII. legitur, & in imo indicium factæ an. 1667. renovationis, quæ ſingula ex ſchemate noſtro dilucidius haurienda. Ceterum, LEQUILEO referente, Princeps noſtra, cum primum monialis facta eſt, non alia inſignium, quam ipſius monaſterii teſſera, uſa fuit, icone videlicet B. V. *Doloroſæ*, ad pedem crucis, filii ſui, ſeptem gladiis transfixæ, additis ſiglis: A. I. F. id eſt ANNA IULIANA FUNDATRIX; immo pauperrimæ ſuæ ſandapilæ non aliud adpingi, ac inſcribi voluit. Unde intelligitur, parmulam hanc *Auſtriacam*, in fornice templi cernendam, immo integra illa ornamenta, nonniſi tempore reſtaurationis eccleſiæ, dicto anno 1667. factæ, enatam fuiſſe.

CAP. IX.

a) Lib. III. cap. XXV. pag. 110.
b) Lib. II. cap. I. pag. 37.
c) Lib. VII. cap. XX. p. 250.
d) Ibid. cap. XXVI. p. 258.

CAPUT IX.

CRYPTÆ FUNEBRIS ARCHIDUCUM FOEMINARUM, QUÆ HALÆ AD OENUM EST, DESCRIPTIO.

§. I.

MAGDALENA, FERDINANDI I. Imp. filia, *Halæ*, trihorio ab *Oeniponte*, parthenonem, ſub Regii Collegii nomine, conſtituit, curæ RR. PP. S. I. commiſſum, ubi ſeſe CHRISTO cum aliis Archiducibus fœminis, ſororibus ſuis, tum & aliis duabus, CAROLI *Styrenſis* filiabus, ac primæ nobilitatis virginibus, & matronis, conſecravit, illuc anno 1562. concedens. Ibi modo ſub navi eccleſiæ, ad latus, quod intrantibus dextrum eſt, ſubterranea crypta conſiſtit, cuius ichnographia litteram T. quodammodo refert, ad extremum vero parietis transverſi, quatuor & viginti pedes porrecti, tres intra humum arcus habens, ad altitudinem pedum novem & ſemis elatos, ferreisque cancellis concluſos. Cryptæ *Halenſis* deſcriptio. TAB. LXV.

II. Qui medius eſt arcus, latitudine octo pedum patet, pedes quinque altus, in quo ſuper ſuggeſtum, trinis erectum gradibus, poſitus eſt capulus ſtanneus, ſex pedes longus, totidemque ex ſtanno conflatis leonibus ſuſtentatus. Multis præterea ille ornamentis illuſtratur: ut capitibus leonum, ſertis fruticum, encarpis, vultibusque geniorum. Inferne a primo gradu quadrata nigri coloris tabula dependet, teſſeram *Auſtriacam* cum pileo Archiducali præferens, id quod & in reliquis duobus arcubus obſervare licet. In ſummo operculo, ad imaginem Servatoris cruci ſuffixi, qualis & in ceteris capulis apparet, ſcriptum eſt: KÖNIGIN MAGDALENA ERZHERZOGIN ZU OSTERREICH PREISWÜRDIGSTE STIFFTERIN, id eſt: Regina MAGDALENA, Archidux *Auſtriæ*, laudatiſſima fundatrix. Scilicet cum hæc, tum ceteræ Archiduces, ſorores eius, in hac crypta conditæ, ut *Hungariæ* & *Bohemiæ* regnorum heredes, Reginæ appellantur. Unde &, ut iam monuimus, Domui illi Regii Collegii, ſeu Regiæ fundationis nomen inditum eſt. In ſummo medii huius arcus flexu duo genii pinguntur, ſcutariam mutuo tenentes arcam, in qua *Germanicis* litteris, *Latinis*que notis modo adducta inſcriptio, ut in tabula noſtra videre eſt, totidem fere verbis repetitur. Ac capulorum recenſus, Lit. a.

III. Cancellis ferreis exigui ancones infixi ſunt, argenteis olim clypeis affigendis, iisque encarpis & floribus, partimque pileo Archiducali, inſignibusque *Auſtriacis* exornatis adaptati. At illi modo ſubmoti, ac in alia quadam ædium parte aſſervati, certis tantum feſtis diebus publice ſuſpendi, oſtendique ſolent. Continent autem primus MAGDA- Nec non & V. clypeorum, cum inſcriptionibus, & quidem

LENÆ, quæ † X. *Sept.* 1590. TAB. LXV. autem in media area ſcalpro inciſa epitaphia dictarum quinque Archiducum, hic loci ſepultarum, quorum primum ſic ſonat:

D. O. M.

MAGDALENA DIVI FERDINANDI ROMANORUM IMPERATORIS HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS, AUSTRIÆ ARCHIDUCIS, NEC NON SERENISS. ANNÆ REGINÆ HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ, FTC. FILIA, VIRGO CASTISSIMA COLLEGII SOCIETATIS IESU HALÆ FUNDATRIX, VIRGINUM PER CASTIMONIAM SACRARUM, QUIBUS DE LOCO ET PERPETUIS REDDITIBUS PROSPEXERAT, EDUCATRIX, ET ANTISTITA, ANNUM L. VIII. ET UNUM FERE MENSEM ÆTATIS AGENS, PIE ET SANCTE OBDORMIVIT NONA MENSIS SEPTEMBRIS M.D. XC.

Nata erat MAGDALENA *Oeniponti* an. 1532. teſte ſæpe memorata tabula, ſuffraganteque MENLIO, die *Mercurii* XIV. *Aug.* ſole Aquarium percurrente, hora octava veſpertina. Obitum autem eius SCHOENLEBENIUS, cum pluribus aliis, ab eodem laudatis, non in nonam, ut inſcriptio habet, ſed decimam *Septembris* coniicit, cum vero addat, id intra XII. & I. noctis horam accidiſſe, iterum dicendum erit, auctorem epigrammatis noctem illam diei præcedenti adnumeraſſe.

Duo reliqui arcus. IV. Sub ſecundo arcu a ſiniſtris (ſequimur nempe delineatoris noſtri ordinem) ſex tantum pedes, pollicesque trinos patente, ſunt capuli ſtannei duo, lit. b. & c. ſignati, quorum inferior longus quinque pedes cum triente, ſuggeſtui incumbuit, ad lateralem oram nomen *Reginæ* ELEONORÆ, *Archiducis Auſtriæ*, *Romanis* litteris, ut in tabula noſtra videre eſt, præferens. Sub hanc arcam axi roboreo, admodum craſſo, alius item ſtanneus inſiſtit loculus, quinque pedes, & ſeptem pollices longus, cui itidem ad latus nomen *Reginæ* MARGARETHÆ *Archiducis Auſtriæ* inſcriptum. Quæ quidem nomina in convexo picti arcus faſtigio repetuntur. In dextro arcu, eiusdem cum priori magnitudinis, itidem duo capuli, ex eadem materia eodemque ſitu lit. d. & e. diſtincti, viſuntur, nomina Reginarum Archiducumque HELENÆ, & MARIÆ CHRISTIERNÆ, præferentes, iisdem in encarpo arcus denuo adſcriptis. Singuli hi variis ornamentis, etſi paullo minoribus, quam prior ille, expoliti ſunt, omnes autem multo coruſcant nitore, ſqualore omni tanta cura inde prohibito, quaſi recens allati, artificis manu adhuc calerent.

Clypeus MARGARETHÆ † 1567. XII. *Martii.* V. Quod vero inſcriptionibus, loculis earum inciſis, deeſt, ſupplent paullo ante memorati clypei, quorum alter MARGARETHÆ fata ſic deſcribit:

D. O. M.

Tab. LXV.

MARGARETA DIVI FERDINANDI ROMANORUM IMPERATORIS HUNGARIÆ, BOHEMIÆ ETC. REGIS, INFANTIS HISPANIARUM ARCHIDUCIS AVSTRIÆ ETC. AC SERENISSIMÆ ANNÆ, ROMANORUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ ETC. REGINÆ FILIA, SPRETIS PRINCIPUM NUPTIIS, CONCULCATISQUE MUNDI BLANDITIIS, ILLIBATAM DEO VIRGINITATEM CONSERVANS, CUM TRIGESIMUM PRIMUM ÆTATIS SUÆ ANNUM AC XXIV. DIEM COMPLEVISSET, DEO FELICITER OBDORMIENS REDEMPTORI SUO PIAM ANIMAM REDDIDIT XII. MARTII ANNO M. D. LXVII.

Nempe in hunc mundum venerat MARGARETHA XVI. *Febr.* an. 1536. die *Mercurii Oeniponti*, ſole ſagittarium tenente, hora ſecunda pomeridiana, dicta tabula, unacum MENLIO, fidem adſtruente. Exceſſit e vita *Halæ* in caſtro *Haſegg*, eodem MENLIO teſte, a) die & anno in inſcriptione notatis, hora autem ſeptima antemeridiana, ubi & addit: ſepultam primum fuiſſe in templo cœnobii novi, id eſt, ad S. Crucem *Franciſcanorum*, quicum & SCHOENLEBENIUS conſpirat, adiiciens inſuper: corpus XX. *Maii* anno 1572. inde exemptum, *Halam* in templum Collegii huius Regii, tum ad perfectionem deducti, translatum fuiſſe. a

VI. Tertius clypeus HELENÆ elogium his verbis explicat:

Itemque HELENÆ, † 1574. V. *Mart.*

D. O. M.

HELENA DIVI FERDINANDI, ROMANORUM IMPERATORIS, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ REG. ARCHIDUCIS AUS. NEC NON SERENISS. DOMINÆ REGINÆ, ET UXORIS EIUS ANNÆ, FILIA, SPRETIS MUNDI BLANDITIIS, ET ILLIBATA VIRGINITATE SANCTE DOMINO CONSECRATA, CUM XXXI. ÆTATIS ANNUM, AC DUO FERE MENSES COMPLESSET, IN DOMINO FELICITER OBDORMIVIT. V. MARTII. ANNO M. DLXXIV.

Huius Principis ætatem proximius definire liceret, niſi ſæpe excitata tabula genealogica pro tempore natali diem *Lunæ* XXIV. *Ianuar.* an. 1543. ſole tum in aquario verſante aſſignans, cum ſæpe laudatis MENLIO, & PETRO de *Rota* b) ſeptimum eiusdem menſis prodentibus, collideretur. Verum tabulam illam hoc loco in mendo cubare, inde deducimus; quod eo anno dies XXIV. *Ian.* non in diem *Lunæ*, ſed *Mercurii* inciderit, ſeptimus autem in diem *Solis*, quem MENLIUS conceptis verbis nominat. Ut adeo & inſcriptio recte b

a) Nec non SCHOENLEBEN. in *ephemerid.* aliisque ibid. allegatis, ut adeo XXI. *Mart.* annusque 1566. apud BIRCKENIUM erronee legatur.

b) Loc. cit. 327. averſ.

Tab. LXV. recte dicat, quod, prædictæ tabulæ fidem ſi adſtrueremus, dici nequiret, eam ſupra primum, & triceſimum ætatis annum menſibus fere duobus vixiſſe. De loco, *Wienna Auſt.* ſcilicet, iidem conveniunt, haud item de hora, ut quam MENLIUS, unacum tabula octavam veſpertinam fuiſſe dicit, matutinam de *Rota*. *Ante diem medium paulo plus quatuor horis*, ait. Tempus mortuale, in inſcriptione notatum, ex ſententia Scriptorum ſæpe laudatorum, recte ſe habet.

Nec non Eleonoræ † 1620. XXVIII. *Ian.*

VII. ELEONORÆ, CAROLI *Archiducis Styrenſis* filiæ, quartus clypeus hunc in modum, inſcriptione ſat longa mentionem facit:

D. O. M.

ELEONORA, SERENISS. CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, STIRIÆ, CARNIOLÆ, CARINTHIÆ ETC. NEC NON SERENISS. MARIÆ UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCISSÆ FILIA DIVIQUE FERDINANDI SECUNDI ROMANOR. IMPERATOR. HUNGARIÆ, BOHEMIÆQUE REGIS SOROR VIRGO, DELICIIS, MUNDIQUE POMPIS A SE RELICTIS, CUM SERENISS. MARIA CHRISTIERNA SORORE, NATU GRANDIORE, SACRAM HALENSEM CONGREGATIONEM, OCTOBRIS DIE TERTIO, ANNO M. DCVII. FREQUENTI ARCHIDUCUM AUSTRIÆ, BAVARIÆQUE DUCUM, NIMIRUM SERENISS. MATRIS ILLARUM COMITATU SUBINGRESSA, DECIMUM ET SECUNDUM IBIDEM ANNUM MENSESQUE QUATUOR MAGNA IN DEUM PIETATE, IN SACRAS ÆDES MUNIFICENTIA, ET IN PAUPERES LIBERALITATE, DEVOTO IN REMPUBLICAM EXEMPLO COMPLEVIT. EXACTOQUE POST GRAVES ET LONGAS ÆGRITUDINES HEROICO PLANE ANIMO SUPERATAS, ÆTATIS ANNO SUPRA TRIGESIMUM SEPTIMO MENSIBUS QUATUOR TRIBUSQUE DIEBUS, TAM PIE QUAM FELICITER IN DOMINO OBDORMIVIT, DIE OCTAVO ET VIGESIMO MENSIS IANUARII HORA TERTIA VESPERTINA, ANNO REPARATÆ SALUTIS

M. DC. XX.

Hanc *Græcii* an. 1582. XXV. *Sept.* tertio quadrante ante horam quartam pomeridianam, ortam fuiſſe, SCHOENLEBENIUS in *Ephemeridibus* docet, cui quoad annum, & diem, correſpondent ceteri, ac præſertim libellus genealogicus MS. Archivi *Græcenſis*, ubi & baptiſma in ultimum eius menſis dilatum fuiſſe, legimus. Quoad obitus tempus Scriptores, ſæpe laudati, cum inſcriptura conveniunt.

Ac denique M. Christiernæ. † 1621. VI. *April.*

VIII. Eiusdem CAROLI *Græcenſis* filiæ, MARIÆ CHRISTIERNÆ, vitæ ſeriem quintus denique & ultimus clypeus hoc modo tradit:

D. O. M.

MARIA CHRISTIERNA, SERENISS. CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, STIRIÆ, CARNIOLÆ DUC. ETC. NEC NON SERENISS. MARIÆ, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCISSÆ, FILIA, DIVORUM FERDINANDI PRIMI NEPTIS, AC SECUNDI ROMAN. IMPERATOR. SOROR, RELIQUAM MUNDI VILIPENDENS HONORUM ALTITUDINEM, CUM SERENISS. IUNIORE NATU SORORE LEONORA SUPERIORE ANNO DEFUNCTA, SACRAM HALENSEM VIRGINUM CONGREGATIONEM COMITIBUS IN EIS DECEM AUSTRIÆ ARCHIDUCIBUS, QUATUOR BAVARIÆ, UNAQUE MANTUÆ, DUCIBUS INGRESSA, DECIMUM TERTIUM IBIDEM ANNUM, SEPTEMQUE MENSES EGIT. PUPILLOS ENUTRIVIT, VIDUAS ALUIT. PAUPERES ALIMENTIS IN DIES AC INDUMENTIS FOVIT. OPPRESSOS IUVIT, PIETATE IN PAUCIS ENITUIT, AC ÆTATIS ANNUM QUADRAGESIMUM SEPTIMUM, SEPTEMQUE MENSES DUOS MINUS DIES CUM COMPLEVISSET, PARI FACILITATE AC FELICITATE AD DOMINUM COMMIGRAVIT, DIE MARTIS, APRILIS SEXTA.

SEXTA, INTER OCTAVAM ET NONAM VESPERTINAM ANNO CHRISTI M. DC. XXI. TAB. LXV.

Natam fuiſſe *Græcii* an. 1574. die x. *Nov.* hora poſt mediam noctem ſecunda, ſupra memoratus libellus genealogicus Archivi *Græcenſis* teſtatur, nec contradicunt ceteri, quos inter & MENLIUS & SCHOENLEBENIUS, aliique, ab eo laudati; unde inſcriptionis auctorem, licet diem & annum mortis ex aliorum etiam mente recte ponat, rem tamen ex amuſſi haud tetigiſſe intelligimus; quippe quod, ſecundum hanc nativitatis, mortisque epocham, annos vitæ quadraginta ſex, menſes quinque, minus diebus quatuor, vixerit. Dies, & annus mortualis, in inſcriptione expreſſi, cum Scriptoribus, ſæpe excitatis, pariter conveniunt.

IX. Hanc cryptam funeribus hiſce iuniorem eſſe, nobis haud monentibus, facile intelligere erit conſideranti, capulos ſingulos unam eandemque præferre formam. Sed & inter ſchedas Doctiſſ. STEYERERI ſequentia, ab ipſo, ut videtur, ex *annuis Collegii* exſcripta, legimus: „Anno 1708. die x. *Sept.* facta eſt translatio corporum MAGDALENÆ fundatricis, & ſororum MARGARITHÆ, ac HELENÆ, item Archiducum MARIÆ CHRISTIERNÆ, ac ELEONORÆ. Nam Superior fundationis novam pro eis cryptam extruere volens, fecit dicta corpora levari, & ad ſacriſtiam deportari, ubi, maioribus arcis incluſa, ſervabantur, donec novum mauſoleum perficeretur. Quo facto, die IX. *Sept.* veſperi extructum eſt ingens feretrum, nigro panno veſtitum, cui quinque ſarcophagi imponerentur, templum violaceis tapetibus undique tectum, & inſignibus *Auſtriacis* exornatum. His peractis, Superior, comitante P. Rectore, eodemque Confeſſario, omnibus Herulis, ac D. Adminiſtratore, ad ſacriſtiam proceſſit, ac, ruptis ſigillis, tumbæ ab Herulis ad feretrum deportatæ ſunt. Ad pedes cuilibet tumbæ appenſa ſunt argentea ſcuta (a nobis ſcilicet mox deſcripta) quæ nomen Archiducis referebant. Duodecim aquilæ, ligno ſculptæ, duodecim faces tenebant. Deinde, Herulis ad chorum regreſſis, aperta eſt templi ianua, & vigilia inchoata, præſentibus decem ex Societate Patribus. Altera die circa horam octavam celebratum eſt ſolemne *Requiem*, præſentibus P. Provinciali, Rectore, aliisque Patribus viginti ſex. Hoc finito, prior cum Herulis, & quatuor Nobilibus, atra veſte indutis, ardentes cereos manu tenentes, omnes ad feretrum acceſſerunt, ubi ceremoniæ funerales habitæ ſunt. Poſt hæc ſex Patres tumbam MARGARETHÆ (legendum haud dubie MAGDALENÆ, ut fundatricis) quaterni, & quaterni alias humeris impoſuerunt, & ad cryptam detulerunt. Poſt quemlibet ibant duo iuvenes nobiles, lugubres veſtes induti, faces portantes. Poſt tumbas ibant quidam noſtri, deinde Superior cum

Cryptam hanc recentiorem eſſe, oſtenditur.

Tab. LXV. Herulis. Ubi ad locum ſepulturæ ventum, tumbæ aliis ſtanneis impoſitæ, ac cuilibet elegans ſertum impoſitum. Reditu facto, P. Provincialis celebravit Miſſam votivam ſolemnem. Ante locum tumbarum crates ſunt, per quas videri poſſint. Dignum notatu eſt, quod, dum tumba MAGDALENÆ aperiretur, inventus eſt in eius manibus Crucifixus, item filum, quod Crucifixo circumligatum, & zona roſarii adeo integra, ac ſi hoc tempore facta eſſent, immo zona nec rumpi potuit; cum tamen 117. annis in ſepulcro fuerint.„ Hucuſque dicta relatio.

Magdalenæ, ſororumque eius, ſepultura prima.

X. Itaque MAGDALENÆ, ſororumque eius ſepulturam primigeniam ante aram principem antea conſtitutam fuiſſe, lapis ex marmore albo, ſex pedes, ac unum pollicem longus, tresque pedes latus, cuius ſchema in tabula noſtra damus, adhucdum ſuperſtes edocet, in ſcuto æneo ſequens epitaphium legendum offerens:

SERENISSIMA MAGDALENA NATA REGINA
HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ, ARCHIDUCISSA AUSTRIÆ ETC. FILIA IMPERATORIS FERDINANDI
PRIMI ETC. FUNDATRIX HUIUS TEMPLI: ADIUNCTÆ CONGREGATIONIS VIRGINUM: AC COLLEGII SOCIETATIS IESU: HIC CUM DUABUS GERMANIS SORORIBUS MARGARITA ET HELENA CONDITA. MENSE SEPTEMBRI.
CENTESIMO NONAGESIMO EST SEPULCRO ILLATA.

Itemque filiarum Caroli *Græcenſis.*

XI. Scribendum fuerat: MILLESIMO QUINGENTESIMO, non centeſimo, qui error an delineatoris ſit, an vero chalcographi, aut primi inciſoris? dicere nequimus. Alter itidem ex marmore albicante, non niſi duos pedes, ac quatuor digitos longus, ac unum cum dimidio pede latus, ſimilibusque fere ornamentis ex metallo decoratus, corpora filiarum Caroli *Græcenſis* claudebat, hac inſcriptione teſte:

SEPULTURA SERENISS. ARCHIDUCŪ AUSTRIÆ. MARIÆ CHRISTIERNÆ. VI. APR. MDCXXI. ET ELEONORÆ XXVIII. IAN. MDCXX. IN HAC CONGREGATIONE PIE. VITA FŪCTARŪ.

Ac denique ceterarum Monialium in hac crypta.

XII. Quod reliquum eſt, in hac etiam crypta compoſitæ ſunt Regii collegii Antiſtitæ, in loculamentis, lateritio operi iunctis. Quin & nobiles eiusdem Societatis Virgines in muralibus loculamentis, alia ſuper alia, vel iuxta poſitis, quieſcunt, quæ ſingula ichnographiæ noſtræ conſpectus clarius oſtendit.

CAP. X.

CAPUT X.

Tab. LXV.

DE CATHARINÆ, FERDINANDI I. IMP. FILIÆ, AC REGINÆ POLONIÆ, AD S. FLORIANI IN AUSTRIA, SUPRA ANASUM, SEPULTURA.

§. I.

Catharina ad D. Floriani, non *Lincii* sepulta.

In *Auſtria* ſupra *Anaſum*, *Lincium* inter, ac *Styriam*, percelebris floret Canonicorum Regularium Præpoſitura, cuius origines ad remotiſſimam antiquitatem referri ſolent. a) Ibi ſepulturam nacta eſt CATHARINA, FERDINANDI I. Imp. filia. Nobiscum etiam facit CZERWENCKA. b) Hæc primum FRANCISCO III. *Mantuæ* Duci, matrimonio copulata, eo mortuo, SIGISMUNDO II. *Poloniæ* Regi, in manus convenit, c) ſed ab eodem repudiata, in *Auſtriam* rediens, vitam ſuam maximam partem *Lincii* traduxit, ubi & fatis concedens, ibidem in templo parochiali ſepulta dicitur MENLIO, BIRCKENIO, SCHOENLEBENIO, & BUDÆO. d) Verum ibi nullum eiusmodi humationis extare veſtigium, nec quicquam ea de re in Curia ibi Ducali litteris conſignatum eſſe, per epiſtolam edocti fuimus. Non tamen negamus, fieri potuiſſe, ut defunctæ corpus, dum ei de ſepultura perpetua proſpiceretur, ad tempus, quanquam exiguum, ibi depoſitum fuerit.

a b c d

Ubi primum an. 1614. terræ mandata.

II. Enimvero, ut in vita variis exagitata caſibus, locum habitationis vix unquam ſtabilem invenire poterat: ita & poſt mortem corpus eius aliquoties alio, atque alio translocatum fuit. Nam etſi anno 1572. ut ſtatim dicemus, e vita abierit, ac poſt aliquod fortaſſis temporis ſpatium *Lincio* ad fanum S. FLORIANI translatum fuerit, ibidem tamen ad annum uſque 1614. ſepulcro caruit. Etenim eo primum anno MATTHIAS Imp. *Lincii* cum moraretur, ordines Præſulum, ſub dato X. *Septembris*, ad XXV. eiusdem menſis convocabat, ut Reginæ exequiis ad S. FLORIANUM adeſſent. Litterarum harum apographum, ad collegium hoc datum, in manibus eſt. Itaque præſente Cæſare, & Auguſta, nec non Epiſcoporum, Præſulum, Comitum, aliorumque Nobilium frequentia, funus tandem pompa decenti in xyſto collegii humo mandatum, perque dies tres feralia celebrata ſunt.

Eius ſarcophagus, & epitaphium. Tab. XLVII. Sect. II.

III. Eius ſarcophagus, cuius ſchema ob ſpatii opportunitatem tab. XLVII. ſect. 2. exhibemus, ex cupro fabrefactus, nullas nec figuras, nec inſcriptiones, aut inſignia continet. At ubi funus dicto loco conditum fuit, illud cippo obtectum, eidemque ſequens titulus inſcriptus fuit:

SUB

a) Vid. HANSIZ. *German. Sacr.* tom. I. pag. 221.

b) *De ſepult. Auſtr.* Idem tamen *Pietat.* & *Annal. Auſtr.* lib. I. cap. XV. pag. 91. eam *Pragæ* in eccleſia metropolitana humatam ſcribit.

c) Conf. dicta *Pinacoth. Auſtr.* P. II. p. 267. §. X.

d) Loc. ſæpe cit. p. 246. col. II.

TAB. LXV.

SUB HOC LAPIDE
OSSA
CATHARINÆ SERENISS. OLIM REGINÆ POLONIÆ
NATÆ ARCHIDVCIS AVSTRIÆ
TVMBA CVPRINA INCLUSA
AB ANNO REPARATÆ SALVTIS HVMANÆ
M. DC XIV.
REQVIESCVNT.

Quo deſtructo, corpus eius alio transportatum eſt.

IV. Sed neque hic lapis ætatem tulit; quippe quem murarii ſub LEOPOLDO præpoſito, ſculptura, & inſcriptione abraſis, ædificio templi adhibuerunt. Quin & ipſe loculus ſuo remotus eſt loco. Cum enim an. 1684. nova templi, & collegii ædificia ſtruerentur, cum aliis partim ex ære, ex ſtanno partim confectis ſarcophagis, in cryptam ſepulcralem Præſulum illatus fuit. Quos quidem ſingulos ibidem hodieque reperiri, ac tandem aliquando quieſcere, venerabiles collegii Alumni per litteras nos edocuerunt. Reclamaret tamen fortaſſis, ſi poſſet, Regina; ut quæ, amico nos monente, ex teſtamenti ſui ſententia, cuius autographum in archivo Auguſtali domeſtico aſſervatur, alibi, quamvis locus in ſuperſcriptione eius, ad calcem paginæ hic adducenda, a) haud indicetur, ſepeliri poſtulavit.

a

Ætas CATHARINÆ.

V. Orta eſt CATHARINA *Viennæ* in *Auſtria* anno 1533. die *Iovis* XXV. *Sept.* hora quinta matutina in ſigno capricorni, ſupra memorata tabula genealogica aſſeverante. At contradicit tamen MENLIUS, iuxta ac laudatus PETRUS de *Rota*, de hora media octavam inter & nonam loquentes. Obitum eius idem MENLIUS, unacum SCHOENLEBENIO, aliisque, ab eo laudatis, ad anni 1572. diem XXVIII. *Februarii* reponit, ut adeo MATENESIUS nonam *Martii* erronee ſcripſerit.

a) Koenigin CATHARINA zu *Polln* teſtament in originali de anno 1572. welche zu St. FLORIAN erſt anno 1614. *zuwider des lezten willens* zu der erden beſtattet worden.

TAPHO-

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER VII.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA

POSTERORUM MAXIMILIANI II. IMPERATORIS

AD USQUE

CAROLUM ARCHIDUCEM, DUCEMQUE STYRIÆ.

CAPUT I.

TUMULUS DUCUM BRABANTIÆ VETERUM, ET ERNESTI, MAXIMILIANI II. IMP. FILII, NEC NON SEPULCRA ALBERTI, ET ISABELLÆ, ARCHIDUCUM AUSTRIÆ, BRUXELLIS IN BRABANTIA.

§. I.

BRUXELLÆ in medio chori maioris eccleſiæ collegiatæ, & Parochialis, ad S. MICHAELEM, & D. GUDULAM, tumulus marmoreus conſpicitur, cui leo, ex ære affabre fuſus, & auro obductus, incumbit, dextra falcula ſcutum *Brabantiæ* tenens. Reſtitutum illud ab ALBERTO *Pio* Archiduce fuiſſe, *Magni Theatri Sacri Brabantiæ* auctor fidem facit. a) Sub eo veteres *Brabantiæ* Duces: IOANNES II. an. 1313. MARGARITHA, uxor eius, an. 1318. nec non ANTONIUS, PHILIPPI *Boni* filius, an. 1431. defunctus, reconditi ſunt, teſtibus lapidibus ſepulcralibus, ibidem poſitis. Sed & ERNESTUM Archiducem ibidem quieſcere, ex eius cenotaphio, mox num. II. deſcribendo intelligimus. Unde & eidem ex oppoſito muri a ſiniſtris in pavimento, ſequens inſcriptio conſtituta fuit; Tumulus Ducum *Brabantiæ*. TAB. LXVI.

a

ERNESTUS DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIÆ DUX BURGUNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, WITTENBERGIÆ, b) COMES HABSBURGI, TIROLIS, MAXIMILIANI II. IMPERATORIS FILIUS, BELGICARUM PROVINCIARUM GUBERNATOR, MORITUR BRUXELLIS ANNO M. D. XCV. DIE XX. FEBR. ÆTATIS SUÆ ANNO XLI. MENS. VIII. D. V.

b

II. Ceno-

a) Vid. *le Grand Theatre ſacré de Brab.* tom. I. lib. VI. p. 187.

b) *Wirtenbergiæ.*

Ac Ernesti Archiducis. Tab. LXVII.

II. Cenotaphium ERNESTI ea ſpecie hic delineatum damus, qua in *Magno Theatro Sacro Brabantiæ* exhibetur, attamen ad ectypon, a ſæpe laudato Excellentiſſ. Comite a COBENZL ſubmiſſum, quoad eius fieri potuit, emendatum. Poſitum id eſt ad cornu Epiſtolæ, quod vocamus, in dicto choro. Arcæ formam refert, ex marmore pereleganter elaboratæ, quæ media ex adverſo inſignibus *Auſtriacis* (quæ tamen nuperus delineator adeſſe negat, dictum Theatrum, ſeorſim tamen, exhibet) atque alias paſſim frondibus fictis, & id genus ſculpturæ ornamentis perpolita. Huic ſuperiacet integra Archiducis figura, veluti quieſcentis, atque adeo pulvino in cubitum ſiniſtrum innixi. Cataphractus cernitur, chlamyde Ducali, ac torque aurei velleris amictus, cum galero Archiducali in capite. Ad ſiniſtram adiicitur gladius, pro pedibus caſſis aperta, pennis criſtata. Sub coronide columnarum ex utraque parte ſingulæ conſpiciuntur corollæ, ex palma nexæ, in quibus galerus Archiducalis continetur, ſuperpoſito lemmate ſymbolico, Archiduci proprio: SOLI DEO GLORIA, in nummis eius, ut alibi vidimus, frequenter occurrente. In media cavitate laminæ cupreæ flavæ inciſum eſt epitaphium, eidem ab ALBERTO fratre, ut contextus docet, poſitum:

MEMORIÆ SER.MI PRINCIPIS
ERNESTI, ARCHIDUCIS AUSTRIÆ, MAXIMILIANI II. IMP. F. EX MARIA CAROLI V. IMP. F. FERD.DI I. NEP. MAX.NI I. ABN. RUDOLPHI II. FRATRIS.
QUI CUM REGNUM HUNGARIÆ ET FINITIMA LOCA PER AN.OS XVII. FORTITER FELICITERQUE ADMINISTRASSET, AD BELGII GUBERNACULA A PHIL.PO II. AVUNC.LO VOCATUS, EASDEM PROVINCIAS, ETSI BREVI XIII. MENSIUM SPATIO, CUM ÆTERNA SUA LAUDE ET GRATIA REXIT, IN AVITA RELIGIONE, IN PACE, IN IMPERIO REDUCENDO INTENTUS, IN IISQUE CURIS MORTUUS ANNO CIↃ IↃXCV. X. KAL. MART. CUM VIXISSET AN.OS XLI. M.S VIII. D.S V.
POSUIT ALBERTUS ARCHIDUX AUSTRIÆ, BELGII PRINCEPS,
SINGULARI IN FRATREM AFFECTU,
EIUSQUE CORPUS EX ADVERSO IN TUMULO DUCUM BRABANTIÆ RELIQUIT,
MONUMENTUM HIC VOLUIT EXTARE.

Ætas illius, ac mortis hiſtoria.

III. Vixiſſe illum annis XLI. menſibus VIII. diebus quinque, cum hoc, tum paullo ſupra adductum inunnt epitaphia, id quod tam cum Scriptoribus, quam cum tempore eius natali, quod quidem ad an. 1553. diem *Iovis* XV. *Iunii*, horam inter tertiam & quartam pomeridianam reponendum eſſe, unacum MENLIO pluries excitata docet tabula, recte congruit. *Mercurius Gallo-Belgicus* a) mortem eius nocte inter XX. & XXI. *Februar.* eveniſſe, memorat, qui & addit: „cum mortuum eius corpus, more Principum uſitato, aperiretur, cor, pulmo, & iecur, ſana, & integra reperta fuiſſe: in lumbis tantum calculum mediocris magnitudinis, & in renibus vermem oblongum, & vivum inventum, qui interiora Principis eum in modum corroſerat, ut brevi tempore marcuerit, corporeque toto extenuatus, ſupereſſe diutius non potuerit. Vanæ itaque (ſubdit) longe petitæ, & ad fucum ſuæ cauſſæ excogitatæ ſunt

METE-

a) Ad an. 1595. pag. m. 162. ſeq.

METERANI rationes, quas ille, Principi mortem acceleraſſe, comminiſcitur. Exta (ut pergit) *Bruxellis* humo condita ſunt, corpus unguentis delibutum, regali more nigro holoſerico veſtitum eſt, & toga holoſerica pretioſiſſima, margaritis, & gemmis ornata, indutum, a collo dependente aureo Ordinis vellere: ſiniſtro latere accinctum equeſtri gladio, dextro habens Archiducalem pileum, pedes ocreis inſerti, addita aurea calcaria, digitis pretioſiſſimis annulis, & brachiis armillis aureis nitentibus. Defunctus Princeps tandem loculo imponitur, & in eccleſiam palatii illatus, aliquot dies omnium hominum conſpectui exponitur.„ Tum vero tumulo Ducum *Brabantiæ* illatum, nec unquam inde eductum fuiſſe, mox adducta inſcriptio docet. TAB. LXVII.

IV. In eodem *Bruxellenſi* templo primario, non quidem in choro maiori, ſed in ſacello, a *SS. Sacramento miraculoſo* nuncupato, ſepulturam ſibi elegerunt ſereniſſimum par coniugum, ALBERTUS, & ISABELLA CLARA EUGENIA, hæc PHILIPPO II. Rege *Hiſpan.* ille MAXIMILIANO II. Imp. progeniti *Belgii* Principes. Nullus hic reperitur cippus, monumentum nullum: cum tamen illi, dum viverent, præclara defunctorum memoriæ, non modo *Bruxellis*, antiquis *Brabantiæ* Ducibus, ERNESTOque, ut vidimus, Archiduci, ſed & alibi aliis poſuerint, reſtituerintque monumenta. a) Hoc igitur in ſacello ante gradus primarii altaris lapis duntaxat ſepulcralis marmoreus ſtratus cernitur, ſed titulo quovis, inſignibus, aut inſcriptione vacuus. Ad diſtinguenda tamen amborum funera laminæ æneæ ipſi loculo, more veterum, inditæ ſunt, quarum exempla in Bibliotheca Aug. *Vindobonenſi* aſſervantur, edita etiam a *Magni Theatri Sacri Brabantiæ* auctore, b) nec non a IOSEPHO ab *Eggs*; c) verum ubique nonnihil mendoſe. Nos MS. Bibliothecæ Cæſareæ ſequimur. ALBERTI, & ISABELLÆ ſepulcrum *Bruxellis*. a b c

V. Prior itaque inſcriptio, ad ALBERTUM pertinens, ſic habet: Prioriſque epitaphium.

ALBERTI
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ
BURGUNDIÆ ET BRABANTIÆ DUCIS
BELGARUM DOMINI
IMPERATORUM
MAXIMILIANI II. ET FERDINANDI I. AUGUSTORUM
FILII ET NEPOTIS
ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ,
PHILIPPI II. HISPANIARUM ET INDIARUM MONARCHÆ, FILIÆ,
MARITI,
PIETATE,

a) Vid. *le Grand Theatre ſacré de Brabant.* tom. I. lib. VI. p. 188. nec non 131. 313. ſeq. b) Ibid. p. 196. c) *Suppl. Purpur. doct.* lib. III. p. 421.

Tab. LXVII.

PIETATE, IUSTITIA, CLEMENTIA,
MAGNI
ET ÆTERNUM MEMORANDI PRINCIPIS,
EXUVIÆ MORTALES
IMMORTALITATIS GLORIAM BEATÆ RESURRECTIONIS
IN SPE HIC EXSPECTANT.
VIXERAT ANNOS LXI. MENSES VIII. DIEM I.
REXERAT RELIGIOSE, PRUDENTERQUE ANNOS XXV.
OBIIT VERUM PRINCIPIS CHRISTIANI EXEMPLAR
ANNO M. DCXXI. III. IDUS IULII.

Cum itaque ALBERTUS, multoties laudata tabula, ac MENLIO teſtibus, *Neapoli Auſtriæ* an. 1559. die *Lunæ* XIII. *Novembr.* uno quadrante poſt nonam matutinam, in hanc lucem editus ſit, eandemque XIII. *Iulii* an. 1621. circa meridiem amiſerit, inſcriptionem recte ſe habere, manifeſtum eſt, auctore tamen paucas horas pro die uno computante. Nam uti Princeps poſt horam nonam matutinam natus, ita circa meridiem, ut mox videbimus, extinctus eſt.

Mortis, & exequiarum hiſtoria.

VI. Refert autem *Theatrum Europæum*, a) eum biennio ante variis languoribus vexatum, iisdem tandem augeſcentibus ſuccubuiſſe, cum pridie ante obitum SS. Sacramentis Eccleſiæ rite munitus fuiſſet. Tum corpus habitu Ordinis *Minorum Capucinorum* (*Franciſcanorum*) indutum, in ſacello aulico hominum conſpectui expoſitum iacuiſſe, anno vero ſequenti, ſecundo *Martii* exequias tanta magnificentia peractas fuiſſe, ut illas, de quibus diximus, CAROLI V. an. 1558. iuſſu PHILIPPI filii & ſucceſſoris, ibidem habitas, multis modis ſuperaverint. Et ſane pompa funebris, ab *Erycio* PUTEANO, tribus & ſexaginta tabulis æneis exhibita, cuius editionem noviſſimam b) præ manibus habemus, id confirmat. Adiecit editor varias quoque inſcriptiones, tum temporis in laudem Principis concinnatas, rogoque funebri inſcriptas, quas tamen apud ipſum legi malumus. De morte autem eius, pompaque ipſa, copioſius, accurratiusque, ac *Theatrum Europæum*, loquentem, nonnihil audire iuvat: „Tertio Idus *Iulias*, inquit, anni M. DC. XXI. circa meridem, e Palatio ſuo *Bruxellenſi* in cælum translatus eſt Sereniſſimus Princeps noſter ALBERTUS. - - In maiori Palatii ſacello cadaver Principis, habitu *Franciſcano* (uti mandaverat ipſe) oculis omnium per quatriduum expoſitum eſt, ſub throno veſtis attalicæ. Deinde capulo plumbeo incluſum, & in minori ſacello ſub ſacriſtia ſepoſitum, menſes fere octo quievit. Quinto Idus *Martias* anni M. DC. XXII. iterum in maius ſacellum a cubiculariis relatum eſt. - - Sacellum, pannis lugubribus coopertum, inſignia Archiducis ubique oſtendebat. Feretrum, veſte attalica tectum, collocatis

a) P. I. p. 616.

b) *Bruxellæ* 1729. fol.

locatis ab utroque latere ſcamnis - - ſtilobatæ ovali, ſenos aſcenſus præbenti, inſiſtebat: & hi totidem ſtilobatis, argentea candelabra ſuſtinentibus, ſeparabantur, circumquaque luminaribus innumeris collucentibus. Cælum veſtis attalicæ pyramidali forma expandebatur, cinctum ramis palmæ, laurique. Omnibus igitur funeri faciundo paratis. &c.„ Deſcribit deinde ordinem procedendi illorum, quorum imagines tabulis ſuis haud inſeruit, & denique ſic concludit: „Sublatum deinde feretrum Cubicularii Principis in choro *Venerabilis Sacramenti* miraculoſi ſub cælo ibidem erecto, ſtiterunt, deſcendentesque in monumentum ante altare, albo lapide ſtructum, comitante Archiepiſcopo, & clero, ſuper craticula ferrea illud depoſuerunt. His tandem hora ſeptima veſpertina peractis, diſceſſum eſt.„ Tab. LXVII.

VII. Marito ſuperſtes Isabella Clara Eugenia, habitum, ut alibi a) diximus, Ordinis S. Claræ *Bruxellis* ſuſcepit. Qua de re cum nonnulli, an vota etiam emiſerit, dubitare voluerint, nuncupationis, *Hiſpanica* lingua factæ, uti & acceptatæ, teſtimonia in margine inferiori damus, b) a R. admodum P. *Vigilio* Greiderer, Ord. S. Francisci *Recollect.* nobis ſubmiſſa. Anno 1633. XXVIII. *Nov.* cum publicæ Proceſſioni ob inſtans Domini *Adventum*, quem dicimus, nudis, pro more, pedibus intereſſet, apoplexia tacta, biduo poſt funus fuit. Defunctæ corpus, aromatibus pollinctum, ac eiusdem Ordinis habitu indutum, poſtridie eius diei in ſacello palatino ſolemni lectiſternio impoſitum, perque triduum omnibus ſpectandum datum fuit. Demum arca lignea, tum plumbea reconditum, a quatuor *Capucinis*, aut certe *Franciſcanis*, retro altare, donec a Curia *Hiſpana* exequiarum ceremoniæ decernerentur, repoſitum fuit. c) Ad extremum vero mariti ſepulcro illatum fuiſſe, ſequens docet inſcriptio: Isabellæ Claræ Eugeniæ, Alberti *Pii* coniugis, ſepultura ibidem cum epitaphio. a b c

Deo
et sacræ memoriæ
magnæ Principis
Isa-

Ego Frater Andreas a Soto, Præfatæ Sereniſſimæ a Confeſſionibus, ac Commiſſarius Generalis ſuper Provincias *Belgicas*, *Coloniæ*, *Argentinæ*, *Hiberniæ*, ac *Scotiæ*, fidem omnibus facio, me eius profeſſionem, iuxta prædictum tenorem audiviſſe, mihique, ut legitimo Superiori, factam fuiſſe, poſt celebratum a me Sacrum in eiusdem Sereniſſimæ Infantis palatio *Bruxellæ* die octava feſti Sanctiſſimi P. N. Francisci. Anno 1622. in cuius Teſtimonium hæc ſigillo ſubſignavi, & Chirographo meo munivi.

†

Locus Sigilli. *Signatum erat*
F. Andreas Soto.

a) *Pinacoth. Auſtr.* P. II. p. 226. §. XVII.

b) Yo la Hermana Isabel, Clara, Eugenia, haga voto y prometo a Dios, y a la Beneventurada Siempre Virgen Maria, y al Beneventurado Padre San Francisco, y a Todos los Santos, y a vos Padre, de Guardas, todo el tiempo de mi vida, los mandimentos de la ley de Dios, y ſatisfacer, como conviene, por las transgreſſiones, que contra eſte forma y manere de vida approbada y confirmada por el Sennor Papa Nicolao IV. y por otros Summos Pontifices, cometiere, quando para illo fuere illamada a la voluntady iudicio del Superior.

c) Van Loon *Hiſt. metall. de Pays-Bas* tom. II. p. 212.

TAB. LXVII.

ISABELLÆ CLARÆ
EUGENIÆ
D. G. HISP. INFANTIS
PHILIPPI II. REGIS FILIÆ
CAROLI V. IMP. NEPTIS
REGUM PHILIPPI III. ET IV. SORORIS ET AMITÆ
ALBERTI PII ARCHIDUCIS AUSTRIÆ
PRINCIPIS BELGARUM
PIENTISSIMÆ CONIUGIS
SANCTIMONIÆ, SAPIENTIÆ, CLEMENTIÆ,
CÆTERARUMQUE, DUM VIXIT IN TERRIS, COELESTIUM VIRTUTUM
INCOMPARABILIS HEROINÆ
MORTALES EXUVIÆ HIC SITÆ SUNT.
VIXERAT IN SOLATIUM OMNIUM ANNIS LXVII. MENSES III. DIES LXVIII.
DEVIXIT SUMMO CUNCTORUM MOERORE
KAL. DECEMB. M. DC. XXXIII.

Ætas.

VIII. Mendum in hac inſcriptione, vel chalcographi, vel amanuenſis incuria, commiſſum, ita ut loco XVIII. diem LXVIII. legamus, nemini non ob oculos verſatur. Et illud tamen tum MS. codex *Vindobonenſis*, claſſ. Hiſtor. num. 304. tum *tabula chronologica Ducum Lotharing. Brabant. Limb.* &c. præfert. a) *Segoviæ*, aut certe in Palatio *Balſano*, in Silva, *Segoviæ* vicina, anno 1566. b) natam fuiſſe, GREGORIUS LETI b) tradit, diem, ut & MINIANA, reticet. Sunt, qui XI. *Aug.* volunt, ut BIRCKENIUS, LEQUILEUS, SCHOENLEBENIUS, cum ceteris ab eo laudatis. Alii vero diem ſequentem, S. CLARÆ ſacrum, unde & eius nomen, ut c) KHEVENHILLERUS c) & CZERWENCKA referunt. Id quod nobis eo veriſimilius videtur, quod inſcriptioni, quæ diem XVIII. haud dubie exprimere voluit, propius accedat. Cum enim Kal. *Dec.* ſeu, ut laudatus *D. Van* LOON ex NEOVILLIO docet, noctu inter primam & ſecundam eius menſis diem, rebus exceſſerit hud) manis, d) vero propius dici poteſt, eam XVIII. ſupra tres menſes diebus vixiſſe, quam ſi eam XI. *Auguſti* natam ſtatuamus: quanquam & illa etiam ratione, ſi rem preſſius accipimus, dies omnino viginti computandi ſunt. Errat igitur ſæpe laudatus PIRRUS, XXII. *Aug.* proponens.

a

b

c

d

CAP. II.

a) Edit. *Mechlin.* 1669. p. 41. Ubi adduntur ſequentia: *Defunctæ honori dicata hæc fuit Epigraphe*: CLARA, *jubar Belgis nuper, nunc ſidus Olimpo.*

b) Vie de PHIL. II. tom, III. lib. XVIII. p. m. 74.

c) *Effigier.* tom. I. p. 117. c.

d) Apud laudat. KHEVENHILLERUM XXIX. *Nov.* legimus, ut & ap. SCHOENLEBENIUM, ſed ſtandum putamus inſcriptioni, auctoritatique citati *Van* LOONII, Scriptoris utique *Hollandi*, & qui mortis, morbique circumſtantias adiicit. Add. PIRRUS *Chronolog. Regg. Sicil.* pag. LXVII. quoad diem obitus nobiscum faciens. *Theatr. Europ.* diem XXI. *Nov.* ſed haud dubie erronee, ſciſcit, P. III. pag. 139.

CAPUT II.

SEPULCRUM ELISABETHÆ, REGINÆ FRANCIÆ, IN REGIO ASCETERIO AD. S. CLARAM VINDOBONÆ, CUM ICONISMO.

§. I.

Monaſterium B. Virginis MARIÆ de *Angelis*, Regium quod vocant, ſacrarum Virginum Ord. S. CLARÆ, palatio Archiducali *Vindobonenſi* contiguum, ELISABETHA, filia MAXIMILIANI II. Imp. ac CAROLI IX. Regis *Galliæ*, vidua, anno 1582. conſtituit. De eo plura attulimus tomo præcedenti. a) In illo autem ſepulturam ſibi ex teſtamento b) elegit ELISABETHA, & quidem in templi, a ſe conditi, choro, ante altare ſupremum, ubi pone magnam imaginem CHRISTI, in crucem ſuffixi, lapis planus, ac ſimplex, ſepulcrum eius obtegens, adhuc viſitur, inſcriptis, ut petierat, binis verſibus ex libro IOB: PECCANTEM ME QUOTIDIE &c. ut in ſchemate noſtro videre eſt, addita inſuper hac ſententia: TOT RAPTIS, QVID MORROR VLTRA M. D. XCII. Monaſterii S. CLARÆ *Vind.* incunabula, ac ſepulcrum ibi ELISABETHÆ. TAB. LXVIII. a b

II. Bis hoc ſepulcrum apertum fuit; primum, imperante Cæſare LEOPOLDO, cum an. 1672. ædificando, ſeu reſtituendo altari ſupremo fundamenta in ſolo ponerentur, atque ea occaſione operæ in illud inciderent. De hac nihil uſquam in litteras relatum eſt. Alteram patefactionem nos in præſentia multorum iam tum XXVIII. *Iulii* 1739. inſtituendam ſuſcepimus. Quo die, remoto, cum aliis ſtrati pavimenti lapidibus, parvo illo cippo quadrato, cui ex IOBI libro *reſponſorium* in *officio*, quod vocamus, *defunctorum*, dici ſolitum, inſcriptum eſſe diximus, tria reperiebantur ſaxa grandiora, ſepulcro lateritio, quinque pedes, tres pollices alto, tresque pedes lato impoſita. Horum lapidum uno ſublato, apparebat in medio loculus, linteo, cera imbuto, circumſutus, inque formam ciſtæ ex robore factus, ligamentis, atque manubriis ferreis bene munitus, ac ſera concluſus. Longitudine duum pedum, ac quinque pollicum, non erat maiori latitudine pedis unius, & duum pollicum, altitudine pedis unius cum dimidio pollice. Sera, tracta per eam tœniola cærulea, Epiſcopi *Wiennenſis* ſigillo obligata erat. Oſſa iacebant ſine ordine promiſcue, ac confuſe. Calva tamen, cum maxillis, etiamnum integra, aliquam etiam partem carnis ſervabat, etſi corpus nulla unquam pollinctura infartum fuerit. His rebus ita perſpectis, omnibusque priſtino loco reſtitutis, diſceſſum eſt. Attamen R. P. Commiſſarius, Monialium curam gerens, veteri funebri arcæ, ab humoribus detrimenti aliquid paſſæ, novam de integro factam ſubſtituit, veteremque eadem concluſit. Quod bis apertum.

III.

a) P. II. p. 275. §. XII. & p. 280. §. XXI.
b) Quod ad anni 1591. diem XVI. *Sept.* quanquam non integrum, Vol. II. huius tom. vulgamus.

Prima ſepultura quo pacto adornata fuerat?

III. Sarcophagum, in hac ultima patefactione repertum, tum primum, cum ſub LEOPOLDO Imp. ſepulcrum iſthoc apertum fuit, factum fuiſſe, ipſa illius anguſtia, corpori recens mortuo capiendo inepta, edocet. Sed & opus illud lateritium, cum tribus lapidibus, eidem ſuperpoſitis, tum primum etiam adiectum fuiſſe, ex dicto TAB. LXVIII. teſtamento Principis ornatum, opusque cameratum excludentis, colligimus: tum vero etiam ex verbis Commiſſarii Apoſtolici Ord. S. FRANC. ſepulturæ eius tum præſentis, qui hæc in Annales monaſterii retulit: „Ex iuſſu, & voluntate Regiæ Maieſtatis, funus capulo
a „ligneo, arca ſtannea a) ad honorem incluſo, conditum, *in ipſam* „*humum ſine ulla crypta, aut camera*, depoſitum fuit, ac ſepultum „in præſentia fratrum ſuorum ERNESTI, & MATHIÆ, Archiducum „*Auſtriæ*, nec non totius in luctum effuſi populi *Vindobonenſis*. „Adornata iacet veſte quotidiana, ſecum habens in loculo pectori „impoſitam imaginem CHRISTI ad crucem affixi, item laminam o„richalceam, bene inauratam, in qua nomen, ac dignitas inſcri„pta, denique in manu dextra globulorum precatoriorum lineam, „unde crucis ſignum, cum multis ſanctorum reliquiis, dependet.„ Quo vero hæc crucis imago, laminaque inaurata, delapſæ, & utrum fortaſſis in aulam tum delatæ fuerint, dicere nequimus. Id duntaxat aſſerere poſſumus, ſub ultima luſtratione, nobis præſentibus inſtituta, nihil earum repertum fuiſſe. Addit SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* eam X. *Febr.* primum ſepulturæ traditam fuiſſe, cum tamen in ſupra laudato teſtamento petierit, ut ne ultra quinque dierum ſpatium inſepulta iacere permitteretur.

Ætas Reginæ.

IV. Nata erat ELISABETHA, multoties excitata tabula, ac MENLIO aſſerentibus, *Wiennæ Auſtriæ* anno 1554. die *Martis*, quinto *Iunii*, horam inter decimam, & undecimam nocturnam, ſole leonem permeante. Ut adeo SCHOENLEBENIUS diem præcedentem contra EYZINGERUM, MATENESIUM, ac IACOBUM de *Strada* obtendens, haud dubie in errore verſetur. Quinto *Iulii*,
b loco *Iunii*, errore typographico, apud KHEVENHILLERUM b) legimus. Ad cœlos evolavit in dicto monaſterio, aut certe in domo, quam inhabitare conſueverat, eidem vicina, an. 1592. XXII. *Ian.* horam inter XI. & XII. noctis, eodem Excellent. Comite affirman-
c te. c) Accedit SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* cum Scriptoribus ibi laudatis, qui & addit: *vixit annos* 37. *menſes* 8. *dies* 7. *horas* 7. *ut non nemo ſupputavit.* GANSIUS in *Arboret.* ELISABETHAM

a) In oratione parentali, a *Melchiore* KLESSELIO, Epiſcopatus *Neoſtadienſis* tum Adminiſtratore, eccleſiæque illius Præpoſito, nec non Univerſitatis *Wiennenſ.* Cancellario, S. C. M. Conſiliario, ac Concionatore Aulico, nec non S. R. E. poſtea Purpurato, habita, hæc ſingula confirmantur, arcæ tamen ſtanneæ nulla fit mentio. Impreſſa eſt vernacula lingua *Wiennæ* an. 1592.

b) Effigier. tom. I. p. 102.

c) Loc. cit. p. 104.

BETHAM V. *Iulii* natam, ac XV. *Ian.* denatam, duplici errore tradit. Morbi genus nec hi, nec alius quispiam, quoad ſciamus, prodidit: ex KHEVENHILLERO tamen, & ſupra laudato encomiaſte intelligimus, eam aliquot diebus decumbentem, Divino amore ſuccenſam, mortem, ut vixerat, ſancte, nec ſine ſignis, ſanctitatem eius teſtantibus, oppetiiſſe. TAB. LXVIII.

V. Exhibere hoc loco placuit nummum ELISABETHÆ, anno 1582. die V. *Martii* fundamento ſæpe dicti monaſterii iniectum, ac in *Nummotheca* noſtra *Auſtriaca*, ubi maiori iure comparere potuerat, prætermiſſum. Pars antica ſcutum eius gentilitium coronatum inter lauri ramos hanc epigraphen præfert: † ANNO DNI. M. D. LXXXII. QVINTA. MARTII, FVNDAMENTVM. TEMPLI. POSITVM. & in poſtica eius continuatio: † DEO. OPT. MAX. ET. S. MARIÆ. DE. ANGELIS. VIENÆ. AVST. HOC. TEMPLVM. ELISABETHA. REGINA. DIVI. MAXIMILIANI. II. ROM. IMP. AVG. ARCHIDV. AVSTR: FIILIA. DIVI. CAROLI. IX. VALESII. FRANCOR. REGIS. CHRISTIANISSIMI. DERELICTA. VIDVA. PIE. DEDICARI. FECIT. Nummus in fundamento huiuscœnobii poſitus.

VI. In ipſo hoc choro proxime altare inſtrata ſunt pavimento tria marmora minoris formæ, in quibus corona Imperialis, nota anni, ac nomina MATHIÆ, ANNÆ MARIÆ, uxoris eius, & FERDINANDI II. Impp. Cæſſ. inſculpta ſunt. Putabant non nulli, ſub his lapidibus aut corda, aut inteſtina eorum conquieſcere; quare, quoad iis ſatisfieret, cum his, tum aliis, quibus pavimentum ſtratum eſt, lapidibus remotis, ſolum excavari debuerat. Sed is labor fruſtra cecidit; quoniam ſtatim ad fundamenta altaris, & templi offenſum eſt. Conſtat præterea ex dictis noſtris, inteſtina, & corda horum Imperatorum non hic, ſed in communibus Archiducum cryptis condita fuiſſe. At corpora eorum ipſa aliquando hic funere temporario compoſita fuiſſe, æque compertum nobis eſt. Cum enim MATHIAS *Wiennæ* apud Patres *Capucinos*, FERDINANDUS vero *Græcii* in *Styria* cryptas novas vivi conſtituerent, nullus autem abſolveret, corpora tam MATHIÆ, uxorisque eius, quam & FERDINANDI ſeorſim locenda interim fuerant, donec, quod inceptum erat, ad perfectionem deduceretur, id quod ex dicendis amplius patebit. Trium Imperatorum funera ibidem temporaria.

CAP. III.

CAPUT III.

MAUSOLEUM MAXIMILIANI III. ARCHIDUCIS, ORDINIS TEUTONICI SUPREMI MAGISTRI, QUOD EST OENIPONTI IN Ttemplo PAROCHIALI.

§. I.

Mauſoleum Maximiliani III. A. *A.* translocatum. Tab. LXIX.

Quod ſuis ſumptibus conſtruxit templum Parochiale ad S. Iacobum *Oeniponti*, in eo quoque, ut inſcriptio, poſtea adducenda, habet, anno 1608. inſigne mauſoleum conſtituendum ſibi curavit Maximilianus III. Maximiliani II. Imp. filius, Archidux *Auſtriæ*, ſupremus Ordinis *Teutonici* Magiſter. At illud hodie dislocatum, priſtinam faciem cum venuſtate amiſit. Cum enim templum hoc denuo reſtitueretur, conſilio, neſcimus, an multis probando, factum, ut quatuor columnæ, mauſoleum hoc ornantes, translocatæ, & binæ hinc inde ad ianuas chori introrſus, aliæ duæ ex adverſa parte unacum ſtatuis, reliquisque ornamentis, ordine tamen itidem immutato poſitæ fuerint, ſicque inſignis huius templi benefactoris illuſtre mauſoleum ita membratim, ut ita dicamus, diſcerptum ſit, ut id vix amplius internoſci poſſit. Utramque partem, ſigillatim delineatam, in tabula noſtra ad latera veteris monumenti poſuimus, quarum ſitus, & ordo ex adiecta ichnographia chori recentioris clarius perſpici poterit, dum nos ad deſcribendum vetus illud, ac primigenium progredimur.

Veteris deſcriptio.

II. Monumentum iſthoc ex marmore, & orichalco, affabre elaboratum, ſubſtructione olim nitebatur, octo pedes, tresque pollices longa, ſex & ſemis pedes lata, duosque alta. Super hanc baſin erectæ quatuor columnæ ex orichalco ſtriatæ, & a muro paullulum recedentes, ſingulæque ſeptem pedes, quatuorque pollices altæ, trabeationes ſuſtinebant, e marmore candido, & nigro concinnatas. Parieti inter has columnas inditum erat marmor nigrum, ſex, & ſemis pedes altum, tresque, & ſemis latum, inſignia cum galero Archiducali continens, nec non epitaphium, litteris auratis inſcriptum, ac æreo margine circumcluſum, ſtatimque afferendum. Huic epitaphio, ſuper baſin columnarum, inter ſtylobatas, ſubiectum erat aliud marmor, magnitudinis eiusdem, inſignibus Ordinis *Teutonici* conſpicuum. Supra trabeationem ſpectabatur ſtatua Archiducis ænea, cataphracta, in genua provoluti, ac altare ſummum reſpicientis, ad cuius ſiniſtrum S. Georgius, dicti Ordinis Patronus, pariter armatus conſiſtit, læva haſtam continens, dextra vero Archiducem quaſi protegens, proſtrato pro pedibus dracone. Utrumque hoc ſignum ex ære fuſum erat, quemadmodum & galea, corona, ac pennis pavoninis criſtata, ante imaginem Archiducis locata. Poſt has ſtatuas ad parietem ſuſpenſa erant duo vexilla, caſſidibus æreis obtecta, quorum alterum integra *Auſtriacarum* provin-

provinciarum inſignia, *Teutonici* Ordinis alterum referebat. Denique ad quatuor angulos trabeationis totidem genii, candido e marmore exciſi conſidebant, tædas funebres præferentes. TAB. LXIX.

III. Epitaphium, de quo diximus, ſic ſe habet : Adducto eius epitaphio.

MAXIMILIANUS DEI GRATIA ARCHIDUX AUSTRIÆ DUX BURGUNDIÆ STYRIÆ CARINTHIÆ CARNIOLÆ ET WIERTENBERGÆ MAGISTRATUS GENERALIS PRUSSIÆ ADMINISTRATOR NEC NON SANCTÆ MILITIÆ ORDINISQUE THEUTONICORUM PER GERMANIAM ITALIAM PARTESQUE TRANSMARINAS MAGISTER. COMES HABSPURGI TYROLIS ET CARINTIÆ a) LANDGRAVIUS ALSATIÆ FIERI FECIT ANNO DOMINI MILLESIMO SEXCENTESIMO OCTAVO. ÆTATIS SUÆ ANNO QUINQUAGESIMO. OBIIT ANNO DOMINI MILLESIMO SEXCENTESIMO XVIII. DIE SECUNDO NOVEMB. VIENNÆ IN AUSTRIA. HIC SEPULTUS XII. CAL. IAN. ANNI EIUSDEM. a

IV. Natus erat MAXIMILIANUS *Neapoli Auſtriæ* anno 1558. die *Mercurii* XII. *Octobr.* horam inter X. & XI. noctis, in ſigno ſcorpionis, ipſo die S. MAXIMILIANO ſacro, ſæpe excitata tabula genealogica teſtante. MENLIUS ac SCHOENLEBENIUS, id paullo ante horam XI. noctis accidiſſe aiunt. Apud KHEVENHILLERUM b) manifeſtus error typographicus eſt, quoniam tertius *Oct.* ibi adſcriptus, cum feſto MAXIMILIANI, quod XII. *Oct.* agi ſolet, haud reſpondeat. Similiter *Theatrum Europæum*, c) XIII. eiusdem menſis aſſignans, die uno excedit. Cum itaque an. 1618. die ſecundo *Novembris Vindobonæ* e vita abierit, d) ſequitur, ut monumentum hoc annis ante obitum decem erectum fuerit. KHEVENHILLERO e) teſte, funus primum apud RR. PP. *Capucinos* aliquot diebus depoſitum, ac inde *Oenipontum* deductum, magna pompa die, in inſcriptione ſignata, ibi ſepultum eſt. Laudatus SCHOENLEBENIUS in *ephemeridibus* ſuis eum ad D. STEPHANI depoſitum docet, deceptus fortaſſis, quod eo, ut volumine altero videbimus, cor & inteſtina migraverint. Ætas Principis. b c d e

V. Enim-

a) Legendum hic putamus *Goritiæ*, cum *Carinthiæ* nomen ſupra iam inter Ducatus præceſſerit; *Goritiæ* enim inſignia FERDINANDUS II. Archidux ceteris *Auſtriæ* ſcutis adiecit.

b) Effigier. tom. I. pag. 95.

c) P. I. p. 99.

d) Convenit cum hac epocha SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* laudans MS. *Græcenſe*, aliosque, emendansque GANSIUM, BIRCKENIUM, STRADAM, & EHINGERUM aliter ſentientes.

e) Loc. cit. pag. 96.

Ac ſepulturæ locus.

V. Enimvero aliud plane evincit cum mauſoleum deſcriptum, tum lapis ſepulcralis, in dicta eccleſia adhuc viſendus, cryptamque, ſeu ſcalam, ad eam ducentem, obtegens. Diſtat is ab altari ſummo paſſus duos, ac marmore ex nigro, candidoque diſcolore, conſtans, in medio inſignia Ordinis *Teutonici*, ex orichalco formata, oſtendit. Longitudo eius pedes ſeptem, pollicem unum æquat, latitudo pedes quatuor, digitumque itidem unum. Ipſa crypta ſub gradibus altaris ſummi condita eſt, corpusque Principis integrum, illæſisque adhuc veſtibus, ibi in arca ſtannea quieſcere, tradunt.

Maria, Maximiliani II. filia † XXV. *Iun.* 1556.

VI. Antequam ulterius progrediamur, de liberis MAXIMILIANI II. Imp. adhuc duo recenſendi ſunt. Æqualis ætatis Scriptor MENLIUS a) refert: MARIAM inter dicti Imperatoris proles hoc nomine I. natam *Wiennæ* an. 1555. die *Sabbati* XXVII. *Iulii* mane intra horam III. & IV. ſole libram permeante: denatam vero *Lincii* anni proxime ſequentis die XXV. *Iulii*, vel ſecundum alios XXVIII. *Iunii*, hora undecima nocturna, ibidem *in templo Parochiali ſub ſaxo quodam apud* MAXIMILIANI *cor & viſcera* conditam fuiſſe. Verum cum nullius MAXIMILIANI (utpote cum primus eius nominis, ipſomet vetante, exenteratus haud ſit, ſecundi vero, tum adhucdum viventis, cor, & viſcera *Ratiſponæ* quieſcant) bene vero FRIDERICI *Placidi*, ut ſupra vidimus, cor & inteſtina ibi compoſita fuerint, FRIDERICUM quoque hunc ſubſtituendum eſſe, neceſſe eſt. Quare rectius ſæpe citata tabula genealogica, pariter coæva, cum MENLIO cetera conveniens, docet: eam XXV. *Iunii* defunctam, *Lincii* apud Imperatoris (FRIDERICI utique) cor, & inteſtina compoſitam fuiſſe. Accedimus quoque huic tabulæ quoad diem mortualem, quippe quod nec viceſimus quintus *Iulii*, nec viceſimus octavus *Iunii*, a MENLIO aſſignati, bene vero XXV. huius menſis, eo anno in diem *Iovis* inciderit.

a

Fœtus abortivus.

VII. Mox memorata tabula mentionem quoque facit fœtus immaturi, a MAXIMILIANI II. uxore an. 1557. *Mercurii* die XX. *Octobr.* hora prima pomeridiana *Vindobonæ* effuſi. MENLIUS præterea de eo hunc in modum: „Huc etiam referendus videtur in„fans quidem maſculus, qui quanquam ante tempus natus eſt, „omnia tamen virilis ſexus ſigna retulit. Editus autem eſt in lu„cem an. 1557. menſis *Octobris* XX. die, die *Mercurii* intra de„cimam & undecimam (rectius haud dubie tabula) nocturno tem„pore, in ſigno libræ.„ Hunc igitur fœtum chriſtiano ritu ablutum fuiſſe, haud videtur.

CAP. IV.

a) De Maioribus MAXIMIL. II. Imp. p. 112. Hunc enim libellum *Aug. Vind.* per *Valentinum* SCHÖNIGIUM an. 1593. revera editum fuiſſe, quanquam currente prœlo, paullo ſupra dubitaremus, certiores facti ſumus ab amico.

CAPUT IV.

COMMUNIS CRYPTA SEPULCRALIS ARCHIDUCUM AUSTRIÆ VINDOBONÆ APUD RR. PP. CAPUCINOS.

§. I.

Crypta Cæſarea *Vindob.* apud RR. PP. *Capucinos.*

Progredimur iam ad Archiducum *Auſtriæ* percelebre monumentum ſepulcrale, quod apud *RR. PP. Capucinos Vindobonæ* eſt, intra urbis pomœria, ad *forum novum.* Iacta ſunt huius cryptæ, iuxta ac templi, ſub quo illa latet, monaſteriique fundamenta an. 1618. auctrice ANNA, Imperatoris MATHIÆ coniuge. Verum cum illa eodem adhuc anno die XIV. *Decembr.* vivis erepta fuerit, marito etiam MATHIA proximi anni diem XX. *Martii* haud ſuperante, cryptæ, templique exſtructio nonnihil interrupta eſt. Itaque funera utriusque Imperatoris, in Regio, ut diximus, monaſterio, Ord. S. CLARÆ, ædibus aulæ Cæſareæ adhærente, interim compoſita ſunt, donec anno 1633. ædificio ad coronidem deducto, poſt feſtum diem Paſchatis, regia magnificentia, in novam hanc cryptam (uti ephemerides apud *RR. PP. Capucinos* ibidem ſervatæ, fidem faciunt) translata fuere. Ab eo tempore crypta hæc commune Imperatorum, ac Archiducum, dormitorium fuit.

Eius ſtructura. TAB. LXX.

II. Ampla ea admodum eſt, ac conſpicua forma, fornicibus undique vincta, cancellis ferreis, porticum per medium formantibus, munita, & exornata. Duo ad illam introitus patent, alter lit. B. deſcendentibus per ſcalam ex clauſtro, alter lit. C. ex ſacello templi. Porrigitur, ubi ſubtus deſcenderis, ab Occidente in Ortum, computato una veſtibulo, in longitudinem pedes admodum centum, in altitudinem quatuordecim, ac in latitudinem, a tergo pedum quatuor, & viginti trium, ac triginta in adverſum diducta. Veſtibulum ſub annum 1740. latitudine pedes quatuor, & viginti, longitudine pedes triginta unacum triente æquabat, ſed poſtea, funeris Auguſti Cæſaris CAROLI VI. collocandi gratia, decurtatum eſt. In eo lit. D. ara ſpecioſa, STRUDELII opus videre eſt, ſtatuis e marmore candido exſculptis. Trifariam lumen immittitur, una feneſtra in periſtilium patente, binis aliis in *forum novum.* Meridiem verſus, prope ab exitu cryptæ maioris, alia minor e latere eſt, at luminis expers. Gradibus latitudo ſex pedum eſt, ac trium pollicum, & per eos in cryptam declivitas e pavimento templi pedum quindecim cum ſemiſſe. Sed iſta omnia rectius ex adiecto ichnographiæ diagrammate, quam noſtra ex deſcriptione perſpiciuntur.

Vetus dispositio, ordoque funerum.

III. In crypta maiori funera olim ita distribuebantur, ut Imperatores, ac Archiduces dextrorsum, ad *cornu Evangelii*, recta serie, quemadmodum alius post alium obierat: siniſtrorsum ex augusta Domo Imperatrices, ac Archiduces fœminæ, eodem decessus ordine, e regione componerentur. Sed, crescente sensim numero arcarum, omne fere utrinque spatium occupantium, aliquot capuli in coniunctam a latere cryptam minorem illati sunt, tum vero in sepultura glorioſiſſimæ memoriæ LEOPOLDI *Magni* vetus ordo immutatus, &, ut eius funeri honoratior locus esset, Occidentem, seu vestibulum & aram versus, processum magis est. Pia porro, & Sanctorum albo digna, LEPOLDI uxor, ELENORA MAGDALENA THERESIA, amoris erga maritum testatioris reddendi gratia, moritura cum præcepisset, ut corpus suum eidem proxime locaretur, votis eius, ut hic num. 2. videre est, obsecundatum fuit. Denique cum ad sepulturam Imp. IOSEPHI I. conspicuus destinandus locus esset, ampla eius, ac spatioſa admodum arca, e regione funeris paterni, ad *cornu Epiſtolæ*, reposita est, atque hoc ordine ad excessum usque CAROLI VI. perseveratum.

TAB. LXX.

Ordo novus inductus.

IV. Augustale quidem funus invictiſſimi huius Cæsaris die XXIV. *Octobr.* an. 1740. solemni ritu cryptæ huic illatum; sed, arca stannea nondum parata, loculo interea asservabatur ligneo, ære vincto, & extrinsecus ad commiſſuras limbis aureis, liberaliter circumductis, exornato, donec anno 1742. ad finem vergente, loculus arcæ, ex stanno affabre elaboratæ, incluſus fuit. Novum hocce funereum monumentum, ob sui molem, locique anguſtiam, novam quoque loculorum in crypta maiori (minor enim immota permanſit) ordinationem, ac dilatationem expoſcebat. Quamobrem scala decurtata, chlatrisque in crypta ferreis antrorsum motis, eaque ratione vestibulo nonnihil diminuto, Auguſto funeri locus, ut num. 25. videre est, dextrorsum, aram versus, datus est. Duplicem itaque huius cryptæ delineationem exhibere noſtrarum partium duximus, ut veterem iuxta ac novum loculorum ordinem in conſpectu daremus, ad usque scilicet annum huius seculi secundum & quadrageſimum. Cum vero ex eo tempore mors invida Auguſtæ Domui eheu! non unum vulnus inflixerit, ac Auguſtiſſima etiam Domina noſtra Imperatrix, ac Regina, MARIA THERESIA, pro sua incredibili erga progenitores, genitosque pietate, eandem cryptam non inſtaurari, ac exornari modo, novisque, ubi deerant, sarcophagis augeri, quin sibi ipsi, Auguſtoque coniugi, nuper orbi immaturo fato erepto, locum sepulcri conſtitui, iusserit: singula hæc curam noſtram expoſcunt peculiarem, deque iis singulari capite sequenti agendi ansam præbebunt.

Ratio in delineandis huius

V. Funera, hoc in dormitorio sita, ad conſpectum, uti in præcedentibus non semel fecimus, exhibere haud licuit; quippe quod

quod capuli omnes adhuc integri, & fere ſinguli duabus ſeris obfirmati, unam in aula, alteram apud *RR. PP. Capucinos* aſſervatam clavem habeant; ut adeo, ſi maxime etiam animus foret, introſpicere haud detur. Verum fac, liceat, quid inde; præterquam, quod ſcire, iam ſatis pœnitet, diſcamus? mortem æquo pede mortalium omnium pulſare fores, nullumque eſſe fortunæ faſtigium, quod non ruat. Itaque ſatis nos in hac re facturos rati ſumus, ſi & Auguſtæ Gentis gloriæ memores, & curioſis Lectoribus obtemperantes, univerſos in hac crypta capulos, cum inſignibus, & inſcripturis, ſequentibus XIII. tabulis delineatos daremus, ſimulque, ubi opus fuerit, ea etiam proferremus in medium, quibus aut ratio temporis, aut aliæ res, mortem Auguſtorum Principum circumſtantes, illuſtrentur, confirmenturque. Ubi & id præterea notandum, numeros *Arabicos*, in tabula noſtra ænea, cuique capulo, inſcriptionique, aut inſignibus, ſeorſim exhibendis, adiectos, cum iis convenire, quibus iidem capuli in ichnographia cryptæ ſignati ſunt: quemadmodum & in eadem tabula, nomina, e latere dextro expreſſa, tam antiquo, quam recentiori capulorum ordini examuſſim reſpondent. Conſtitutum nobis primum apud animum erat, ab ordine temporum diſcedere, loculosque univerſos ſic coniungere, uti id aut matrimonii, aut germanitatis, ſtirpisque propinquitas exigere videbatur. Quod etſi nunc ipſi haud amplius probemus, tabulis tamen, æri pridem inciſis, immutari nihil potuit. Verum numeri *Arabici*, ut diximus, litteræque alphabeti, ubique appoſitæ, errandi anſam omnem facile tollent.

cryptæ loculis obſervata. Tab. LXX.

VI. In proxima itaque tabula par coniugum, MATHIAS Imp. & ANNA, eius uxor, cryptæ huius auctores, exhibentur. Hi omnium primi huc illati, ſarcophagis ſtanneis incluſi ſunt, quales etiam deinceps quoque, ex eodem metallo maximam partem confectos, videbimus. MATHIÆ Imp. loculus, num. 3. ligneis olim inſiſtebat feretris, ne noceant humores, facta autem reſtauratione cryptæ, de qua infra dicemus, quatuor aquilarum falculis, ex plumbo fuſis, totidemque globis nixis, pedem unum, cum uno, ac ſemis, digito altis, impoſitus eſt. Præter leonum capita octo, totidem fuſiles anſarum annulos, ori illorum immiſſos, ornamenta alia non ſunt, quam quæ ſcalpro expreſſa. In operculo primum CHRISTUS, de cruce pendens, cum B. V. MARIÆ, & S. IOANNIS *Evang.* ſtatuis, deinde inſignia, ac denique inſcriptio ſepulcralis ſequens legitur:

Recenſio loculorum, ac primo MATHIÆ Imp. Tab. LXXI. N. 3.

D. O. M. S.

MONVMENTVM AVGVSTISSIMI
ET INVICTISS. CÆSARIS MATHIÆ
REGIS HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ

TAB. LXXI.

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, QVI
BEATO FINE VITAM ET IMPERIVM
CONCLVSIT DIE XX. MENSIS MARTII
ANNO DOMINI MDCXIX.

Scutum corolla laurea circumdatum, quatuor areolas, torque aurei velleris circumductas, ac pectori aquilæ Cæsareæ coronatæ impositas, ostentat: fascias *Hungariæ*, leonem *Bohemiæ*, tum fasciam *Austriacam*, & oblique ductos *Burgundiæ* balteos, ad extremum vero *Castellanum*, & *Legionense* symbola præsentantes.

Ætas illius, mortisque historia.

VII. Diem & annum obitus, supra adductum, epitaphium recte tradit. Addimus nos ortus quoque epocham, ex coæva tabula genealogica, sæpius citata, asserentes, MATHIAM, MAXIMILIANI II. Imp. filium, *Viennæ Aust.* an. 1557. die XXIV. *Februarii*, ipso festo S. MATHIÆ Ap. uno quadrante post horam undecimam nocturnam, sole capricornum permeante, natum fuisse; ut adeo in errore versentur GANSIUS in *Arboret.* & SCHOENLEBENIUS in *Ephemerid.* diem præcedentem, profestum scilicet S. MATHIÆ, assignantes. Minus rem tetigit MENLIUS, qui, licet quoad pervigilium cum supra dictis faciat, id tamen anno bissextili evenisse existimavit, dum profestum illud ad XXIV. *Febr.* reponit. „Natus est „(inquit) MATTHIAS - - anno 1557. mense *Febr.* 24. die *Mer-* „*curii*, pridie scilicet MATTHIÆ Apostoli intempesta nocte, una „nempe horæ quadrante post 11. „ Hæc ille, sequacem nactus
a illustr. KHEVENHILLERUM. a) Genus mortis MATHIÆ apoplexia fuit, qua ad horam septimam matutinam in lecto adhuc decumbens, iusculum, pro more, sumere pararet, obrutus, post horas fere duas, id est tertio quadrante ad nonam, animam XX. *Martii* an. 1619.
b ut inscriptio habet, Creatori reddidit. b) Corpus eius, aromatibus pollinctum, ac conspectui hominum quatuordecim diebus expositum, die XV. mensis sequentis in monasterio S. CLARÆ, aulæ con-
c tiguo, funere, ut diximus, temporario compositum est. c)

Tumulus ANNÆ, MATHIÆ Imp. ux. N. 16.

VIII. Alter, qui ex opposito stat, capulus, num. 16. notatus, ac a similibus modo innixus aquilarum falculis, ossa continet ANNÆ, MATHIÆ Imp. coniugis. Priori de cetero haud absimilis est, nisi quod in scuto sola *Hungariæ* & *Bohemiæ* digmata occurrant. Inscriptio huius est sententiæ:

D. O. M. S.
MONVMENTVM SERENISSIMÆ
AVGVSTISS. IMPERATRICIS ANNÆ
PIÆ CONIVGIS AVGVSTISS. IMPER.
MATTHIÆ REGINÆ HVNGARIÆ

ET

a) Effigier. tom. I. pag. 32.
b) L. c. p. 33. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.*
c) Idem *Annal.* tom. IX. col. 334.

ET BOHEMIÆ ARCHIDVCIS
AVSTRIÆ ETC.
PIE DEFVNCTÆ VITA ET IMPERIO
DIE XV. MENSIS DECEMBRIS ANNO
DNI. M DC XVIII.

Tab. LXXI.

IX. Maior difficultas ſuboritur de ANNÆ, quam mariti eius fatis. Nam etſi de die natali, quem KHEVENHILLERUS, a) & BIRCKENIUS, quarto *Octobris* alligant, vix, ac ne vix quidem, ut ut *Iacobus* STRADA XVI. eiusdem menſis notet, dubitandum ſit: merito tamen ſuſpicamur, inſcriptionem ſarcophagi, diem XV. *Decembr.* pro eiusdem fatali aſſignantem, in mendo cubare; quippe quod Scriptores plerique omnes, quotquot conſuluimus, præcedentem ſtatuant. b) SCHOENLEBENIUS præterea, & KHEVENHILLERUS id intra horam VII. & VIII. *Theatrum Europæum* intra horam IX. & X. matutinam accidiſſe referunt. Etſi igitur dictæ inſcriptioni plurimum momenti ineſſe videatur: laudatorum tamen Scriptorum conſenſui derogari haud poſſe ſentimus; idque vel ideo etiam, quod iis antiquior haud ſit, nec certe ante annum 1633. quo utriusque horum Impp. corpora, ut diximus, e monaſterio S. CLARÆ in hanc cryptam translata fuere, poſita, & quis ſcit, an non multo ſerius? bello nempe tum *Suecico* omnia perturbante, animosque alio, quam ad mortuorum curam avertente. Deinde eiusmodi ſphalmata nec rara omnino eſſe, per decurſum huius operis ſæpe vidimus, nec præſentem cryptam ab iis, quoad nonnullos alios quoque ſarcophagos, immunem eſſe, poſtea videbimus. Verbo: huius generis errores artificum ſunt, non Litteratorum. R. P. ADIUTUS, *Thaia-Waidhofienſis*, O. S. FRANCISCI *Capucinorum*, qui ante aliquot annos *Epitaphia ac ſeriem annorum, natalis ac obitus corporum Augg. Regg. & Sereniſſ. perſonarum e Domo Auſtriaca, in mauſoleo Cæſareo ſubtus eccleſiam PP. Capucinorum Viennæ* edidit, *fidem inſcriptionis ſecutus*, XV. *Decembr.* retinuit.

Ætas ANNÆ, & inſcriptionis emendatio.

a

b

X. In ſequenti tabula FERDINANDI III. Imp. & LEOPOLDI GUILIELMI Archiducis, fratrum, loculi comparent bini. In his aliquanto plus, quam in prioribus, elucet artis. Priori in ſummo operculo aquila biceps eſt, medio pectore parmulam exhibens coronatam, ac aurei velleris torque cinctam, non aliud, quam *Auſtriacum* continens inſigne, inſcripto faſciæ transverſæ monogrammate nominis eius F. III. Ornamento ſunt mortuorum calvariæ, conſertos inter fructuum faſciculos decuſſatis oſſibus incumbentes. Ad latera ſymboli loco pelicanus avis cernitur, nec non aliquot leonum capita, annulos geſtatorios ore continentia. Capulus ipſe quatuor angulis totidem aquilarum, globis inſidentium, dorſa premit. In

FERDINANDI III. capulus cum epitaphio. Tab. LXXII. N. 4.

a) Effigier. l. c. p. 34. & *Annal.* cit. tom. IX. col. 203.

b) Id. effigier l. mox. cit. *Theatr. Europ.* P. I. p. 100. BIRCKENIUS, SCHOENLEBEN. aliique.

TAB. LXXII. In ima operculi parte lamina olim erat, epitaphium exhibens. Sed ea modo detrita eſt. Epitaphium tamen codex, inter ſacra apud Patres *Capucinos* cimelia ſervatus, hunc in modum ſupplet:

FERDINANDUS III.
ROM: IMPERATOR HUNG: ET BOH: REX
ARCHIDUX AUSTRIÆ ETC.
FERDINANDI II. CÆSARIS FILIUS,
EIUSQUE IN IMPERIO
REGNISQUE SUCCESSOR,
NATUS GRÆCII XIII. IULII A.° MDCVIII.
DENATUS VIENNÆ II. APRILIS MDCLVII.

Ætas propius definita, & exequiæ.

XI. Convenit hæc inſcriptio cum monumentis, Scriptoribusque eius temporis. Apud KHEVENHILLERUM a) tamen errore typographico pro anno natali 1609. legimus. SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* horam quoque prodit, *ante primam* ſcilicet *poſt mediam noctem.* Laudatus P. ADIUTUS eandem inſcriptionem, quaſi quæ in ſarcophago adhuc legenda eſſet, exhibens, locum fatalem, *Viennam*, omiſit. Mortis epocham epitaphium itidem recte tradit: *Theatrum Europæum* horam etiam addit, quadrantem poſt quartam matutinam. b) Idem quoque monumentum exequiale (caſtrum doloris vocant) æri inciſum exhibet. Corpus tertio poſt die, id eſt v. *Aprilis* ſub horam octavam veſpertinam cryptæ huic illatum eſt, cuius ceremoniæ ibidem deſcribuntur. Morbi genus haud proditur, veteri duntaxat malo, quod a medio *Martii* augeſcere cœperat, oppreſſum fuiſſe, memorant.

a

b

Aliud epitaphium.

XII. Huc pertinet epitaphium alterum, eidem Imperatori honoris cauſſa poſitum, & dicto codici, apud *RR. PP. Capucinos* aſſervato, inſertum, quod etſi longiuſculum ſit, hic tamen locum ei dare viſum eſt:

LEGE ET LUGE, ORA ET PLORA.
EN! QUIESCIT IN HOC FERDINANDUS III. SARCOPHAGO.
PRINCEPS PIUS DEO, ET IUSTUS POPULO
IMPERATOR
EX SERENISSIMO FAMILIÆ AUSTRIACÆ SANGUINE
ET VIRTUTE IN TERRIS,
IN COELIS,
REX
TRIBUS REDIMITUS CORONIS, QUAS HIC DEPOSUIT MORTALES;
UT QUARTAM IBI PONERET IMMORTALEM.
AD QUARTAM PRÆMISIT IN COELUM FILIUM FERDINANDUM
IV. AMABILEM,
AD DUAS RELIQUIT IN MUNDO ALTERUM FILIUM LEOPOLDUM
AFFABILEM.
DE TERTIA IMPERIALI EX HOC MUNDO AB INTESTATO QUIDEM DECESSIT,
CUI TAMEN CONSILIO ET INDUSTRIA LEOPOLDUS SUCCESSIT,
SPONSUS ET PATER

TERTIO

a) Effigier. tom. I. p. 70.

b) P. VII. p. 1034.

TERTIO PROCEDENS DE THALAMO SUO, UT SPONSUS, DECIES UT PATER, MARIA, ET LEOPOLDINA PRÆIVIT, QUO NUNC ILLE IVIT, ELEONORA IBIT.

TRES, EX UNAQUAQUE, UNUM SUPERSTITEM RELIQUIT FILIUM, UT TRINI SINT, ET UNI IN TERRIS (DIVISO IMPERIO) CUM UNO DEO ET TRINO IN COELIS.

IMPERAVIT ANNIS 21. PRIUS HOSTES VIDENS IN IMPERIO, QUAM CORONAM ACCIPERET AB IMPERIO, NE ANTE VICTORIAM DE HOSTIBUS AGERET TRIUMPHUM, SINE HOSTIBUS GLORIOSIOR POST BELLA IMBELLA IN PACE FERENDA, QUAM TULIT PRINCEPS PIUS DEO.

QUAM BELLA IMBELLA INFERENDA, QUÆ ABSTULIT PRINCEPS IUSTUS POPULO, MORITUR.

EHEU! MORITUR FERDINANDUS ANNORUM NONDUM 50. NATUS. SED QUINQUAGESIMUS INTER COELITES PRO IUBILÆO FUIT RESERVATUS, ANNO 1657. INTER MORTALES IPSE ERAT MORTALIS, IMPERIO INTER FATA FATALIS.

AT FERDINANDO INTER MORTALES ERAT NATALIS CHRISTO TUNC I. APRILIS RESURGENTE, MOX SECUNDA DIE CECIDIT FERDINANDUS, UT HOC PASCHATE CUM CHRISTO OVARET TUTIUS, ET RESURGERET CITIUS. ORIENTE SOLE NOSTRO COELESTI, OCCIDIT SOL NOSTER PATRIÆ, IBI ÆTERNO ORITURUS, ET NUNQUAM MORITURUS. AURORA TUNC IPSI, IPSE AURORÆ VALEDXIT, QUANDO DIXIT: VOLUNTAS DEI VITA MEA: HÆC DIXIT, ET VIXIT. HAC DEMUM AUGUSTUS TOTIUS MUNDI MONARCHA ANGUSTA CONDITUR QUINQUE CUBITALI IN ARCA. CUI VIVUS NEMO PAR, NEMO MAIOR, SUB SPHÆRA IGNIS MORIENS PARIATUR MINORIBUS CAPUCINIS, QUI EST MUNDI GLORIÆ FINIS. HÆC LEGE ET LUGE, ORA ET PLORA, PLORANDO NE TACE, SED ORA, REQUIESCAT IN PACE.

Tab. LXXII.

XIII. Addimus & tertium brevius, hunc in modum: a)

Itemque tertium. a

IACET HIC FERDINANDORUM III. ORIENTIS ET OCCIDENTIS CÆSARUM CXXXI. AUSTRIACORUM IMPERATORUM XIII. REGUM HUNGARIÆ XL. BOHEMIÆ XXV. VIXIT ANNOS 48. M. 9. DIES 18. AC TOTIDEM HORAS. NATUS GRÆCII STYRORUM 1608. M. IULIO DIE 13. HUNGARIÆ REX POSONIÆ 1625. BOHEMIÆ PRAGÆ 1627. ROMANORUM RATISPONÆ 1636. CORONATUS, CÆSAR DEFVNCTO PATRE RENUNTIATUS VIENNÆ 1637. DENATUS 1657. D. 2. APRIL. HORA 4. MATUT.

XIV.

a) Ex Schoebelii *apopht.* cap. I. p. 365.

LEOPOLDI GUILIELMI sarcophagus, TAB. LXXII. N. 6.

XIV. Altera illa LEOPOLDI GUILIELMI arca quatuor leonibus incumbit. Et quoniam Archidux isthic non tantum supremus *Prussiæ* Administrator, seu Ordinis *Teutonici* magister erat, Cæsareique item exercitus imperator, sed plurium etiam sacrarum diœcesium Episcopus; idcirco loculus eius non armorum solummodo apparatu ornatur, verum mitris etiam & lituis, aliisque diversi nominis insigniis. In mediis inferioris seriei ornamentis crux Ordinis *Teutonici*, superimposito pileo Archiducali, spectabilis est, adiunctis utrinque variis armorum generibus, nec non & leonum capitibus, orbiculata manubria ore ferentibus. In superiori ornamentorum ordine præter calvarias, ad exteras oras decussatis ossibus impositas, trium Episcopatuum insignia cernuntur, *Argentoratense*, *Passaviense*, & *Olomucense*, tum vero ex altera parte *Halberstadiense*, *Uratislaviense*, & ad iura Principatus evectæ *Maurbacensis* Abbatiæ: in operculo imago Servatoris, subiecto Doloroſæ matris simulacro, incisa est, tum vero insignia superposito galero, ac monogramma nominis Archiducis. Insignia hæc amplissima sunt, cruce Ordinis *Teutonici* per medium distincta, ac laterculis octodecim absoluta. Supremi scuti loco hinc tæniæ *Hungaricæ*, illinc leo *Bohemicus* occurrit. His substant longa serie *Castellæ*, & *Legionis*, *Austriæ* recentioris, *Burgundiæ*, *Carinthiæ*, *Alsatiæ*, *Kyburgi*, *Tyrolis*, *Goritiæ*, *Pherreti*, *Carniolæ*, *Habsburgi*, *Marchiæ Vinidorum*, Comitatus *Cileiensis*, *Portus Naonis*, ac denique aquilæ quinque, vetus, quam vocant, *Austriæ* tessera. Ad ultimum vero sub calvaria sequens epitaphium inscriptum est:

TIMORE DOMINI
HAC VRNA CONDITVR
LEOPOLDVS GVILIELMVS ARCHIDVX
IMPERATORVM
FERDINANDI II. FILIVS
FERDINANDI III. FRATER
LEOPOLDI PATRVVS
AVGVSTISSIMÆ DOMVS
FIDELISSIMVS PRINCEPS
ORDINIS TEVTONICORVM
MAGNVS MAGISTER
PLVRIVM ECCLESIARVM
PYSSIMVS ANTISTES
CHRISTIANORVM EXERCITVVM
FORTISSIMVS DVX
BOHEMIÆ ET BELGICÆ
SAPIENTISSIMVS GVBERNATOR
QVI
NATVS NEOSTADY IN AVSTRIA

A: MDCXIV. IANVARY DIE VI.
VIENNÆ DIE XX. NOVEMBRIS
COMPLEVIT DIES SVOS

TAB. LXXII.

XV. Præſens Epitaphium tam quod ortus, quam obitus epocham cum monumentis eius temporis recte convenit. Referente R. P. *Nicolao* AVANCINO S. I. in vita, a) ab anno 1660. aut, ut alii ſcribunt, 1656. ſiniſtra plerumque valetudine uſus, calculi tandem doloribus *Vindobonæ* an. 1662. XX. *Nov.* mane ſub horam quintam oppreſſus, ad beatam æternitatem tranſiit, Princeps, vitæ ſanctimonia, rerum gerendarum uſu, ac pace belloque clariſſimus, ingens ſui deſiderium apud omnes relinquens: cum vixiſſet annis XLVIII. menſibus decem, diebus tredecim. Parentatum eſt ei, ut ait HANSIZIUS, b) ab Aug. Imperatore LEOPOLDO die XI. *Decembris*, cenotaphio magnifico, pictis ſuperſcriptisque virtutum elogiis, cuiusmodi & tumulo eius, auctore eodem *Nicolao* AVANCINO, inciſa ſunt.

Ac obitus circumſtantiæ.

a

b

XVI. Idem AVANCINUS Principi ſuo aliud epigramma concinnavit, elogia eiusdem plenius, quam quod ob ſpatii anguſtiam in arca funebri fieri poterat, enarrans:

Aliud epitaphium.

TIMORE DOMINI!
IN SCOPULUM INCIDISTI VIATOR,
SUBSISTE, ET LEGE.
AD HOC SAXUM INGENTES TUMULOS,
DICAM ORBIS MIRACULA,
MORS ALLISIT:
ARCHI-DUCEM,
ANTISTITEM,
BELLI IMPERATOREM
SERENISSIMUM,
LEOPOLDUM GUILIELMUM,
IMPERATORUM
FERDINANDI II. FILIUM.
FERDINANDI III. FRATREM,
LEOPOLDI I. PATRUUM.
ARCHI-DUX,
NATALIUM SPLENDORE
SERENISSIMUS,
AUGUSTA STIRPE
AUSTRIACUS,
PARENTUM APPELLATIONE
ET INNOCENTIA VITÆ
ANGELICUS.
MORUM DECORE
VIRGINEUS,
ANIMO CANDIDUS, SERMONE AFFABILIS,
OCULORUM GRATIA MAGNETICUS,
AFFECTIBUS TEMPERATUS:
IRASCI DIFFICILIS, PLACARI FACILIS:
VINDICTÆ IGNARUS;
BENEFACERE AVIDUS;
NEMINI BONO INVISUS,
AMANS SUORUM, SUIS CHARUS;
OMNIBUS IDEM, SINGULIS ALIUS;
VIRTUTE COMMUNIS ÆQUE AC SINGULARIS:
PAUCORUM EXEMPLO
HONOREM DOCTUS SPERNERE
ET MERERI.
BELLI IMPERATOR
TEUTONICI ORDINIS
MAGNUS MAGISTER
CRUCE DOMINI
VEL UT CLYPEO, VEL UT HASTA USUS,
SUB CÆSARE
ET
REGE CATHOLICO
GENERALISSIMUS.
PRO DEO, IMPERIO, BELGIO
VITÆ PRODIGUS.
CUM MARTE PIUS,
SUB ARMIS INNOCENS,
SINE FURORE MAGNANIMUS,
SINE TUMORE VICTORIOSUS,
UNUS
UTRIUSQUE FORTUNÆ DOMINUS:
PACIS AMANS DUM BELLA GESSIT,
ARMA, VICTORIAS, FIDEM
IISDEM LABARIS CIRCUMTULIT
ANTISTES,
A PRIMA ÆTATE
AMPLISSIMIS E VATICANO LITTERIS
SED PROPRIA VIRTUTE
MAGIS

a) Apud HANSIZIUM *Germ. Sacr.* tom. I. p. 747. ſeq.

b) Ibid. p. 750. ſeq.

MAGIS COMMENDATUS,
UNO CAPITE MULTIS PAR INFULIS
RARO ECCLESIIS SUIS PRÆSENS,
NUNQUAM ABSENS,
NECESSITATE PUBLICA,
CONSENSU PONTIFICIO,
POSTULATIONE CÆSAREA
AVULSUS,
VEL SIC CURA CONIUNCTISSIMUS.
PROFUSUS IN DEUM
LIBERALIS IN HOMINES,
IN UNUM SE PARCUS,
QUAM IUSTA NEGARE
TAM INIQUA CONCEDERE NESCIUS;
AUXIT ECCLESIARUM NITOREM
EXPUNXIT NOMINA,
ADIECIT ANIMAS.
TANDEM
DE RELIGIONE
ET
ORBE CHRISTIANO
PRÆCLARE MERITUS,
MAGNO SUO RELICTO
MORTALIBUS DESIDERIO,
ÆTERNUM MEMORANDUS
ARCHI-DUX,
VERUM CHRISTIANORUM PRINCIPUM
EXEMPLAR,
CoMpLeVIt DIes sVos
VIGESIMA NOVEMBRIS.
LEGISTI HÆC VIATOR? ABI
ET
PRINCIPIBUS,
EPISCOPIS
DUCIBUS
ENARRA.

Hanc ipſam inſcriptionem ſuo quoque operi intexuit auctor *Tabulæ chronologicæ Ducum Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi* &c. a) Sed errat in præfixo monito, dum ſcribit: hocce elogium, laminæ inciſum, auctoritate Cæſarea defuncti tumulo appenſum fuiſſe. Aliter enim ſe rem habere, inque loculo ſtanneo nonniſi prolixioris huius inſcriptionis compendium legi, ex dictis conſtat.

a

Mariæ, ux. Ferdin. III. capulus, nec non cognominis filiæ. Tab. LXXIII. N. 17.

XVII. Ex ordine iam ſequitur Maria, Infans *Hiſpaniarum*, Philippi III. Regis filia, ac Ferdinandi III. Imp. uxor, cum tribus filiis ſuis. Arca eius ſtannea vario ornatu, nec tamen a prioribus multum diſcedente, expolita eſt. Inter cetera aquila biceps, quadratum pectore ſcutum gerens, idque diviſis in quatuor areolas *Hungariæ*, & *Bohemiæ*, item *Caſtellæ*, & *Legionis* inſignibus conſpicuum, media vero parmulam continet *Auſtriacam*. Inſcriptio, ſub cruce capuli legenda, ſic ſonat:

EXSPECTO DONEC
ADVENIAT IMMVTATIO MEA
IOB. CAP. 14.
AVGVSTISS.mæ MARIÆ
CÆSARIS FERDINANDI III.
CONIVGIS HISPANIARVM IN:
FANTIS PHILIPPI III. FILIÆ
ET MARIÆ EORVMDEM
CÆSARIS ET AVGUSTÆ
FILIÆ EX VTERO FERRO
PAVLO POST MATRIS MOR:
TEM EXTRACTÆ. QVORVM
ANIMÆ IN CÆLIS CORPORA
IN TERRIS HIC TVMVLATA
VNIVERSALEM RESVRRECTI:
ONEM EXSPECTANT.
OBIERVNT LINTII 13. MAY
AN. A NATIV. CHRISTI
1646.

Illam

a) Edit. *Mechlin.* 1669. pag. 46.

Illam XIII. *Maii* an. 1646. atque unacum ipſa filiam cognominem, exſpirantis utero matris ſectam, deceſſiſſe ſuffragantur TENGNAGELIUS & SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* nec non *Theatrum Europæum*; a) ut adeo MILLERUS in MS. commentario aulico, diem eius fatalem in duodecimum retrahens, fidem haud inveniat. Mors eius nec opinata fuit. *Lincii* enim, cum ſumpta cœna, XII. *Maii* circa horam nonam in animi deliquium incidiſſet, accedente mox catalepſi, ac poſtea apoplexia, poſtridie ante ſextam matutinam animam DEO reddidit, perceptis prius SS. morientium Sacramentis. Corpus unacum filia, ad brachium eius ſiniſtrum compoſita, in arca funebri collocatum, hominumque conſpectui interdiu expoſitum, *Vindobonam* demum devectum eſt. *Theatrum Europæum*, hæc loc. cit. ad tertium *Maii* referens, ſtilum veterem obſervavit. Nata erat MARIA in monaſterio, ſeu palatio *Scorialenſi*, non *Mantuæ Carpetanorum*, ut SCHOENLEBENIUS contra STRADAM exiſtimat, an. 1606. die XVIII. *Aug.* TENGNAGELIO, ac KHEVENHILLERO, b) illius aulæ præfecto, teſtantibus. Tab. LXXIII. a b

XVIII. Infra hunc capulum minores duo conſiſtunt, corpuſcula PHILIPPI AUGUSTINI, & MAXIMILIANI THOMÆ, filiorum MARIÆ, tenera ætate defunctorum complexa. Prior natus erat XV. *Iulii* an. 1637. denatus biennio poſt XXII. *Iunii*. Alter an. 1638. XX. *Decembr.* mundo datus, eidem anno ſequenti, die vero XXIX. *Iunii* ereptus eſt. Quæ quidem ſingula expreſſæ in hac tabula inſcriptiones recte docent. Sunt autem eiusmodi: Nec non PHILIPPI AUGUSTINI, & MAXIMILIANI THOMÆ, filiorum eius.

ad Lit. c.	*Litt. c. d.*	*ad Lit. d.*
MAXIMILIANVS THOMAS ARCH IDVX AVSTRI AE ETC. NATVS XX. DECEMBR IS A. MDCXXXVIII. DENATVS XXIX. IVNII. A. MDCXX XIX. FILIVS FERDINANDI III. IMPERATO RIS AVGVSTI EX MARIA INFANTE HI SPANIARVM PHILIPPI TE RTII REGIS FILIA. 1 6 3 9.	PHILIPPVS AV GVSTINVS AR CHIDVX AVST RIÆ &c. NATVS XV. IVLII ANNO MDCXXXVII. D ENATVS XXII. I VNII ANNO MDC XXXIX. FILIVS FERDINANDI TERTII IMPER ATORIS AVGV STI EX MARIA HISPANIARVM INFANTE PH ILIPPI TERTII REGIS FILIA. 1. 6. 3. 9. I H S HOMO MEMENTO MORI HODIE MIHI CRAS TIBI.	

Addit SCHOENLEBENIUS prioris ortum circa mediam ſecundam pomeridianam accidiſſe. *Iacobus* STRADA in MS. nec non SCHOENLEBENIUS cum BIRCKENIO obitum PHILIPPI ad XXIX. dicti menſis

a) P. V. pag. 853. col. 2.

b) Effigier. tom. I. pag. 73.

Tab. LXXIII. menſis reponunt: ſed ſtandum putamus cum fidei inſcriptionis, tum laudati MILLERI commentario.

Itemque FERDINANDI IV. R. R. cum epitaphio, N. 5.

XIX. His proximam delineationem damus ampliorem, ornatioremque FERDINANDI IV. *Romanorum* Regis arcam, filiorum FERDINANDI III. & MARIÆ natu maximi, ob oculos ponentem. In lamina operculi ſub crucis imagine, ſcutaria comparet teſſera; ſuperpoſita corona Imperii, circumductaque aurei velleris torque decorata. Inſignia præfert *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Auſtriæ*, tum vero *Styriæ*, *Carinthiæ*, & *Carniolæ*, ultima area exeſa. Epitaphium eius præmiſſo ſymbolo Regis, in nummis eius, ut alibi vidimus, ſat frequenti, his complexum eſt verbis:

PRO DEO ET POPVLO
FERDINANDVS IIII.
ROMAN. VNGAR. BOEMIÆ REX.
ARCHIDVX AVSTRIÆ
FERDINANDI III. CÆSARIS
EX MARIA HISPANIARVM
INFANTI FILIVS PRIMOGENITVS
NATVS 8. SEPTEMBRIS ANNO
1638. DENATVS 9. IVLII
ANNO 1654.

Quod illuſtratur.

XX. Inſcriptio hæc cum monumentis coævis recte convenit. Diem natalem ſæpe laudatus KHEVENHILLERUS eundem, item-

a que a) locum *Vindobonam*, nec non & horam prodit, quadrantem ſcilicet dimidium poſt primam nocturnam, SCHOENLEBENIUS intra primam & ſecundam, *Iacobus* FUGGERUS in MS. ante horam ſecundam. Nomen ei datum eſt FERDINANDI FRANCISCI. Mortis cauſſam variolæ attulerunt, quibus ſe ſe quinto *Iulii* exſerentibus, nono ſuffocatus eſt, mane ante horam ſecundam *Vindobonæ*, corpore XII. eiusdem intra horam nonam, & decimam no-

b cturnam, regia, ac ſolemni pompa, in hanc cryptam delato. b)

Aliud epitaphium.

XXI. Addimus inſcriptionem aliam, memoriæ eius, honoris cauſſa dicatam, atque ex citato *Capucinorum* codice eductam, ſicque ſonantem:

QUICUNQUE ESTIS VOS
IMPERATOR REGES PRINCIPES
HIC GRADUM SISTITE.
MUNERIS VESTRI SPECTACULUM SUB HOC MARMORE IACET.
LUXIT VOBIS NATUS BREVI TEMPORE
ET IN SERAM POSTERITATEM NASCITURIS
FERDINANDUS IV. FERDINANDI III. CÆSARIS FILIUS,
ROMANORUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆQUE REX,
ÆTATIS ANNUM NONDUM VIGESIMUM PRIMUM,
CORONATIONIS CÆSAREÆ QUATUORDECIM MENSES,

SED

a) Effigier. tom. I. p. 78. ſeq.

b) *Theatr. Europ.* P. VII. p. 574. col. 2.

SED VIRTUTUM ACTU SÆCULA IMPLENS,
EA VITÆ MORUMQUE SANCTITATE
AC PRÆMATURA IN GESTIS PRUDENTIA,
UT IN AMOREM ADMIRATIONEMQUE SUI
VEL IGNOTOS SOLO ASPECTU RAPERET.
NE COELEBS ORBI DECEDERET, SOLUS VIRTUTUM GENITOR
GENITOREM SUUM FILII LOCO RELIQUIT
SUPERSTITEM, SIMULQUE IMITANDUM.
HOC FACITE, ITA VOVET, QUI A CUNIS AD TUMULUM
USQUE MORTUO
FIDELIS AD PROPRIUM USQUE ERIT,
ET HOC MONUMENTUM IN LACRYMARUM OTIO MERITO POSUIT.
IOANNES WEICHARDUS, PRINCEPS AB AVERSPERG.

XXII. Sequenti tabula in conſpectum damus, cum qua ſecundas nuptias inierat FERDINANDUS III. Imperator, MARIÆ LEOPOLDINÆ, LEOPOLDI V. Archiducis, comitisque *Tyrolenſis*, filiæ, nec non CAROLI IOSEPHI, filii eius, ſarcophagos. Prior quatuor aquilarum dorſis innixus, planus eſt, nec ſuis tamen ornamentis deſtitutus. In medio ad latus dextrum monogramma nominis eius, corona Cæſarea faſtigiatum, cernitur. In operculo aquila biceps coronata inſignia Auguſta pectore gerit, quatuor in areolas diſtributa, quarum prima, & tertia *Hungariæ*, & *Bohemiæ*, ſecunda quadripartita, teſſeras *Habsburgi*, *Sueviæ*, *Alſatiæ*, & *Kyburgi* refert, ultima vero *Pherretanum*, *Tyrolenſe*, quinque aquilas, ſeu alaudas *Auſtriacas*, ac denique *Cileienſe* digma. In medio faſcia *Auſtriaca* comparet. Sub imagine Servatoris, Doloroſæque Virginis epitaphium legitur, huius tenoris: MARIÆ LEOPOLDINÆ, FERD. III. Imp. coniugis ſecundæ, capulus. TAB. LXXIV. N. 18.

SPES MEA DOMINVS.
HOC CLAVSA TVMVLO
MARIA LEOPOLDINA
AVGVSTISSIMI CÆSARIS
FERDINANDI III.
AVGVSTA CONIVX
VNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGINA
SERENISSIMORVM ARCHIDVCVM
LEOPOLDI ET CLAVDIÆ
SERENISSIMA FILIA
VBI
AVGVSTAM PROLEM
ORBIS DELICIVM
VITÆ DEDIT
VITA EXCESSIT
DIGNA SÆCVLIS
VIX IMPERII ANNVM

SIMVL

Tab. LXXIV.

SIMVL ET VITAM
MAXIMA VIRTVTVM MERITA
COMPLEVIT
DIE VII. AVGVSTI
ANNO DNI
MDCXLIX.

Ætas. XXIII. Inſcriptio hæc eam die VII. *Auguſti* an. 1649. ad beatam æternitatem tranſiiſſe docet, & recte etiam, quanquam ſæpe laudatus KHEVENHILLERUS a) eam ad uſque XIX. eiusdem menſis ſuperfuiſſe, velit; quandoquidem ſeptimum *Auguſti* non modo HANSIZIUS, b) ſed & SCHOENLEBENIUS in *ephemerid.* tuentur. Errant porro idem Excellent. Scriptor, & BIRCKENIUS, aut certe typothetæ, dum diem eius natalem cum XXVIII. *Novembr.* componunt, dies *Martis* VI. *Aprilis*, hora ſecunda matutina, ſcriben. dus cum fuiſſet, eodem SCHOENLEBENIO teſte, ac GANSIUM, & BUCELINUM, præſertim vero LEQUILEUM, *Oeniponti* tum præſentem, excitante. Obiit autem ea ex partu CAROLI IOSEPHI Archiducis, quo de mane edito, in ſero funus fuit. Corpus eius triduo poſt conſuetis cum ceremoniis, eodem *Theatro* affirmante, huic dormitorio illatum eſt.

a

b

Caroli Iosephi Archid. &Epiſc. *Paſſav.* capulus. N. 7. XXIV. Altera arca, CAROLI IOSEPHI corpuſculum claudens, parum differt ab ea LEOPOLDI GUILIELMI, paullo ſupra deſcripta. Scuta tamen numero minora ſunt; utpote qui tot Epiſcopatibus, uti ille, haud præfuit. Apparet igitur non niſi *Patavienſe*, quod duplicatur, *Olomucenſe*, ac *Uratislavienſe*. Inſignia vero ſupra crucem Ordinis *Teutonici*, cuius *Magnus* quoque *Magiſter* creatus fuerat, cum LEOPOLDI GUILIELMI ſimilia prorſus ſunt. In ſcriptum tumbæ lemma hoc eſt:

IN HAC VRNA CLAVDITVR
MAGNA MVNDI SPES
CAROLVS IOSEPHVS.
ARCHIDVX AVSTRIÆ
FERDINANDI III. CÆSARIS
ET LEOPOLDINÆ AVGVSTÆ FILIVS
NATVS VIENNÆ MDCXLIX. 7. AVGVSTI
DENATVS LINCII MDCLXIV. 27. IANVARY
HVMATVS VIENNÆ EODEM ANNO 21. FEBRVARY
CVIVS ANIMÆ QVISQUIS ES BENE PRECARE.
✠

Ætas, ac morbi genus. XXV. Inſcriptio hæc *Wiennæ* an. 1649. die VII. *Aug.* natum, mortuum *Lincii* die XXVII. *Ianuarii* an. 1664. ac *Wiennæ* XXI. *Februarii* humatum, notat primum ſummo mane, alterum ſub noctis

a) Loc. mox cit. p. 117. p.

b) *German. Sacr.* tom. I. p. 753.

ctis ſilentium eveniſſe, HANSIZIUS a) refert. Epitaphium, infra adducendum, horam quoque prodit, ſecundam ſcilicet matutinam. Genus morbi, quem in naturalis caloris occultam vim, depaſcentem intima, reiicit, idem HANSIZIUS fuſe deſcribit, adducto etiam epitaphii honorarii, a IOSEPHO, Comite de *Rabatta*, Principis aulæ Præfecto, concinnati, fragmento, ibidem legendo. TAB. LXXIV. a

XXVI. Aliud vero epitaphium, in citato MS. codice apud *Capucinos* novi fori *Vindobonenſes* reperiundum, hic apponere iuvat: Aliud epitaphium.

SISTE VIATOR !
TOT INTER CORONAS ET SCEPTRA,
QUÆ IN HOC RECONDITORIO DEFODIT MORS,
RARI VALORIS GEMMAM INVENISTI,
MULTUM CARBUNCULI HABERE CREDO,
NAM ET IN HIS TENEBRIS MIRE LUCET,
HIC RECONDITUS
CAROLUS IOSEPHUS
ARCHIDUX AUSTRIÆ
MAGNI CÆSARIS FERDINANDI TERTII
EX LEOPOLDINA NATA PROLES:
CUI MATER AUGUSTA SIC LUCEM DEDIT, UT SIBI ADIMERET,
ITA ANIMAM INSPIRAVIT, UT EXSPIRARET.
ET VERE PROLES USQUE AD MORTEM AMAVIT, ET ANIMAVIT;
TAM CARO CHARA SOBOLES MATRI STETIT.
IN HOC PRINCIPE COMBINATA MUNDUS OBSTUPUIT SENIUM ET IUVENTUTEM,
NON IN ANNIS
PROFECTAM ÆTATEM, IN PUERO SCIENTIAS SENILES,
IN ADOLESCENTULO CANAS VIRTUTES SUSPEXIT.
IMMATURE QUIS OCCUBUISSE HUNC DICERET,
NISI PRÆCONIA IN EO OMNIA FUISSENT ?
HINC MATURUS COELO MATURIUS E MUNDI COENO SUBLATUS,
ILLI IANUARIUS, QUI ANNI FORES APERIT, VITÆ CLAUSIT
LINZII DIE 27 NOCTV SVB HORAM. 2.

XXVII. Procedimus ad loculum MARIÆ ELEONORÆ, CAROLI II. *Mantuæ* Ducis, filiæ, ac FERDINANDI III. Imp. uxoris tertiæ, XVIII. *Nov.* 1630. huic mundo donatæ. b) Gentilitia inſignia eidem deſunt, in imo tamen lamina inſtructus eſt, diem annumque Auguſtæ fatalem exprimens, ſextum videlicet *Decembr.* an. 1686. qui viduitatis triceſimus erat. Addit *Theatr. Europ.* horam quoque, intra ſecundam ſcilicet, & tertiam matutinam. MARIA ELEONORA FERD. III. Imp. uxor. tertia. TAB. LXXV. N. 20. b

IN

a) Loc. mox cit. p. 758.
b) MILLERUS in ſupra memorato Comment. aulico. SCHOENLEBEN. in *ephemerid.*

TAB. LXXV. N. 20.

IN HOC
MONUMENTO
CONDITA SUNT OSSA
AUGUSTÆ
FERDINANDI III. IMPER.
VIDUÆ
ELEONORÆ
ROMANORUM IMPERATRICIS
GERMANIÆ HUNGARIÆ BOHEMIÆ
DALMATIÆ CROATIÆ SCLAVO.
REGINÆ
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ
DUCIS BURGUNDIÆ
STYRIÆ CARINTIÆ CARNIOLIÆ
COMITIS TYROLIS.
&c. &c.
NATÆ PRINCIPIS MANTUÆ
ET MONTIS FERRATI &c. &c.
QUÆ PIE OBIIT VILNÆ
AUSTRIÆ VI. DECEMBRIS
ANNI MDCLXXXVI.
ANIMA EIUS IN MANU DEI EST.

Corpus eius triduo poſt, conſuetis cum ceremoniis, ac præſente utraque S. C. Maieſtate, huic cryptæ illatum fuit. a) Supremus morbus noxia primum pituitæ diſtillatio, pectus arrodens, tum demum apoplexia fuit.

a

THERESIÆ MARIÆ IOS. & FERDINANDI IOS. ALOYS. fata. Lit. f. & b.

XXVIII. Subiunguntur bini loculi minores, ſimili conſtructione fabrefacti, ſine inſignibus, ornamentis quoque haud adeo multis. Prior, lit. f. ſignatus, corpuſculum ſervat THERESIÆ MARIÆ IOSEPHÆ, eiusdem Imperatricis, ex FERDINANDO III. filiæ, quam inſcriptio, in duas partes diviſa, XXVII. *Martii* an. 1652. *Vindobonæ* natam, b) denatam vero ibidem XVI. *Iulii* c) anni ſequentis teſtatur. Alter oſſa contegit FERDINANDI IOSEPHI ALOYSII, qui iisdem Augg. parentibus, ut inſcriptura, laminæ ovatæ inciſa, habet, XI. *Febr.* 1657. mundo ibidem datus, d) anno inſecuto ſub XVI. *Iunii* e) eidem ſubductus eſt, corpore eius XVIII. eiusdem hic repoſito. En utriusque Epitaphia:

b c

d

e

ad

a) *Theatr. Europ.* P. XII. p. 1006.

b) Idem P. VII. p. 324. col. 2. etiam horam indicat, duodecimam inter & primam nocturnam, diem vero 16. 26. *Martii* erronee ponit, aut certe noctem cum die prædente, ut non uno in loco vidimus, computavit.

c) SCHOENLEBEN. XII. *Maii* ponit, ſed ideo epitaphii auctoritatem haud deferendam putamus.

d) *Theatr. Europ.* hoc inter horam XII. & I. noctis eveniſſe teſtatur P. VII. p. 1098. col. 2.

e) Supra laudatus MILLERUS loc. cit. diem præcedentem aſſignavit. At cum inſcriptione inter ceteros quoque *Theatr. Europ.* P. VIII. p. 945. & SCHOENLEBENIUS in *ephe. merid.* faciunt.

ad
Lit. f.
THERESIA
MARIA IOSEPHA
ARCHIDVX AVSTRIÆ ETC.
NATA SEXTO CALENDAS APRILIS ANNO M.
D. C. LII.

DENATA DECIMO
SEPTIMO CALENDAS
AVGVSTI ANNO MDCLIII
FILIA
FERDINANDI III.
IMPERATORIS AVGVSTI
EX
MARIA ELEONORA
MANTVÆ ETC. PRINCIPIS
CAROLI FILIA.

ad
Lit. b.
FERDINANDVS
IOSEPHVS
ALOYSIVS
ARCHIDVX
AVSTRIAE
NATVS XI. MENSIS FEBRVARII
ANNO MDCLVII. DENATVS
XVI. IVNII ANNO MDCLVIII.
FILIVS FERDINANDI III.
IMPERATORIS AVGVSTISSIMI EX MARIA ELEONORA
MANTVAE ETC. PRINCIPIS
CAROLI FILIA.

TAB. LXXV.

XXIX. Ornatior iuxta atque operoſior eſt ELEONORÆ MARIÆ IOSEPHÆ, eorundem parentum filiæ, ſarcophagus, quæ MICHAELI, Regi *Poloniæ* primum, deinde vero CAROLO V. Duci *Lotharingiæ*, heroi ſui temporis ſummo, matrimonio coniuncta fuit. Hic enim non modo inſignibus, de utroque eius connubio teſtantibus, ſed & aliis mortuorum ſignis, argumentisque hieroglyphicis, omni ex parte ornatus eſt. Primo emblemate ſimulacrum mortis, flores demetentis, ſiſtitur, cum lemmate: MITIOR ESSET, SED COECUS EST. Et infra: VIRTVTVM COMPENDIVM. II. Sol, & luna decreſcens, cum epigraphe: A MAGNO LVCEBAM FRATRE. LEOPOLDI M. SOROR. III. Arbor deiecta humi iacens, cum inſcriptione: HOC QVOQVE PVTRESCET. FERDINANDI III. FILIA. IV. Mortis imago, altero pede ſuper galeam, ſuper alveare altero ſtantis, addito titulo: FORTEM DVLCEMQVE ÆQVO PEDE. LOTHARINGIÆ DVCISSA. V. Mors ſimili ſpecie, altera manu vacuum tenens annulum, altera gemmam, adſcriptis verbis: ERIPVI GEMMAM. AVSTRIÆ ARCHIDVX. VI. Denique eiusdem mortis figura, duas tenens coronas ſurreptas, addita inſcriptione: IAM NEC MAIESTAS NEC VXOR. Et inferius: POLONIÆ REGINA. Itaque verba, lemmatis adiuncta, ſubiectaque, hunc efficiunt ſenſum: *virtutum compendium*, LEOPOLDI *Magni ſoror*, FERDINANDI III. *filia*, LOTHARINGIÆ *Duciſſa*, AUSTRIÆ *Archidux*, POLONIÆ *Regina*. Inſcriptio ſarcophagi, ſtatim adducenda, natalem ei XXI. *Maii* an. 1653. fatalem XVII. *Decembr.* an. 1697. fuiſſe docet his verbis.

ELEON. MARIÆ IOSEPHÆ, FERD. III. fil. ſolium N. 21.

HIC QUIESCIT
SERENISSIMA ELEONORA MARIA
NATA 1653. DIE 21. MAY
PRIMUM MICHAELIS CORIBUT POLONIÆ REGIS
DEIN

Tab. LXXV.

DEIN CAROLI V. LOTHARINGIÆ DUCIS
CHRISTIANORUM FORTISSIMI CONIUX DULCISSIMA
TANTA VIRTUTE
QUANTUM FÆMINA CAPERE POTEST
ELISABETHAM AUT BRIGITTAM
SUI SÆCULI
SANCTA MORS ABSTULIT
ANNO 1697. DIE 17. DECEMBER.

Inſcriptionis error ac Reginæ ætas.

XXX. Cum priori epocha SCHOENLEBENIUS quoque in ephemerid. facit: contradicentibus MILLERO in Commentar. Aulico, ac *Theatro Europæo*, a) primum & triceſimum *Maii* ponentibus, id quod veritati propius eſſe, ideo autumamus; quod idem *Theatrum* addat: partum hunc *Ratiſponæ* intra horam tertiam, & quartam pomeridianam, eo die eveniſſe, quo FERDINANDUS IV. *Auguſtæ Vindel.* communibus Electorum ſuffragiis *Romanorum* Rex deſignatus fuit. Cum igitur certiſſime conſtet, hanc electionem XXXI. non vero XXI. *Maii* proceſſiſſe, atque eiusmodi res circumſtantes, eventum quendam comitantes, memoriam confirment ut maxime, ſat cauſſæ ſubeſſe arbitramur, ut, deſerto ſarcophagi inciſore, ſtilum, ut videtur, veterem, ſecuto, dictis MILLERO, & *Theatro Europæo* adſtipulemur. Accedit liber baptiſmalis Aulæ *Vindobonenſis*, Archiducem primo *Iunii* abs FRANCISCO WILHELMO, *Epiſcopo Ratiſponenſi*, *Commatre* S. C. M. LEONORA *in capella Aulica Ratiſponenſi* ſacro fonte ablutam fuiſſe, referens. At vero ex eodem libro patet, Auguſtos Principes liberorum ſuorum baptiſma, pro ſua pietate, inque rebus ſacris ſollicitudine, raro ultra unum diem diſtuliſſe. R. P. ADIUTUS, aliquoties laudatus, qui, ut ipſe ſcribit, dictum librum, cum epitaphia huius cryptæ colligeret, ante oculos habuit, cum ſarcophago faciens, ſubiicit tamen: *aut* 1. *Iunii ut aul.* quibus verbis fortaſſis indicare voluit: *ut alii*, aut certe, *ut aulicus liber baptiſmalis*. Verum is diem duntaxat ſacræ ablutionis, non autem nativitatis, notare ſolet. Quoad diem mortualem iterum differt citatum *Theatr. Europ.* b) XVIII. *Decembr.* aſſignans, ſed ibi errorem ſubeſſe typographicum putamus. Morbum eius ſupremum biographus eius, aut potius Panegyriſta, P. *Nicolaus* FRIZON S. I. lethargiam fuiſſe refert, c) addens: corpus aromatibus conditum, ac habitu Sanctimonialium S. CLARÆ indutum, regia magnificentia huic cryptæ illatum fuiſſe.

a
b
c

Mariæ Annæ Iosephæ obitus & ſepultura. N. 22.

XXXI. Arca, huic proxima, num. 22. ſignata, ac MARIÆ ANNÆ IOSEPHÆ, FERDINANDI III. itidem filiæ; ac IOANNIS WILHELMI IOSEPHI, Comitis *Palatini Rheni*, ac Electoris, coniugis reliquias complexa, inſignibus deſtituta eſt. Nata erat *Ratiſponæ*

a) P. VII. p. 471. col. 2.
b) Idem P. XV. p. 235.
c) Hiſt. abregée de la vie d' ELENOR. p. 168. & 178.

ponæ intra horam nonam, & decimam matutinam, an. 1654. *Decembris* triceſimo, *Theatro Europ.* a) ac SCHOENLEBENIO teſtibus. *Iac.* FUGGERUS viceſimum eiusdem ponens, ſtilum veterem ſecutus eſt. Epitaphium, infra calvaria inſcriptum, exceſſiſſe eam *Vindobonæ* IV. *Aprilis*, anno ſcilicet 1689. his verbis dicit: TAB. LXXV. a

IN HOC
MONUMENTO
CONDITA SUNT OSSA
SERENISSIMÆ PRINCIPIS
AC DOMINÆ DNÆ
MARIÆ ANNÆ IOSEPHÆ
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ
COMITIS TYROLIS &c.
AUGUSTISSIMORUM PARENTUM
FERDINANDI III.
ET
ELEONORÆ MANTUANÆ
MAGNÆ FILIÆ
SERENISSIMI ELECTORALIS
PRINCIPIS
IOANNIS WILHELMI
IOSEPHI &&c.
SERENISSIMÆ CONIUGIS
QUÆ
VIENNÆ AUSTRIÆ QUARTA APRILIS
SUAVITER OBDORMIVIT
IN CHRISTO.

Sed & eiusdem epitaphii auctor ſtilo iterum Calendarii veteris uſus videtur; quando *Theatrum Europ.* utrumque nominans, ſecundum ſtili novi rationem *Aprilis* decimum quartum ponit, quocum & tabulæ *Hübnerianæ* concordant.

XXXII. Primus in ſerie dextra, ſeu ad latus, ubi Evangelium ad aram legi conſuevit, loculus quatuor aquilis incumbens, marmoreæ baſi inſiſtit, LEOPOLDI *Magni* Imp. cuius æternæ memoriæ nullum unquam ſat dignum monumentum ſtatui poterit, oſſa continens. Orbi donatus erat *Vindobonæ* an. 1640. IX. *Iunii* hora quarta matutina, b) patre uſus FERDINANDO III. Imp. matre MARIA ANNA, PHILIPPI III. *Hiſp.* Regis filia. Eidem vero magno *Germaniæ* luctu ereptus eſt anno 1705. quinto *Maii*, tertio quadrante ad horam quartam veſpertinam. c) Quare inſcriptionem, LEOPOLDI *Magni* ſolium. TAB. LXXVI. Num. I. b c

arcæ

a) *Theatr. Europ.* P. VII. p. 702. col. 2.
b) Idem P. IV. p. 274. WAGNER hiſt. LEOPOLDI M. tom. I. p. 4.
c) Id. P. XVII. p. 72. WAGNER, aliique bene multi.

Tab. LXXVI. arcæ funebri inſculptam, ac *nonas Aprilis* nominantem, in mendo, artifici duntaxat adſcribendo, cubare, neceſſe eſt; quando ea, tot Scriptoribus quintum *Maii* ſtatuentibus, præferri nullo modo poteſt. En textum:

QVI
E CÆSARIBVS PRIMVS
TOT VICTORIARVM
PATRATIS PRODIGIIS
PRO PACE
SVPPLICEM FIERI
IPSVM COEGIT TVRCAM
HAC QUIESCIT IN VRNA
LEOPOLDVS
ORBIS ACCLAMATIONE
MAGNVS
OBIIT ANNO 1705. NONIS APRILIS
ÆT 65.

Ceterum lemmata, ſolio eius cum ad caput, tum ad latera inciſa, hæc ſunt: NVNQVAM MARCESCET LAVREA IVSTI. Ad latus dextrum: MANET ÆTERNVM DIADEMA MONARCHÆ, ubi calvaries laureata, ſceptro & gladio decuſſatis impoſita conſpicitur. Denique ad latus ſiniſtrum: PIVM MORS IPSA CORONAT. Apud R. P. ADIUTUM, multoties laudatum, *tertio nonas Maii* recte quidem legimus: ſed num is textum, nullo adiecto monito, reſtituerit, vel iuſſu forte Aulæ, error hic ab eo tempore, quo cryptam hanc luſtravimus, ſublatus fuerit? nos equidem fugit.

Obitus, & exequiæ. XXXIII. Res, mortem eius circumſtantes, biographus eius, Doctiſſ. *Franciſcus* WAGNER S. I. hisce verbis eleganter complexus eſt: a) „ex hac tot curarum, inquit, contentione aſſidua, etſi iam ſuperiore anno minus recte habuerat, ad XV. Calendas *Maias*, virium deiectio tanta ſecuta eſt, ut aula tota in magnas ſollicitudines coniiceretur. Coacto peritiſſimo Medicorum conſilio, varie de mali natura, & originibus diſputatum; ſupplicationes ſolennes per omnia templa edictæ; eæque, ut pro communis omnium parentis ſalute, ex animo comprecantis populi concurſu maximo habitæ. Ut vero neque medicamentis profici quidquam, & vires velut in horas fugere perſenſit, totum ſe ſcilicet ad apparandam Chriſtianam migrationem convertit. Ante omnia IOSEPHUM Regem conſilio præſidere, atque rerum adminiſtrationem recipere voluit. Inde expiatis, quantum a prima iuventute meminiſſet, conſcientiæ maculis, Sacroſancta Euchariſtia, velut ſupremo ad longum iter viatico, pietatis admirabili ſenſu procuratus eſt Calendis *Maii*. Quinto poſt

a) Loc. cit. tom. II. p. 789.

poſt die ex inſolito languore haud procul a portu ſe abeſſe conie- TAB. LXXVI.
ctans, ELEONORAM Imperatricem ſupremum ſalutavit. IOSEPHO filio poſt diutinum arcanum colloquium, plenaque ſapientiæ monita impertita, imprimis vero CAROLI fratris non minus æquiſſima, quam ancipite cauſſa graviter commendata, impoſitis capiti procumbentis manibus, poſt filiabus item & Neptibus Archiducibus more Patrum benedixit: denique IOSEPHUM, *Lotharingiæ* Ducem, pone lectulum in genua proiectum, conſpicatus; *quando & tu*, ait, *me prò Parente colis, filii benedictionem habeto.* Poſtremis his officiis tranquillitate maxima perfunctus, denuoque diviniſſimo myſterio confirmatus, ſub meridiem gravi ſopore opprimitur, quem haud dubie lethalem ominabatur BOSINGERUS inter primæ fiduciæ medicos. Itaque ſacra item unctione ad luctam ſupremam munitus, inter quam velut integris ſenſibus ipſe ad precationes Eccleſiæ ſolitas reſpondit; tum imaginem CHRISTI, cruci affixi, FERDINANDI avi memoria celebrem, manu utraque complexus: *A Te*, inquit, *Sceptrum & Coronam recepi, ad Tuos iterum pedes hodie depono:* neque Maieſtatis titulo deinceps compellari voluit: denique voce articulata cum moriente Servatore: *conſummatum eſt:* & *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Quæ inter verba magnam animam conditori reddidit, annos natus quatuor, & ſexaginta, menſes decem, dies ſex & viginti: *Romani* Imperii ſeptimo, & quadrageſimo, quæ longævitas paucorum Imperatorum fuit. Regni *Hungariæ* quinquageſimo, *Bohemici* nono ad quadrageſimum. Pectus hydropico humore obſeſſum, deſiccatum hepar, pulmo contractus, ſecto cadavere, mortem accerſiſſe viſa ſunt. Funus modeſtis *Auſtriaco* ritu ſolennibus ad *Capucinorum* ædem deductum, veriſſimas omnium Ordinum lacrymas præ omni pompa habuit.„ Hæc biographus eius Cl. WAGNERUS. Corpus eius exenteratum, aromatibus imbutum, ac tribus diebus ſolemni in lectiſternio omnium oculis expoſitum, nono *Maii* poſt horam octavam veſpertinam in eccleſiam primum aulicam, poſtea vero hora nona in hanc cryptam auguſta pompa delatum fuit, ſacris funereis in octavum *Iunii*, diesque ſequentes dilatis. Caſtrum doloris, quod vocant, ſeu molem funebrem, *Theatri Europ.* auctor, tabula ænea expreſſum, unacum inſcriptionibus exhibet. a)

a

XXXIV. Tabula proxima MARGARITHÆ THERESIÆ, Regis *Hiſp.* PHILIPPI IV. filiæ, LEOPOLDI M. uxoris primæ, quatuorque liberorum eius capulos repræſentat. Auguſtæ ſolium quatuor globis inſidentes aquilas coronatas premit. Ornatui ſunt inſignia, bicipiti aquilæ impreſſa, *Hungariæ*, & *Bohemiæ*, *Burgundo-Auſtriacæ*, tum vero *Caſtellæ*, & *Legionis*, repetitas teſſeras referentia. Accedunt monogramma nominis eius, figuræ calvarum & oſſium, MARGARITHA THERESIA, LEOPOLDI M. UX. prima. TAB. LXXVII. Num. 19.

ac

a) Cit. P. XVII. p. 77. ſeq.

Tab. LXXXII. ac præprimis CHRISTI, cruci affixi, imago. Epitaphium, eam annos unum, & viginti, menſes octo vixiſſe, ac an. 1673. XII. *Martii* deceſſiſſe oſtendit, hanc in ſententiam:

HAC TVMBA CLAVDITVR
REDACTA IN PVLVEREM
MARGARITA
INFANS HISPANIARVM
PHILIPPI IV. ET MARIÆ ANNÆ AVSTRIACÆ
FILIA.
LEOPOLDI I. CÆSARIS I.ª
CONIVNX.
QVATVOR AVGVSTALIVM PROLIVM
MATER.
QVARVM TRES IN COELOS PRÆMISIT.
VNAM SVPERSTITEM
IN SOLATIVM AFFLICTÆ AVSTRIÆ.
QVIA SIMILEM SIBI RELIQVIT
MARGARITAM ANTONIAM
QVINTAM DVM CVM ORBIS EXSPECTATIONE
MATERNIS FOVET VISCERIBVS
PRÆMATVRA MORS
MATRI ET PROLI VITAM AVSTRIÆ SPEM SVCCIDIT
VIXIT INNOCENTISSIME AN. 21. MENS. 8.
IMPERAVIT SANCTISSIME AN. 6. MENS. 4.
OBIIT PIISSIME AN. 1673. DIE 12. MARTY.
NVNC FELICISSIME REQVIESCAT IN PACE.

SCHOENLEBEN. eam an. 1651. XI. *Iul.* ortam tradit, addens tamen: MS. aliud diem ſequentem præferre: quod quidem MS. præter *Rocchum* PIRRUM a) aſſentientem ſibi habet MILLERUM in Commentario Aulico. Et certe *Theatrum Europ.* b) natalem Imperatricis an. 1672. die ſecundo *Iulii* ſecundum veterem, aut XII. eiusdem, ſecundum novam Kalendarii rationem, celebratum fuiſſe refert; ut adeo, cum iis in numeris, utrinque ſibi reſpondentibus, erratum vix fuerit, duodecimus *Iulii* haud dubie retinendus ſit. Minus difficultatis eſt de eius obitu, quanquam apud ſupra laudatum WAGNERUM c) noctem ante decimam *Ianuarii*, contra aliorum fidem, legamus. Enimvero XII. *Martii* mox laudatus MILLERUS quoque tuetur, adducens auctoritatem MARIÆ ELISABETHÆ, principis de *Eggenberg*, FERDINANDI, Principis de *Dietrichſtein*, eiusdem Imperatricis ſupremi Aulæ præfecti, coniugis, in cuius libello precatorio dictum XII. *Martii*, unacum hora noctis

a) *Chronolog. Reg. Sicil. Sacr.* præmiſſa tom. I. p. LXIX. quanquam ibi deceſſum eius ad an. 1672. perperam reponat.

b) P. XI. p. 53. col. 2.

c) Hiſt. LEOPOLDI M. Cæſ. tom. I. p. 317.

ctis prima, annotatum invenerit. Addatur *Theatrum Europ.* a) aliique plures. Tab. LXXVII. a

XXXV. Mortis genus idem WAGNERUS hunc in modum recenſet. „Molientem hæc maxime Cæſarem gravis domi calamitas, rei omnium chariſſimæ iactura, MARGARITHÆ coniugis obitus, graviter afflixit. Enata e poſtremi partus doloribus virium debilitas, in levem, ſed pertinacem febriculam degenerabat. Accedentibus ſubinde gutturis accenſi doloribus, aliisque ex intervallo malis, extremis admoveri cœpit. Mortis nuncium intrepido, conſtantique vultu, & animo excepit. Aſſiduus ad laborantis lectulum Cæſar ægre ad negotia, precibus aulicorum, aut animi laxationem avellebatur. Evicit precibus moribunda; ut ne acerbiorem præſentia ſua migrationem redderet; tempus, quod ſupereſſet, dulcibus cum DEO confabulationibus expendere ſineret. - - Conditis teſtamenti tabulis, ſervitia eximia liberalitate munerata, unice in vicini cœli cogitatione defixa, inſigni animi æquitate, nocte, quæ decimam *Ianuarii* (vid. dicta §. præced.) antecedit, placide devixit. - - Erat illa ingenio placidiſſimo, mira in infimum quemque humanitate, in egenos, templa, religioſos cœtus effuſe liberalis. - - Lacrymis, ac dolore maiore, quam pompa, parentatum eſt.„ Exequiæ hæ, ut addit *Theatrum Europæum*, XIX. menſis eiusdem inchoatæ, triduo continuatæ ſunt, corpusque antea apertum, ac aromatibus imbutum, biduo publice conſpectui omnium expoſitum fuit. Fœtus maſculinus, de quo etiam inſcriptio loquitur, quatuor menſium iudicabatur, corporique redditus, in eadem tumba quieſcit. Genus morbi, & exequiæ.

XXXVI. Tres illæ arculæ minores oſſa complectuntur trium eius prolium, in cunis extinctarum. Primus eſt FERDINANDUS WENCESLAUS, qui anno 1667. XXVIII. *Sept.* in lucem editus, eidem an. ſequenti III. *Ianuarii* ſubtractus eſt. b) Alter IOANNES, qui XX. *Febr.* an. 1670. intra horam VIII. & IX. mat. natus, & denatus eſt, ab obſtetrice duntaxat baptizatus. c) Tertia MARIA ANNA APOLLONIA ſimilia fata an. 1672. XXIII. *Februarii* perpeſſa eſt, d) ut hæc ſingula inſcripta tumbis epitaphia, nunc recitanda, recte exponunt. Sunt autem huius tenoris: *ad* Aliæ eius tres proles, litt. b. c. d.

a) Loc. mox. cit. p. 356. col. 1.

b) *Theatr. Europ.* id intra horam nonam & decimam matutinam contigiſſe, affirmat P. X. Sect. I. p. 795. Illuſtriſſ. contra MAXIMILIANUS, Comes de *Breuner*, in ſcheda genethliaca liberorum LEOPOLDI M. id intra horam VIII. & IX. eveniſſe, notavit. Sæpe laudatus MILLER. horam quoque ortus addit, octavam ſcilicet matut. mortem præterea ad tertium quadrantem ante horam decimam reponens.

c) Idem Principi nomen IOANNIS LEOPOLDI tribuit, addens: illum hora X. nocturna, menſe a conceptione ſeptimo, *Viennæ* in palatio Cæſareo editum, mox poſt baptiſma exceſſiſſe.

d) Nempe, ut idem *Theatrum* fidem facit, mundo oſtenſa eſt an. 1672. IX. *Februarii*, die S. APOLLONIÆ ſacro, mane hora octava (mox laudatus Comes nonam aſſignat) eidemque iterum ſubducta XXIII. eiusd. intra ſeptimam & octavam matutinam. Idem MILLERUS priori eventui horam nonam matutinam, poſteriori vero tertium quadrantem ad horam octavam veſpertinam aſſignat.

TAB. LXXVII.

ad Lit. l.

FERDINANDVS WENCESLAVS IOSEPHVS
MICHAEL ELZEARIVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ
FILIVS LEOPOLDI PRIMI
IMPERATORIS AVGVSTI
EX MARGARITA INFANT.
HISPANIARVM PHILIPPI
IIII. HISPANIARVM RE
GIS ET MARIANNÆ AV
STRIACÆ FILIA. NA
TVS 28. 7BRIS 1667.
DENATVS 13. IANVARII
1668.

ad Lit. e.

HIC IACET
IOANNES AVSTRIACVS
LEOPOLDI I. IMP. ET
MARGARETÆ HISP. FIL.
MVLTIS VOTIS POSTVLATVS
PRÆMATVRO PARTV
GENITVS
PRÆMATVRA MORTE
EREPTVS
SEMIHORÆ SPATIO VITAM
CLAVSIT
DEPLORABITVR TANTO
DIVTIVS
QVANTO BREVIOREM
FECIT SVI COPIAM
NATVS ET DENATVS
ANNO DOM. MDCLXX.
DIE XX. FEBR.

ad. Lit. n.

HÆC VRNA TEGIT
MARIAM ANNAM APOL-
LONIAM IOSEPHAM
SCHOLASTICAM
AVGVSTI LEOPOLDI
FILIAM
TENELLOS CORPVSCVLI
CINERES LACRYMIS DILVERE
VETVIT COELO IAM RECEPTA
ANIMVLA
LVCEM PRIMAM ASPE-
XIT DIVÆ
APOLLONIÆ FESTO
ANNI MDCLXXII.
CLAVSIT XXIII. FEBRVARII.

Ac MARIA ANTONIA THERESIA, eiusdem itidem fil. Num. 23.

XXXVII. Sola itaque inter fratres, ſororesque ſuas, adultam ad ætatem pervenit MARIA ANTONIA THERESIA, MAXIMILIANI EMANUELIS, utriusque *Bavariæ* Ducis, & Electoris, coniux prima, cuius funebris arca hic ultimo loco delineata ſiſtitur, quam imago præprimis CHRISTI, in crucem acti, ornat: deinde monogramma nominis eius, ac denique præter leonum capita, iuncta *Bavariæ*, *Auſtriæ*que inſignia, galero Ducali faſtigiata. Epitaphium, operculo inciſum, ſic ſonat:

MARIA ANTONIA
TERESIA
VTR. BAV. ET PALAT. SVPER.
DVCISS. COM. PAL. RHE. S. R. I.
ELECTR. LANDGR. LEVCH-
TEMB. NATA REGIA
PRINC. HVNG. ET BO-
HEM. ARCHID. AVS-
TR. DVC. BVRG.
COM. TYR. &c.

OBIIT VIENNÆ AVSTRIÆ
ANNO MDCXCII. D. XXIV.
DECEMBR. HORA V.

PRINCEPS ORTV, CON-
IUGIO, PARTV, MORTE
ILLVSTRISS.[A]

Quatuor aliæ inſcriptiones, quibus tumba ad ſingula latera inſtructa eſt, vitæ eius compendium, ſequentem in modum, continent.

Illa,

Illa, quæ ad pedes eſt, ortum eius ſic profert: ORTUM TRAXIT E LEOPOLDO I. ROM. IMP. ET MARIA TERESIA PHILIPPI IV. REGIS HISP. FILIA, ANN. MDCLXIX. XVIII. IAN. 1

In latere ſiniſtro matrimonium illius, cum Electore *Bavariæ* initum, expenditur: CONIVGIVM INIIT CVM MAXIMILIANO EMANVELE VTR. BAV. AC PALAT. SVP. D. S. R. I. ARCHIDAP. ET ELECT. ETC. ANNO MDCLXXXV. XI. IVLII VIENNÆ AVSTR. QVO TEMPORE IS IAM SÆPIVS TVRCAS IN HVNG. GLORIOSE DEVICERAT. 2

Latus dextrum eius partum, quo Electoralem Principem, enixa eſt, prodit: PARTV FELICISSIMO ENIXA EST IN SPEM PATRIÆ, AC SERENISS. DOMVS BAV. IOSEPHVM FERDINANDVM PRINC. ELECTORALEM VIENNÆ AVSTRIÆ ANN. MDCXCII. D. XXVII. OCT. 3

Ad caput denique occaſus huius Principis his verbis legitur: MORTEM OPPETIIT, QVA VIXERAT, PIETATE AVSTRIACA, BIMESTRI POST EDITAM PROLEM, AVRORÆ INSTAR, QVÆ DVM SOLEM ORBI PEPERIT, EXTINQVITVR. 4

Nativitatem eius primo quadrante ad horam nonam matutinam, mortem vero horam intra ſextam & ſeptimam veſpertinam, utrumque autem *Wiennæ*, diebus, & annis, quos recitata epitaphia habent, accidiſſe, *Theatrum Europæum* a) refert. Corpus eius triduo expoſitum, tum vero XXVII. *Decembr.* nocturno tempore, ante horam nonam, in hoc requietorio, conſueta pompa locatum eſt. Nomina Principis noſtræ idem *Theatrum* hoc modo exprimit: MARIA ANTONIA THERESIA IOSEPHA BENEDICTA ROSALIA PETRONILLA, uberius nempe, quam quod inſcriptio habet a

XXXVIII. CLAUDIÆ FELICIS, ſeu FELICITATIS, FERDINANDI CAROLI, Archiducis, & Comitis *Tyrolis*, filiæ, LEOPOLDI M. uxoris ſecundæ, funereum monumentum ab inſtituto ordine nos tantiſper recedere cogit. Non enim in hac communi Auguſtæ Gentis crypta, ſed, quam ſibi ipſa conſtrui fecit, in nova, apud *RR. PP. Dominicanos Vindobonenſes*, compoſita iacet. Commode igitur hoc loco de ea agi poſſe putavimus. Siſtimus itaque in hac tabula ichnographiam templi dictorum *PP. Dominicanorum*, ubi memoratum monumentum intrantibus ad dextram occurrit. Oſtium illic, num. 1. ſignatum, ſpatioſo occluſum marmore, infuſis de metallo litteris, roſisque ad quatuor angulos exornatum, hanc inſcriptionem continet, ex qua ortum eius diſcimus, hunc in modum: CLAUDIÆ FELICIS, LEOPOLDI M. uxoris II. ſepultura. TAB. LXXVIII. Num. 1.

MONV-

a) P. X. ſect. II. p. 24. & P. XIV. p. 308. Laudatus Comes de BREUNER nativitatis tamen horam, ſeptimam inter, & octavam, ponit.

TAB. LXXVIII.

MONVMENTVM
PIISSIME VITA FVNCTÆ.
CLAVIDÆ FELICIS
AVGVSTISS: ROM: IMPERATRICIS.
GERM: HVNG: BOHEM: REGINÆ.
ARCHIDVCISSÆ AVSTRIÆ
NATÆ OENIPONTI XXX. MAY
MDCLIII.

Num. 2. Alter lapis pariter marmoreus, num. 2. notatus, altari contiguus, Imperatoriis inſignibus, ac quatuor, ut reliqua, ex metallo roſis, muſivo opere, concinne variatus conſpicitur, cum hac epigraphe chronographica: HIC IaCet CLaVDIa LeopoLDI. CaesarIs CoNIVnX. Utrumque lapidem ſeorſim delineari curavimus. Nata eſt, ut inſcriptio prior loquitur, *Oeniponti* an. 1653. triceſimo *Maii*. Mortem eius altera inſcriptio prodit, annum continens 1676. Hoc octavo *Aprilis* media ſexta ante meridiem eveniſſe, aliud epitaphium, urnæ cordis, de quo ſingulari loco acturi ſumus, inſcriptum, edocet; hinc annos vitæ viginti duos, menſes decem, cum diebus præterpropter novem compleviſſe patet. Corpus eius habitu Ord. S. DOMINICI indutum, deque more hominum conſpectui expoſitum, XI. *Aprilis* ſepulturæ conſuetis cum ceremoniis traditum fuit, exequiis primum apud laudatos *Dominicanos* peractis, poſtea vero a XVI. eiusdem, duobusque ſequentibus, in eccleſia primaria
a S. STEPHANI, erecta etiam mole funebri, repetitis. a)

Duarumque filiarum eius, ANNÆ MARIÆ IOSEPHÆ, Lit. h.

XXXIX. Revertimur iterum in auguſtam, quam pauliſper reliquimus, cryptam, ad contemplandas duas arcas minores, litt. h. & i. notatas, duarum huius Imperatricis filiarum (de urna cordis eius enim, huic etiam tabulæ inciſa, alibi, ut diximus ſermo nobis erit) in prima ætate defunctarum, oſſa continentes. Primam, ANNAM MARIAM IOSEPHAM THERESIAM &c. primogenitam, hanc
b lucem an. 1674. XI. *Septembr.* b) primum aſpexiſſe: deſeruiſſe vero XXI. *Decembr.* noctu hora X. anni eiusdem, ſequens epitaphium recte continet.

HIC IACET
SERENISSIMA ARCHIDVX
ANNA MARIA IOSEPHA TERESIA
ANTONIA DOMINICA
XAVERIA THEODORA
AVGVSTISSIMÆ IMPERATRICIS
CLAVDIÆ FELICIS
PRIMA PROLES

QVÆ

a) Id. *Theatr.* P. XI. p. 908. col. 1.
b) Hoc intra horam XI. & XII. noctis accidiſſe, idem *Theatr.* cit. P. XI. p. 539. col. 1. memorat. Illuſtriſſ. BREUNERUS horam XI. præciſe nominat.

QVÆ ANNO 1674.
NATA IN AVTOMNO
DEO MATVRVIT IN HYEME
DEDIT ILLAM MVNDO
SEPTEMBER. DIE XI.
TRANSCRIPSIT COELO XBR. DIE XXI.
SVB NOCTEM HORA X.
COMPENDIOSO ITINERE
VIX VIAM INGRESSA PERVENIT
AD TERMINVM
HVMANÆ PEREGRINATIONIS
ET MODO ÆTERNVM
REQVIESCIT IN PACE.

Tab. LXXVIII.

XL. Alteram, MARIAM IOSEPHAM CLEMENTIAM &c. an. 1675. XI. *Octobris*, horam inter tertiam & quartam matutinam, mundo apparuiſſe, diſparuiſſe vero XI. *Iulii*, uoo quadrante poſt horam noctis primam anni ſequentis, adiecta iterum inſcriptio docet:

Et MARIÆ IOSEPHÆ CLEMENTIÆ, Lit. i.

HIC IACET
SERENISSIMA ARCHIDVX
MARIA. IOSEPHA. CLEMENTIA. GABRIELA.
ANTONIA. FRANCISCA. DOMINICA.
THERESIA. EVA. PLACIDA.
AVGVSTISSIMÆ IMPERATRICIS.
CLAVDIÆ FELICIS
PROLES SECVNDA
SVB AVTVMNO EFFLORVIT IN ÆSTATE EXARVIT
ANNO 1675. DIE 11. OCTOBRIS
RORE SVB AVRORÆ
COMMVNEM VITÆ INGRESSA AVRAM
INTER TERTIAM ET QVARTAM
MVNDO APPARVIT
ANNO 1676. DIE 11. IVLY
POST MEDIVM NOCTIS
HORA PRIMA ET QVADRANTE SVPRA
DEMPTA SOLO INSERTA POLO
RVRSVM DISPARVIT
OMNIA 4. ANNI TEMPORA PERCVRRIT
NVLLVM PLACVIT
AMMODO LASSA QVIETI SE DEDIT
ET NVNC ÆTERNVM
REQVIESCIT IN PACE.

Cum his epitaphiis ſæpe laudatum *Theatrum Europ.* a) quoque, nec non & P. ADIUTUS conſentiunt. XLI.

a

a) P. XI. p. 742. col. 1.

Eleonoræ Magdalenæ, Leopoldi M. uxoris III. ſandapila. Tab. LXXIX. Num. 2.

XLI. Tertia Leopoldi M. uxor, Eleonora Magdalena Theresia, Philippi Wilhelmi, *Palatino-Neoburgici* filia, inſcriptione capuli ſui ſummam illam modeſtiam, & pietatem oſtendit in morte, quibus vitam, maxima cum laude, ac inſigni ſanctitate actam, exornavit. Ultima eius voluntas fuit; ut ne ſtanneo, ſed ligneo loculo, qualem hic num. 2. delineatum damus, compoſita, iuxta maritum conderetur, inſcripto epitaphio, a ſe ipſa concinnato, quo ſe, miſſa omni nominis, & dignitatis oſtentatione, *miſeram peccatricem* appellat his verbis:

ELEONORA
MAGDALENA
THERESIA
Arme Sinderin
Geſtorben
Anno 1720. *den* 19.
Ienner.

Laminæ illud inciſum eſt, & ad imum capuli operculum affixum, ſuperadſtante imagine Christi, de cruce pendentis, coloribus picta. Ligneus ille capulus ad oras undique ferro, nec non ferreis manubriis orbiculatis munitus, pegmati, ab humo modice excitato, inſiſtit, nigro panno obductus. Verumtamen hodie hæc ipſa ſandapila loculo ſtanneo, ut quidem par erat, immiſſa, inſcriptione quoque inſtructa fuit, ut capite ſequenti videbimus.

Ætas, morbi genus, & exequiæ.

XLII. Mortua hic dicitur XIX. *Ianuarii* 1720. Nativitatis vero epocham, ſextam ſcilicet *Ian.* anni 1655. altera eius inſcriptio, tabula LXXXIV. N. 2. ſarcophago ſtanneo inciſa, prodit, quibuscum monumenta eius temporis apprime conveniunt. Dominus *de la* Lande, in vita Caroli VI. Imp. a) horam quoque mortis addit, ſextam nempe matutinam. Supremus morbus apoplexia fuit, qua Imperatrix Kal. *Ianuarii* correpta, efficaciſſimis licet remediis adhibitis, ultra dictum diem ſervari nequibat. Corpus eius condimentis arefactum, triduoque ſolemni in lectiſternio, ut ſolet, expoſitum, demum XXIII. eiusdem noctu hora ſeptima in eccleſiam Aulicam apud *RR. PP. Auguſtinianos*, inde vero in hanc cryptam conſuetis cum ceremoniis deportatum fuit, ſolemnibus exequiis poſtea habitis.

a

Epitaphium honorarium primum,

XLIII. Eidem honoris cauſſa aliud quoque epitaphium, a non nemine poſitum, atque ex citato codice apud *RR. PP. Capucinos* eductum, huc transferre viſum eſt:

In
ſuprema fata Auguſtæ ſacratiſſimæ
Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ,
Imperatricis Romanorum coronatæ. &c.
A. S. R. 1720.

a) Tom. IV. p. 6.

LUGE-

Tab. LXXIX.

LUGETO! VIRTUS: SUNT TUA FUNERA,
QUÆ NUNC DOLEMUS FLEBILIBUS MODIS.
LUGETO! VIRTUS: RAPTA NOSTRO EST
IMPERII PIA MATER ÆVO!
AUGUSTA VIXIT, CÆSARIS OPTIMI
DIGNA UXOR OLIM, DIGNAQUE CÆSARUM
PROLISQUE MAGNÆ PROCREATRIX,
AUSTRIADUM IUBAR AUSPICATUM!
HANC TEMPLA PLORANT, SACRAQUE LIMINA:
HANC PRISCA MORUM FLET REVERENTIA:
HANC ARCTA PAUPERTAS PIORUM,
HANC PIETAS GEMIT IPSA DEMTAM.
O MAGNA PRINCEPS, CHARAQUE NUMINI,
O CHRISTIANIS INCLYTA LAUDIBUS!
QUO NOSTRA CULTU TE ORNET ÆTAS,
QUOQUE TIBI MONIMENTA PONAT?
TE TE STUPESCENT POSTERA SÆCULA,
RECTIQUE MORIS TE SPECIMEN FERENT.
COELI SUPERNIS TE CHOREIS
CONSOCIAT VENERANDA VIRTUS.
PROVERB: XXXI. 31.
COLLAVDENT EAM IN PORTIS PIA ET
IVSTA OPERA EIVS.

XLIV. Inclyta præterea Academia *Altorfenſis* eidem parentans, publicum programma edidit, quod, etſi longiuſculum, hic tamen ob ſui elegantiam locum merito inveniat: Et ſecundum Academiæ *Altorfenſis*.

Programma publicum,
in obitum
Divæ Romanorum Auguſtæ,
ELEONORÆ MAGDALENÆ
THERESIÆ,
& reliqua.

MORTUA EST
SI QUIDEM MORI POTUIT,
CUI SUPRA MORTALITATEM
SUMMA NATURÆ FORTUNÆQUE ORNAMENTA
DIVINITUS FUERANT TRIBUTA,
ET QUÆ IPSA SUA SE VIRTUTE ETIAM ANTE MORTEM
FECERAT IMMORTALEM,
AUGUSTISSIMA ET SACRATISSIMA
PRINCEPS AC DOMINA

DOMI-

TAB. LXXIX.

DOMINA
ELEONORA MAGDALENA THERESIA,
AUGUSTA ROMANORUM
CORONATA,
REGINA HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ
ARCHIDUX AUSTRIÆ, COMES
PALATINA RHENI,
DUX UTRIUSQUE BAVARIÆ,
VIDUA,
MAGNORUM PRINCIPUM PARENTUM
FILIA,
MAXIMI CÆSARIS
CONIUX,
SIMILIUM CÆSARUM DUORUM
REGINÆQUE
ET OMNIS AUGUSTÆ PROLIS AUSTRIÆ.
QUÆ IN SPEM POPULORUM ADHUC
VIGET VIGEBITQUE,
MATER ATQUE AVIA,
CETERORUM EUROPÆ REGUM AC PRINCIPUM OMNIUM
VEL CONSANGUINEA VEL
AFFINIS:
INFINITIS LAUDUM GLORIÆQUE NOMINIBUS CORUSCA:
NISI IPSA
OMNIUM LAUDEM AC PRÆCONIUM SUPERGRESSA,
SUA SIBI LAUS SUUMQUE PRETIUM ESSE,
SEQUE VIRTUTUM DECORIBUS, QUAM MAIESTATIS.
GENTISQUE SPLENDORE, METIRI MALUISSET.
TALIS ENIM ESSE DEBUIT,
QUAM PRÆ OMNIBUS
DIGNISSIMAM SE CONIUGEM IUDICARAT
LEOPOLDUS MAGNUS,
IAM ÆTERNITATI REDDITUS:
SUB CUIUS AUGUSTO NOMINE ORBIS TERRARUM REVERETUR,
QUIDQUID VIRTUTE SUMMUM,
IMMORTALE MERITIS,
GLORIA VENERANDUM,
ET MAIESTATE DEO PROXIMUM
POTEST INTELLIGI.
ACCESSERAT AD CONIUGII MAIESTATEM
FECUNDITATIS FELICITAS
QUÆ

AUGU-

AUGUSTÆ DOMUI AUSTRIÆ NOVUM ROBUR ET
GLORIAM,
SACRO ROMANO IMPERIO TRANQUILLITATEM,
HONOREM ORBI CHRISTIANO;
MULTIS POPULIS ET REGNIS SECURITATEM;
TUTELAM VIRTUTIBUS,
HOSTIBUS METUM,
AUSPICATISSIME ATTULIT.
NON POTERAT IGITUR NON RARIORI EXEMPLO
SOLENNISSIME CORONARI,
CUIUS SINGULARIS VIRTUS
EFFULSIT CORONIS OMNIBUS SPLENDIDIOR;
NE HÆC TEMPORA RECTE ARGUERENTUR.
INUSITATAS VIRTUTES ET MERITA INGENTIA
AUT NON AGNOVISSE,
AUT PRÆMIIS HAUD VULGARIBUS DISTINGUERE NESCIVISSE.
NEQUE TAMEN
IMPERIO CONSECRATA,
SE SE CREDIDIT CORONATAM AUGUSTAM,
NISI & IPSA SE SUBIICERET SIBI,
AC MAIORES BONITATIS RADIOS LONGE LATEQUE DIFFUNDERET;
QUAM CORONATO CAPITI SUO FUERANT AFFUSI.
SED QUAM
MAXIMA ORNAMENTA
UNDEQUAQUE REDDIDERANT ADMIRABILEM,
EANDEM OMNI FIDE HUMANA MAIOREM EFFECIT
SUMMA IN ISTO FASTIGIO PIETAS,
APEX, ET PROCREATRIX CETERARUM VIRTUTUM
OMNIUM,
ATQUE SIC EXSPLENDUIT
AUGUSTA
MAIESTATIS DIGNITATE MAGNA,
EXEMPLO PIETATIS MAIOR,
EXTRA EXEMPLUM IPSA.
DIVINI ENIM NUMINIS REVERENTISSIMA,
FREQUENTIUS CUM DEO, QUAM CUM HOMINIBUS
LOCUTA EST;
ET MENTE PLUS COELO ADHÆSIT,
QUAM CORPORE IN TERRIS VERSATA EST.
CUIUS OMNIS CURA ET OCCUPATIO
FUIT SERIES PRECUM ET BENEFACTORUM NON INTERRUPTA,
CUIUS VITA
PERPETUA FUIT VIRTUTIS EXERCITATIO,

ET

ET CUIUS AULA
EXSTITIT SACRARIUM,
IN QUO
CASTIMONIAM SINE LABE,
SINE FUCO MODESTIAM,
ET SINE ULLO LANGUORE RELIGIOSI ANIMI ARDOREM
OMNIA SPIRARUNT.
TANDEM COELO, UNDE VENERAT, RECEPTA,
EUNDEM DIEM ATQUE MENSEM
HABUIT
COELESTIS ÆTERNÆQUE CORONÆ INITIUM,
QUO ANTE HOS TRIGINTA ANNOS
AUGUSTA ET IMPERIALI CORONA
AUGUSTÆ VINDELICORUM FUIT CONDECORATA.
TANTUM ERGO, TAMQUE VENERABILE NOMEN
VIRTUTI CONSECRAT PRÆSENS ÆTAS,
POSTERITAS CONSECRABIT ÆTERNITATI;
TOTQUE ILLI ERIGENTUR MONIMENTA PERENNIA,
QUOT SUNT BONORUM PECTORA;
QUONIAM INIURIA VIRTUTUM FUERIT,
TANTAS VIRTUTES NON ET SUSPICI, ET REVERENTER COLI,
ITA ETIAM
AUGUSTÆ PIÆ AC
FELICI
SUPREMUM PIETATIS OFFICIUM
LUGENS MOERENSQUE REPENDIT
INCLYTA ET S. R. I. LIBERA CIVITAS
NORIMBERGENSIS
UT
MAIESTATI DOMUS
AUGUSTÆ
ÆTERNA FIDE CULTUQUE SE DEVOTISSIMAM
COMPROBET;
NEQUE SE TAM PURPURAM IMPERATORIAM,
QUAM VIRTUTES ET MERITA IMMORTALIA
VENERARI TESTETUR.
HUIUS IGITUR DEMISSISSIMI CULTUS INTERPRETES TESTESQUE
ERITIS
ILLUSTRIS REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS GENEROSISSIMI
DOMINI DELEGATI, REI SACRÆ ET LITERARIÆ EPHORE,
ET HUIUS
ACADEMIÆ ORATORES SPLENDIDISSIMI GRAVISSIMIQUE
MAGNIFICE ACADEMIÆ PROCANCELLARIE,
GENEROSE HUIUS OPPIDI PRÆFECTE,
OMNIUM ORDINUM PROFESSORES ET DOCTORES CELEBERRIMI
HOSPITES ATQUE CIVES NOBILISSIMI,

ET

ET DOCTRINÆ LAUDIBUS FLORENTISSIMI. TAB. LXXIX.
ADESTE ADEO
QUIBUSCUNQUE VERE, ET INUSITATÆ VIRTUTIS GLORIA CORDI
EST,
ATQUE IN
ELEONORA MAGDALENA
DIVA AUGUSTA
NON TAM FORTUNÆ ET DIGNITATIS MAGNITUDINEM,
QUAM IN TANTA MAGNITUDINE PIETATEM ET
MODERATIONEM,
VENERABUNDI ADMIRAMINI.
CUIUS SACRIS MANIBUS,
IUSSU ET AUCTORITATE
SAPIENTISSIMORUM CIVITATIS NORICÆ PATRUM
PROCERUMQUE,
CRASTINO DIE HORIS ANTEMERIDIANIS
POST PUBLICA SACRA FINITA,
SUBMISSISSIMÆ MENTIS PIETATE
PARENTABIMUS,
ET SIMUL
PRO INCOLUMITATE
AUGUSTI
ET ÆTERNITATE
DOMUS AUGUSTÆ
OMNI ANIMI RELIGIONE
VOTA FACIEMUS,
ID QUOD
PRO MUNERIS SUI RATIONE
SIGNIFICARE DEBUIT
RECTOR
ACADEMIÆ ALTORFINÆ
IOHAN. DAVID KOELER,
HISTOR: AC POLIT: PROF: PUBL:
ET ACAD. BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS,
INTERPRETE
CHRISTIANO GOTLIBIO SCHWARZIO P. P.

Publice propoſitum 24. *Iunii, ipſo ſacro anniverſario Academico, nonageſimo octavo die natali Academiæ Altorfinæ* A. R. S. 1720.

XLV. Eidem hic adiungitur filia eius, MARIA MARGARETHA, cuius loculum ſtanneum quatuor aquilæ, totidem globis innixæ, ſuſtentant. Supra operculum imago affixi ad crucem CHRISTI conſpicitur. Manubriis præterea inſtructus eſt. Adiecta inſcriptio, MARIA MARGARETHA. Lit. a.

eam

Tab. LXXIX. eam an. 1690. *Iulii* XXII. mundum, & quidem, ut laudatus Comes de BREUNER annotavit, mane hora quinta, cœlum vero XXII. *Aprilis* anni ſequentis petiiſſe oſtendit, in hanc ſententiam:

HIC IN TUMBA CLAUDITUR
SERENISSIMA MARIA MARGARITHA A. A.
MUNDUM ANNO 1690. 22. IULY
COELUM ANNO 1691. 22. APRILIS INGRESSA.
NIMIRUM
LONGO TEMPORE NON EGENT
UT MATURÆ REDDANTUR
DIGNÆQ. COELESTI CORONA
AUSTRIACÆ MARGARITÆ.

a Nomina eius *Theatrum Europ.* a) ſic exprimit: MARIA MARGARITA MAGDALENA GABRIELIS IOSEPHA ANTONIA. Mortem
b præterea eius intra horam XI. & XII. noctis dicti menſis coercet. b)

Nec non Maria Theresia. Num. 12. XLVI. Ornamentis ſpectatior eſt MARIÆ THERESIÆ loculus, teſſera nempe *Auſtriaca*, Archiducali pileo coronata, emblematis, aliisque funereis argumentis expolitus. Illorum primum oſſeam mortis imaginem ſiſtit, ſurrepta ex ſcuto *Auſtriaco* veteri, quam vocant, alauda, ſeu aquila, cum lemmate: QVINTA MIHI CESSIT. Scilicet quod Princeps iſthæc inter ſorores ſuas, ex tertia LEOPOLDI M. coniuge natas, ordine quinta eſſet. II. Simile mortis ſimulacrum, & Archiduciſſa in hypæthrio ſibi occurrentes, cum titulo: IN CARCERE METAM. III. Eadem mortis ſpecies, ramum arboris infimam decerpens, addita inſcriptione: NON NVMERO RAMOS. IV. Roſa, in media horti areola marceſcens, cum epigraphe: FLOS FVIT ILLE CADVCVS. V. Mortis figura, filum abrumpens, his adſcriptis verbis: VT COEPI, VIXI. VI. Denique Archiduciſſa, ex aulæo proſpiciens, hac appoſita ſententia: OSTENDENT TERRIS HANC TANTVM. Inſcriptio tumbæ, ſtatim adducenda, diem eius natalem viceſimo ſecundo *Aug.* anni 1684. affigit. Addit liber baptiſmalis locum pariter, *Vindobonam*, ac horam, primam circiter a meridie. Scheda genethliaca ex *Aſparn* id media prima eveniſſe tradit. Errat igitur *Theatrum Europæum*, horam ſextam ſerotinam
c aſſignans. c) Epitaphium autem huius eſt ſententiæ:

SITA HIC EST
SERENISSIMA MARIA THERESIA
ARCHIDUX AUSTRIÆ
IN LUCEM DATA ANNO 1684. DIE 22. AUGUSTI
CUM AUSTRIACAS IN SE VIRTUTES
SEDULO COLERET
MATURITATEM MORS VIDIT AUT INVIDIT
ATQUE

a) P. XIII. p. 1362. col. 1. Add. laudatum Comit. *Breuner.*
b) P. XIV. pag. 229. col. 1.
c) P. XII. p. 664. col. 2.

ATQUE IN HANC URNAM CONIECIT
MORTUAM
EBERSTORFFY ANNO 1696.
DIE 28. SEPTEMBRIS.

TAB. LXXIX.

XLVII. Idem epitaphium obitum Principis ad XXVIII. *Sept.* an. 1696. locumque *Eberſtorffium*, recte iterum reponit, conſentientem habens *R. P. Engelbertum* BISCHOFF S. I. Archiduci a ſacris confeſſionibus, ac agonizanti adſtantem, qui in elogiis pientiſſimæ huius Principis, a ſe conſcriptis, horam, & genus mortis hunc in modum prodit: „Pientiſſime (ait) ut vixit, obiit *Eberſtorffii* 28. *Sept.* 1696. „die lunæ, Divo WENCESLAO ſacra, media ſeptima matutina, „variolis, & accedentibus convulſionibus phreneticis extincta, de„cimum tertium annum ingreſſa, virtutum cumulo, quam anno„rum numero, auctior.„ Die XXX. dicti menſis, aliquanto poſt mediam ſextam veſpertinam, funus *Eberſtorffio Vindobonam* ad *PP. Capucinos*, campanis quidem ſilentibus, devectum, ibique in crypta hac Cæſarea depoſitum eſt; cum propter infeſtam variolarum ægritudinem ad ſepulturam feſtinatum fuiſſet. Nomina Principis hæc erant: MARIA THERESIA IOSEPHA ANTONIA XAVERIA. Morbi, Mortisq; genus, & ſepultura.

XLVIII. Ultimus in hac tabula ſarcophagus, cœlato opere affabre factus, Imperatricis ELEONORÆ MAGDALENÆ tertiam, ſed natalium ordine filiam ſextam, MARIAM IOSEPHAM, contegit. Inciſa ſub imagine crucifixi Servatoris, & calvaria, inſcriptio illam ſexto *Martii* an. 1687. in mundum prodiiſſe, obiiſſe vero XIV. *Aprilis* an. 1703. demonſtrat, ſequentem in modum: Ac tandem MARIÆ IOSEPHÆ. Num. 13.

HEUS TU MORS!
QUID IN VIRIDARIO AUSTRIACO FECISTI
O TE MALUM HORTULANUM!
IPSO VERE
QUO FLORES UBIQUE SURGUNT
ROSAM SANGUINE PULCHRITUDINE VIRTUTIBUS NOBILEM
14. APRILIS 1703. CADERE IUSSISTI
SERENISSIMAM MARIAM IOSEPHAM ARCHIDUCEM AUSTRIÆ
M. CÆSARIS LEOPOLDI I. ET ELEONORÆ MAGDALENÆ
NEOBURGICÆ
FILIAM NATAM VIENNÆ 6. MARTY 1687.
VIATOR!
FLOS QUIDEM HIC PUTRUIT SPIRAT TAMEN ODOREM
VIRTUTEM ENIM SEPULTAM
EXISTIMA.

Nativi-

Nativitatem eius intra horam tertiam, & quartam matutinam eveniſſe *Theatrum Europæum* a) perſcribit, mox citata ſcheda genethliaca mediam quartam ſtatuit, ac eidem præter dicta nomina, COLLETÆ quoque, & ANTONIÆ adſcribit. Supremus ei morbus variolæ erant.

a

IOSEPHI I. Imp. ſarcophagus. TAB. LXXX. N. 14.

XLIX. Eximium illud invictiſſimi Cæſaris IOSEPHI ſolium, quod in hoc requietorio CAROLUS VI. Imp. cum patriis cineribus an. 1712. iungi curavit, ſingulari proferimus tabula. Eius delineationem *Ioh. Lucas* HILDEBRAND, S. C. M. Architectus, eodem, quo confectus eſt, anno, iam paraverat, ab ENGELBRECHTO & PFEFFELIO, chalcographis *Auguſtanis*, eodem quoque tempore ære expreſſum. Opus hoc ſtanneum baſi marmoreæ, tum vero varii generis armaturis, manubiis nempe, ex hoſte captis, incumbit. Ipſa arca quadrifariam partita, totidem præfert victoriarum ſchemata, affabre admodum elaborata, ſuperpoſitis in decuſſes gladio, & ſceptro, nec non totidem calvariis laurea redimitis, ſub quibus, & in clypeis, inſcriptiones apparent hanc in ſententiam: I. VICTORIA PRIMIGENIA LANDAVIAM BIS EXPUGNANS MDCCI. ET. MDCCIV. II. VICTORIA MAXIMA BELGIO UNA EXPEDITIONE RECUPERATO MDCCVI. III. TAVRINI LIBERTATEM EIVSDEM ANNI MDCCVI. MEMORABILIS FELICITAS ADSERVIT. IV. VICTRIX CAVSA BARCELONAM LIBERAVIT MDCCVI. Ad quatuor angulos ſingulæ aquilæ ſimplices manubriis imminent. In operculo, imagine CHRISTI, ad crucem affixi, conſpicuo, duo ex oppoſito hinc inde genii conſiſtunt, quorum alter dextra ſuper ſtratam in pulvino coronam Imperatoriam, lauream extendens, læva ſignum æternitatis, redeuntem in ſe anguem, ſuſtollit: alter, famæ ſpeciem præferens, effigiem Cæſaris laureati in numiſmate, velut in clypeo, oſtendit, in cuius adverſa brevis titulus Auguſtum operis auctorem CAROLUM VI. Imp. his verbis memorat: IMP: CÆS: AUG: IOSEPHO I: SEMP. INVICTO. FRATRIS. PIETAS. In averſa ſymbolum Imperatoris, gladius ſcilicet erectus, ac ramo laureo circumvolutus, imminente ſupra oculo Divinitatis, circumſcriptoque titulo: AMORE ET TIMORE. Idem præterea tubam inflat, in cuius velo ſequens inſcriptio legitur:

COMMODATVS. ORBI. MDCLXXIX.
REGNO. HVNG. MDCLXXXVII.
R. ROMANOR: MDCXC.
WILH: AMALIAE. MDCXCIX.
IMP: R: BO: ET. PROV: CET: MDCCV.
COELO. REDDITVS.
A: MDCCXI: D: XVII. APR:
VICTOR VBIQVE PERPETVVS.

L.

a) P. XIII. p. 99. col. 1.

L. Dolendum ſane eſt, hanc quoque tumbam inciſoris oſcitantia, mendis contaminatam fuiſſe; quippe quod *Landavium* non an. 1701. ſed ſequenti, ab eo expugnatum ſit, is ipſe vero non anno. 1679. ſed præcedenti, & quidem ſexta, & viceſima menſis *Iulii*, circa tertiam matutinam orbi datus, a) eidem anno 1711. primo quadrante ad horam XI. *Aprilis* XVII. valedixerit. Mortis genus biographus eius R. P. WAGNER S. I. b) his verbis deſcribit: „Sæculi, ait, quod agimus, anno undecimo, nona *Aprilis*, poſtquam plurium horarum conſilio affuerat, inſolito languore correptus, deiicitur in lectulum feralem. Levior febricula primum eſt habita. Poſtridie erumpentes rubeæ maculæ (variolas appellant Medici) gravius malum portendere. Hoc morbi genere, adultioribus, quam infantibus formidando magis, ut ſe teneri ſenſit æger, ipſe ſui augur: *vale*, ait, *Imperator*: ſimul accerſito conſcientiæ arbitro, quo utebatur, *Engelberto* BISCHOFF e *Societate Ieſu*, ſumma religione totius a puero anteactæ vitæ noxas, quoad memoria repetere poſſet, ſincera confeſſione expiat; eandemque quot fere diebus ad extremum iterat. Inter morbi moleſtias abducto a terrenis curis, & unice in ſuperna defixo animo, pietate tanta ſe ad longi itineris migrationem comparat, qua maiorem vix a tenerrimæ religionis homine deſiderares. - - ſeptimo a primo acceſſu die magnis auctibus invaleſcente æſtu, turba Medicorum quidem deſperare, ipſe vero animo in Divinas voluntates compoſito, eoque, quo tendebat, defixo, nullo propinquæ mortis horrore, precationibus, & alloquiis piis, febriles ardores ſuſtentare; petere, ne quisquam longiorem ſibi ætatem, felicem e rebus humanis exitum una omnes a DEO exorarent. Septima decima menſis, fugientibus viribus, animo tamen conſtans, ſupremis myſteriis rite procuratus, matrem, coniugemque dulciſſimam - - tum ſorores, filiasque longum valere iuſſit. - - His perfunctus, animam placide egit, ſeptima decima *Aprilis*, annos natus tres, & triginta, menſes tres, dies octo.„ Corpus aromatibus conditum, triduoque pro more expoſitum, die ſequenti viceſimo, poſtquam cor, & inteſtina, ut alibi dicemus, ſuis in locis repoſita fuere, hora octava nocturna primum in eccleſiam Aulicam apud *RR. PP. Auguſtinianos*, tum vero mox inde in hanc cryptam delatum fuit, qua de re fuſe *Theatrum Europæum*, inſimul & molem funebrem cum inſcriptionibus, tabula ænea expreſſam, exhibens. c)

TAB. LXXX. Inſcriptionis ſphalmata, hiſtoriaque mortis. a b c

LI. Sequens tabula binos alios LEOPOLDI M. liberorum, ex matre *Neoburgica* ſuſceptorum, loculos ad conſpectum profert. Maior

LEOPOLDUS IOSEPHUS, LEOPOLDI M. filius TAB. LXXXI. Num. 8.

a) WAGNER. hiſt. LEOPOLDI M. Imp. I. p. 448. Sæpiuſcule laudatus BREUNERUS tamen horam ſecundam nocturam notavit, nomina etiam eius reliqua prodens, nempe IOSEPHUS, IACOBUS, IOANNES, IGNATIUS ANTONIUS, EUSTACHIUS. R. P. ADIUTUS, itidem a nobis ſæpe excitatus, erroris huius mentionem nullam faciens, annum MDCLXXVIII. contra prototypi fidem, edidit.

b) Hiſt. IOSEPHI I. pag. 407.

c) P. XIX. P. 530. ſeqq.

Tab. LXXXI. Maior ille, præter epitaphium, infra legendum, insignibus *Austriacis* ad singula latera, ut & in operculo supra Crucifixi imaginem exornatus, litteram quoque L. pileo Archiducali fastigiatam, quaterque repetitam, ostendit, nominis Leopoldi Iosephi, cuius ille reliquias asservat, initialem. In medio resurrectionis Domini, atque adeo spei Christianorum, argumentum observatur. Addantur & alia ornamenta, a nobis hucusque sæpius visa, & descripta. Epitaphium autem est huius modi :

Serenissimus
LEOPOLDUS IOSEPHUS GUILIELMUS
FRANCISCUS ANTONIUS ERASMUS
Archidux Austriæ
Hac urna conditur
Laxenburgi Anno 1682. 2. Iuny natus
Laureaci Anno 1684. mundo denatus est
quantæ ob miram indolem spei
Tanti ob præcocem mortem causa doloris
Vere Filius Benoni.

Epitaphium hocce Principem *Laxenburgi* anno 1682. *Iunii* die secundo natum, *Laureaci* vero, seu *Ensii*, 1684. denatum fuisse, affirmat. Ubi vides, diem fatalem, inciſoris haud dubie negligentia, iterum omissum fuisse. At supplet sæpe a nobis laudatus Illustr. Comes a Breuner, illum *Laxenburgi* hora tertia matutina eodem die & anno exortum: *Ensii* vero, *Austriæ Superioris*, tertio *Augusti* sanguinolento alvi fluxu disparuisse, in scheda sua genethliaca annotavit. Alii tertium *Aprilis* perperam tradiderunt.

Anonyma, eiusd. Imp. filia. Lit. m. LII. Eidem adstans minor loculus sine ullo ornatu est: inscriptione tamen haud expers, secundam ibi recondi Leopoldi M. *ex matre Neoburgica* prolem, anno 1679. xviii. *Iunii* sub luce meridiana vivere incipientem, & mori, indicat, hunc in modum:

Hic iaceo
Seren. Archidvx Avst.
nata
Ex Matre Neobvrgica
Tertia Leopoldi
Nvpta
Secvnda proles
Anno 1679. 18. Ivny
Svb lvce meridiana
Solares radios
Svstinere non valens
Celerivs mvndo svbdvcta
Eadem hora
Coelo

COELO APTATA SVM
VBI ÆTERNVM MODO
OCVLOS PASCO.

TAB. LXXXI.

Mox laudatus Comes BREUNERUS, id omne hora eius diei undecima ante meridiem accidiſſe notans, Principem anonymam ſacro adhuc fonte ablutam fuiſſe teſtatur. Inditum huic Archiduci in baptiſmate nomen neutrubi proditur. Decantatiſſima tamen, ut titulum præferunt, in regno mortuorum colloquia, congreſſu, ſive dialogo XXXV. inter ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM Auguſtam, & MARIAM THERESIAM *Gall.* Reginam pag. 172. illam materno, ELEONORÆ, nomine donatam perhibent, quod veriſimile videtur.

LIII. In capulo, num. 9. ſignato, LEOPOLDI IOSEPHI, Imperatoris IOSEPHI I. ex AMALIA WILHELMINA, filii cineres continentur. Natus eſt, ut epitaphium, mox ſubſtituendum, recte habet, licet *Theatrum Europ.* a) quadrantem ante duodecimam, & liber baptiſmalis mediam duodecimam noctis diei præcedentis ſtatuant: id tamen verius poſt mediam noctem intra horam 12. & 1. ad diem ſequentem, S. NARCISSO ſacram, cuius etiam nomen inter alia ſortitus eſt, eveniſſe, ii, qui partui præſentes, & ad ſervitia infantis deſtinati erant, retulerunt. Obiit IV. *Auguſti* anni ſequentis. Liber baptiſmalis etiam horam addit, meridianam ſcilicet. Epitaphium autem huius eſt tenoris:

LEOPOLDUS IOSEPHUS, IOSEPHI I. Imp. fil. Num. 9. a

O LUCTUM!
SERENISSIMUS LEOPOLDUS IOSEPHUS
SÆCULARI ANNO 1700. DIE 29. OCTOBRIS
GENITUS
IAM ANNO 1701. DIE 4. AUGUSTI COELO
AC URNÆ HUIC ILLATUS
QUAM ACERBUS ICTUS FUIT
QUI LEOPOLDI M. NEPOTEM
IOSEPHI I. ROM. AC HUNG. REGIS
ET AMALIÆ FILIUM PRIMOGENITUM
SPEM IPSAM HUMANI GENERIS
INCIDIT.

Arca intrinſecus texto argenteo obducta, exterius aliud ornamenti genus, præter teſſeram *Auſtriacam* utrinque repetitam, ſuperpoſita CHRISTI, in crucem ſublati, imagine, cum ſubiecta recitata inſcriptione, nullum præfert. Nomina Principis hæc ſunt: LEOPOLDUS IOSEPHUS IOANNES THADDÆUS ANTONIUS NARCISSUS IGNATIUS XAVERIUS PHILIPPUS. Vixit non niſi menſes IX. dies V. cum dimidia.

LIV.

a) Tom. XV. pag. 721. col. 1.

Leopoldus, Caroli VI. Imp. filius. Tab. LXXXI. Num. 10.

LIV. Ultima bina funera, loculis ligneis incluſa, ea forma hic exhibemus, qua erant, antequam arcis, ex ſtanno confectis, immitterentur, id quod anno primum 1740. factum eſt. Sunt autem loculi hi funerei ferro bene vincti, intriſecus textili argento obducti, extrinſecus ad commiſſuras circumductis limbis aureis exornati. Prior, num. 10. ſignatus, LEOPOLDI Archiducis, ac Principis *Auſtriæ*, CAROLI VI. Imp. filii, oſſicula continet, qui, quanto *Germaniam*, cum oriretur, gaudio, tanto, cum occideret, luctu, & mœrore, id eſt utrinque indicibili, affecit. Inſcriptio tumbæ, qua nunc inſtructa eſt, ſic habet:

CHRISTIANÆ POSTERITATI
SACRVM.
HIC DORMIT IN PVLVERE
LEOPOLDVS IMP. CÆS. AVG.
CAROLI VI. FIL.
D. LEOP. M. NEP. ARCHID. AVSTR.
PRINC. ASTVR.
QVEM FATA TERRIS TANTVM OSTENDVNT
MDCCXVI. EIDIB. APR.
ET INFANDA ACERBITATE RVRSVS ERIPIVNT
PRID. NON. IXBR.
AH! DOLOR AVGVSTI MAGIS INTELLIGI,
QVAM LEGI POTEST.

Theatrum Europæum illum XIII. *Aprilis* horam inter ſextam & ſeptimam veſpertinam ortum aſſerit, a) at vero ſchedam quandam æqualem ante oculos habemus, quæ mediam octavam ponit. Obitus horam nondum reperire potuimus, niſi quod ex eodem *Theatro* colligi poſſe videatur, illum IV. *Nov.* itidem iam declinante die, ultimum ſpiraſſe. Nomina eius integra hæc fuerant: LEOPOLDUS IOANNES IOSEPHUS ANTONIUS FRANCISCUS *de Paula* HERMENEGILDUS RUDOLPHUS IGNATIUS BALTHASAR.

a

Eius obitum moderate ferunt Augg. parentes.

LV. Tanti Principis, Domusque Auguſtæ primi, unicique ſurculi iacturam, cum tot populi præ nimio dolore ferre vix poſſe viderentur: nemo tamen unus moderatius tulit ipſis Augg. eius parentibus, ac CAROLI præſertim *conſtantia* ac *fortitudo*, illo ex B. IOB uſi: *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Unde & ad *Cellas Marianas* in *Styria* pretioſum ſane, atque magnificum anathema extare voluerunt, Principis ſcilicet defuncti ſimulacrum aureum æquilibre, quatuor & viginti ſelibras pendens, appoſita hac inſcriptione:

VOTUM
ET
QUAM

a) Part. XXI. p. 54. col. 1. & 498.

QUEM CELLIS IMPETRATUM, COELIS RESTITUTUM, VIVUM SISTERE NON POSSUNT LEOPOLDUM FILIUM, FOECUNDITATIS PRIMITIAS, IN AURO ÆQUILIBRI REDDUNT CAROLVS ET ELISABETHA ÆTERNVM DEVOTI. a)

Tab. LXXXI.

a

LVI. Alter loculus num. II. inſcriptus funus MARIÆ AMALIÆ, eiusdem Imperatoris CAROLI filiæ ultimæ complectitur. Nata erat *Wiennæ* die quinta *Aprilis* an. 1724. Sacro fonte die ſequenti, hora ſeptima veſpertina in œco equeſtri a Nuntio Apoſt. *Hieronymo* GRIMALDI, Archiep. *Eddeſſeno*. aſſiſtentibus quatuor Abbatibus, abluta eſt. Compatres fuerunt Imperatrix vidua, AMALIA WILHELMINA, ac, vice Regis *Poloniæ*, EMANUEL *Sabaudiæ* Princeps. Nomina ſereniſſ. infanti indita fuerant ſequentia: MARIA AMALIA CAROLINA LUDOVICA LUDMILLA ANNA. Mortua eſt XIX. eiusdem, quo ante annos ſex nata, menſis *Aprilis*. Inſcriptio, ſuperinducto, de quo ſupra, capulo ſtanneo inciſa, ſic ſonat:

Maria Amalia Num. II.

PIETATI ET MEMORIÆ
IMP. CAROLI DESIDERATISS. FILIAE
SERENISS. M. AMALIAE ARCHID. AVSTR.
HISP. INF.
QVAE PVBL. SPEI NATA MDCCXXIV. NON. AP.
BREVIS VITAE DIES EXPLEVIT AN. MDCCXXX.
XIII. KL. MAI.
NOVIT DOMINVS DIES IMMACVLATORVM
ET HEREDITAS EORVM IN AETERNVM.

Funus, tunicula argentea roſei coloris amictum, impoſita capiti corolla, argenteis floribus nexa, die XXI. dicti menſis ſub ſerum, uno quadrante ante horam nonam, prædicto capulo incluſum, ac monumento huic Cæſareo illatum, ibique ſcamno, quod nigro panno tegebatur, ſuperimpoſitum eſt, novo de quo diximus, ſarcophago poſtea immittendum. Utriusque huius capuli ſpecies, prout tumbis ſtanneis immiſſi ſunt, exhibemus tabula LXXXII. Forma illorum nonnihil ad urnas veterum oſſuarias accedit. Superiniecti tapetes plumario opere, & pellibus ex mure Pontico ornati, nec non galeri Archiducum, pulvinis impoſiti, ortum ex Aug. Domo *Auſtriaca* indicantes, adponuntur.

Tab. LXXXII.

LVII. Poſtremum funus, quod ex Gente *Auſtriaca* ante deceſſum ſuum mœrens vidit CAROLUS VI. Cæſar Aug. quodque in hac crypta conditum fuit, neptis ſuæ erat, nempe MARIÆ ELISABE-

Maria Elisabetha Amalia. N. 24.

a) *P. Kilian.* WERLEIN *de Theſauro Cellenſi.*

Tab. LXXXII. SABETHÆ AMALIÆ, filiæ natu maximæ FRANCISCI, *Lotharingiæ, Barri*, ac *Magni Hetruriæ* Ducis, ac poſtea Rom. Imp. & MARIÆ THERESIÆ Auguſtæ, hodie feliciter regnantis. Operculum loculi lignei ſigno crucis, *Lotharingiæ* ac *Etruriæ* inſignibus, a nobis ſeorſim exhibitis, exornatur. Epitaphium ſic habet:

SERENISSIMA PRINCEPS
MARIA, ELISABETHA, AMALIA
ANTONIA, IOHANNA, GABRIELA, AGATHA,
REGIARUM SERENITATUM FRANCISCI
III.
LOTHARINGIÆ, BARRI, MAGNIQUE
HETRURIÆ DUCIS
ET
MARIÆ THERESIÆ ARCHIDUCIS
AUSTRIÆ PRIMOGENITA
NATA NONIS FEBRUARII AN. MDCCXXXVII.
DENATA VII. IDUS IUNII AO. MDCCXL.

Conveniunt hæc cum monumentis publicis, ſimul addentibus: primum *Vindobonæ* intra horam X. & XI. ante meridianam, alterum *Laxenburgi* feria tertia *Penteceſtes* ante horam nonam ſerotinam eveniſſe. De ea iterum capite ſequenti ſermo erit.

CAROLI VI. Imp. folium cum epitaphiis. Tab. LXXXIII. LVIII. Pervenimus tandem ad Auguſtale funus Divi CAROLI VI. Imp. cuius nominis gloriam, & decus, ut breviter dicamus, ad æternitatem omnium conſenſu conſecratum, nulla unquam ſatis celebrare poterit ætas. Arcam ſtanneam vides, baſi marmoreæ inſiſtentem, variisque ornamentis, ſtatuis, & imaginibus, affabre, ac concinne expolitam, appoſito etiam inter repetitam, ac decuſſatam litteram C, numero ſenario, quatenus tanti Cæſaris reliquias intus cuſtodiri doceamur. Magnificum hoc opus, biennio poſt eius mortem abſolutum, MARIÆ THERESIÆ Imperatrici Auguſtæ, patrisque optimi filiæ, ac heredi debetur. Inſcriptiones, binis in locis inſculptæ, ſic loquuntur:

I.
AET. MEM. SAC.
INFANDVM. DOLOREM. RENOVANT.
SACRI. CINERES. DIVI.
IMP. CAROLI VI. AVG. P. FEL. P. P.
CONSTANTIA. ET. FORTITVDINE. AVSTRIACI.
NEC. SOLVM. IN. VTROQVE.
SED. IN. OMNIBVS. HEROICIS. VIRTVTIBVS.
CONSVMMATISSIMI. PERFECTISSIMIQVE. CAESARIS
QVI. ADHVC. IN. SEPVLCRO. VIVIT.
VT. SCIAS. VIATOR. VEL. SEPVLTAM.
MAIESTATEM. NVNQVAM. INTERIRE.

II.

II. Tab. LXXXIII.

COMMODATVS. PVBL. SALVTI.
AN. CHR. D. N. MDCLXXXV. KALENDIS OCTOBRIS.
COELESTI. PATRIAE. REDDITVS.
A. MDCCXL. XIII. KAL. NOV.
NVLLVM. POTVIT. MONVMENTVM. CLARIVS.
RELINQVERE.
QVAM. EFFIGIEM. SVAE. VIRTVTIS. SAPIENTIAE. PIETATIS.
MARIAM. THERESIAM. AVGVSTAM.
REGNANTIS. IVSTITIAE. ET. CLEMENTIAE.
DECVS. EXEMPLAR. DISCIPLINAM.
VIXIT. ANN. LV. D. XIX. H. IIX.

LIX. Sæpe laudatus BREUNERUS, aliudque genethliacum incerti auctoris fragmentum, Imperatorem noſtrum dictis die, & anno, mane hora ſexta *Vindobonæ* in lucem editum fuiſſe, aſſerunt: obitum contra *Relationes Francofurtenſes* XX. *Octobris* noctu paullo poſt horam primam, & Dominus *de la* LANDE a) biographus eius, hora poſt medium noctis fere ſecunda eveniſſe, perſcribunt. Quæ quidem, ſi eum ſupra dies undeviginti horas octo, ut recitata habet inſcriptio, vixiſſe ſtatuamus, ſibi haud correſpondent. Quare pro hora nativitatis ſexta *matutina* dictis in monumentis *veſpertinam* reſcribendam eſſe iudicamus, ut octo illæ horæ prodeant. Nam BREUNERI ſaltem genethliacam tabulam haud omnino æqualem eſſe, inde oſtenditur; quod ibidem CAROLI, tanquam iam deſignati Regis *Hiſpaniarum*, mentio fiat, addaturque nota chronologica 1703. Nomina Cæſaris integra hæc erant: CAROLUS FRANCISCUS IOSEPHUS WENCESLAUS BALTHASAR IOANNES ANTONIUS IGNATIUS. b) Ætas. a b

LX. Morbi ſupremi, mortisque hiſtoriam laudatus LANDIUS, c) cui & monumenta eius temporis adſtipulantur, hunc in modum recenſet: CAROLUS VI. ait, ultimum morbum haud expectabat, ut ne antea de mortis ſuæ hora cogitaret. Cum primo *Octobris*, quo anniverſarius natalis ſui recurrebat dies, omnes certatim pro ſalute, & incolumitate eius ardentiſſima ad cœlum emitterent vota, is non niſi brevitatem vitæ animo volvebat. Obſtupuit Nuntius Apoſtolicus, qui cum ſua coram Maieſtate eius pro diuturnitate vitæ pariter deferret vota, Cæſar reponeret: præſentire ſe nonnulla mortis indicia, quam non longe abeſſe putaret. Nihilo tamen ſecius cum ille habitudinem corporis, valetudinisque, longo iam tempore ſibi ſimilis, conſtantiam opponeret, Cæſar venatione in finibus *Halbthurn*, loco, octo milliaribus *Vindobona* diſſito, ſeſe oblectare, conſtituit. Morbi extremi occaſio. c

a) Hiſt. de l' Empereur CHARLES VI. tom. VI. p. 119.
b) *Theatr. Europ.* P. XII. p. 972. col. 2. ac ſupra memoratæ tabulæ genethliacæ.
c) Loc. mox. cit. pag. 114.

ſtituit. Erant in comitatu Imperatoris Magnus Dux *Etruriæ* (poſtea Imperator Auguſtus) MARIA ANNA, Archiduciſſa, ac CAROLUS *Lotharingiæ* Princeps. Quintus, aut ſecundum alios octavus *Octobris* erat, cum ſe Aula eo conferret, & ubi ad decimum tertium uſque commorata, *Vindobonam* in palatium æſtivale, *Favoritam* quod appellant, redire cogitur, Imperatore gravi pituita, cui & ſtomachi cruditas, imbecillitasque accedebant, correpto. Colicus is affectus, ingentesque viſcerum dolores, iuxta ac acerbus vomitus, morbi præſagiebant periculum. Unde reditum *Vindobonam* maturare viſum, id quod tanta celeritate factum, ut longiſſimum iter trium horarum ſpatio conficerent. Crebra itaque vehiculi ſuccuſſatione, vomitum prolectante, vires Imperatoris ita extenuabantur, ut iis per iter ſæpius deſtitui viſus ſit, illisque, qui palatium adornaturi anteibant, terrorem hunc *Wiennam* afferentibus, illuc ſub ſerum diei adveniens, populum, ingenti multitudine, ante foras palatii congregatum offenderet. Poſtridie eius diei, XIV. *Octobris*, morbus nonnihil intermittere videbatur; verum cum is vi & defatigatione non niſi aliquantiſper compreſſus eſſet, malum ſe ſe mox iterum exſerere cœpit: accedente præterea, a XIV. ad XV. eiusdem menſis, febri, Medici eidem venam bis aperire curarunt, adhibitis quoque remediis, effectu ſuo haud carentibus.

Quo ingraveſcente,

LXI. Cum ergo XVI. eiusdem Maieſtas ſua nonnihil melius ſe haberet, Medicorumque filii debilitatem, febremque reſiduam, non niſi cauſſatæ ex eſu fungorum cruditatis, viſcerumque doloris violenti crebrique vomitus reliquias cenſerent, Miniſtros admitti voluit. At poſtero die febri accreſcente, Medici tertiam ſanguinis emiſſionem decernentes, Imperatorem, niſi DEUS remediis ſuis peculiarem inderet virtutem, in periculo mortis verſari, denuntiant. Ultima hæc ſanguinis detractio, prioribus binis, contra duorum Medicorum mentem iuncta, Imperatorem in ſummam coniiciebat debilitationem: inflatione imum abdomen, unacum ventriculo corripiente. Decimo ſeptimo cum Medicorum turba de cauſſa morbi coram ipſomet ægroto Cæſare in medium conſultantes, in diverſa abirent, is illos his verbis interpellat: *Cauſſa iuxta, ac ſtatus morbi ſi vos latet, corpus meum aperire vos iubeo; ut appareat, quod modo ignoratis. Verumtamen oculos meos diligenter inſpicite, num ſigna inſtantis mortis præferant? Quod ſi ita, operam date, ut mihi, voluntati* DEI *vel maxime obſequenti, SS. Eccleſiæ Sacramenta præbeantur.*

Ad extremam ſe luctam præparat, ac munit.

LXII. Imperatæ deinde per omnia templa, ad obtinendum a Supremo Numine auxilium, gratiasque, eidem in hoc ſtatu neceſſarias, quadraginta horarum precationes. Imperator autem condito, obſignatoque teſtamento, expoſitisque Nuntio Apoſtolico PAOLUCCIO totius anteactæ vitæ noxis: eundem *num recte adhuc*, quærit,

rit, *tenetis memoria, dicta noſtra in die meo Natali? res nunc compleri incipit, atque egomet ad eandem perveni.* Inſequenti nocte Cæſar maiori fruebatur quiete, idque ad mediam uſque, qua ſe ita male habere cœpit, ut de ſalute eius conclamatum fuerit, famaque mortis totam pervaderet urbem. Itaque Sacræ Euchariſtiæ viaticum, a Nuntio Apoſtolico adminiſtratum, intimo animi ſenſu, pietateque inſigni recepit. - - Summo mane, decimo octavo eiusdem, Imperator Miniſtros univerſos, deinde Nuntium Apoſtolicum, tum Suffraganeum *Wiennenſem*, ad ſe vocari iuſſit. Hora vero ſecunda pomeridiana in cubili ſuo, proximeque lectum, adeſſe voluit Archiduciſſam, MARIAM ANNAM, quo eidem ultimam paternam ſuam precationem, ſeu benedictionem impertiret. Eandem deinde Magnus Dux *Etruriæ*, ac *Lotharingiæ* Princeps CAROLUS, receperunt, cumque Magna Duciſſa, hodieque feliciter regnans Auguſta, MARIA THERESIA, præ triſtitia, & mœrore, lecto decumberet, Imperator verſus cubile eius, quatenus idem perageret, ſeſe convertens, Magnum etiam Ducem eo adire, dicereque iuſſit, ſeſe memoriam ipſius, etiam in ultimis conſtitutum, habere, eidemque modo beneprecari. Ac reipſa, ſeſe continuo mortem oppetiturum credebat. Paullo poſt vas illud, quo cor ſuum condi voluit, ſibi adferri iuſſum, curioſe examinans propius, diutiusque inſpexit, tum vero præſentibus Comitibus de *Sintzendorff*, & de *Starenberg*, ac Barone de *Bartenſtein* modum pompæ funebris præſcripſit, eandemque litteris ad formam codicilli conſignatam, obſignatamque, D. Baroni de *Bartenſtein* tradi præcepit. - - Forte animadvertens, CAROLUM, *Lotharingiæ* Principem, lacrymas continere haud poſſe: *Ne fleas*, inquit, *amplius, rogo; revera tamen bonum amicum perdis.* - - Febri deinde multo, quam ante, maiori vi ſæviente, eidem ſacrum extremæ luctæ oleum ſubminiſtratum eſt. Eo recepto, ad D. Baronem de *Seileren*, perpetua apud eum gratia valentem, converſus, ait: *Ecquid! ad magnum iter accinctus ſum, quod mihi adhuc plurimi conſtabit, tuque brevi me ſequeris.*

LXIII. Et revera Imperator cum reliquum diei, tum magnam partem noctis, cum corporis infirmitate, afflictioneque, cumque angoribus, mortem præcedentibus, etiam atque etiam conflictabatur. Sub veſperum, antequam mente deſtitueretur, Imperatrici dicit: ſe ſe ab illa diu noctuque haud deſeri. *Ah Chariſſima*, ait, *me haud quaquam derelinquis.* Nonnullo vero interpoſito intervallo, materiam quandam nigram ex ore, iuxta atque naſo effudit, ſequentibus pluribus deliquiis, frequentique mentis alienatione. Tandem CAROLUS VI. a mente diſcedens omnino, triſtique in hoc ſtatu ad horam uſque poſt medium noctis fere ſecundam permanens, animam DEO manus inter Imperatricis reddidit. Moritur.

LXIV. Princeps hæc omni virtutum genere ornata, cum moleſtias, Eidem Imperatrix ipſa

oculos claudit.

leſtias, doloresque, ex violento chariſſimi mariti morbo omni momento conceptos, animo vere magno ſufferret, eo etiam conſtantiæ, ac firmitatis progreſſa eſt, ut eidem oculos ipſa clauderet, manumque defuncti, lacrymis irrigatam, exoſcularetur, ac denique ad lectum in genua procubens, preces ad DEUM effunderet. Verum extemplo in animi defectum, diu durantem, incidens, in cubile ſuum deferenda fuit.

CAROLI VI. in extremis conſtituti, animi fortitudo, & conſtantia.

LXV. Imperator totius huius ſupremi morbi tempore cum ingenti pietate profundiſſimam erga Divini Numinis providentiam, & voluntatem, ſubmiſſionem oſtendit. Nemo non ab eius patientia, animique firmitate exemplum ſumpſit. Quin ſupra allegata verba, Medicis dicta, etiam ſubridendo protulit. Nemo, cui eundem ægrotantem adeundi gratia fiebat, ſine conſolatione diſcedebat, affirmantes etiam, nullum unquam ſe vidiſſe Principem, qui in hoc ſtatu conſtitutus, accedentes ad ſe homines gratioſius excepiſſet.

Cauſſa mortis, ſolemneque lectiſternium.

LXVI. Corpore Cæſaris eodem adhuc die, ut idem pergit LANDIUS, aperto, concava iecoris pars inflammata cernebatur; unde ardores illi, doloresque ſtomachi. In veſicula fellea, uti & in lobo iecinoris nonnulli lapilli reperti, indurato etiam liene. Inteſtina, inflammationi proxima, illæſa erant. Corpus, e veſtigio aromatibus conditum, poſtridie e palatio *Favoritano*, in urbanum, caſtrum, ſeu *Burgum* Imperiale, quod vocant, translatum, ibique in conclavi equeſtri ſolemni lectiſternio impoſitum eſt. *Hiſpanorum* more veſtitum, pallioque nigri coloris cum galero in capite, poſitoque ad latus gladio, indutum erat. Addebantur coronæ, aliaque ſupremæ dignitatis inſignia. Lectiſternium panno aureo argenteoque exornatum, magnoque cereorum funalium, argenteis candelabris impoſitorum, numero circumdatum, ad pedes vero imago Servatoris, cruci affixi, repoſitum erat. Ad latus vero vas argenteo-inauratum, cor, & linguam Cæſaris, nec non & aliud cupreum conſiſtebat, cerebrum, oculos, & viſcera eiusdem continens, de quibus loco, ſæpius citato ſermo recurret. Ad funus Imperatoris quatuor cubicularii Cæſarei, totidemque inferioris ordinis, necnon eiusdem numeri Religioſi Patres *Auguſtiniani Diſcalceati* excubabant. Populo autem Imperatorem ſuum extremum videre cupiente, portis palatii recluſis, cuique facultas data eſt, Principi ſuo ultimum exhibendi officium.

Pompæ funebris deſcriptio.

LXVII. Die XXIV. *Octobr.* ſub ſeptimam, octavamque horam ſerotinam funus e palatio urbano in eccleſiam *RR. PP. Auguſtinianorum* delatum eſt, indeque ad *RR. PP. Capucinos* fori novi. Sandapilæ cupreæ includebatur, ſuperinducta alia lignea. Initium pompæ pauperes noſochomiorum faciebant. Sequebantur Religioſi, monachique diverſorum Ordinum. His ſuccedebant viri, mune-

re

re quodam aulico fungentes, ac Magiſtratus urbis, ſinguli manu ceream tenentes candelam, tum Nobilitas, ac cubicularii a clavi aurea, Conſilium ſtatus publici, chorus muſicus Imperatorius, Collegium Canonicorum ad D. STEPHANI, duodecim Prælati, ornatu Pontificali nigro induti, Rector, & Decani Univerſitatis, Equites aurei velleris, torque Ordinis ſolemni amicti, quatuor Epiſcopi, cum S. R. E. Purpurato Archiepiſcopo *Vindobonenſi*. - - Denique feretrum ipſum, a quatuor, & viginti ſenioribus aurei velleris Equitibus geſtatum, pannoque nigro, auro intexto, obductum, inſignibus Imperialibus, cum imagine Servatoris, e cruce pendentis, ornatum. Retro illud Magnus Dux *Etruriæ* inter binos alios aurei velleris Equites incedebat, tum vero binæ Sereniſſimæ Archiduciſſæ, Imperatoris filiæ, Gynœceum aulicum, Miniſtrorum ſtatus publici coniuges, ut & illæ Equitum aurei velleris, aliæque ex primariis urbis matronæ, veſtimentis, luctum maximum indicantibus, indutæ, cerasque manu tenentes. Omnis hæc ampliſſima pompa inter binos ordines cohortis prætoriæ in foro novo ante eccleſiam *Capucinorum* ſtructæ, procedebat. Ubi ad dictam eccleſiam ventum fuit, portæ, veteri more, clauſæ erant; cumque intromitti rogabatur, quæſitum intus eſt: *quis adeſſet?* datoque reſponſo, *adeſſe Imperatorem* CAROLUM VI. *qui ibi requiem ſuam elegerit*, -- portæ apertæ ſunt, octoque *Quardiani*, ſeu Superiores *Capucinorum* cum urbani, tum e vicinis monaſteriis evocati, corpus recipientes, ſolitis cum ceremoniis in eccleſiam deportarunt. Tum vero in cryptam hanc deſcenſum, illudque verſo ad altare capite, e regione, ut diximus, ſarcophagi Imperatoris IOSEPHI I. locatum eſt. Quo peracto, tota pompa eodem ordine palatium repetiit, cum non niſi poſt horam noctis nonam finem acciperet. Hæc de funere CAROLI VI. diffuſe quidem, ſed tamen commode, ut putamus, referenda fuerunt; cum ut de pompæ funebris ratione, quæ plerumque, paucis, pro ratione temporis, & circumſtantiarum, mutatis, eadem eſt, conſtaret, tum ut (ſiquidem brevitatis cauſſa ubique id fieri nequit) exequias ſaltem Imperatoris unius, illiusque optimi, maximi, deſcriptas daremus. Ceterum parentatum eidem eſt non ſolum in *Auſtria*, regnisque, ac provinciis eius hereditariis, ſed & in omnibus, ut par erat, celebrioribus Imperii civitatibus. Qua occaſione & orationes funebres habitæ ſunt plurimæ, poſitæque, ubi cenotaphia erigebantur, inſcriptiones non paucæ, quæ ſingula hic locum habere nequeunt.

MARIÆ CAROLINÆ, FRANCISCI & M. THERESIÆ, Impp. Augg. filiæ capulus.

LXVIII. Ultimo loco commemoranda hic venit MARIA CAROLINA ERNESTINA ANTONIA IOANNA IOSEPHA, FRANCISCI I. & MARIÆ THERESIÆ Impp. Augg. filia, quæ, ut ſoror eius, MARIA ELISABETHA AMALIA, avum maternum moriendo præceſſit, ita hæc non longo intervallo ſubſecuta eſt. Mundum ingrediebatur an. 1740. *Ianuar.* XII. mane media hora nona, eundemque XXV. *Ian.* anni inſequentis, hora ante meridiem circi-

circiter undecima dereliquit. Poſtridie eius diei, poſt peractam pollincturam, defuncta Princeps in priori veſtibulo, quod cum œco æſtivo proxime adhæret theatro aulico, dramatis muſicis deſtinato, ſolemni lectiſternio impoſita eſt. Tribus illud gradibus conſtructum erat, quorum bini inferiores holoſerico rubro, leriisque aureis, quale etiam ſupra ſuſpenſum aulæum erat, ſummus autem gradus, in quo funus iacuerat, textili argenteo, limbis argenteis fimbriato, obductus erat. Ex eodem quoque panno confectum ſtroma ſubiectum, & veſtis, qua corpuſculum indutum. Circa illud variæ magnitudinis candelabra argentea, cum ceris ardentibus, conſiſtebant. Ad pedes, in imo gradu ſpecioſæ magnitudinis crux argentea, media inter amulam, & vaſculum, quo cor claudebatur, argenteum, in ſecundo autem gradu vas æneum cum inteſtinis, de quibus ſuo loco acturi ſumus. Tribus continuo diebus ita expoſitam frequens populus Principem viſendi cauſſa aderat. Tandem XXVIII. prædicti menſis ſub ſerum diei loculus, mortuum continens corpuſculum, ad *RR. PP. Capucinos* in communi crypta deponendum tanslatum fuit, adiecta hac inſcriptione:

SERENISSIMA ARCHIDUCISSA
MARIA CAROLINA ERNESTINA ANTONIA
IOANNA IOSEPHA,
FILIA SERENISSIMÆ MARIÆ THERESIÆ,
HUNGARIÆ ET BOEMIÆ REGINÆ,
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ &c.
ET SUÆ REGIÆ CELSIT.
FRANCISCI STEPHANI,
MAGNI DUCIS HETRURIÆ AC DUCIS
LOTHARINGIÆ,
NATA MDCCXL. IAN. XII.
DEMORTUA MDCCXLI. IAN. XXV.

Hæc loculo ligneo inſcripta ſunt: alteram inſcriptionem ſtanneo inſculptam cap. ſeq. V. demus.

CAPUT V.

EIUSDEM CRYPTÆ DESCRIPTIO, UT AB AUGUSTISSMA IMPERATRICE, MARIA THERESIA, RESTAURATA, ET AMPLIATA, HODIE SESE, RECEPTIS ETIAM NOVIS FUNERIBUS, CONSPICIENDAM PRÆBET.

§. I.

Dicenda. Expenſa priori capite Cæſarea crypta funebri apud *RR. PP. Capucinos* in novo foro *Vindobonenſes*, prout ad annum uſque 1740. & 41. intuentium oculis ſeſe offerebat: reliquum eſt, ut & eius faciem novam, ut ab Auguſtiſſima Imp. Maria Theresia reſtituta, & ampliata fuit, Lectorum oculis ſubiiciamus.

mus. Huius autem operæ occaſio duplex fuit; imprimis Auguſtæ pietas, quæ, ut omnium pectora longe, lateque imbuit, ita & erga defunctos non minus inſignis eſt: deinde etiam, quam mors invida intulit, neceſſitas; quod creſcente interim funerum numero, vetus hæc crypta, iisdem recipiendis iam minus idonea, novo opere proferenda fuit. Itaque duo admodum hic nobis præſtanda erunt: primum, ut quas illa mutationes accepit, ſuis indicemus locis, deinde, ut Auguſta funera, a dicto tempore ibidem depoſita, ordine ſuo recenſeamus.

II. Imprimis igitur hic occurrit ſarcophagus ſtanneus ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ, LEOPOLDI M. Imp. uxoris tertiæ, cuius ligneum, cum inſcriptione, qua ſe *indignam peccatricem* nominat, cap. præcedenti §. XXXIX. exhibuimus. Hunc cum Auguſtiſſima Domina noſtra, MARIA THERESIA, cryptam hanc an. 1745. *Martii* XIX. primitus inviſens, animadverteret, ex circumſtantibus *RR. PP. Capucinis* quæritare cœpit, ecquisnam hic reconditus eſſet? Illis vero reſpondentibus, eſſe aviam ipſius, ELEONORAM MAGDALENAM, quæ eam ſibi domum ligneam vivens fieri iuſſiſſet: continuo in mandatis dedit, ut arca lignea inſimul & ſtannea obduceretur, adiiciendo: Auguſtam Domum *Auſtriacam* nondum eo indigentiæ deveniſſe, ut ne monumentum, tanta Principe dignum, ſtatuere poſſet. Id quod etiam executioni, ut par erat, mandatum eſt; cum non multo antea, i. e. an. 1742. veteri, ac prima arca lignea vitium faciente, nova, eaque illi, quam loco citato dedimus, per omnia ſimilis, ſuffecta fuiſſet. Longitudo huius ſolii, in baſi marmorea dorſis quatuor aquilarum impoſiti, pedes ſeptem, pollices totidem adæquat, latitudo, iuxta ac altitudo pedes tres, in operculo imago Servatoris, cruci ſuffixi, iacet, ſub quo ſcutum cum hac inſcriptione:

ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ Imp. ſarcophagus, novo opere reſtitutus. TAB. LXXXIV. Num. 2.

DIVAE.
ELEONORAE.
MAGDALENAE. THERESIAE.
PALATINAE.
MAGNI. LEOPOLDI. PRIMI. CONIUGI.
IOS. ET. CAR. QUANTORUM. CAESARUM. MATRI.
ANNO. PIETATIS. NOSTRAE. MDCLV. VI. IAN. CHRISTIANAE. SPEI. INITIATAE.
ANNO. MDCCXX. XIX. IAN. IMMORTALI. GLORIA. CORONATAE.
QUAE. DEUM. IN. OMNIBUS. IN. DEO. OMNIA. QUAESIVIT.
ET. SUPREMIS. TABULIS. PECCATRIX. ET. DICI. ET. HABERI. VOLUIT.
O. HUMILITAS. QUAE. NEC. POST. MORTEM. DEFICIT.
AVIAE. SUAE. COLENDISSIMAE.
MARIA. THERESIA. AUGUSTA.
AUGUSTARUM. PIENTISSIMAE. IN. UNO. HOC. MINUS. OBSEQUENS.
QUOS. MODESTE. RECUSAVIT. SUPREMITATIS. HONORES. SACRAT.
VOX. POPULI. BEATAM. PRAEDICAT.

In utroque latere calvaria velata, atque hinc inde duo aquilarum capita, annulos geſtatorios orbiculatos ore ferentes, conſpiciuntur.

Tab. LXXXIV. Ad pedes, in duorum angulorum extremitatibus, hinc corona Cæſareo-Regia, inde galerus Archiducalis repoſiti ſunt, inque inferiori latere duo ſcuta, cum aquila utrinque bicipti expanſa, quarum altera pectore inſignia *Palatina*, altera vero *Hungariæ* & *Bohemiæ*, ac in medio *Auſtriæ*, & *Burgundiæ* teſſeras præfert.

Itemque Mariæ Elisabethæ, eius filiæ. Num. 28. III. Qui num. 28. notatus eſt loculus, Mariæ Elisabethæ, Leopoldi *Magni* filiæ, ac Caroli VI. ſororis, *Tyrolis* primum, tum vero *Belgii* per annos ſedecim Gubernatricis, reliquias complectitur, fœminæ omnium conſenſu ſapientiſſimæ. Vitam adiit, ut mox recitandum epitaphium habet, *Lincii*, in Superiori *Auſtria*, a XIII. *Dec.* 1680. a) illamque cœlibem, & illibatam, ductam, XXVI. *Aug.* an. 1741. in arce *Mariemontenſi* in *Hannonia* poſuit. Corpus eius *Bruxellis* ad ſummam ædem, SS. Michaeli, & Gudulæ ſacram, in plumbeo ſarcophago pone Isabellæ Claræ Eugeniæ, & Alberti Archiducum oſſa reconditum fuit, teſte auctore vitæ eius. b) Optaverat quidem, immo teſtamento caverat, ut *Vindobonam* deportata, in ipſa hac crypta conderetur, ſed huic deſiderio, per erumpentia mox undique bella, ſatisfieri tum nequiit. Voti tamen poſt bellorum turbines compos facta eſt, hucque iuſſu Auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ, Mariæ Theresiæ, delata, ſplendido, ut hic videmus, loculo quieſcit. Porrigitur is in longitudinem pedes ſex, ſeptemque pollices, latitudinem pedes duos cum digitis ſenis, ac altitudinem pedes omnino tres, baſique marmoreæ, ut ceteri, inſiſtit. Supra in operculo ad caput pileus Archiducalis, pulvino impoſitus, tum ſcutum, faſciam *Auſtriacam* præferens, floribus, frondibusque marginatum, ſupra pallium Archiducale iacent. In latere poſteriori ſequens inſcriptio legitur:

CINERES.
M. ELISABETHAE. ARCHID. A.
AETERNI. NOMINIS. CAESARUM.
NEPTIS. FILIAE. SORORIS.
BELGAR. MODERATRICIS. SAPIENTISS.
AN. MDCLXXX. XIII. DEC. LENTIIS. AUSTRIACOR.
NATAE.
AN. MDCCXLI. XXVI. AUG. MARIMONTII.
IN. HANNONIA. DENATAE.

Nomina Principis integra hæc ſunt: Maria Elisabetha Lucia Iosepha Theresia Antonia, teſte libro baptiſmali.

Nec non Mariæ, Magdalenæ. Num. 30. IV. Eiusdem magnitudinis eſt capulus ſequens, reliquias Mariæ Magdalenæ, iisdem parentibus enatæ, complectens, ac de cetero, quoad ornatum, cum illo matris conveniens: ad pedes tamen ſolus galerus Archiducalis, ut par eſt, conſiſtit, ut & in latere

a) Sæpe cit. Mullerus in Commentar. aulico, aliaque ſcheda genethliaca id media ſeptima nocturna accidiſſe teſtantur.

b) Qui eſt P. *Franciſcus* Wagner S. I. *Viennæ Auſtr.* 1745.

re infimo ſola faſcia *Auſtriaca*, pulchre marginata, cernitur. Titulus funereus ſic ſonat: TAB. LXXXIV.

MONUMENTUM.
MARIAE MAGDALENAE.
ARCHIDUCIS.
D. LEOP. M. FIL.
AN. MDCLXXXIX. XXVI. MART. IN. LUCEM. SUSCEPTAE.
AN. MDCCXLIII. I. MAII. COELO. RECEPTAE.
VIRTUTEM. POSTERI. IMITANTOR.

Congruunt cum hac epocha monumenta eius temporis. Sunt præterea ſchedæ Genethliacæ duæ, eiusdem, ut videtur, temporis, in manibus, quorum altera id inter horam VIII. & IX. altera diſtinctius tertio quadrante ad nonam, utraque vero in palatio urbano, *Burgum* quod vocant, eveniſſe teſtatur. Hæc Princeps ab anno 1725. *Tyrolim* gubernans, haud ſecus, ac ſoror eius illibatum virginitatis florem ad extremum uſque ſpiritum conſervavit. Nomina eius univerſa hæc erant: MARIA MAGDALENA IOSEPHA ANTONIA GABRIELA. In hac tabula duæ quoque urnæ comparent, auguſta corda, AMALIÆ ſcilicet WILHELMINÆ, Imperatoris IOSEPHI I. viduæ, & MARIÆ ANNÆ, *Luſitaniæ* Reginæ, concludentes, de quibus pariter volumine ſeq. De AMALIA plura dicendi locus erit infra cap. VII. ubi de eius ſepultura: de MARIA ANNA, cum opportunior occaſio alibi haud recurret, hic ea, quæ de morte eius nobis in comperto ſunt, proferemus.

V. MARIA ANNA vero, quæ & IOSEPHA ANTONIA, Regina ex LEOPOLDI I. & ELEONORÆ ſancto illo coniugio digna ſoboles, ac virtute Auguſtis parentibus ſimillima, quoad vixit, IOANNI V. *Portugalliæ* Regi an. 1708. nuptui data, ea animorum coniunctione, quæ in parentibus toto orbe celebratiſſima erat, cum marito conſtanter fuit, vidua vero, traditis filio regni gubernaculis, quæ ipſa poſterioribus annis vitæ mariti, dexterrime tenuit, iam liberius ac tota ſtudiis pietatis virtutumque chriſtianarum dedita, primi temporis de ea iudicium aliis quotidie aliisque inuſitatæ virtutis exemplis auxit, ut obſervata per annos ſex & quadraginta tanta vitæ morumque æquabilitate paſſim Regina ſancta, & altera *Luſitaniæ* ELISABETHA diceretur, teſte vitæ eius auctore. MARIÆ ANNÆ *Portugalliæ* Reginæ fata.

VI. Morbi ſupremi, mortisque cauſſa, moleſtus capitis-dolor erat, ex ſuppreſſione ſanguinis, qui ſe aliquot iam per annos hæmorhoidali fluxu leniter exoneravit, exortus. Eo tamen fluxu Medicorum induſtria in *Bellemenſi* palatio, quo ſe Regina, ſalubrioris auræ cauſſa, contulerat, redeunte, capitisque dolore, ſpiſſo ſanguine ſe ſe tenuante, mitigato, tota Aula in gaudium ac gratulationem effuſa eſt, mox tamen in lamenta, & planctum abitura. Cum enim, ut ait laudatus biographus, concitatior iam ſanguis exitum ſemel reperiſſet, verſo in perniciem remedio, deſtilla- Morbi genus, mortisque circumſtantiæ,

tione tam crebra, ac vehementi, tantam contraxit Regina virium debilitatem, ut vigeſima tertia die *Iulii* anni 1754. codicillum teſtamento, longe antea a ſe condito, adiiceret, & lecto ſe committendam putaret. Nihil deinde prætermittens, quæ ſibi ad extremam luctam neceſſaria, ac opportuna videbantur, in pervigilio, ut ſæpe ante prædixerat, Aſſumptæ Virginis, animam ſanctiſſime, ut vixerat, Creatori reddidit, poſt mediam quintam veſpertinam, in dicto *Bellemenſi* palatio.

Ac ſepultura Reginæ.

VII. Illo itaque eodem adhuc die, ut idem RITTERUS proſequitur, cor præſente ſuprema Aulæ Præfecta, & cubiculariis, ea cautione exſectum, nihil ut reliqui corporis pateret. Lotæ ſubinde cum facie manus, caputque uſitata Reginæ viduæ calantica, corpus reliquum ſericea cinericii coloris veſte, qualis fere Religioſis S. FRANCISCI Virginibus in uſu eſt, coopertum, indita manibus cruce cum roſario, in lecto collocatum, dum poſtridie auguſtiori in ſuggeſtu cum corona Regia, ad ſupremum accurrentis populi ſolatium, & venerationem, in vicina Palatii Aula proponeretur. Omnia ibi ex more acta: accenſa ibi numeroſa luminaria, & inter alternantes Religioſorum Ordinum choros, ſibi ordine ſuccedentes, Divina pſalmodia celebrata. Sub Veſperum corpus Reginæ iam mortuali in loculo compoſitum. Regia, ſed lugubri magnificentia, in urbem devectum eſt, & *Carmelitis* Patribus *Germanis* (quibus ipſa nempe ex *Auſtria* potiſſimum deductis, ut ſuæ nationi ſacro cum in vita, tum in morte ſolatio eſſent, Domum *Ulyſſiponæ* conſtituit, ac dotavit) ex ultima Reginæ voluntate traditum. Suſceptum ab iis ſolemni honore, & ad latus ſiniſtrum aræ maioris, una cum corde, ſeparato in capulo, ſolemnibus ceremoniis interim depoſitum, dum ſacelli, honoribus S. IOANNIS *Nepomuceni* Martyris dicati, ſtructura, ubi perpetuo deinceps quieſceret, abſolveretur.

Itemque Epitaphium.

VIII. Additum ſubinde eſt epitaphium, quod apud RITTERUM haud reperiundum, a clar. D. de SCHWANDNER, ſtudiorum noſtrorum fautore humaniſſimo bona fortuna nobis ſubmiſſum, hic ut apponamus, inſtituti noſtri ratio poſcit.

OSSA ET CINERES
(TRISTES HUMANÆ MORTALITATIS EXUVIÆ)
SERENISSIMÆ PRINCIPIS
ATQUE AUSTRIÆ ARCHIDUCIS
MARIÆ ANNÆ IOSEPHÆ
ANTONIÆ REGINÆ,
PORTUGALLIÆ ET ALGARBIÆ
PER IOANNEM HUIUS NOMINIS QUINTUM
REGINÆ
HIC
SITA SUNT

PRÆCE-

PRÆCEDENTIUM OMNIUM REGINARUM
PRIMA
OB PRÆSTANTISSIMA IN ECCLESIAM MERITA
FIDELISSIMÆ NOMEN
A SANCTA SEDE APOSTOLICA
OBTINUIT.
NOSOCOMIORUM, DUM VIXIT, REDITUS
LARGISSIME AUXIT:
CARMELITARUM DISCALCEATORUM
COENOBIUM UTI ET ECCLESIAM
A FUNDAMENTIS EXSTRUXIT
MUNIFICENTISSIMEQUE DOTAVIT
PIISSIME, UT A TENERIS VIXERAT, MORIENS
SINCERISSIMAS TOTIUS REGNI LACHRYMAS
EXCITAVIT
OBIIT XIV. AUGUSTI MDCCLIV.
REQUIESCAT IN PACE.

IX. Nihil hic de ortus eius tempore, bene vero illa, in urna cordis eius legenda inſcriptio ſeptimum prodit *Sept.* anno 1683. MÜLLERUS in *Commentar. Aul.* horam ſimul quintam matutinam, locumque *Lincium* obſervat, cum alia ſcheda Genethliaca, ex Archivo in *Aſparn* educta, cui hac in parte magis fidimus, locum quidem eundem, at horam ſextam aſſignet; ut adeo annos vitæ unum & ſeptuaginta, minus diebus XXIII. vixerit. Exequiæ, urgente Rege, ut idem biographus pergit, apparatiſſimis honoribus, & ſumptuoſis cenotaphiis, per omnia urbis templa, ſumma magnificentia celebratæ ſunt: diſtributa in pauperes largiſſima eleemoſyna, ſacrorum maximus numerus, & Reginæ defunctæ voluntate, & Fideliſſimi Regis pia liberalitate in dies proximos indictus: quod pietatis in defunctam Reginam officium ad omnes ſubinde, non *Luſitaniæ* modo, ſed *Braſiliæ* etiam, & *Indiæ* Eccleſias, propagatum eſt. Nec minore ſplendore *Madriti*, & alibi in *Hiſpania* Rex Catholicus, & Sereniſſima Regina, defunctæ Reginæ matri parentarunt. Eundem honorem MARIA quoque THERESIA, Imperatrix Auguſta, & Regina, Sereniſſimæ amitæ ſuæ habuit, erecto *Wiennæ* in templo Aulico magnifici operis cenotaphio, iuſtisque funebribus regio plane apparatu peractis. Ac ætas.

X. Redeunt hic funera duo, chariſſima, ac deſideratiſſima Auguſtæ Dominæ noſtræ pignora, in ipſo fere vitæ aditu orbi ſurrepta, cœlo adſcripta, de quibus capite præcedenti §. LVI. & LXVII. potiora occupavimus. Hic igitur non niſi ſtanneas arcas funebres duas, ſibi ex aſſe ſimiles, baſibus marmoreis impoſitas, ac nova, eaque eleganti admodum & concinna forma elaboratas, conſpiciendas præbemus. Longitudo earum quinque cum dimidio pedes, latitudo pedes tres, cum digitis duobus, altitudo pedes Mariæ Theresiæ Imp. Aug. filiæ duæ Tab. LXXXV.

Tab. LXXXV. des quatuor, pollices decem exæquat. Adiectæ quoque ſunt inſcriptiones novæ, ornatiſſimis clypeis inſcriptæ, quarum altera num. Num. 24. 24. ſignata, breviter hæc verba continet:

†
Monumentum
MARIAE ELISABETHAE
FRANCISCI ET THERESIAE
Auguſtorum
Primogenitae Deſideratiſſimae.
Natae Non. Febr. MDCCXXXVII.
Denatae Eid. Iun. MDCCXL.

Num. 26. Altera hunc in modum proloquitur:

†
D. O. M.
Hoc conditur Monumento
MARIA CAROLINA;
FRANC. ET THER. AUGG.
Filia
Vindobonae in Palatio
Nata XII. Jan. MDCCXL.
Denata XXV. Jan. MDCCXLI.
Hanc tantum oſtendunt fata.

Itemque & tertia Anonyma cum inſcriptione. Lit. p.

XI. Pone has arcas loculus conſiſtit, ante hac in crypta minori hac ipſa ſub lit. p. depoſitus, galea Archiducali ſupra operculum pulvino impoſita, nec non eleganti ſcuto decoratus. Longus eſt pedes tres, digitos ſeptem, & ſemis, pedem unum cum quatuor digitis latus, altus vero pedem unum, pollices quatuor. In ea Principis Archiduciſſæ, an. 1748. *Septembris* XVIII. ab Auguſta Domina noſtra editæ, inque ipſo nixu parturientis ſacro regenerationis lavacro renatæ, tenera clauduntur oſſa. Plura inſcriptæ litteræ explicant:

SUBTRAHATUR. AB. OCULIS. CRUDUM.
ET. ACERBUM. FUNUS.
FILIAE. PRINCIPIS. ANONYMAE.
AN. MDCCXLVIII. IN. NIXU: PARTURIENTIS. REGENERATAE.
TORRENTEM. PERTRANSIVIT. ANIMA. MATRIS. AUGUSTAE.
AD. LACRUMAS. HEU. RELICTAE. NULLUM.
QUAERENTIS. SOLATIUM. IN. DEFUNCTAE. PROLIS OBLIVIONE.
SED. POTIUS. IN. IPSA. HUMANAE. SORTIS. ET. MORTIS.
RECORDATIONE. NOVIT. DOMINUS. DIES.
IMMACULATORUM. ET. HEREDITAS.
EORUM. IN. AETERNUM.
EST.

XII. Ve-

XII. Verum diverſa ab hac, eaque haud paullo decentior, nunc legitur inſcriptio ſub translationem certe in novum, de quo capite ſequenti, mortuorum ſacellum, ubi loculi huius ſitus modernus lit. R. reperiundus, ſubſtituta. Quare priorem interiecto tempore deletam fuiſſe auguramur. Eſt autem huius ſententiæ: Cui dein alia eſt ſubſtituta. TAB. LXXXV.

HAEC. URNA. TEGIT.
OSSA.
D. AUSTRIAE. ARCHIDUCIS.
FRANC. I. ET. MAR. THERES.
AUGG. FILIAE.
QUAE.
DUM. PARIENTIS. AUG. MATRIS.
DOLORES.
VIX. NATA. SUA. MORTE.
CUMULAVIT.
IN. IPSO. LUCIS. EXORDIO.
EXTINCTA.
PER. SALUTARES. UNDAS.
VIVERE. COELO.
COEPIT.
AN. MDCCXLVIII.
XV. CAL. OCTOBR.

Eandem etiam ſæpiuſcule excitatus P. ADIUTUS num. XLV. profert, Principi vero nomen CAROLINÆ tribuit, quale ei ab obſtetrice baptizante inditum fuiſſe, ex aliorum relatione ſe habere, per litteras nos edocuit: fatetur tamen in iis, ſecurius, ſed impreſſo iam opere, a R. D. Parocho aulico percepiſſe, eandem Anonymam eſſe. Unde igitur certiora hauſerit, ut in alio exemplari, cui ſequiora etiam epitaphia acceſſerunt, nomen CHRISTINÆ, ope ichtyocollæ, ſubſtitueret, nos equidem fugit. Laborum noſtrorum fautores noviſſime certos nos reddiderunt, neutrum horum in arca hodie legendum eſſe.

XIII. In Altera huius tabulæ ſectione ſolium MARIÆ ANNÆ ELEONORÆ WILHELMINÆ IOSEPHÆ, Auguſtiſſimæ M. THERESIÆ ſororis, æri inciſum damus. Nata erat *Vindobonæ* an. 1718. die XIV. *Septembris*. Anno 1744. die VII. *Ian.* CAROLO, *Lotharingiæ* & *Barri* Duci matrimonio, regia magnificentia ibidem iuncta, ac *Belgii Auſtriaci* Gubernatrix conſtituta, *prid. Non. Octobr.* infelici partu, quem vivum edere nequibat, viribus paullatim ita deſtituta eſt, ut XVI. *Decembris* anno eodem *Bruxellis* ante horam duodecimam meridianam ad cœleſtem patriam ingenti omnium luctu, & deſiderio abiret, ut hæc ſingula ſequentes inſcriptiones docent. Mors, ac ætas MARIÆ ANNÆ, CAROLI VI. Imp. filiæ.

Eiusdemque ſepultura temporaria una cum epitaphio. Tab. LXXXV. a

XIV. Corpus in maiori palatii aula triduo ſolemni in lectiſternio propoſitum, ac XXI. *Dec.* ſtanneo in ſarcophago, quatuor ſeris munito, regia pompa in eccleſia ibidem primaria SS. MICHAELIS & GUDULÆ ſepulcro ALBERTI, & ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ illatum fuit. a) Dicto ſarcophago hæc verba inſcripta erant:

HIC IACET RECONDITUM AUSTRIACÆ GENTIS ET GENERIS HUMANI DECUS, REGIA HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ PRINCEPS, ARCHIDUX AUSTRIÆ, MARIA ANNA, D. CAROLI VI. ROMANORUM IMPERATORIS FILIA, MARIÆ THERESIÆ, HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGINÆ SOROR, CAROLO ALEXANDRO LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCI NUPTA, BELGII AUSTRIACI GUBERNATRIX. QUÆ NATA VINDOBONÆ DIE XIV. SEPT. A. M. D. CC. XVIII. VIXIT AD ÆTATEM PARUM, AD GLORIAM SATIS. ET DEFUNCTA BRUXELLIS DIE XVI. DECEMBR. A. M. D. CC. XXXXIV. MORTALES OMNES IN SUMMO SUI RELIQUIT DESIDERIO.

Vindobonam transfertur. Num. 31.

XV. Verum hæc ſepultura temporaria tantum fuit. Nam, Auguſtiſſima ſorore iubente, corpus cum corde, & inteſtinis, de quibus ſuis locis, *Vindobonam* translata ſunt, in Augg. parentum ſuorum dormitoriis deponenda. Loculum eius, prout hodie in communi hac crypta conſpicitur exhibemus. Non differt eius nec forma, nec magnitudo ab illo, quem tabula præcedenti num. 28. dedimus, niſi quod hic ſupra pallium bina ſcuta repoſita ſint, quorum alterum faſciam *Auſtriacam*, alterum inſignia *Lotharingica* repræſentat. Inſcriptio, in imo tumbæ latere legenda, ſic habet:

MEMORIA. NUNQUAM. MORITURA.
DIVAE.
MARIAE. ANNAE.
ARCHID. ET. HISPANIAR. INF.
BELGARUM. GUBERNATRICIS.
AUSPICATISSIMAE.
AN. MDCCXVIII. XIV. SEPT. EDITAE.
CAR. LOTH. D. REG. IMPERATORIS.
FRATRI. UNICO. DESPONSATAE.
EODEM. AN. MDCCXLIV. XVI. DEC.
PUBLICAE. SPEI. EREPTAE.

Unacum infelici eius partu. Lit. o.

XVI. Pro pedibus huius Principis alia arcula conſiſtit, lit. o. diſtincta, ac illi, quam paullo ante ſub lit. p. recenſuimus, exteriori forma per omnia ſimilis, quanquam magnitudine non nihil inferior. Contenta eius appoſita inſcriptio his verbis exponit.

INFANDUM,
RENOVAT. DOLOREM.
HAEC. TUMBA. ET. UMBRA.
FILIAE.
AN. MDCCXLIV. IPSO. IN. OCTA. AD. GRATIAM. ILLUMINATIONIS. EXORTAE.
ANNA. AUGUSTAE. SOROR. QUAM. NATAE. VITAM. DARE. NON. POTUIT.
IPSA.

a) Conf. vit. MARIÆ THERESIÆ Imp. Aug. vernacula edit. P. IV. p. 42. ſeq.

IPSA. INFELIX. MATER. EXIGUO. POST. INTERVALLO. AMISIT.
COGITA O HOMO HUIUS VITAE CALAMITATEM
ET COPIOSAM NIMIS ALTERIUS
FELICITATEM.

Attamen etiam hanc epigraphen poſt translatam in novam cryptam arculam, ibique lit. Q. quærendam, immutatam fuiſſe, ex ſequenti patet, huius tenoris:

HAEC. TUMBA.
CLAUDIT.
OSSA. FILIAE. CAROLI. DE. LOTHARINGIA.
BELGII. AUSTR. GUBERNATORIS.
CUI. MATER.
MARIA. ANNA. ARCHID. AUSTRIAE.
AUGUSTAE. SOROR.
VITAM. DARE. POTUIT.
ENITI. IN. LUCEM. NON. POTUIT.
POSUIT. VITAM. MORTALEM. IN. UTERO. MATRIS.
PRIUS. SACRO. FONTE.
REGENERATA.
AD. IMMORTALEM.
BRUXELLIS.
AN. M. DCC. XLIV. PRID. NON. OCTOBR.

Solium Caroli VI. Imp. funebre, novis acceſſionibus decoratum. Tab. LXXXVI.

XVII. Pietati Auguſtiſſimæ Imperatricis, ac Reginæ MARIÆ THERESIÆ, haud ſatis erat, funus Auguſtiſſimi patris iam tum an. 1742. ut diximus, inſigni, ac tanta maieſtate digno, cohoneſtaſſe ſarcophago, quin ſuſcepta eiusdem, de qua mox acturi ſumus, reſtauratione, eundem novis ad decorem ornamentis, atque acceſſionibus in auguſtiorem adhuc formam redigi curaret. Longe itaque alia quam tabula LXXXIII. vidimus, hic comparet facie, ita quidem, ut non, niſi figuræ, ſummo in operculo viſendæ, remanerent. Longitudo eius pedibus novem, digitis octo porrigitur, latitudo pedibus quatuor, digitis ſex, altitudo pedes decem. Tota moles, dorſa quatuor leonum premens, baſi ex rubeſcente marmore inſiſtit. Superne figura muliebris, veſte, & velo lugubri induta, *Auſtriam*, ut ex impreſſo pectori ſcutulo apparet, indigitans, dextra, unacum beatæ æternitatis, ſeu conſecrationis, ſtellæ figura expreſſæ, ſymbolo clypeum, in quo caput Imperatoris laureatum ad pectus cum lorica apparet, ſiniſtra vero tædam inverſam, & extinctam, tenet. Ex altera parte genius, modice inclinatus, dextra globum terreſtrem, nubibus circumfuſum, Cæſaris nempe ſymbolum, contingit, ſiniſtra eandem illius imaginem ſuſtinere conatur. Operculum pallio Archiducali obtectum, hinc pileum Archiducalem, ſceptrum & enſem, cum dependente torque aurei velleris, inde pomum imperii, ac ſceptrum, manu humana vaſtigiatum cum lauri ramo, ſingula pulvinis impoſita, ſuſtentat. In dextro ſolii latere amplum

Tab. LXXXVI. ſcutum, frondibus floribusque marginatum, felix Caroli prælium, ad *Cæſar-Auguſtam* anno 1710. commiſſum, repræſentat, ſine tamen ulla inſcriptione, id quod ex adverſa parte eodem modo repetitur. Sub eodem utrinque aquila biceps expanſa conſiſtit, falculis ſceptrum & gladium decuſſatos continens. Quatuor in angulis totidem modicæ magnitudinis ſcuta, additis vexillis, affixa ſunt, teſſeras *Romani* Imperii, regnorum *Hiſpaniæ*, ſeu potius *Caſtiliæ*, *Hungariæ* & *Bohemiæ* præferentia, quibus ſuperne quatuor item calvariæ velatæ, eorundemque regnorum coronis redimitæ, reſpondent. In parte orientali iuxta ac occidentali ſarcophagi ſingula ſcuta obſervantur, quibus inſcriptiones, a nobis ſupra §. LVII. iam allatæ, inſculptæ ſunt.

Elisabethæ Christinæ Imp. Aug. capulus, N. 32. XVIII. Eiusdem fere formæ, magnitudinis certe eiusdem eſt ſolium Elisabethæ Christinæ, Caroli VI. coniugis, anno præſentis ſeculi quinquageſimo orbi, ac Auguſtæ imprimis filiæ, eam immenſo deſiderio proſequenti, ereptæ. Tota moles, baſi marmoreæ impoſita, aquilarum quaternioni incumbit, quas inter in medio ex utraque parte ſingulæ Calvariæ laureatæ, ac lauri palmæque ramis decuſſatis, ſuppedaneoque ornatiſſimo impoſitæ ſunt. Operculo pallio Archiducali operto, figura muliebris alata & velata inſidens, protomen Imperatricis viduæ velatam, iuvante ex adverſa parte genio, ſupra nubes extollit, ſuperpoſita ſtella, beatæ æternitatis ſymbolo. Hinc vero in parte pallii anteriori coronæ *Cæſarea*, & *Hiſpanica* unacum ſceptro, inde in poſteriori *Hungarica* & *Bohemica* iacent. Medium tumbæ latus occupat iter Imperatricis, *Barcellonam* an. 1708. ſuſceptum ex adverſa parte repetitum. Quatuor anguli, encarpis pulchræ ornati, totidem figuras muliebres velatas pectoretenus efformatas oſtendunt, & in latere tam orientali, quam occidentali ſingula ſcuta ſunt, quorum priori hæc epigraphe inſculpta :

Cum inſcriptione: XIX.

PIETATI. ET. PERPETUITATI.
DIVAE.
ELISABETHAE. CHRISTINAE.
VIRTUTIS. ET. SAPIENTIAE. GLORIA.
COMMEMORANDAE.
AN. MDCXCI. XXVIII. AUG. IN. VITAM. INGRESSAE.
AN. MDCCVIII. I. AUG. CAROLO.
BARCINONE. FELICI. CONNUBIO. IUNCTAE.
AN. MDCCXI. XII. OCTOB. IMPERII. QUO. NULLUM. EST.
SACRATIUS. HONORIFICENTIA. EXALTATAE.
AN. MDCCXIV. X. OCT. APOSTOLICI.
INSIGNIBUS. REGNI. GLORIFICATAE.
AN. MDCCXXIII. VIII. SEP. SACRA. UNCTIONE. PRAGAE.
SANCTIFICATAE.
AN. MDCCL. XXI. DEC. MORTE. NON.

CON-

CONSUMATÆ. SED. CONSUMMATÆ.
AETERNA. ENIM. FELICITAS.
SPEI. CHRISTIANÆ. FINIS.
EST.

Tab. LXXXVI.

Altera, insignium virtutum eius compendium, his verbis prosequitur:

HAEC. ITAQ. COELESTI. VIRTUTE. FEMINA.
NATURAE. FORTUNAE. GRATIAE. DONIS.
IPSAQUE. ORIS. CORPORISQ. GRAVI. MAIESTATE.
SUSPICIENDA.
SUB. EXPEDITIONE. HISPANICA.
COMES. LABORUM. SOLLICITUDINUM. CURARUM.
IN. SUMMO. FASTIGIO. REGIO.
PRIVATORUM. SORTEM. EXPERTA. EST.
LUSTRATIS. TERRA. MARIQ. FINIBUS.
IN. GERMANIAM. REDUX.
OPT. OPTATISS. Q. OPTIMATUM. CIVIUM. PAUPERUM.
MATER.
NON. RARO. ABSTERSIT. ILLORUM. LACRUMAS.
QUORUM. OCULOS. NON. VIDIT.
DESIDERIO. TRANSMUNDANI. ILLIUS. IMPERII.
ACCENSA.
TEMPORIS. ET. NATURAE. MISERIAS. FORTITER.
TULIT.
ATQUE. INAUDITA. SE.
IPSAM. CONSTANTIA. VICIT.
EDITISQ. ILLUSTRIBUS. EXEMPLIS.
ADHUC. IN. SEPULCHRO.
VIVIT.

Mortis circumstantiæ, ultimique honores, ac sepultura.

XX. Summa hæc orbis Princeps iam inde ab obitu coniugis variis cum languoribus conflictata, eos tamen Divinæ gratiæ præsidio, tum vero ipsius naturæ habitu identidem etiam superarat. At anno 1750. cum ingruente paullatim brumali tempore pededentim sese peius habuisset, sanguinisque detractio necquicquam adhibita fuisset, iter tandem ad cœlum XXI. *Decembris*, ad quod se magna in DEUM fiducia, diu multumque præparaverat, ingressa est, cum vixisset annos LIX. mensesque quatuor, minus diebus septem. Hæc tantæ Imperatricis iactura, cum neminem adeo afflixisset, ac ipsam Augustissimam filiam, MARIAM THERESIAM, hæc sane nihil eorum omisit, quæ suum incredibilem erga defunctam matrem amorem, ac reverentiam testarentur. Corpus itaque exenteratum, ac aromatibus pro more conditum, tum vero nigro damasceno indutum, postridie eius diei in anteriori defunctæ procœtio, nigris pannis, ut cetera conclavia obducto, solemni in lectisternio, tribus gradibus elato, ac innumeris ceris circumfuso, publice propositum est. Ad pedes imago CHRISTI cruci affixi argentea, & utrinque

Tab. LXXXVI. ad latera coronæ, quibus vivens decorata erat, duobus nigris, opere Phrygio, auro exornatis pulvinis impoſitæ cernebantur, & a dextris quidem Cæſarea, cum pomo & ſceptro, & ad ſiniſtram tres reliquæ, paullo ſupra a nobis indicatæ. Non longe inde a pedibus cor, ac inteſtina conſiſtebant, de quibus nos volumine altero ſingillatim agemus, adductis etiam inſcriptionibus. Ad idem lectiſternium hinc duæ matronæ aulicæ, duæque minoris ordinis cubiculariæ, inde duo Domini cubicularii maioris, duoque inferioris ordinis, nec non unus ſacellanus aulicus, quatuorque ex *RR. PP. Auguſtinianis* excalceatis Palatinis, militesque prætoriani ex ordine excucabant, populo item Cæſareum funus ultimum videre cupiente, magnaque frequentia ultimum officium exhibente. Denique XXIV. *Dec.* corde & inteſtinis, de quibus, ut diximus, alibi ſermo erit, ſuis in locis, conſuetis cum ceremoniis ad requiem datis, corpus arcæ, interius rubro, exterius vero nigro holoſerico obductæ impoſitum, ſolemni, ac magnifica; lugubri tamen pompa in templum primo Palatinum: deinde vero in cryptam, qua de hic agimus, Cæſaream, conſuetis cum ceremoniis delatum eſt, ipſa etiam S. C. Maieſtate FRANCISCO I. ac ſereniſſima CAROLINA, ſorore, funus comitantibus. Exequiæ deinde XVII. *Ianuarii*, duobusque ſequentibus, erecta etiam in eodem templo Palatino ſumptuoſa, multisque, ac elegantibus inſcriptionibus exornata mole funebri, præſente Aula Cæſarea, multisque Eccleſiæ Prælatis, habitæ ſunt.

CAPUT VI.

SACELLUM FUNEBRE AB AUG. IMPERATRICE SIBI SUISQUE POSTERIS, PROSAPIÆ AUSTRIACO-LOTHARINGICÆ, EXCITATUM, EXPLICATUR.

§. I.

Sacellum funebre novum.

Accedimus iam ad ſacellum funebre novum, Auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ MARIÆ THERESIÆ iuſſu, & auctoritate cryptæ, quam huc uſque contemplati ſumus, adiectum. Eius ichnographiam, ob ſpatii opportunitatem, tabula LXXXVIII. ſect. I. exhibemus, illamque, ob auctum interim funerum Augg. numerum, tabula XCIII. repetendam duximus, ut loculi cuiuscunque ſitus lectorum oculis pateat. Operi initium anno 1753. *Martii* die 1. datum, anno inſequenti abſolutum eſt. Itaque retro aram cryptæ veteris, perrupto muro, arcus maior cum duobus ad ſingula latera minoribus exſtructi ſunt, ferreisque clatris bene muniti. Ille ingreſſum ad cryptam præbet, reliqui ornatus cauſſa additi. Longitudo ab oriente ad occidentem ſolem quadraginta quatuor, latitudo a meridie ad ſeptentrionem triginta duos, altitudo pedes *Vindobonenſes* triginta octo continet. Quatuor ampli fornices opus cameratum conficiunt. Pilæ parietinæ, ac proiecturæ marmor imitantur rubrum. Architectonica has inter columnas

lumnas ornamenta in udo picta ſunt. Lorica, ſeu corona marmor pariter mentitur, lapidibus fertoriis auro obductis. Quatuor maiores, totidemque in arcubus quadratæ formæ feneſtræ, cum duobus minoribus, ad extrema latera poſitis, lumen admittunt, quemadmodum totidem ovatæ formæ concamerationem, viſionem EZECHIELIS Prophetæ, cap. XXXVII. a verſu 1. ad 10. in udo pictam, repræſentantem illuſtrant.

II. In medio ſacelli inſigne prorſus ac magnificum mauſoleum ex ſtanno exquiſita arte confectum, oculos in ſe rapit ingredientium. MARIÆ THERESIÆ, Auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ, hoc opus eſt, quæ ſummo in ſupremi honoris dignitatisque faſtigio poſita, affluentia rerum omnium, ac pace, victis, & ad æquitatem compulſis tot hoſtibus, fruens altiſſima, in ipſo flore ætatis, funebrem hanc domum ſibi, coniugique chariſſimo conſtrui voluit, exemplum præbens præſentibus, relinquens poſteris, neminem regnare felicius, quam qui mortalitatis, atque adeo futurorum iugiter memor, omnia ſua ad iuſtitiam & clementiam exigat, componatque. Tota moles baſi incumbit marmoreæ. Altitudo eius ab ima baſi uſque ad verticem capitis ſuperadſtantis genii decem & tres, longitudo decem, latitudo autem pedes omnino ſenos complet. Operimentum periſtromate, floribus veriegato conſtratum eſt. Ambæ Maieſtates capitibus laureatis, & adverſis, ac de cetero veterum *Romanorum* more veſtitæ, pulvino pulchre prætexto inſidentes, ſceptrum in communis, ut videtur, regiminis ſignum, ſingulis dextris comprehendunt, Imperatore inſuper ſiniſtra ſceptrum Imperii tenente, Imperatrice autem gladium tangente demiſſum. Retro illos genius nubibus inſiſtit, dextra beatæ corollam æternitatis, ſiniſtra tubam *Famæ* lauro circumvolutam continet. Ad ſingulos angulos ſingulæ figuræ muliebres velatæ lugentes conſident, quatuor coronas cum ſuis inſignibus geſtantes, totidemque regna indicantes, *Romanum* ſcilicet, *Hungaricum*, *Bohemicum*, & *Hieroſolymitanum*, quanquam hac in orientali facie non niſi duæ ultimæ cum ſuis coronis conſpicuæ ſint, integra tamen appariturae, cum partem mauſolei meridionalem, ac ſeptentrionalem adducemus. Medio has inter figuras loco ſcutum cernitur peramplum, frondibus floribusque marginatum, exercitum *Auſtriacum* anno 1744. Duce CAROLO *Lotharingico Rhenum* traiicientem opere anaclyptico repræſentans. Subtus calvaries cernitur velata, corona Cæſareo-domeſtica redimita, ac gladio lauri, ſceptroque palmæ ramo circumdatis, & indecuſſim colligatis incumbens.

Ubi FRANCISCI I. & MARIÆ THERESIÆ Impp. Augg. mauſoleum ſtanneum. TAB. LXXXVII. Pars orient.

III. Occidentalis facies nubes, quibus dictus genius pede dextro inſiſtit, ut & ſceptrum Imperatoris, diſtinctius oſtendit. Ad utrumque latus duæ iterum mulieres, Imperii *Romani*, regnique *Hungarici* typi, lugubri ſpecie ſedent, & in imo tabulæ calvaries ſup-

Pars occidentalis cum inſcriptionibus. TAB. LXXXVIII.

Tab. LXXXVIII. ſuppedaneo, ornamentis diſtincto, impoſita apparet. In medio huius lateris duo clypei, quorum alter corona Cæſarea faſtigiatus pileo Archiducali, alter, totidem inſcriptiones, ſcalpro inciſas, præferunt, quarum illa, quæ a dextris eſt, has litteras offert:

VIRTUS. SEPULCHRUM. CONDIT. ET. PIETAS. IPSA. PARENTAT.
DIVO. ET. AUGUSTO. FRANCISCO. LOTHARINGICO.
PATRI. PATRIÆ. PIO. MAGNANIMO. INCLYTO.
HUMANI. GENERIS. DELICIIS. ET. DESIDERIO.
ANNO. CHRISTI. IESU. M. DCCVIII. VIII. DEC. HOC. SIDUS. IN. DECUS. SUÆ. GENTIS. EXORTUM.
ANNO. M. DCCXXXVI. XII. FEB. FORMOSUM. SECULI. SPECIMEN. PULCHERRIMÆ. DATUM.
ANNO. M. DCCXLV. XIII. SEP. DIVINUS. ILLE. PRINCEPS. DEO. ET. IMPERIO. ELECTUS.
ET. IV. OCTOB. QUI DIVO FRANCISCO. PERPETUO. CHRISTI. MIRACULO. DICATUS.
CUM. SUMMA. OMNIUM. ORDINUM. EXULTATIONE. SANCTE. AUGUSTEQ. INAUGURATUS.
PRISCORUM. GLORIAS. ET. MAGNALIA. CÆSARUM. SUPERGRESSUS. EST.
ITA. GERMANORUM. TITUS. FRANCISCUS. AUG. OPT. MAX.
SAPIENTIA. MAGNANIMITATE. CLEMENTIA. CETERISQ. VIRTUTIBUS. REGIIS.
HEROICIS. CHRISTIANIS. INCLYTISSIMUS.
IN. AUGUSTAM. CONIUGEM. NATOS. QUE. SUAVISSIMOS.
ADFECTU. ANIMI. FUIT. TENERRIMO. ET. PIENTISSIMO.
QUI. VINDICANDIS. EORUM. IURIBUS. IMPERATOR. ITER.
SANGUINEM. ET. VITAM. BELLI. PERICULIS. OBIECIT.
AN. M. DCC. --- OMNIUM. CORONA. VIRTUTUM. DIADEMA. PULVERIBUS. INVOLVIT.
A. MODO. UTRIUSQ. GAUDIUM. HIEROSOLYMÆ.
IN. ANIMIS. HOMINUM. IN. ÆTERNITATE. TEMPORUM.
FAMAQ. RERUM. TRIUMPHAT.
ET. ADHUC. SPES. DURAT. AVORUM.

Itemque ſecunda. IV. Altera, a ſiniſtris poſita, hunc in modum proloquitur:

HIC. AUGUSTO. CUM. CONIUGE. QUIESCIT.
MARIA. THERESIA. IMPERATR. REGINA. IUSTA. CLEM.
D. CAROLI. VI. AUG. AUSTR. ET. ELISABETHÆ. BRUNSWIC. FIL.
BONO. REIPUBL. NATA. M. DCC. XVII. XIII. MAI.
FRANCISCO. LOTHARINGO. AUG. FELICISS. NUPTA. M. DCCXXXVI.
SANCTUM. CONIUGII. AMOREM. AD. SEPULCHRUM. USQUE.
PULCHRO. CHRISTIAN. PRINCIPUM. EXEMPLO. EUNDEM. SERVAVIT.
CUI. FRUCTUS. DULCISSIMOS. DEUS. IMPERTIIT.
SOBOLEM. NUMEROSAM. VENUSTISS. PARENTIBUS. SIMILLIMAM.
APOSTOLICAM. HUNGARIÆ. CORONAM. M. DCCXLI. XXV. IUN. POSONII.
BOHEMICAM. PRAGÆ. RECEPIT. M. DCCXLIII. XII. MAI.
SOLA. FERE. SED. DEO. NIXA. PIETATE. ET. CONSTANTIA.
PATERNA. REGNA. CONTRA. HOSTES POTENTISS. ADSERUIT.
ROM. IMPERII. MAIESTATEM. DOMUI. SUÆ. RESTITUIT.
HUIUS. PROVIDENTISSIMÆ. PRINCIPIS. SAPIENTIÆ.
DEBET. PATRIA. RELIGIONEM. FIRMATAM. ORNATAM. QUE.
DISCIPLINAM. MILIT. ET. BONARUM. ARTIUM. CULTURAM.
TRIBUTORUM. ÆQUITATEM. ET. COMMERC. COMMODA. INSTAUR.
APERTAS. NOBILI. IUVENTUTI. VIRTUTIS. ET. SCIENT. PALEST.
TRANQUILITATEM. VIRTUTUM. QUE. OMN. EXEMPLA. DEBET. ORBIS.
PIE. UT. VIXIT. OBIIT. AN. M. DCC. - - DIE. - -
CUI. OPTIMORUM. MERITORUM. REQUIES. REPOSITA. EST. IN. DEO.

Francisci I. Imp. mors. V. Ortus hic, non item obitus epocham, legimus, quæ utinam! a nobis iam non ſupplenda foret. Annus erat huius ſeculi ſexageſimus quintus, cum ſummi orbis Principes *Oenipontum* in *Tyro-*

Tyroli ſeſe conferrent, nuptias regiæ Celſitudinis PETRI LEOPOLDI Archiducis, filii ſui ac *magni Etruriæ* Ducis deſignati, cum MARIA LUDOVICA, *Hiſpaniæ* Infante, ineundas, auguſtiores reddituri. Iter illinc, die quarta *Iulii*, finito in templo metropolitano *Viennæ*, cui intererant, ſacro, acceptaque benedictione, comitantibus Cæſareas Maieſtates, & fratrem ſponſum, IOSEPHO Rege *Romanorum*, MARIA ANNA, & MARIA CHRISTINA Archidd. mane hora quinta arreptum, protegente Altiſſimo confectum eſt quinta decima dicti menſis. Mittimus ſolemnitates, quibus Auguſtiſſimi cum in tranſitu, tum *Oeniponti*, ubi præparatoria iam menſe *Maio* certatim adornari cœperunt, excepti ſunt: neque de nuptiis, imperatoria magnificentia V. *Auguſti* celebratis, ſermo nobis eſt. Occaſus ſolummodo Monarchæ, qui epitalamia in tragœdias repente convertit, curas noſtras exigit. Fruebatur Cæſar, quamdiu *Oeniponti* agebat, ſoſpitate, ipſo etiam obitus die in publico adhuc convivabatur, ac ad ſerum drama muſicum frequentabat. Ibi demum circa decimam infirmari corpus perſentiſcens, dum cubile petit, ſubito apoplexia ſuccidit, & poſt pauca minuta in complexu Regis *Romanorum*, qui ſolus Auguſtum patrem inſecutus eſt, exſpiravit. Laudanda non minus erat Regis, funeſto hoc in caſu, conſtantia, quam admiranda Imperatricis viduæ magnanimitas, exemplum incomparabilis virtutis, in proſperis attolli, in adverſis ultra modum deprimi, neſciæ.

VI. Corpus Cæſaris exanime in ſubucula lecto impoſitum, operitorioque ad pectus tectum, tota nocte, dieque ſequenti remanſit. Poſt meridiem alterius diei, XX. nimirum *Auguſti*, exenteratum, ac pollinctum eſt in eodem cubili. Ex viſceribus præſentes iudicabant medici: Imperatorem, etſi hac vice ſanguinis emiſſione, fruſtra tamen iam applicata, reſtitutus forte fuiſſet, ad duos tamen menſes vitam producere haud potuiſſe. Sequenti viceſima prima, mane hora quarta funus Cæſareum, habitu *Hiſpanico* palliato, flavi coloris, indutum, cum capillamento & pileo in capite, manibusque chirothecis albis inductis, alto rerum omnium ſilentio, in œcum maiorem, cui a gigantibus nomen, pannis nigris undique obtectum, appenſis ad parietes clypeis imperialibus, immiſſo duntaxat per duas feneſtras parvas rotundas lumine, deportatum, ibique ſuper ſolium funereum, quatuor gradibus elatum, ac tela nigra, auro intertexta, obductum, ſub aulæo holoſerico nigro, omnium oculis, excepta Imperatrice vidua, cum Auguſta familia, ordinante ſic Neo-Imperatore IOSEPHO II. abeſſe ſuaſa, expoſitum eſt, circumſtantibus plurimis candelabris argenteis cera alba ardentibus. Ad latera poſita erant pulvinaria holoſerico-nigra tria, auro ſegmentata. Priori incumbebant coronæ duæ imperiales, in medio a dextris adſtabat corona *Hieroſolymitana* cum torque aurei velleris, locatis a ſiniſtris inſigniis ordinum, *Toſcanici* & militaris MARIÆ THERESIÆ. Tertio impoſiti erant a dextris enſis & globus imperii, e regione ſceptrum cum pileo Ducali, intra quæ hinc

Lectus funebris *Oeniponti.*

inde gladius & arundo absque pulvinaribus iacebant. Ad caput, inter quatuor candelabra argentea, insignis magnitudinis signum CHRISTI, de cruce pendentis, itidem argenteum, prope pedibus vas lustrale magnum, eiusdem metalli stabant, insignia de cetero omnia, ex tempore, ligno inaurato fabrefacta fuerant. Super erecta ad parietes quatuor altaria sequentibus tribus, quibus cadaver Cæsaris expositum erat, diebus, ab hora quarta, usque ad primam post meridiem, sacra fiebant, quod singulis etiam diebus faciebant Eminent. Cardinalis & Archiep. *Wiennensis*, ac Episcopus *Frisingensis*, quique magno numero aderant Abbates, & reliqui altioris ordinis Sacerdotes.

Augustum funus, per aquas vectam,

VII. Noctu vicesimi secundi eiusdem mensis cadaver Cæsaris, vestibus denuo exutum, ac panno serico flavo implicitum, arcæ piceæ, interius panno damasceno, flavi itidem coloris, exornatæ, exterius vero fuscis coloribus oblinitæ, impositum est, superaddito memorato habitu *Hispanico*. Capulo demum alteri nuceo, octo globis ex orichalco inauratis nixo, sexque eiusdem metalli manubriis, ac tribus seris pensilibus munito, inclusum, traditis Comiti ab ULFELD, supremo aulæ præfecto clavibus, priori lectisternio denuo impositum ad serum usque diei sequentis permansit. Præparatis interim ad devehendum funus omnibus, sarcophagus hora octava, facta prius a parocho civitatis, cum suis assistentibus, benedictione, a quatuor consulibus & senatoribus arctioris consilii ad rhedam, sex equis iunctam, sine cantu, silentibus etiam campanis, ne dolor afflictæ Imperatricis viduæ augeatur, deportatum, ac inde comitantibus duobus Camerariis, totidemque sacellanis aulicis, ac sex nobilium excubiarum *Germanicæ*, *Hungaricæque*, unacum cohorte levis armaturæ Principis a LÖWENSTEIN, *Halam* deductus, ibique a magistratu receptus, ac præsente, omniaque ordinante Neo-Imperatore, navi impositus est, postero die, vicesimo scilicet quarto, navibus portu solutis, secundo amne, summo in silentio *Vindobonam* devehendus, inhibita etiam, præmisso anabasio, consueta alias, ut ne transitus Cæsaris alicubi patefieret, pompa funebri.

Wiennam appulit, ibique publice iterum exponitur.

VIII. Die subin vicesimo octavo *Augusti* hora sub noctem decima *Vindobonam* in suburbium, *Rossau* dictum, ventum est; Summus aulæ Camerarius, aliique primæ nobilitatis, & ministeriales bene multi funus Cæsareum ibi exceperunt. Camerarii, adiuvantibus eos cubiculariis, sandapilam de navi levarunt, eamque, velamine ex panno nigro, auro picto, obtectam, ad feretrum, duobus mulis, panno nigro tectis, iiunctum, deportarunt, eisque impositam summo silentio, nullis etiam accensis facibus, cum accurreret nihilominus, quæ demortui Monarchæ adventum expectabat, numerosa populi multitudo, comitabantur. Foras civitatem per portam, cui a Burgo nomen, ad aulam trahitur, ubi sarcophagus ab

iisdem

iisdem Camerariis feretro depoſitus, in œcum equeſtrem deportatus, parato ſolemni lectiſternio, quatuor gradibus erecto, circumpoſitis plurimis candelabris cera alba ardentibus, ſub aulæo holoſerico nigro depoſitus eſt. Tumbam circumdabant ſex pulvinaria, ex textili aureo nigricante confecta, cum inſigniis Cæſareis, ac coronis domeſticis. A dextris ſita erat urna argentea cum corde, cui opponebatur alterum vas æneum cum inteſtinis, de quibus ſingulari loco alibi. Pro pedibus in ſecundo gradu collocatum erat ſignum crucis argenteum, cum ſimilis metalli amula. Facta dein a parocho aulæ benedictione, preces pro defuncti anima ad DEUM fundi cœperunt, alternatis ſubinde horis a cubiculariis, ac matronis utriusque ordinis, ſacellanis aulicis, & viris religioſis, diu noctuque continuandæ.

IX. Poſtero, & ſequentibus duobus diebus, mane ab hora ſexta, ad primam uſque miſſæ ſacrificia offerebantur, omnique populo, Cæſari ultimum obſequium, & reverentiam exhibituro, aditus patebat. Triceſima prima *Auguſti*, peracta iterum hora ſeptima veſpertina a memorato parocho benedictione, eaque ad gradus ſcalæ maioris ab Eminent. Cardinale, Archiep. *Wiennenſi*, repetita, capulus, velamento ex auro nigricante tectus, a quatuor & viginti Camerariis per porticum ad templum palatinum RR. PP. *Auguſtinianorum diſcalceat.* in tendiculis, inde vero ſuper humeros per plateas conſueta lugubri pompa ad eccleſiam RR. PP. *Capucinorum*, ab iisque debito honore receptus, in cryptam Cæſaream, comitante cum ſuis aſſiſtentibus Archiepiſcopo, & Miniſtris primariis, deportatus, magnifico huic, quo de hucusque ſermo fuit, ac amplius erit, monumento immiſſus eſt, loculo antea nunquam reſerato. Sepultura.

X. Prima ſequentis menſis *Septembris* die, in prædicto templo palatino, hora poſt veſperas ſexta ad erectum inibi ſumtuoſiſſimum, ac innumeris, variæ, ut ordo exigebat, magnitudinis, candelis cereis albis colluſtratum rogum, primæ celebrabantur vigiliæ, quas, præſente quotidie Aula Cæſarea, & univerſa nobilitate, diebus 2. 3. & 4. excipiebant ſolemnes exequiæ. Ordo *Thereſiano-militaris*, qui adventum Cæſarearum Maieſtatum expectabat, Imperatori defuncto, Magno, dum viveret, ordinis ſui Magiſtro, die octava *Septembris*, cum duabus ſequentibus, in dicta eccleſia magnifice parentavit. Hunc inſecutus eſt, in templo metropolitano, diebus 21. 22. & 23. eiusdem menſis, Magiſtratus *Vindobonenſis*. Et exequiæ *Viennæ*.

XI. Revecto per aquas *Viennam* cadavere Cæſareo, parentatum quoque Monarchæ *Oeniponti* eſt, facto in templo parochiali initio. Viceſima quinta *Auguſti*, hora a meridie quarta, ſine tamen peripetaſmate, ad tumbam etiam ordinariam, decantatæ ſunt vigiliæ, ſecutis poſtridie ſolemnibus exequiis. Univerſa nobilitas, Et *Oeniponti*, alibique locorum, celebratæ.

& omnium dicaſteriorum Præſidentes, Conſiliarii & Officiales in eccleſia, Cæſareæ autem Maieſtates, cum Auguſta familia, in occulto, ſingulis functionibus intererant. Prima *Septembris*, & ſequente, a Patribus aulicis, in templo ſuo, Imperatori iuſta pari modo fuere perſoluta, quibus præterea Auguſtiſſ. viduæ pietas iniunxit, ut Veſperas defunctorum, ac Matutinum, cum uno Nocturno, & Laudibus, a ſecunda dicti menſis, ad uſque VIII. *Decembris*, a quo tempore obligatio hæc in nobiles domicellas de quibus infra, tranſiit, ſingulis diebus, pro remedio animæ coniugis amantiſſimi, perſolvant. A reliquis quoque huius civitatis utriusque ſexus Religioſis, in ſacris ſuis ædibus, quorum ſolemnitates ſigillatim enumerare longum foret, menſe *Decembri* per turnum eſt parentatum: quod pariter, non ſolum per regna & provincias hereditarias, ſed & univerſum Romanum Imperium, decentiſſime factum fuiſſe, ſatis ſuperque conſtat. Principem vero ex his facile locum merentur exequiæ, quas Magnus ex tunc *Etruriæ* Dux, PETRUS LEOPOLDUS, Aug. parenti ſuo *Florentiæ*, in templo metropolitano, duodecimo *Novembris* adornavit, de quibus dixiſſe ſufficiat: caſtrum doloris, quod lugubre, proh dolor! erat regiminis auſpicium, centum & quadraginta hominum laborem per tres ſeptimanas exegiſſe.

Chronotaxis vitæ, & regiminis.

XII. Natus erat æternæ memoriæ Cæſar die. VIII. *Decembr.* MDCCVIII. patre LEOPOLDO IOSEPHO matre ELISABETHA CAROLINA, PHILIPPI I. *Aurelianenſis* Ducis, filia. Patri, die XXVII. *Martii* MDCCXXIX. vivis erepto, in *Lotharingiæ* & *Barri* Ducatus eodem anno ſucceſſit. Auguſtiſſimæ coniugi MARIÆ THERESIÆ, Divi CAROLI VI. Imp. filiæ, natu maximæ, ac omnium regnorum & provinciarum heredi, matrimonio iunctus eſt *Wiennæ* XII. *Febr.* MDCCXXXVI. Reſignatis poſtea die viceſima *Decembr.* eiusd. an. per pacis, Cæſarem inter, & Regem *Galliæ*, conditiones, STANISLAO, *Poloniæ* quondam Regi, terris avitis, Magnus Dux *Etruriæ* nono *Iulii* MDCCXXXVII. renuntiatus, & inauguratus fuit. Rex *Romanorum* unanimi voto decimo tertio *Septembris* MDCCXLV. *Francofurti* electus, die onomaſtico, quarto nimirum *Octobris*, in Imperatorem coronatus eſt. Obiit *Oeniponti* XVIII. *Auguſti* MDCCLXV. Vixit feliciter annos quinquaginta ſex, menſes octo, dies decem. Ducatum *Lotharingiæ* & *Barri* annis ſeptem cum menſibus novem, *Etruriæ* vero annis viginti octo geſſit. Moderatus eſt Imperium *Romano-Germanicum* glorioſe & feliciter per annos viginti, demptomenſe uno, cum diebus, a coronatione, ſedecim. Cæſar optimus, quem pietas in DEUM, ſumma in rempublicam cura, in ſubditos amor, iuſtitia, clementia, in litteras ac litteratos, æque ac artifices, liberalitas, immortalem reddunt.

Capella fundatur in loco

XIII. Imperatrix vidua, antequam *Oeniponte* diſcederet, quod ſequenti prima *Septembris* evenit, ſingulare in Auguſtum coniugem

gem pignus amoris reliquit. Cubile nempe, ex quo FRANCISCUS I. ad coronam cœleſtem evocatus fuerat, in capellam mutari, in eaque aram eo ipſo in loco, quo Divus Cæſar apoplexia primum deiectus (exemplum Aug. abaviæ, ELISABETHÆ, ALBERTI I. Imp. coniugis a) imitata) erigi, operasque ita maturari præcepit, ut proxime futuro IV. *Octobris*, defuncti Monarchæ onomaſtico, prima ſuper illam miſſa celebrari poſſit: quod & ſtatuto die per parochum civitatis factum, ac ſimul Breve Apoſtolicum, in auctario noſtro legendum, promulgatum fuit. Ara ex albo, nigroque marmore, ſcite polito, conſtructum eſt. Erectæ ſupra tabernaculum, recipiendo Sanctiſſimo deſtinatum, cruci, ſtatua, ex albabaſtro multa arte fabrefacta, adſidet B. V. MARIÆ *doloroſæ*, depoſitum e ligno ſalutis Servatorem gremio materno ſuſtinentis, ad cuius pedes paſſionis Dominicæ inſtrumenta iacent, ſtipantibus inter genios hinc inde latera ſimulacris ſeptem pedalibus, *Conſtantiæ* & *Fortitudinis*, ex alabaſtro pari arte formatis. Superne, Angelis circumdatus Pater cœleſtis, artificioſe imprimis adumbratus, cernitur, nubibus inſidens: caput dextera ſuffulcit, ſiniſtra globum terreſtrem attingit, ſupervolitante in columbæ ſpecie Spiritu Sancto. Pone altare ſuſpenſæ ſunt tabulæ duo ligneæ, nigri coloris, encarpis inauratis diſtinctæ, quibus litteris aureis inſcriptum eſt ſupra citatum Breve Apoſtolicum: ad cornu Evangelii exemplar Latinum, ex altera parte vernaculum. Retro altare, a ſiniſtris ianuæ, ad ſacrarium interius ducentis, ſex pedes humo excitatum eſt monumentum ex marmore nigrum, pedem unum, & decem pollices latum, altum vero pedem unum cum ſex & ſemis digitis, ac regulæ nuceæ, vernice tinctæ, auroque ad extremitates obductæ incluſum, quod triſtem occaſus Cæſaris memoriam, litteris cupreis inauratis, hunc in modum perennat: mortis *Oenipon-ti.* a

D. O. M.
MEMORIAE. AETERNAE. FATI. QVO.
PRINCEPS. OPTIMVS.
THRONI. DECVS.
POPVLI. DELICIVM.
FRANCISCVS. D. G. ROM. IMP. AVG.
GERM. ET. HIEROS. REX.
M. D. HETR. LOT. ET. BAR. DVX.
XVIII. AVG. MDCCLXV.
VITAE. HIC. LOCI. ET. NOBIS. EREPTVS.
MONVMENTVM. POSTERITATI. POSITVM.

Totum hoc opus circa finem *Iunii* 1766. perfectum, dieque X. *Iulii*. ab Epiſcopo *Brixinenſi*, in honorem Reginæ dolorum,

 ſolem-

a) Conf. ſupra cap. VI. Lib. II. pag. 132. ſeqq. ubi de fundatione monaſteriorum *Königsveldenſium* plura. Add. *Pinacothecæ* noſtræ P. II. Lib. I. cap. II. §. XI. p. 25.

ſolemni ritu dedicatum, ac ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, perpetuo inibi adorandum, dicto tabernaculo impoſitum fuit.

Adiuncto collegio nobilium domicellarum, itemque anniverſario perpetuo.

XIV. Ut autem ſacræ ædi huic maius accederet decus, atque maximi Cæſaris, FRANCISCI I. memoria, nunquam intermoritura per continua ſuffragia celebretur, Clementiſſima vidua præfatæ capellæ Cæſareæ collegium Laicale nobilium domicellarum adiunxit, quibus recipiendis ædificium peramplum, eiusdem cum palatio, cui contiguum eſt, altitudinis, deſtinatum fuit. Domicellarum numerus, Decaniſſa, & Subdecaniſſa una computatis, absque tamen Abbatiſſa, aliquando forte præficienda, duodenarius hodie eſt, quarum ſingularum præſentationem, ſicut hac vice factum eſt, Aug. Fundatrix ſibi ſoli, ſuisque ſucceſſoribus, Archiducibus, perpetuo reſervavit. Statutum eſt, ut ſuſcipiendæ annum ætatis quartum & viceſimum, eæ vero, quæ parentibus carent, decimum octavum ſaltem attigerint: tenuis quidem fortunæ, ſed ſpectatæ virtutis ſint, ſtemmaque tam paternum quam maternum, ad normam Equitum *Melitenſium*, cuius tamen diſpenſatio penes Auguſtiſſimam, & ſucceſſores eſt, producant. Obligantur ſingulæ duobus miſſæ ſacrificiis, ibidem fundatis, quotidie intereſſe, ac præter horas Canonicas, choraliter recitandas, ad ſerum cuiusque diei, circa horam nonam, Veſperas defunctorum, ac Matutinum, ex uno nocturno, & laudibus, ſingulis autem Dominicis integrum, in remedium animæ defuncti Cæſaris ſic perſolvere, ut tamen id, ſi Decaniſſa, aut, ea abſente, Subdecaniſſa, rationabilibus ex cauſſis diſpenſaret, a patribus aulicis, quibus ante hanc fundationem hoc incubuiſſe ſuperius diximus, elargito ex præbendis ſuis aliquo ſtipendio, ſuppleatur. Totius autem inſtituti rationem teſſera ipſa, quam in ſiniſtra pectoris parte, e ligamine albi nigrique coloris pendentem geſtant, conſervat. Nummus eſt ovatæ figuræ, encauſto albo pictus, ac auro circumfuſus, in cuius adverſa erectus ſuper collem in cruce CHRISTUS ſiſtitur. Pro pedibus duæ calvariæ, & e longinquo caſtellum comparent. In averſa litteræ initiales nominum Augg. FRANCISCI & MARIÆ THERESIÆ, decuſſatis lauri ramis incumbunt, ſupereminente corona Cæſarea. Subtus dies & annus obitus Imperatoris exprimuntur: XVIII. AVG.*uſti* MDCCLXV. In peripheria fundationis occaſio ſic legitur: M. THERESIA AVG.*uſta* IN MEMOR.*iam* SPONSI OPT.*imi* CAP.*itulum hoc* FVND.*avit*. Ut vero & introductio domicellarum ſingulare quid haberet, Aug. Fundatrix diem octavum *Decembris*, qui Monarcham ANNO MDCCVIII. orbi donavit, & ceremonias ipſa præſcripſit. Ceterum regio huic Collegio præeminentiæ, ex litteris fundationis in auctario noſtro ad. an. 1765. fuſius legendæ, tales annexæ ſunt, ut huic, tanquam Abbatiſſa, præeſſe, Regiæ etiam ex Aug. Domo *Auſtriaca* Principi decus ſit. Statuta religione plena ſunt. Hæc inſecutum eſt anniverſarium perpetuum, die XVIII. *Auguſti*, præmiſſis pridie vigiliis, in tem-

plo

plo aulico RR. PP. *Franciſcanorum* quot annis ſolemniter celebrandum: ad quod dictæ matronæ ex inſtituto, omnium præterea dicaſteriorum Præſidentes, Conſiliarii & Officiales, ac Nobilitas cum *Oenipontana*, tum vicina, Univerſitatis membra, & Magiſtratus *Oenipontanus*, invitati comparent. Litteras huius fundationis, *Viennæ* XXV. *Septembris* MDCCLXV. datas, ſingulasque functiones præfigentes, in ſupra dicto auctario pariter vulgamus.

XV. His itaque, mortem Cæſaris antecedentibus, & ſubſequentibus, ita recenſitis, ordo nunc exigit, ut *Viennenſis* mauſolei latera reliqua brevibus exponamus. Præſens igitur tabula num. LXXXIX. ſignata, faciem aquilonarem, ac inſimul gladium, quem Imperatrix, ut §. II. innuimus, ſiniſtra demittit, diſtinctius offert. Adſidentes in utroque angulo mulieres lugubres ſcuta regnorum *Bohemiæ*, & *Hungariæ*, integra pariter oſtendunt. In imo varii generis armaturæ, ſeu trophæa comparent, ad quorum utrumque latus tabulæ maiores, anaclyptico opere expreſſæ, viſuntur, ad Auguſtam noſtram ſpectantes. Prima peractam *Poſonii* die XXV. *Iunii*. an. MDCCXLI. coronationem *Hungaricam* ſiſtit: Actum ſolemnem, poſt coronationem in *Monte regio*, quem vocant, uſitatum, altera. Utrumque fuſe deſcribit Anonymus, a) in *vita Aug.* MARIÆ THERESIÆ, *Hung. & Boh. Reginæ*, quibus etiam hiſtoriæ noſtri ævi paſſim refertæ ſunt, iis, ut nos quidquam addamus, ſupervacaneum duximus.

Plaga mauſolei ſeptentrionalis, TAB. LXXXIX.

a

XVI. Reſtat auſtralis monumenti regio. In medio partis inferiori næ ſimiles armaturæ proponuntur, pone quas iterum utrinque anaglypha repræſentantur, Cæſarem concernentia. Illud, iuxta quod lugubris mulier ſcutum *Hieroſolymitanum* ſuſtentat, ſolemnem Monarchæ noſtri in *Florentiam*, primariam Magni Ducatus *Etruriæ* urbem, ingreſſum, die XX. *Ianuarii* MDCCXXXIX. adornatum, exhibet. Hunc Biographus eius, D. *Io. Frid.* SEYFART, b) unacum itinere, eiusque moleſtiis, ac impedimentis, data opera exponit. Alterum, pone quod mœrens figura muliebris cum clypeo *Romani* Imperii ſedet, conductum Cæſaris poſt coronationem, *Francofurti* die IV. *Octobr.* MDCCXLV. peractam, ad curiam ſenatoriam, *Rœmer* dictam, ob oculos ponit. Conſuetas huiusmodi actus magnifici ceremonias, in vulgus notas, ut repetamus, inſtituti noſtri non eſt.

Et meridionalis. TAB. XC.

b

XVII. Iam ad reliquos, auguſtum monumentum ambientes, loculos devolvimur. Illos, qui in ſuperioribus duobus huius ſacelli angulis ſub num. 24. & 26. conſiſtunt, cap. IV. §. LVI. & LXVII. iam deſcripſimus, eorumque memoria capite mox præced. §. V. adductis novis inſcriptionibus, recurrebat. De iis, ex crypta minori ubi primitus ſub litt. o. p. conſitæ erant, huc etiam dela-

CAROLI, A. A. ſarcophagus cum epitaphio. TAB. XCI. Lit. M.

a) Tom. I. edit. 1743. 8. pag. 287. ſeq.
b) Hiſt. vitæ, & regim. FRANC. I. Imp. *Norimb.* 1766. 8. pag. 116. & ante ipſum mox laudat. Anonym. loc. cit. pag. 124.

TAB. XCI. delatis, ac ad latus Cæſarei mauſolei intrantibus dextrum, ubi litt. Q. & R. quærendæ, depoſitis arculis anonymarum, FRANCISCI I. Imp. fratrisque CAROLI *Lothar.* Ducis, filiarum, quæ dicenda fuerant, præced. pariter cap. V. §. VI. ſeq. & XI. dedimus. Supereſt, ut Principum noſtrorum, qui Cæſarem cum patrem, tum avum & ſocerum, præcoci morte in hanc cryptam aut præceſſerunt, aut brevi ſecuti ſunt, funerea monumenta adumbremus. Occurrunt itaque tabula nonageſima prima ſandapilæ duæ, CAROLI nimirum, ac IOANNÆ, ſororis ſuæ, *Auſtriæ* Archidd. FRANCISCI I. & MARIÆ THERESIÆ Augg. liberorum. Prior, lit. M. notatus, oſſa continet CAROLI Archiducis. Baſi marmoreæ, duobus gradibus elatæ, ſuper quatuor aquilarum dorſa, inſiſtit. Longitudine pedes ſeptem cum dimidio pollice, latitudine duos, cum octo & ſemis digitis conficit, pedesque duos, dempto ſextante, in altum ſurgit. In medio ſuppedaneis, multa arte elaboratis, impoſita eſt a dextris obliqua Principis loricati ad pectus, capite nudo, dependente a collo aureo vellere, effigies, cum perigraphe: CAROLVS. ARCHIDVX. AVST. *riæ.* Huic a ſiniſtris reſpondet leo, dextra falcula globum premens, ſiniſtra migroſcopium, duobus ſerpentibus circumplicatum, extollit, cum lemmate: PRUDENTER. AC FORTITER. Ad utrumque latus quatuor animantium capita, annulos geſtatorios ore ferentia, comparent. Pone caput ſcutum *Auſtriacum* cernitur: pro pedibus autem ſequens inſcriptio legitur:

AMORI. ET. DOLORI.
SACRVM.
NON. TOTVS. HIC. SEPELITVR.
CAROLUS.
QVIS. ENIM. LOCVS. TANTVM. TALEMQ. CAPIET.
PRINCIPEM.
ANN. PVB. SAL. MDCCXLV. KAL. FEB.
IN. DECVS. SUAE. GENTIS. EXARSIT.
MDCCLXI. XV. K. FEB. SPIRITV. VERE. HEROICO.
FESTINAVIT. AD. GAVDIVM. QUOD. AVFERRI.
NON. POTERIT.
MORS. IPSA. DILECTIS. ET. ELECTIS. DOMINI.
SOMNVS. EST. REFRIGERII.

In operculo, ſuper periſtroma, roſis, ſtriisque variegatum, acinaces *Hungarica*, & virga prætoria, legionis pedeſtris præfecti inſignia, decuſſatim poſitæ: corolla laurea cinguntur. Ad caput in pulvinari, cirris ad extremitates ornato, torque aurei velleris circumdata apparet corona regia, ad cuius ſiniſtram ſuperbit galerus archiducalis hodiernus, priori longe pretioſior, ornatiorque, quo glorioſe nunc regnans Imperator, IOSEPHUS II. in ſolemni, ad electionem Regis *Romanorum*, *Francofurti* ingreſſu publice primum

mum uſus eſt. Cum autem is in plerisque loculis minus curate compareat, exactiorem adumbrationem præſenti tabulæ inſerendam duximus. Hoc capitis ornamentum ex holoſerico rubro confectum eſt, cum explicato operimento ex pellibus murinis Ponticis, in cuius circuitu corona aurea duodecim radiorum circumfertur. Arcus aureus pileo huic imminet, impoſito globo cum cruce ſubrecta. Singulorum radiorum extremitates adamantibus fimbriatæ, apices autem oblongis unionibus muniti ſunt. Ipſa corona quinque, easque alternas, unionum atque gemmarum ſeries habet. Circulus imminens aureus multis unionibus, & gemmis diſtinguitur, globus ipſe aureus quoque eſt, adamantibus cinctus. Impoſita crux itidem aurea unionibus, atque gemmis nitidiſſima. Tab. XCI.

XVIII. Natus eſt Archidux noſter die prima *Februarii* an. MDCCXLV. Supra excitatus Anonymus, a) horam etiam, nonam ſcilicet inter & decimam ante meridiem, addit, licet, errore typographico, contra epitaphii, mox recitati, & alius inſcriptionis, *Neoſtadii* poſitæ, quam ipſemet profert, b) fidem, diem ſequentem ſtatuat. Eodem, quo natus eſt die, ab Eminent. Nunt. Apoſt. Cardinale PAOLUCCIO, ſacro fonte regeneratus, nomina, CAROLUS IOSEPHUS EMANUEL IOANNES *Nepom.* ANTONIUS PROCOPIUS, eſt ſortitus. Compatres erant Regina *Poloniæ* (cuius vices Imperatrix vidua ELISABETHA, ſubibat) & CAROLUS, Dux *Lotharingiæ*. Menſe *Februario* an. MDCCLV. legioni pedeſtri Dux, ac III. *Octob.* eiusdem anni eques aurei velleris creatus, cum ætatis profectu ſumma quæque de ſe ſperare iubebat. Verum ſpes hæc diutina haud fuit. Sub initium namque *Ianuarii* MDCCLXI. variolis, morbo *Auſtriacis*, ut ſæpius vidimus, ampliusque ex ſequentibus patebit, admodum exitiali, laborare cœpit, a quibus tamen reſtitutus credebatur: ſed tertio decimo dicti menſis, redeunte graviori infirmitate, ſacris morientium ſacramentis muniri petiit. Arridebat denuo diebus ſequentibus nonnulla ſpes, quæ tamen iterum ſuffocata eſt decimo ſeptimo, Princepsque, viribus deſtitutus noctu ad diem ſequentem, uno poſt duodecimam quadrante, brevem vitæ metam tredecim, ante ſextum decimum ætatis annum, diebus complevit. Litterarum & Litteratorum fautor, & promotor, ſi ſupervixiſſet, præcipuus futurus, maximum omnibus ſui deſiderium reliquit. Dolorem, qui Augg. parentes affecerat, nummus, in triſtis huius occaſus memoriam cuſus, poſteritati conſervat. c) Nativitas & obitus Principis. a b c

XIX. Archiducem pſydraciis, inteſtina ſubito inflamantibus, occubuiſſe ſecto corpore patuit. Codaver poſtea exenteratum, ac pollinctum, veſte dein palliata amictum, ſequentis diei hora decima Ac ſepultura.

a) Vita Aug. MARIÆ THERESIÆ tom. IV. pag. 68.
b) Ibid. pag. 69.
c) D. *Ioh. Frid.* IOACHIM *Münzcabinet. Norimb.* 1761. 4. P. II. num. II. pag. 9. ſeqq.

Tab. XCI. ma ante meridiem in maiori palatii eccleſia, ſub aulæo holoſerico nigro, ſolemni lectiſternio, tribus gradibus elato, pannisque nigris obducto, impoſitum, circumpoſitis plurimis ceroſtratis argenteis, per tres dies omnibus eſt oſtenſum. Ad caput hinc corona Regio-domeſtica, illinc pileus Archiducalis, de quibus ſupra, pro pedibus ad dextram vellus aureum, ad ſiniſtram acinaces cum chirothecis albis, ſupra pulvinaribus holoſerico-nigris iacebant. Viceſima *Ianuarii* cadaver tumbæ ligneæ, holoſerico rubro, leriis aureis ſegmentato, (cui ſuperne crux alba eiusdem telæ intertexta) obductæ compoſitum, circa horam ſextam ſerotinam conſueta lugubri pompa ad cryptam Regio-Cæſaream apud *RR. PP. Capucinos* deportatum, ibique ad dextrum auguſti mauſolei latus, ut ichnographia ſacelli, ſequenti tabula XCIII. repetita, oſtendit, depoſitum eſt: ſtanneo, quem ſupra deſcripſimus, ſarcophago poſtea immittendum.

Ioannæ Archid. *Auſt.* loculus cum inſcriptione. Lit. N.

XX. Quæ inferiori huius tabulæ loco comparet ſandapila ſtannea, lit. N. diſtincta, pedes ſex & quadrantem longa, alta pedem unum cum ſemiſſe, pedesque duos lata, corpus Ioannæ Gabrielæ, Archiducis *Auſtriæ*, prædictorum Augg. parentum filiæ, comprehendit. Simili cum priori baſi marmoreæ inſiſtit. Quatuor eius latera totidem ſuppedaneis, ſcite fabrefactis, ſuffulta ſunt, adminiculantibus medium hinc inde aquilis. In ſiniſtro tumuli latere protome Principis ſtolatæ ad pectus, capite, pulchre comto, colloque nudis, regulæ ovatæ, ſupereminente ſerto ex floribus, virginitatis ſymbolo, inſculpta ſiſtitur, cum epigraphe: IOANNA. GABR. *iela* ARCHID.*ux* AUSTR.*iæ*. Altero in latere forma muliebr. aquilæ volitanti inſidens, vexillum explicatum manibus tenet, addito lemmate, in peripheria mortis epocham: SIDERIBVS. RECEPTA. XXIII. DEC.*embris* MDCCLXII. in imo autem ortum Principis: NATA. IV. FEB.*ruarii* MDCCL. exprimente. Quatuor leonum capita orbiculata manubria ore ferunt. Prope pedes ſcutum *Auſtriacum* cernitur. In operculo, ſtriis floribusque ſparſo, imago Servatoris, de cruce pendentis, pulvinari acclinatur, cui corona & pileus Archiducalis, ut in priori ſchemate, ſuperadſtant. Epitaphium, ad caput legendum, ſic ſonat:

†
H. S. E.
DIVA.
ARCHIDVX.
IOANNA.
ANNO. IESV. CHRISTI.
MDCCL. D. IV. FEB.
AVSPICATO. IN. LVCEM. HANC. SVSCEPTA.
PER. OMNEM. VITAM. OPTIMIS. PARENTVM. VOTIS. RESPONDIT.
ANNO. MDCCLXII. D. XXIII. DEC.
ASPERA. QUADAM. CONSTANTIA.

EX.

EX. TERRENO. HOC. MIGRAVIT. AD. ILLVD. REGNVM.
CVIVS. REX. DIVINITAS. LEX. CHARITAS.
MODVS. AETERNITAS.

Tab. xci.

XXI. Mox recitata inſcriptio Archiducem noſtram die IV. *Febr.* an. MDCCL. natam fuiſſe tradit, cui hiſtorici noſtri ævi conſentiunt, horam addentes, nonam ſcilicet nocturnam. Sequenti die hora circa meridiem undecima in cubili equeſtri novo, præſente Cæſare, eiusque Auguſta familia, ac prima nobilitate, a Nuntio Apoſtolico, Comite SERBELLONIO, ſacro fonte abluta eſt, ſpondentibus Rege *Angliæ*, & ſereniſſ. D. CAROLINA, *Lotharingiæ* Duciſſa, munus prædicti Regis ſubeunte LUDOVICO, Principe *Brunſwico-Guelferb.* Nomina Archiduciſſæ impoſita erant ſequentia, IOANNA GABRIELA IOSEPHA ANTONIA. Primis ſtatim *Decembris* diebus, anni MDCCLXII. eam valetudo ſiniſtra inceſſerat, quæ brevi in malignam febrem abiit, ac Archiduciſſam die XXIII. dicti menſis, adhibitis licet medicorum, & remediorum probatiſſimorum curis, DEO ſic volente, vivis ante tempus eripuit, cum vixiſſet annos ſolummodo duodecim, menſes decem cum diebus undeviginti. Princeps miræ, ac ad omnes virtutes, & ſexus ſui ſcientias pronæ indolis, cuius deſiderium Augg. parentes, cuſo in eius memoriam nummo, iterum perennarunt. a) Cadaver die XXVII. hora ſexta poſt veſperas cryptæ huic, ac demum anni ſequentis menſe *Aprili* ſtanneæ, quam deſcripſimus, tumbæ illatum eſt. Ortus, & occaſus Principis. a

XXII. Præſens tabula, ordine nonageſima ſecunda, duos iterum loculos, primæ ſcilicet IOSEPHI II. Imp. coniugis, filiæque eius, ſecundo loco genitæ, ob oculos ponit. Ille qui matris oſſa tegit, ac lit. O. inſcriptus, ex ſtanno perartificioſe fabrefactus eſt. In longitudinem porrigitur pedes ſeptem cum dodrante: latitudine pedes omnino tres, altitudine vero pedem unum & dimidium æquat. Baſi marmoreæ, duos itidem gradus excitatæ, ſuperadſtat, ſuppedaneis, arte factis, ſex nixus, quorum medio utrinque calvaria, decuſſatis oſſibus impoſita, cernitur, ſupereminente inter leonum, manubria ore ferentium, capita ſcuto gentilitio, in utroque latere repetito, ac perpendiculariter ſecto. Dextrum eius quadripartitum eſt: prima area faſcias *Hungaricas* cum cruce patriarchali, ſecunda leonem *Bohemicum* exhibent. In tertia oblique ducti *Burgundiæ* baltei, in ultima vero pilæ quinque coccineæ, ſuperpoſita una cerulea, tribus liliis *Francicis* figurata, Magni Ducatus *Etruriæ* digma, proferuntur. Omnibus incumbit iuncta *Auſtriæ*, & *Lotharingiæ* parmula, galero Ducali faſtigiata. Pars clypei altera *Parmæ*, & *Placentiæ* inſignia exhibet, additis in medio repetitis *Caſtellæ* & *Legionis* teſſeris, quibus tria lilia *Francica* incumbunt. Pro pedibus ſimili calvariæ ſubiecta eſt inſcriptio, his concepta verbis: HIC. ELISABETHÆ IOSEPHI II. Imp. ux. primæ arca funerea, cum epicedio. Tab. xcii. Lit. O.

a) Laudat. IOACHIM. loc. cit. num. XXIX. pag. 219. ſeqq.

Tab. XCII.

†

HIC.

LAETAM. EXPECTAT. ANASTASIN.
ELISABETHA. MARIA. BORBONA.
ANNO SALVTIS. NOSTRAE. MDCCXLI.
D. VLTIMA. DEC. PRIMAM. LVCEM. NACTA.
MDCCLX. PRID. NONAS. OCT.
INCLYTISSIMO. IOSEPHO. AVSTRIACO.
IN. ALMA. HAC. VRBE. NVPTA.
MDCCLXIII. V. KAL. DECEMB.
CONIVX. OPTIMA.
DECOR. PRINCIPVM. POPVLI. DELICIAE.
CAELO. ANTE. DIEM. RECEPTA.

In operculo periſtroma, floribus pictum, expanditur, cui pulvinar, a prioribus ſimile, ſuperiacet: cum corona & pileo Archiducali, ac dependente ordinis *crucis ſtellatæ*, cuius originem, alibi a) protulimus, inſigni. Ad caput erectam ſuper nubes imaginem Principis ſtolatæ, pectoretenus exhibitam, capite nudo, demiſſa ex catena Aug. mariti effigie, in coronam regiam deſinente fronte, genius dextra ſuſtinet, ſiniſtra tedam confractam tenens: alter, a tergo comparens, immaturam Regiæ Celſitudinem mortem deplorat. Superne cordi alato ſtella, beatæ æternitatis ſymbolum, infigitur.

Morbi, mortisque hiſtoria, & ſepultura.

XXIII. Erat anni MDCCLXIII. dies viceſima ſecunda *Novembris*, qua regalis Princeps noſtra, expectato diu partu ſecundam prolem, de qua infra, feliciter quidem in lucem ederet; accedentes vero poſtmodum dubiæ viciſſitudines, morbillorum, quibus inſimul decumbebat, ſociæ, cito Aulam Cæſaream omni recuperandæ ſanitatis ſpe fruſtrarunt, regiaque puerpera XXVII. eiusdem mane poſt horam quintam vivis erepta, ac Auguſtus maritus coniuge privatus fuit, quam amabat unice, ut nec ægrotam ad ſupremum uſque ſpiritum, etiam rogatus, deſereret, cum annis non niſi tribus, ac duobus, cum tribus ſeptimanis, menſibus, optatiſſimo thoro fruerentur. Princeps, quæ magnanimitate, manſuetudine, aliisque regiis ſane virtutibus omnes dudum in præcipuam æſtimationem traxit. Cadaver poſtea pollinctum quidem, exenteratum vero, ob variolarum metum, haud fuit, die autem ſequenti loculo ligneo, duobus ſeris munito, incluſum, in maiori palatii ſacello ſub aulæo holoſerico nigro, in ſolio funereo, tres gradus elato, publice exponitur. Pone ſarcophagum ad caput a dextris corona Regia clauſa, ut Principem regnorum *Hungariæ* & *Bohemiæ* hereditariam decet: a ſiniſtris pileus Archiducalis pulvinaribus holoſericis nigri coloris adſtabant, addito ad pedes tertio eiusdem telæ, cum inſignibus ordinis ſtellatæ crucis. Die poſtea viceſima nona circa horam octavam ſerotinam conductus funebris, non omni tamen alias conſueta pompa; quippe quod Cæſareæ Maieſtates cum Auguſta familia, ob

a) Mon. *Auſtr.* tom. I. Diſſert. VI. §. XXIII. pag. 139. Teſſeram ipſam delineatam Vid. tab. XVIII. ſect. III. num. 4. ad pag. 131.

ob morbi prædicti averſionem, abeſſe iubebantur, adornatus eſt. Tumba carpento aulico, ſex equis tracto, impoſita, ad eccleſiam *PP. Capucinorum* devehebatur, a quorum primoribus numero duodecim, ex vicinis, monaſteriis convocatis, in Cæſaream cryptam deportata, ibique loco, quem tabulæ ſequentis ichnographia oſtendit, depoſita, ſubſequentis anni die IX. *Iunii* magnifico huic, quem ſupra deſcripſimus, loculo ſtanneo immittenda. TAB. XCII.

XXIV. Nata eſt regia Princeps, ut cum epitaphio hiſtoriæ noſtri ævi tradunt, die ultima *Decembris* anni MDCCXLI. patre PHILIPPO *Parmæ* & *Placentiæ* Duce. Ad thalamum Principis, regnorum *Hungariæ* & *Bohemiæ*, ceterarumque *Auſtriacarum* provinciarum heredis, nunc glorioſe regnantis Imperatoris, IOSEPHI II. vocatur an. MDCCLX. Celſ. Principis a *Liechtenſtein*, cui id negotii cum poteſtate plenaria commiſſum extitit, procuratione, ſponſalia de futuro, in principe Ducatus *Parmenſis* urbe, ſeptima die *Septembris* ſumma cum pompa celebrata fuere, benedicente Epiſcopo *Placentino*. Sequenti decima tertia eiusdem menſis Auguſta ſponſa in Ducatum *Mediolanenſem* adventans in urbe, *Caſale maius* dicta, quæ hodiedum Marchioni de *Salva terra* paret, dicto LIECHTENSTEINIO eſt recommiſſa, ab eoque felicibus auris *Wiennam*, deducta, ſponſo ſuo die VI. *Octobris* in eccleſia *PP. Auguſtinianorum* per confirmationem de præſenti ſingularibus, ac præcipuis, quas enumerare noſtrum nunc haud eſt, ſolemnitatibus ſocianda. Cum igitur eundem iam die XXVII. *Novembris* an. MDCCLXIII. ut vidimus, viduatum reliquerit, vigeſimum ſecundum annum nondum complevit, menſe uno, tribusque diebus præmortua, longiori vita, in regnorum a provinciarum *Auſtriacarum* incrementum deſideratiſſimum, digniſſima. Anni vitæ.

XXV. Minor pro pedibus matris conſitus loculus ſtanneus lit. P. notatus, parum differt ab iis, quos tab. LXXXV. ſub litt. o. & p. produximus, niſi quod hic in utrisque lateribus inter leonum capita, qualia etiam ad caput & pedes viſuntur, parmula *Auſtriaca* compareat, in prioribus neglecta. Longus eſt pedes duos cum ſextante, altus digitos ſeptem & ſemis, octoque latus. Claudit hic tenellas CHRISTINÆ A. A. IOSEPHI, ex laudata ſupra prima coniuge *Parmenſi*, filiæ exuvias. Nata eſt ex ſecundo eoque ultimo partu, die, ut diximus, viceſima ſecunda *Novembris* MDCCLXIII. Vix aquis ſalutaribus regenerata celerrimis fatis iterum deceſſit. Circa ſerum eiusdem diei mortuæ corpuſculum arcæ ligneæ, quaquaverſus textili argentea, auro ad commiſſuras ſegmentata, obductæ, ac duobus ſeris firmatæ, incluſum, ſuperimpoſito ſimilis textilis velamine, ſub ſilentio ad cryptam Regio-Archiducalem devehitur, ibique depoſitum eſt, ſeptimo poſt die matris ſarcophago adiungendum. Anni dehinc ſequentis die IX. CHRISTINÆ, eius filiæ, arcula, & fata: Lit. P.

TAB. XCII. IX. *Iunii*, eodem ſcilicet quo mater, ſtanneæ huic, de qua ſupra, arculæ immiſſa eſt Archidux, cum hac inſcriptione:

NON. RELIQVIT.
SED. IGNORAVIT. SAECVLVM.
CHRISTINA. ARCHIDVX.
INNOCENTISSIMA.
AN. IESV. CHR. MDCCLXIII.
DIE. XXII. NOV.
TERRIS. TANTVM. OSTENSA.
SED. O. SPEM. EXSPEM.
EADEM. ITERVM. SVBLATA.
MORIENDI. SENSVM.
CELERITATE. NON. SENSIT.

M. IOSEPHÆ, Cæſaris IOSEPHI II. ſecundæ coniugis capulus, cum epitaphio. TAB. XCIII. Lit. S.

XXVI. Præſenti in tabula, ordine nonageſima tertia, præmiſſa ibi ichnographia, modernum arcarum funerarum ſitum exhibente, duo iterum proferuntur loculi, ex ſtanno affabre facti, quorum alter coniugis ſecundæ IOSEPHI II. Imperatoris, ſororis alter, cadavera continent. Prior, Lit. S. diſcretus, addito dodrante ſeptempedalis, altitudine pedem unum & ſeptuncem, tres & pollicem latitudine adæquans, MARIÆ IOSEPHÆ Imperatricis oſſa claudit. Multam cum ELISABETHÆ, Aug. prædeceſſoris ſuæ, ſarcophago, ſuperiori tabula lit. O. producto, ſimilitudinem gerit: quatuor tamen latera totidem aquilæ, in adeptæ Imperatoriæ dignitatis ſignum, ſuſtentant, & in pulvinari, a quo iterum ordinis *Crucis ſtellatæ* teſſera dependet, coronæ regiæ a dextris Cæſarea adſtat. Mulier lugubris, cor ardens offerens, adverſam MARIÆ IOSEPHÆ noſtræ, ſtolatæ, ac inſigniter comtæ, cum corolla in capite, protomen, ad pectus expreſſam, adiuvante a ſiniſtris genio, ſuper nubes extollit, impoſito felicis æternitatis ſymbolo, ſerpente nimirum, in ſe redeunte, cum infixa ſtella. Scutum, utrique lateri impreſſum, ac perpendiculariter ſectum, arma Auguſtorum gentilitia, hinc mariti, coniugis illinc, exhibet. Ad pedes ſequens ſubiecta eſt inſcriptio, galero Ducali tecta:

MARIA. IOSEPHA. AVGVSTA.
CAROLI. VII. IMPERATORIS. ELECTORIS. BAVARIAE.
ET.
MARIAE. AMALIAE. AVSTRIACAE.
FILIA.
IOSEPHI. SECVNDI. ROMANORVM. IMPERATORIS.
A. A.
SECVNDA. CONIVX.
NATA. XXX. MARTII. M. D. C. C. XXXIX. ET. AD. REGIOS.
THALAMOS. VOCATA. XXIII. IAN. M. D. CC. LXV.
MAIESTATEM. HVMILITATE. DECORAVIT.
QVAE.

CVM.

CVM. AB. INFANTIA. DEVM. TIMERE. DIDICIT. TAB. XCIII.
IN. MORTE. NON. METVIT.
SED. IN. QVEM. SPERAVIT. ET. CREDIDIT.
IN. FINEM. ADAMAVIT.
PERICVLOSISSIMA. VARIOLARVM. LVE. ABSVMPTA.
ANNO. M. DCC. LXVII. XXVIII. MAY.
IPSO. QVO. SALVATOR. DIE. COELOS. CONSCENDIT.
ANIMAM. EIUS. REPETIIT.
CORONIS. COELESTIBVS. DIGNAM.
ITA. DEVS. POTENTES. NON. ABIICIT. SED. ERIPIT.

XXVII. Primam lucem aſpexit *Monachii* XXX. *Martii* MDCCXXXIX. circa horam ſextam veſpertinam, Sereniſſ. parentibus CAROLO ALBERTO, Elect. *Bav.* eius nominis poſtea Cæſare VII. & matre MARIA AMALIA, IOSEPHI I. & WILHELMINÆ AMALIÆ Impp. filia, uſa. Poſtridie a Sereniſſima ſorore, *Poloniæ* Reginæ nomine, e ſacris undis levata, IOSEPHA MARIA ANTONIA WALBURGA EMANUELA FELICITAS nominabatur. Anno MDCCLXV. XIII. *Ianuar.* in patriæ urbis primariæ ſacello aulico IOSEPHO II. *Romanorum* Regi, eodem adhuc anno Imperatori futuro, per procurationem deſponſata eſt, benedictionem impertiente Reg. Celſitud. CLEMENTE, ex Ducibus *Saxoniæ*, Epiſcopo tum *Friſing.* & *Ratisb.* ac *Auguſtanæ* ſedis Coadiutore, nunc Archiep. & Elect. *Trevirenſe*, ſubſecuta die XXIII. eiusdem in palatio æſtivali *Bellofontano* per Nuntium Apoſt. *Vitalianum* BORROMEUM confirmatione, cuius ſolemnitates aliis iterum deſcribendas mittimus, inſtitutum noſtrum proſecuturi. Nativitas, & nuptiæ.

XXVIII. Nec diuturnum vero, nec fœcundum, auguſtum hoc matrimonium. Circa medium namque *Maii* an. MDCCLXVII. Imperatrix iniqua valetudine conflictabatur, quam nedum prodentes ſe viceſima eiusdem variolæ periculoſam reddere videbantur. At illis malignam paullo poſt ſpeciem induentibus, accedenteque continua febri, de ſalute deſperatum eſt: & ægrota a DEO, licet ardentiſſimis ad eum ab utroque ordine, pro conſervatione Auguſtæ, emiſſis precibus, ſequenti viceſima octava, eadem nempe, qua Eccleſia aſcenſionis Dominicæ memoriam celebrabat, die, circa mediam nonam ante meridiem, evocata eſt, ut ſecum, relicto terreſtri, cœleſte, quod ſingulares eius virtutes, quibus dum vixerat, prædita fuit, promta inſuper voluntas, ac ad ſummam luctam præparatio, ſperare iubent, regnum conſcenderet. Pauperes & pupilli cum ea benignam matrem, domeſtici largam meritorum remuneratricem, amiſerunt. Corpus, peracta pollinctura, non exenteratur, ſed textili argentea veſtitum, arca lignea ſtatim recluditur. Poſtero die in eccleſiam palatii maiorem deportatum, ibique ſuggeſtui funebri, more in hoc caſu ſolito, ſub aulæo expoſitum, omnium oculis videndum præbetur. Pone ſarcophagum, in pulvinaribus, ex tela aurea confectis, conſitæ erant coronæ, Imperia- Mors, & ſepultura, cum exequiis.

lis

Tab. XCIII. lis ac regia, pileus Archiducalis, ac insigne ordinis *crucis stellatæ*. Die Sabbathi, qui XXX. *Maii* erat, circa nonam serotinam, capulus, in quo his diebus Augg. cadaver cubabat, alteri quercineo, qui intus textili argenteo cum leriis aureis, exterius autem panno holoserico nigra, adfixa desuper serici argentei cruce, exornatus erat, immissus, superpositoque tegumento aureo ad cryptam Archid. consueta lugubri pompa, devehitur, in eaque ad dextrum Sereniſſimæ thori comparis latus deponitur, stanneo, quem supra descripsimus, loculo postea inferendus. *Iunii* die tertia in templo aulico *PP. Augustinianorum* excalceatorum primæ vigiliæ, tribusque diebus sequentibus exequiæ solenniſſimæ, erecta etiam mole funerea sumtuosiſſima, celebratæ fuerant.

M. Iosephæ, Archid. *Austr.* loculus cum inscriptione. Lit. T.

XXIX. Alter in hac tabula sarcophagus, lit. T. signatus, cadaver Regiæ Celsitudinis MARIÆ IOSEPHÆ, Archid. *Austriæ*, FRANCISCI I. & MARIÆ THERESIÆ Augg. filiæ, recondit. Longus est pedes septem, cum novem & semis digitis, altus pedem unum septemque pollices, latus autem pedes tres, cum semuncia. Convenit de cetero cum illo, sororis suæ IOANNÆ loculo, supra tab. XCI. lit. N. exhibito, hoc tamen discrimine, quod hic, retro coronam & pileum Archiducalem, insigne quoque ordinis *Crucis stellatæ* e pulvinari dependeat, effigies insuper Principis siniſtro tumuli lateri impressa, epigraphe careat, cui a dextris respondet scutum, symbolo tamen, aut aliquo alio ornamento vacuum. Epitaphium huius est sententiæ:

P. M. S.
IOSEPHAE. ARCHID. AVSTSTR.
FRANC. ET. MAR. THERES. AVG. PARENTIB. NATAE.
XIX. MARTII. ANNO. SALVT. MDCCLI.
COMITATE. MORVM. RELIGIONVM. CVLTV VITAE. INTEGRITATE.
DEO HOMINIBVSQ.
PER. OMNEM. VITAM. CARISSIMAE.
DESPONSATAE. FERDINANDO. IV. VTRIVSQ. SICILL. REGI.
VIII. SEPT. ANNO. SALVT. MDCCLXVII.
SED. XV. OCTOB. EIVSD. AN.
AD. IMMORTAL. REGIS. NVPT. TRANSLATAE.

Nativitas, & sponsalia.

XXX. Mundo data est, ut etiam recitata inscriptio habet, Archidux die XIX. *Martii* an. MDCCLI. eodemque, hora media septima serotina per Nuntium Apost. Comitem SERBELLONIUM, sacro fonte, in quo nomina M. IOSEPHÆ GABRIELÆ IOANNÆ ANTONETTÆ & ANNÆ accepit, lavata est, spondentibus, vice Regis, Reginæque *Hispaniæ*, Sereniſſima DD. CAROLINA, Ducis. *Lotharingiæ*, Principe *Saxo-Hilburghusano*. Ad thalamos FERDINANDI IV. utriusque *Siciliæ* Regis vocata est an. MDCCLXVII. cuius ad hoc negotium cum plenaria potestate delegatus Orator, Dux S. ELISABETHÆ, habito prius *Vindobonæ* XXX. *Augusti* solemni ingressu, octava mensis *Septembris*, die nempe ad audiendum in publico prædicti Regis petitionem, constituta, decenti pompa in palatio *Bellofontano* introductus est, qua utrique Maiestati, & Archiducis-

ducissæ consuetis solemnitatibus exposita, assensuque præstito, MARIA IOSEPHA a cunctis præsentibus tanquam Regia sponsa, Regina futura, salutata fuit. Die XXIII. eiusdem instrumentum solitæ apud *Austriacos*, in hereditatem paternam ac maternam succedendi, renuntiationis subscriptum, & sigillis, assistente Regiæ sponsæ Eminent. Card. Archiepiscopo *Wiennens.* roboratum, nihilque non actum est, ut nuptiæ ipsæ, per procurationem brevi celebrentur. TAB. XCIII.

XXXI. Dum sic non solum Aula Cæsarea, sed & universa nobilitas, & subditi summa perfundebantur lætitia, omnia, ita volente DEO, hæc gaudia in extremum mœrorem sunt commutata, comœdiæ in tragœdias abeunt, faces funerales, a morte Imperatricis, IOSEPHÆ, nuper defunctæ, adhuc scintillantes, iterum æstuant. Sub initium namque *Octobris* M. IOSEPHA ægritudine detineri cœpit, quæ, adhibitis remediis præsentissimis, nihilominus ingravescebat. Erumpentes variolæ, accedentibus momentis criticis, spem omnem recuperandæ salutis suffocarunt, & Regia sponsa XV. dicti mensis, vespere uno ante horam septimam quadrante, haud ægre vitam cum corona, placida morte deposuit. Cadaver aromatibus conditum, exenteratum perinde non est. Postridie arcæ ligneæ, superducto velamine, auro largiter picto, inclusum, circa septimam serotinam e cubili suo in arcis sacellum, pannis nigris circumquaque vestitum, deportatur, ibique lectisternio funebri, tres gradus alto, ac candelabris argenteis, cum cereis albis, circumdato, publice sub auleo exponitur, adstantibus in pulvinaribus nigris, auro intertextis, corona, pileo Archiducali, & insigniis ordinis, de *cuce stelligera* dicti. Sequenti XVIII. noctu, circa horam octavam, funus currui aulico, ad fores sacelli præparato, impositum, consueta lugubri pompa *Vindobonam* deducitur, & in crypta Cæsareo-Regia ad sinistrum Sereniss. sororis suæ, IOANNÆ, latus, intrantibus pariter ad lævam, demissum est, stanneo huic, a nobis supra descripto, solio postea imponendum. Die vicesimo primo *Octobris*, præmissis pridie vigiliis, Principi in primario aulæ sacello, ad erectam molem funebrem, decentissime parentatum fuit. Morbi, mortisque circumstantiæ, ac sepultura.

XXXII. Paucis, antequam moreretur, hebdomadis publico monumento conservata est memoria M. IOSEPHÆ, sub lapide angulari templi parochialis ab Augusta parente in agro *Neostadiensi* pro colonis, ex *Tyroli* adscitis, extructi, sequenti inscriptione, tabulæ æneæ, auro obductæ, infra imaginem Imperatricis incisa, hunc in modum: Inscriptiones aliæ, memoriam eius conservantes. Prima,

M. THERESIA. P. F. AVG.
AGRVM. HVNC. THERESIANVM.
AD. CVLTVRAM. PROMOVENDAM.
POPVLATIONEMQVE. AVGENDAM.

Tab. XCIII.

VOCATIS. E. TYROLI. CVLTORIBVS. DISTRIBVIT.
SACRAS. HAS. ÆDES. PAROECIALES. S. CRVCI. DICATAS.
MVNIFICENTIA. AVG. EREXIT. FVNDAVIT.
AC. IOSEPHO. II. ROM. IMP.
AVG. ET. IOSEPHA. ARCHID. AVSTR.
FERDINANDO. IV. VTRIVSQ. SICILIÆ.
REGI. DESPONSATA.
PRÆSENTIBVS. SACROSQVE. RITVS. PERAGENTE.
FERDINANDO. EX. COMIT. DE. HALLWEIL.
EPISCOPO. NEOSTADIENSI.
PRIMVM. HVNC. LAPIDEM. POSVIT. XXIX. SEPT.
M. DCC. LXVII.

Dies quidem XXIX. *Septembris.* ſolemnitatibus his, ut inſcriptio habet, præfixus initio erat; verum iis poſtmodum ad IV. *Oct.* dilatis, nec ipſa Aug. Fundatrix, morbo M. Iosephæ iam præpedita, intereſſe poterat, munere ſuo in Archidd. Ma. Annam, & Amaliam translato.

Et ſecunda,

XXXIII. Addimus Chronoſticon, una cum epigrammate, quibus fata M. Iosephæ, in melius commutata concinne exprimuntur:

IOSEPHA. ARCHIDVX. REGIA.
NEAPOLITANI. SPONSA. MORITVR.

Rex vult terreſtris Iosepham ducere ſponſam,
Cœleſti ſponſo dignior illa fuit.
Non, ait illa, tuam mi Rex contemno coronam.
Sed præſtant regnis cœlica regna tuis.
En! moritur Iosepha ſuæ ſpes optima Matris,
Auſtriacæ gentis gloria, Fratris amor.
Flere quidem iuſtum eſt, gravis aſt iniuria ſemper,
Comprime nunc lacrymas, mœſta *Vienna* tuas.
Ut vivat, moritur; terras, ut regnet in aſtris,
Deſerit, ac præfert regibus illa Deum.
Accipiunt homines, ut poſſint perdere, vitam,
Hæc vi vita fugit, fine ſed iſta caret.

Mariæ Thereſiæ, fil. Iosephi II. Imp. ſolium.

XXXIV. Ornatior eſt, quæ tab. XCIII. * lit. V. ſequitur, Mariæ Thereſiæ, Iosephi II. nunc glorioſe regnantis Imperatoris, & Elisabethæ *Borbonæ*, uxoris primæ, primogenitæ tumba ſtannea, quatuor aquilarum dorſa premens. Longitudine pedes quinque, ac ſeptuncem, altitudine pedem unum, ac quincuncem, latitudine denique pedes duos cum triente conficit. Super operculum integra Regiæ Celſitudinis figura, veſtem attalicam, floribus largiter pictam, induta, adverſo corpore decumbit, caput nudum, affabre comtum, duobus pulvinaribus inclinat. Manibus decuſſatis, ac corolla precatoria ligatis, imaginem Christi, de cruce pendentis, attollit: latera hinc corona regia, illinc pileus Archiducalis, exornant. Scutum,

Tab. XCIII. * Lit. V.

in

in utraque parte conſpicuum, quadripartitum eſt: in prima & ſecunda area regnorum *Hungariæ* ac *Bohemiæ* teſſeræ comparent: tertia *Burgundiæ* balteos, & quarta demum Magni Ducatus *Etruriæ* pilas repræſentant, iunctis in medio *Auſtriæ*, *Lotharingiæ*que parmulis, pileo Ducali obtectis. Ad pedes infra ſertum, ex floribus nexum, hæc inſcriptio legitur: Tab. XCIII. *

†

MARIA THERESIA. ARCHID. AUSTR.
IOSEPHI. II. AUG. ROM. IMP. ET. ISABELLÆ. BORBONÆ.
FILIA.
NATA. XX. MARTII. MDCCLXII.
CANDORE PIETATIS,
ELEGANTIA MORUM,
DEXTERITATE INGENII,
PULCHERRIMIS ANIMI, ET CORPORIS DOTIBUS
CLARA.
COELO, QUAM TERRA DIGNIOR.
SUIS LUCTUM RELINQUENS.
GEMMA PRINCIPUM PRETIOSISSIMA.
DIE FESTO DESPONSATIONIS, MARIÆ VIRGINIS,
IMMACULATO DEI AGNO ÆTERNUM DESPONSATA.
XXIII. IANUARII. MDCCLXX.

XXXV. Indigitante hac inſcriptione, quacum & cetera monumenta faciunt, mundo data eſt Archidux *Vindobonæ* die viceſima *Martii* MDCCLXII. Cum igitur eidem viceſima tertia *Ianuarii* MDCCLXX. iterum erepta ſit, vitam ad annos non niſi ſeptem, menſes decem, cum tribus diebus produxit. Nomina Principis cumulata hæc erant: MARIA THERESIA ELISABETHA PHILIPPINA LUDOVICA IOSEPHA IOANNA. Corpus demortuæ veſte attalica alba amictum, complicatis manibus, dependente roſario ex lapide Lazoli, ſignum cruci affixi Salvatoris eburneum tenens, publice propoſitum fuit. Super pectus tabula ſtannea locata erat cum inſcriptione ſupra recitata, ſicque ſandapilæ primum ligneæ, intrinſecus ſerica roſei coloris, lemniſcis argenteis marginata, extrinſecus panno holoſerico rubro, regulis aureis virgato, obductæ incluſum, ac in crypta Cæſareo-Archiducali ad ſiniſtram ſereniſſimæ matris depoſitum fuit, pretioſo poſtmodum, quem oſtendimus, ſarcophago immittendum. Nativitas, & obitus.

XXXVI. Sequitur denique arcula ſtannea, lit. X. ſignata, corpuſculum claudens alterius MARIÆ THERESIÆ, Regg. Celſitudd. ALBERTI, Ducis *Saxo-Teſchinenſis*, & MARIÆ CHRISTINÆ, Archid. *Auſtriæ*, filiæ, die XVII. *Maii* an. MDCCLXVII. natæ & denatæ. Series quidem exegiſſet, eam ſecundæ IOSEPHI II. Imp. coniugi, ut quam diebus aliquot moriendo præceſſit, anteponere; dum vero huius delineatio ſerius ad nos pervenit, aptius etiam e- M. THERESIÆ, ALBERTI, *Saxo-Teſch.* D. & M. CHRISTINÆ, A. A. filiæ, loculus. Lit. X.

Tab. xciii. * ius deſcriptionem huc reſervare viſum eſt. Baſi marmoris rubri, duobus gradibus elatæ, ſuper quatuor globos inſiſtit, poſita in ſuperiori angulo fornicis ſiniſtri, capulo Iosephæ Archid. *Auſtriæ*, ut ichnographia noſtra lit. X. oſtendit, contigua. Longa eſt pedes duos cum ſemiſſe, octo digitos ad caput, ſexque & ſemis ad pedes alta, pedem unum cum pollice ſuperne lata. Ad latera utrinque intra animantium capita, manubria ore ferentia, ad caput & pedes repetita, clypei viſuntur, inſigniis hodie vacui. In operculo pulvinari adiacet pileus Archiducalis, demiſſo inde ſcuto, ferę ut tabula xcii. lit. P. vidimus, cum inſcriptione, mendis tamen, quoad diem præprimis, qui, omiſſo numero quinario, XII. legitur (ut leviora taceamus, ſicut ex ſchemate noſtro, ab archetypo fideliter deſumpto, patet) ſcalptoris oſcitantia, haud vacua, a quibus, id quod & ſæpiuscule excitatus P. Adiutus a) & R. P. Fischer b) fecerunt, purgata, huius eſt commatis:

a
b

VIX. NATA. MOX. DENATA.
XVII. MAII. MDCCLXVII.
M. THERESIA. ARCHIDUCIS. AUST.
M. CHRISTINÆ. ALBERTIQUE.
SAX. REGII. PRINCIPIS.
FILIA.
UT. SPES. UT. GAUDIUM.
SIC. LUCTUS. PARENTUM.

Alia inſcriptio. XXXVII. Princeps iſthæc ſui memoriam nobis quidem nullam, Sereniſſimis autem parentibus luctum incredibilem reliquit, vix enim ſpirare incipiens, exſpiravit, ab obſtetrice ſolum derepente baptizata. Producit autem mox laudatus *Brevis notitiæ urbis Vindobonenſis* editor c) inſcriptionem aliam horas vitæ omnino duodecim tribuentem, ubi anonyma tamen audit: hunc in modum:

c

Monumentum Anonymæ filiæ
Mariæ Christinæ a. a. et Alberti
Ducis Saxo-Teschinensis
Natæ 16. Maii media 10.ma vespertina
in aula Viennæ
ibidem sequenti die decima matutina
defunctæ. a. 1767.

Ubinam autem, ſi non in ſarcophago ligneo, de quo nihil nobis conſtat, reperiunda ſit? tacente editore, nos equidem fugit: habet tamen, quoad diem, ſuffragantes ſibi *Relationes Semeſtrales Francofordenſes*, ſed quæ iterum infantem ſtatim poſt baptiſma mortuam eſſe perſcribunt.

CAP.

a) Series epitaphiorum ad h. an.
b) Supplement. ad *Brev. notitiam urbis Vindob.* ſeu P. V. p. 179.
c) Apud eund. P. III. cap. VII. pag. 123.

CAPUT VII.

CRYPTA SEPULCRALIS WILHELMINÆ AMALIÆ, AUG. IOSEPHI I. IMP. VIDUÆ, WIENNÆ IN TEMPLO VISITATIONIS B. V. M. MONIALIUM ORD. S. FRANCISCI SALESII, A SE IPSA, UNACUM MONASTERIO, FUNDATO, AGITUR QUOQUE DE SERENISS. FILIARUM FATIS.

§. I.

Monasterii origines.

Cum Augusta Imperatrix, WILHELMINA AMALIA, statim post mortem coniugis optimi, IOSEPHI I. Cæsaris, continuo meditata esset, qua ratione viduitatem suam in monasterio quodam solitarie transigeret; ex iis autem, quæ tum *Wiennæ* iam extiterant, non facile unum sibi aptum iudicasset, novum, unacum ecclesia funditus excitare statuit: quod ut quantocyus effectui daret, emit in suburbio, *Renn-Weg* dicto, ab heredibus Domini de GUARIENT, vice olim Marschalli *Austriæ*, domum cum horto peramplo, proposito suo apprime oportuno: dum vero adhuc de ordine regulari, ibi introducendo, dubia aliquantum hærebat, institutum S. FRANCISCI *Salesii*, monialium scilicet sub titulo *Visitationis* B. V. MARIÆ, quibus inter cetera etiam hoc, ut nobiles feminas iuvenes ad virtutem, & sexus sui scientias educarent, singulare est, selegit, evocata e *Belgio* eiusdem ordinis colonia. Advectis igitur necessariis, efossaque pro fundamentis iaciendis terra, Aug. fundatrix die XIII. *Maii* MDCCXVII. natali scilicet regnantis nunc feliciter Reginæ, MARIÆ THERESIÆ, ut celebrior redderetur, primum lapidem, comitantibus sereniss. filiabus, præsenteque copiosa nobilitate: benedicente, ac sacris operante Episcopo *Vindobonensi*, posuit, in loco, ubi nunc columen maius prope aram principem ad cornu Evangelii consistit, demissa sub eo lamina, ex argento inaurata, cum sequenti inscriptione:

CLEMENTE. XI.
SUMMO. PONTIFICE.
CAROLO. VI. IMPERATORE.
ET. HISP. REGE.
WILHELMINA. AMALIA.
IMPERATRIX.
IOSEPHI. I. IMP. VIDUA.
AD. DEI. OPT. MAX. GLORIAM.
ET DEIPARAE. HONOREM.
AD.
RELIGIONIS. INCREMENTUM.
ET. PUELLARUM. EDUCATIONEM. TEMPLUM. VISITATIONI.
B. MARIAE. VIRGINIS. SACRUM.

ET.
SALESIANI. INSTITUTI.
ASCETERIUM. ERECTURA.
UT. DOMUM. DEI. EXTRUENS.
IN. TERRIS.
ALIAM. NON. MANU. FACTAM.
SIBI. PARARET. IN. COELIS.
PRAESENT. FILIAB. ARCHIDUC.
MARIA. ET. AMALIA.
PRIMO. LOCANDO. LAPIDI.
A. SIGISMUNDO. EX. COMIT.
A. KOLLONIZ. VIENN. EPISCO-
PO. RITE. LUSTRATO.
CAESAREAM. ADMOVIT. MA-
NUM. IN. VIENNAE. SUBURBIO.
III. IDUS. MAII. ANNO.
DOMINI.
M. DCC. XVII.

Tanta celeritate utriusque ædificii moles ſurrexit, ut die XIII. *Maii* MDCCXIX. ſacræ virgines, quæ ab adventu ſuo *Vindobonam* domum illuſtr. Comitis de PAAR, rei veredariæ per *Auſtriam* præfecti, incolebant, aſceterium ſuum inhabitare cœperint, ſumma ſolemnitate ab ipſa etiam Imperatrice introductæ. Templum, quod paucis hodie ſplendore inferius, anno MDCCXXVIII. ad colophonem deductum, die XVI. *Iunii* in honorem B. V. MARIÆ, ELISABETHAM viſitantis, conſecratum fuit. Præter habitaculum, quod Aug. Fundatrix in ipſo cœnobio ſibi paraverat, palatium adhuc integrum, huic contiguum, pro domeſticis ſuis erexit, quod poſt mortem Imperatricis monaſterio, cum proventibus, ex eo percipiendis, ex teſtamento ceſſit.

Crypta ſepulcralis, cum loculo lapideo WILHELMINÆ AMALIÆ. TAB. XCIII. *

II. Cryptam ſubterraneam, cuius ichnographiam nacti haud ſuimus, Auguſta pariter ſtruxit, tres intra humum arcus habentem. Medius, quem Imperatrix ſibi reſervavit, recta aræ maiori ſubiacet, duo reliqui, hinc inde excitati, ſereniſſimis filiabus deſtinati erant, hodiedum autem, cum ſingulæ extra patriam, ut infra breviter attingemus, mortem obierint, vacui ſunt: reliquum cryptæ ſpatium mortuas moniales excipit. Sub medio itaque arcu poſitus eſt ſarcophagus Imperatricis, quem vivens ſibi iam tum anno MDCCXXXIX. ad ſimilitudinem tumbæ ELEONORÆ *Mantuanæ*, uxoris FERDINANDI II. Imp. de qua libro ſequenti, fieri curavit. Illum itaque, cum ſolus ad manus noſtras pervenerit, inferiori loco tabulæ XCIII. * ob ſpatii opportunitatem, adumbratum ſiſtere viſum eſt. Scalptus eſt e ſimplici lapide, omni arte, inſigniis, ornamentisque caret, niſi quod in operculo corona Cæſarea lauro cincta, ex eodem lapide, cælato opere, exciſa ſit. In longitudinem excurrit pedes novem cum ſextante, altus eſt pedes quinque & trientem, in latitudinem porrigitur pedes tres cum octo digitis. Retro caput

decem

decem fere pedalis, erecta ſtat crux, ex ligno rude fabricata, nullisque coloribus linita, ut in viis publicis poni conſuevit. Pro pedibus affixa eſt lamina ſtannea, quatuor aquilarum falculis, in cochleas tortis, ad ferream firmata, altitudine pedem unum & octo pollices, latitudine, ſuperne pedes tres, digitos quinque & ſemis, inferne pedes totidem cum ſesqui uncia æquans: cui epitaphium, pro modeſtia pientiſſimæ Imperatricis, omnibus honorum titulis, ut ipſa petierat, vacuum, ſolo *Fundatricis* huius cœnobii, ad quod tamen ægre induci potuerat, nomine, nec non connubii ac ætatis memoria, retentis, litteris cupreis, auro incruſtatis, infixum eſt, hanc in ſententiam: TAB. XCIII. ★

WILHELMINA. AMALIA. E. DVCIBVS.
BRVNSVIC. LVNEBVRGENSIBVS.
IOSEPHI. I. IMPERAT. VIDVA.
ANNOS. NATA. LXIX.
OBYT.
IV. ID. APRILIS. ANNO. DNI. MDCCXLII.
HVIVS. COENOBY. ORD. VISIT. B. M. V.
FVNDATRIX.

III. Primam lucem aſpexit die XXI. *Aprilis* MDCLXXIII. patre IOANNE FRIDERICO *Brunſuicenſium* Duce, matre BENEDICTA HENRICA de Comitibus *Palatinis*, lineæ *Simmeranæ*, uſa. Poſt nuptias ſororis ſuæ ſenioris, CAROLINÆ FELICITATIS, an. MDCXCVI. cum RAYNALDO Duce *Mutinenſe*, *Eſtenſis* familiæ, initas, matrem illinc ſecuta eſt. Cum autem interim IOSEPHO I. coronato iam *Romanorum* Regi de condigna uxore proſpiciebatur, diverſæ nobiliſſimorum Principum filiæ regio huic ſponſo, a nativitate, indole, & meritis longe præſtantiſſimo, offerebantur, ſic & ERNESTUS AUGUSTUS, Dux *Hannoveranus*, ac S. R. I. Elector, AMALIÆ noſtræ patruus, ſtrenuam pro nepte ſua navavit operam, ipſo autem, anno MDCXCVII. fatis cedente, RAYNALDUS, Dux præfatus, negotium ad eum produxit eventum, ut ſororia ſua Regis IOSEPHI ſponſa publice declarata, eidem, ſe pronubo, die XV. *Ianuarii* MDCXCIX. ſolemnibus ſponſaliis *Mutinæ* iungeretur, nuptiis ipſis *Wiennæ* XXIV. *Febr.* eiusd. anni, benedicente Nuntio Apoſtolico, aſſiſtentibus *Wiennenſi*, & *Iaurinenſi* Epp. quindecimque *Auſtriæ* Abbatibus, regia pompa celebratis. Poſtquam autem felici hoc connubio annis non plus duodecim, cum menſe uno, diebusque viginti quatuor, fruita fuiſſet, placuit Altiſſimo Auguſtum coniugem variolarum lue, ut capite IV. §. XLIX. p. 422. ſeq. vidimus, die XVII. *Aprilis* MDCCXI. ad cœleſtem coronam evocare, AMALIAMque noſtram viduare. Nimii eſſemus, ſi de mira eius in lugubri hoc caſu animi conſtantia, ſi de vita ſolitaria, in monaſterio ſuo, de quo hic ſupra ſancte tradu&ta, ceterisque virtutibus loqui velimus, cum in vulgus notæ, Breviarium vitæ,

ac

Tab. XCIV. a

ac a biographo eius, a) qui Imperatrici aliquot annis a confeſſionibus erat, prolixe conſcriptæ ſint. De obitu & ſepultura eius pauca ſolummodo adhuc dicturi ſumus.

Pia mors,

IV. Superata utcunque gravi ægritudine, qua menſe *Decembri* MDCCXXXVII. decumbebat, rara fruebatur ſoſpitate ad annum usque MDCCXL. dum menſe *Novembri* recidivam paſſa, accedente flemine, abſque adminiculo deinceps nec incedere poterat, fellæ obhærere coacta. Crudeſcente poſtea morbo a die XX. *Februarii* MDCCXLII. lecto, de quo deinceps nunquam amplius ſurrexit, penitus detineri cœpit. Cum itaque vitæ finem ſibi haud procul abeſſe ſentiret, incomparabili pietate, defixaque in DEUM fiducia mature, quin immo toto iam viduitatis ſuæ tempore, ad ultimum certamen ſe accinxit. *Martii* die viceſima ſeptima ſacræ Euchariſtiæ viaticum, & ſecunda *Aprilis* extremæ luctæ oleum intimo animi ſenſu, ſibique præſentiſſima recepit. Die V. *Aprilis* ſummo mane ſacro iterum viatico refici poſtulabat: id quod & VII. eiusdem, quo nempe ſolemnitas feſti *Annuntiationis* B. V. MARIÆ, quod eo anno in Dominicam *Paſchæ* inciderat, celebrabatur, factum eſt. Abhinc autem magis magisque deficiens, ſæpiusque deliquium paſſa, die demum X. meritorum plena, media octava ante meridiem, animam ſuam Creatori placida morte reſtituit Imperatrix, cum annos a nativitate ſexaginta novem, demptis decem, & quod paullulum excedit, diebus, a viduitate autem triceſimum fere primum, vixiſſet: ab exquiſita indole, prudentia, magnanimitate, humanitate, ſociaque liberalitate celeberrima, ac cunctis deſideratiſſima.

Et ſepultura, cum exequiis.

V. Corpus exanime, ut vivens petierat, ac teſtamento caverat, pollinctum haud eſt, & ex ea tantum parte ſectum, ut cor, relictis inteſtinis, eximi poſſet, in crypta Cæſarea RR. PP. *Capucinorum*, de quo ſuo loco alibi, ad pedes coniugis amantiſſimi, IOSEPHI I. Imp. deponendum. Cadaver poſtea ipſum ſimplici habitu monialium fundationis ſuæ, de *Viſitatione* B. V. MARIÆ excepta cruce, mortuis ſacris virginibus ſuper pectus poni ſolita, cuius ſe indignam verbo & ſcripto reputabat, indutum, floribusque ſparſum, manibus ſaltem erectis CHRISTI, de lignea cruce pendentis imaginem, ex orichalco fuſam, tenens, die undecima in choro dictarum Sanctimonialium, undequaque, ſicut & templum, pannis nigris, dependentibus ex iis demortuæ inſigniis, velato, expoſitum eſt. Singulis tribus, quibus advolanti hominum frequentiæ viſendum præbebatur, diebus, ab hora quinta matutina ad duodecimam uſque, ſuper quinque altaria ſacrificia offerebantur, Sanctimonialesque quatuor alternis horis preces pro Aug. Fundatricis ſuæ anima diu noctuque fundebant. Decima tertia eiusdem menſis circa ſextam ſerotinam corpus Imperatricis tumbæ nuceæ,

a) *Ant.* CITO della Compagnie di GIESÙ *Vita, e virtu dell' Imperatrice* GUGLIELMINA AMALIA. *Vienna d'Auſtria* 1744. 8.

nuceæ, intus laminis ferreis cruſtatæ, duabusque ſeris munitæ, impoſitum, &, licet Imperatrix omnem pompam prohibuiſſet, ſimilique ac moniales ritu ſepeliri petiiſſet, ab octo quidem earum e choro ſuo ad cryptæ ianuam uſque, quæ adhuc in clauſtro patet, inde autem a ſex cubiculariis ſecundi ordinis comitante Regia tum Celſitudine FRANCISCO STEPHANO, glorioſo poſtea Cæſare, ac primaria utriusque ſexus nobilitate, ad hunc actum admiſſis, in cryptam ipſam deportatum, tumuloque lapideo, ſupra expoſito, benedicente aulæ parocho, immiſſum eſt. Die XVIII. *Aprilis*, & tribus ſequentibus in metropolitana D. STEPHANI eccleſia ad erectum magnificum, ac innumeris fere cereis colluſtratum caſtrum doloris decentiſſime parentatum eſt. Idem in immortale gratitudinis obſequium tribus continuis diebus Fundatrici ſuæ perſolvebant prædictæ ſacræ virgines: demum & commemorandæ veniunt exequiæ, quas Auguſtæ matri Auguſta filia, & pietatis, & dignitatis heres MARIA AMALIA, CAROLI VII. Imp. coniux, *Francofurti* ad *Mœnum* diebus VIII. IX. & X. *Maii* in primariis S. BARTHOLOMÆI ædibus ante ſumptuoſiſſimam molem funebrem adornavit, ſacra facientibus, octavo & nono, metropolitanæ *Moguntinenſis*, & decimo cathedralis *Wormatienſis* eccleſiarum Suffraganeis, quibus ſingulis diebus, cum mitra & pluviali, aſſiſtebant *Montis* S. IACOBI, *Moguntiæ*, *Selingenſtadenſis*, & *Ildenſtadenſis* Abbates.

VI. Tres ex Auguſto hoc connubio prodiere ſurculi. Octavo nempe *Decembris* MDCXCIX. primo ſcilicet adhuc felicis matrimonii anno, nata eſt MARIA IOSEPHA. Hanc, in ſpem patriæ, die XXIX. *Octobris* anni ſequentis excepit Archidux LEOPOLDUS IOSEPHUS, cœlo tamen, quam terra dignior. Tertio, & ultimo partu Auguſta parens enixa eſt die XXII. *Octobr.* an. MDCCI. MARIAM AMALIAM. De LEOPOLDO IOSEPHO ea, quæ dicenda erant, cap. IV. §. LIII. p. 425. ubi de eius ſarcophago actum eſt, retulimus, nunc de ſereniſſimis filiabus pauca proferemus. Eius proles.

VII. Ordimur itaque a primogenita IOSEPHI I. & WILHELMINÆ AMALIÆ Augg. filia, MARIA IOSEPHA. Primam lucem, ut diximus, aſpexit die VIII. *Decembris* an. MDCXCIX. liber baptiſmalis horæ etiam tertium quadrantem ad primam a meridie prodit. Sacro fonte abluta eſt in œco equeſtri die ſequenti ab Eminent. Cardinali KOLONITCCIO, compatre Auguſtiſ. Imperatore LEOPOLDO I. commatre eius coniuge, ELEONORA MAGDALENA. Nomina Archiduci indita erant ſequentia: MARIA IOSEPHA BENEDICTA ANTONIA THERESIA XAVERIA PHILIPPINA. De matrimonio eius, cum Electorali *Saxoniæ* Principe, FRIDERICO AUGUSTO, olim ineundo, agi iam cœpit ſub avo LEOPOLDO *Magno*, ipſo autem non multo poſt fatis cedente, negotium tantiſper dilatum eſt, donec uterque ſponſus annos pubertatis attin- M. IOSEPHÆ, fil. natu maioris *Polon.* Reginæ, & *Sax.* Duciſſ. vita.

geret. Anno igitur MDCCXIX. ineunte ad tractanda ſponſalia *Wiennam* cum poteſtate plenaria miſſus eſt illuſtr. Comes a *Flemming*. Inſecutus eſt eum proximo menſe *Februario* Princeps Electoralis ipſe, ad quem ſequenti viceſimo octavo eiusdem adpromiſſio hæc, per ſupremum aulæ Cancellarium, Comit. a *Sinzendorff*, ſolemniter delata, initæ ſunt ſolemnes nuptiæ viceſimo *Auguſti*, præmiſſa pridie renuntiatione ſucceſſionis in regna & provincias *Auſtriacas*, benedictionem impertiente Epiſcopo *Wiennenſi*. Fœcundum admodum hoc Aug. matrimonium fuit, cum MARIA IOSEPHA tredecim liberorum, marium ſcilicet ſex, fœminarum ſeptem mater, ac duodeviginti utriusque ſexus nepotum avia effecta ſit. Anno MDCCXXXIV. in octavam ex Archiducibus *Auſtriacis Poloniæ* Reginam coronata, tranquillis eo uſque fruebatur temporibus, donec bello *Boruſſico*, totam *Saxoniam* tam ſubito inundante, ad anguſtias redacta eſt; maluit tamen contra plurimorum conſilium, tanquam exul in patria manere, quam ſuos deſerere.

Eiusque mors, & ſepultura.

VIII. Animus nobis haud eſt hereditarias Reginæ noſtræ virtutes: pietatem ſcilicet in DEUM & ſuperos, amorem ac liberalitatem in proximum, conſtantiam in adverſis, prolixius dilaudare, cum id ante nos R. P. *Antonius* HERMANN S. I. a) Auguſtæ per ſequiores decem annos conſcientiæ arbiter, præſtiterit: de pia morte, ac ſepultura eius brevis adhuc ſermo erit. Cumulatis in dies belli malis, & acceptis undequaque funeſtis nuntiis, mirum haud eſt, Reginam iniqua valetudine correptam fuiſſe. Occulta quidem eius vis aliquamdiu erat, cum autem pleuriſis, quæ cum urbis *Dresdenſis*, tum vicinorum pagorum incolas quam plures conſumſerat, accederet, regina viribus paulatim deſtituta eſt. Cum vero quoties infauſta, quod nullo non die factum, ad eam deferebantur, gravem cordis palpitationem, apoplexiæ præſagam, ſentiret, a negotiis tamen raro ceſſare volebat, paucisque etiamnum ante obitum horis res magni momenti, poſtridie exequendas, mandavit, litterasque ad Aug. Imperatricem MARIAM THERESIAM ſcribere quidem incepit, imperfectas tamen in menſa reliquit. Circa medium noctis diei XVI. *Novembris* ipſam ſe quieti tradidit, dimiſſo famulatu, quem tamen mox hora ſecunda dum adeſſe iubet, petit ab accurrentibus, ut quantocyus confeſſarium medicosque, cum ſtatim moritura ſit, convocarent. Confeſſarius celeritate qua poterat maxima veniens, Reginam agonizantem adhuc, medici vero, qui longius diſtabant, mortuam invenerunt, cum vixiſſet annos quinquaginta octo, minus viginti unum cum dimidio diebus, longiori vita, in commodum ſubditorum, digniſſima. Verbis deſcribi nequit luctus, quo obruta eſt, ex improviſa hac morte Regia familia, nobilitas, univerſamque *Saxoniam* ſolertiſſimæ Reginæ iactura graviſſime perculit. Poſt mortem corpus exenterari non ſolum vivens ſæpius prohibuit, ſed & teſtamento vetitum eſſe voluit.

a) Leben und Tugend MARIA IOSEPHA, Königin von *Pohlen* &c. *Lipſ.* 1766. 4*to*.

luit. Veſtimenta funebria, ſua manu facta, præſto erant, quibus cadaver indutum, eodem adhuc die, duobusque ſequentibus, in ſacello domeſtico publice eſt expoſitum, coram quo ab utriusque ſexus nobilibus diu noctuque alternis horis preces fundebantur: donec tandem die XIX. decenti ſarcophago, cuius ſchema ad nos pariter haud devenit, incluſum, circa horam octavam ſerotinam a ſedecim Camerariis in templum aulicum, inque paratam ibidem cryptam deportatum eſt, *Cracoviam* forte olim, ad ſepulturam regiam devehendum. Pietas Reginæ non ſolum in urbe principe, ſed & per totam *Saxoniam*, omnem pompam, ac præprimis laudationes funebres & ſolemnes exequias, teſtamento interdixit; hinc funus eius, præter aulæ, & dicaſteriorum officiales, ſequebatur nemo, ac diebus primum XIX. XX. & XXI. *Ianuar.* anni ſequentis, in ſola eccleſia aulica, ab AUGUSTO marito funditus excitata, moderate, ut tempora ferebant, eſt parentatum.

M. AMALIÆ, CAROLI VII. Imp. viduæ, fata.

IX. Sequitur MARIA AMALIA, iisdem Augg. parentibus tertio, eoque ultimo loco, die XXII. *Octobris* MDCCI. circa horam ſecundam pomeridianam in lucem procreata, & die ſequenti ab Eminent. Nuntio Apoſtolico, aſſiſtentibus duobus infulatis, in cubiculo heroum baptizata. Patrini erant, avus LEOPOLDUS I. Imp. ac ſereniſ. abavia ELISABETHA AMALIA, vidua Electoris quondam, ac *Palat. Rheni* Comitis PHILIPPI WILHELMI, cuius vices ELISABETHA Archiduciſſa ſubibat. Nomina infanti indita hæc ſunt: MARIA AMALIA IOSEPHA ANNA THERESIA CORDULA. Duci, ac hereditario *Bavariæ* Principi, CAROLO ALBERTO, agente cum poteſtate plenaria illuſtr. Comite IOSEPHO IGNATIO *Döring* ab *Iettenbach*, nuntio ad Cæſaream aulam extraordinario, in matrimonium adpromiſſa, ac XXXI. *Maii* MDCCXXII. eiusdem ſponſa in publico eſt ſalutata, nuptiis ipſis, quarum ſolemnitates, pro inſtituti noſtri ratione, aliis deſcribendas mittimus, quinto *Octobris*, (facta prius III. eiusdem ſolemni, ac iuramento utrinque firmata, renuntiatione iuri ſuccedendi in regna & ditiones *Auſtriacas*) celebratis, Archiepiſcopo *Wiennenſi*, aſſiſtentibus quatuor Abbatibus, ſacris operante. CAROLUS ALBERTUS patri MAXIMILIANO EMANUELI, die XXVI. *Febr.* an. MDCCXXVI. in Electoratu, & MDCCXLII. invictiſſimo CAROLO VI. in Imperio *Romano-Germanico*, eius nomine ſeptimus, ſucceſſit die XXIV. *Ianuarii* electus, ac ſubin die XII. *Februarii* a fratre Archiepiſcopo *Colonienſi* unctus & coronatus, quod etiam menſis ſequentis die octavo Auguſtæ coniugi eius M. AMALIÆ, ab eodem Archiepiſcopo obtigit, cum iam ab anno 1612. poſt inaugurationem nempe ANNÆ, MATTHIÆ Cæſaris coniugis, *Francofurti* ad hoc usque tempus nulla Imperatrix fuiſſet coronata. At diuturna hæc felicitas haud fuit. Tempora duriſſima, quæ exorto, ob legitimam ſucceſſionem in CAROLI VI. Imp. hereditatem, bello, *Bavariam*

tum premebant, Auguſtamque noſtram MARIAM AMALIAM, per tres continuos annos exulem *Francofordiæ* detinebant, haud eſt, quod hic repetamus. Cum autem circa finem anni MDCCXLIV. inde *Monachium* cum Imperatore marito, & Aug. familia redux, tranquillitate frui poſſe videbatur, viceſimo ſtatim *Ianuarii* anni ſequentis maior accrevit luctus ex morte CAROLI VII. coniugis amantiſſimi. Quo animo pientiſſima Imperatrix grave hoc fatum tulerit, avitasque eius virtutes, quibus toto viduitatis ſuæ tempore, quod in duodecimum annum vixit, ſe dederat, propagandi præprimis Divini honoris deſiderium, quod etiam in *Aſiaticas* uſque partes tranſiit, curam inſuper de promovenda proximi ſalute, R. P. *Maximilianus* DUFRENIUS S. I. qui Auguſtæ confeſſiones per decennium excepit, ſingulari iam libello, quo Lectorem, conſuetæ brevitatis cauſſa, remittendum duximus, conſcripſit: mortis ſolummodo, & ſepulturæ circumſtantiæ curas noſtras exigunt.

Mors, & ſepultura.

X. Per aliquod iam tempus MARIA AMALIA viribus labefactata erat, nequicquam tamen periculi imminere credebatur; cum anno MDCCLVI. menſis *Decembris* die octavo, feſto nimirum immaculatæ conceptionis B. V. MARIÆ, ægritudine ingraveſcente præſens iam diſcrimen, vitæque finem ſibi imminere, adverteret. Hora eiusdem diei ſeptima ſerotina omnibus morientium Sacramentis, in præſentia Auguſtæ familiæ, munita, ſacerdoti ad omnes orationes diſtincte reſpondit. Altero die phreneticis convulſionibus iam tentata, viribus deſtituta licet, continuis tamen precibus, ex more, vacabat: donec tandem die ſabbati, undecimo *Decembris*, circa meridiem animam ſuam placida morte DEO redderet Imperatrix æterna memoria digna. Cadaver veſte ſerica nigra, ſuperinducto habitu ordinis ſervarum B. V. MARIÆ, vulgo *Sclavinen* a) tunica nempe talari alba ricinia, capiti ſimilis telæ calantica, humerisque ſcapulari, ad pedes uſque defluente, panni lanei cærulei coloris, applicatis, ac cingulo ferreo, a cuius imo calvaria dependet, colligatis, indutum, complicatis manibus ſignum crucis, fuſci coloris, cum corolla precatoria ex ligno tenens, nexa pectori imagine ſalutationem angelicam præſentante. Tali ornatu XII. *Decembris* mane in œcum equeſtrem, pannis nigris convelatum deportatur, ac ſuper paratum inibi lectum funebrem, adſtantibus numeroſis candelabris argenteis, cera alba ardentibus, per tres dies exponitur, admiſſis omnis conditionis hominibus. In erectis circa ſuggeſtum quatuor altaribus a ſummo mane ad meridiem uſque miſſæ ſacrificia, quotquot poterant, ab utriusque etiam ordinis ſacerdotibus preces alternatim, diu noctuque, pro defunctæ anima, offerebantur. Die XIV. corpus apertum, relictisque inteſtinis cor exemptum, ac ciſtellæ ligneæ nigræ, ſuis in locis decenter inauratæ, incluſum eſt,

Oe-

a) Ordinem hunc anno 1663. ADELHEIDIS HENRICA, ux. FERDINANDI MARIÆ, Elect. *Bav. Monachii* invexit, brevi inter nobiliſſimas fœminas per *Germaniam, Hungariam, Bohemiam*que dilatatum.

Oetingam veterem poſtea devehendum, cordique mariti deſideratiſſimi, ut Vol. II. dicemus, iungendum. Eodem die circa ſeptimam ſerotinam corpus reliquum loculo primum plumbeo, & in hoc alteri quercineo, intus panno ſerico argenteo, exterius autem holoſerico nigro, lemniſcis aureis, ad commiſſuras ornato, compoſitum, in iis demum ſandapilæ ſtanneæ, cum dodrante ſeptem pedali, pedes duos & trientem, ad caput, ad pedes unum & ſeptuncem alto, lato ſuperne duos pedes ac ſesqui digitos, menſuræ *Francicæ*, duabus ſeris munitæ, concluſum, a duodeviginti Camerariis ad templum aulicum, DD. CAIETANO & ADELHEIDI ſacrum, deportatum, inque crypta Electorali depoſitum fuit, reſervatis ad dies XVII. XVIII. & XIX. *Ianuarii* anni ſequentis ſolemnioribus exequiis. Sex de auguſto hoc coniugio procreatæ ſunt ſoboles: filii nempe duo, MAXIMILIANUS IOSEPHUS, patris in Electoratu ſucceſſor, felix hodieque utriusque *Bavariæ* moderator, & IOSEPHUS LUDOVICUS, expleto vix quinquennio mortuus. Filiæ item quatuor: MARIA ANTONIA, FRIDERICI WILHELMI, *Saxoniæ* quondam Electoris, patri autem non niſi decem menſibus ſuperſtitis, ac MARIA IOSEPHA, LUDOVICI GEORGII Marchionis *Bada-Badenſis* nunc viduæ. THERESIA BENEDICTA virgo obiit, ac demum IOSEPHA MARIA, thalamo glorioſe nunc regnantis Imperatoris, IOSEPHI II. præmatura morte, ut cap. mox præced. §. XXVI. ſeqq. vidimus, die XXVIII. *Maii* MDCCLXVII. erepta.

TAPHOGRAPHIA PRINCIPUM AUSTRIÆ.

PARS I. LIBER VIII.

COMPLECTENS FUNEREA MONUMENTA

ARCHIDUCUM AUSTRIÆ

EX

AUGUSTA GENTE HABSBURGICA

LINEÆ STYRENSIS,

SATORE CAROLO,

FERDINANDI I. IMPERATORIS

FILIO.

CAPUT I.

MAUSOLEUM CAROLI, ARCHIDUCIS AUST. ET DUCIS STYRIÆ, QUOD SECCOVIÆ EST, SEX TABULIS ÆNEIS DELINEATUM, DESCRIBITUR, UNACUM FUNERIBUS IBIDEM SEPULTIS.

§. I.

Partitio dicendorum.



AROLUS Archidux, FERDINANDI I. Imperatoris filius, *Styrenſis*, vel *Græcenſis* communiter dictus, quod *Græcii* reſidens *Styriam* regebat, quindecim omnino prolium pater fuit. Ex his FERDINANDUS, poſtea *Romanorum* Imperator huius nominis II. in *Auſtria*, alter LEOPOLDUS V. in *Tyroli* Auguſtam gentem *Habsburgo - Auſtriacam* propagarunt. Linea *Ferdinandea* diu, & quidem ad hæc uſque tempora noſtra floruit. *Tyrolenſis* e contrario iam in FERDINANDO CAROLO exaruit. Hæc cum ex tabulis genealogicis firma fixaque ſint, nos eorum monumenta funerea ob rerum amplitudinem in VIII. capita diſpeſcimus. Præſens abſolvet mauſoleum *Seccovienſe* a CAROLO Archiduce excitatum, ac funera ibidem quieſcentia. Pro more itaque noſtro de tempore emortuali, locisque ſepulcralibus primum ſoliciti funerum lineæ *Styrenſis*, in mauſoleo *Seccovienſi* conditorum, recenſionem adgredimur.

Auctor *Seccovienſis* monumenti ſepulcralis CAROLUS Archid.

II. Magnificum *Seccovienſe* monaſterium, quod a *Græcio* directe ultra montem illum inſuperabilem, verſus plagam *Caurinam*, octo milliaria ſeiunctum eſt, vetus habet templum architecturæ *Gothicæ*, quod ex Aſſumptione B. V. MARIÆ nomen gerit: cœnobium autem habitatur a Canonicis Regularibus Ordinis S. AU-

GU-

GUSTINI. In hoc templo ſpectatur ſplendidum, ac ſumtuoſum monumentum ſepulcrale, alabaſtrite, marmore, metallo, & gypſo ſcite compoſitum, pictisque imaginibus ornatum. Exſtructum id fuit cura CAROLI Archiducis, ut ex inſcriptis anni notis 1585. patet: eo tempore, quo is etiam tum *Styriæ* gubernator fuit. Cauſſam enim vero ſtatuendæ in hoc loco ſibi & ſuis ſepulturæ, hanc præcipue eum habuiſſe ferunt; quod cum novorum dogmatum aſſeclæ *Græcium* valde infeſtarent, is vitam plerumque *Iudenburgi* agens, ſæpe *Seccoviam* venerit; cum ob loci propinquitatem, tum ob multam, quam cum eius monaſterii Præpoſito colebat, amicitiam.

III. Inſigne hoc monumentum proxime altare ſupremum conſiſtit a latere Evangelii. At, ut in expoſitione operis verum ordinem ſequamur, id totum diſtribuimus in ſex tabulas; quarum prima exhibebimus introitum ad monumentum a parte exteriore, occidentem verſus. Secunda faciem monumenti, qua parte altare maius reſpexit, delineationem dabit. Tertia ichnographiam totius mauſolei; quarta tumulum Archiducis ſecundum longitudinem, quinta eiusdem tumuli latera arctiora prodet. Sexta denique tumulos, in ſepulcrali crypta conditos, producet. Partes monumenti.

IV. Latus occidentale ſacelli, quod ad ingreſſum oculis ſe ſpectandum præbet, latitudine ſua eſt decem pedum, ac novem pollicum, ſimilemque præſefert faciem atque latus illud, quod in eccleſiam vergit. Medium claudit ianua, facta e cratibus ferreis inauratis, eaque tres pedes, novemque pollices lata, ac prope novem pedes alta eſt. De coronide ſuſpenſa ſunt inſignia *Auſtriæ* & *Bavariæ*, ex alabaſtrite confecta, quæ Ducalibus galeris obtenguntur. Summo loco erecta eſt imago CHRISTI ad crucem affixi, adſtantibus ex utroque latere MARIA & IOANNE *Apoſtolo* ſupra columnationem Atticam, in qua media apparent notæ: I. H. S. Occidentalis plaga exterior. TAB. XCIV.

V. Faciem meridionalem, introrſum vergentem, conſtituunt duo arcus, ſinguli decem pedes, quatuor ſemis pollices circiter patentes. Uterque occluditur cratibus, quatuor pedes, ac tertiam pollicis partem altis, alabaſtrite candidiſſimo, multaque arte elaboratis. His ſuper impoſitæ inſiſtunt columellæ, pariter ex alabaſtrite confectæ, quinque pedes, & quinque ſemis pollices altæ, ſcitiſſime pariter conſtructæ, quæ tranſverſis ex ære inaurato trabeculis vinciuntur. Columellis incumbit epiſtilium alabaſtrinum, pedem unum & octo pollices altum, cuius margo ſtriis inauratis, cancellato opere implicatis, exornatur. Epiſtilio imminet parva columnatio Attica ex columellis dimidiatis alabaſtrinis, quæ ſpeciem homunculorum umbilico tenus exhibet. Præterea in utroque arcu frontes exſtant ex alabaſtro ſculptæ, & opere cancellato perfectæ, cum geniis ſedentibus, & aliis eiusmodi ex more veterum *Francorum* adiectis ornamentis. In fronte proxime ſupre- Facies meridionalis. TAB. XCV.

mum

Tab. xcv. mum altare, in templum vergente, conſtituta eſt imago CAROLI, ex alabaſtro, ſimilisque uxoris eius effigies retro reſpicit in monumentum. Inter utrumque arcum columnæ mediæ ſuperſtat genius formæ maioris, qui ſimul cum binis aliis minoribus *Auſtriaca*, & *Bavarica* inſignia ſuſtinet, galero Archiducali tecta. Ad latera arcuum conſtant ſtatuæ lapideæ ex una parte S. PETRI, ex altera S. IOANNIS *Evangeliſtæ*. Harum rerum quidquid eſt, tegitur coronide, & corollis, quæ pariter ac genii, & inſignia formatæ ſunt ex lapide dealbato & gypſo. Supra dictam coronidem quinque genii expanſum tenent aulæum, quod tres exhibet inſignium clypeos, a duobus magnis leonibus ſuſtentatos. Omnia hæc ex gypſo ſunt facta. Clypeus medius, qui reliquos magnitudine excedit, auream incingit ovatam, e ſerico rubro, cui indita ſunt inſignia *Auſtriaca*, omnium regionum hereditariarum phrygio opere intexta, ac aurei velleris inſigni circumdata. Bina minora ſcuta etiam pannos ſericos rubros continent, eosque metallo nobiliori incluſos; ſuper uno ſcuto caſſis cum pennis pavonum, & ad alterum gladius pugio, & calcaria affixa ſunt. Tria hæc ſcuta in exequiis funeri præferebantur, atque hic dein in æternam memoriam ſuſpenſa fuerunt. Superius quoque pendent duodecim vexilla etiam ad ſepulturam a viris nobilibus deportata. Primum vexillum *Vinidorum Marchiæ*, colore badio; ſecundum *Cileiæ*, colore cinereo; tertium *Goritiæ*, colore flammeo; quartum *Habsburgicum*, colore columbinaceo; quintum *Tyrolenſe*, flavum; ſextum *Carnioliæ*, viride; ſeptimum *Carinthiæ*, violaceum; octavum *Styriæ*, rubrum; nonum *Burgundiæ*, candidum; decimum *Auſtriæ* recentius, cæruleum; undecimum vexillum militare, in quo omnium regionum hereditariarum inſignia aureo panno depicta; duodecimum vexillum funereum, colore atro. Hæcce vexilla mordacem temporis dentem ſenſere, nec bene, niſi oculo armato, diſcernuntur.

Ichnographia. Tab. xcvi. VI. Totius monumenti conſtructio cellam, ſive ſacellum conſtituit triginta pedes longum, tredecim pedes, & ſeptem ſemis pollices latum. Ara, quæ hic conſtat, velut ſupremum altare in templo, latus orientale ornat; ab occidente, adverſus altare, introitus eſt. Facies meridionalis intro verſus templum ſpectat, & ab aquilone lux duabus feneſtris in ſacellum immititur. Medius inter has feneſtras ſupra pavimentum marmoreum conſiſtit tumulus. Extrinſecus ædificium non aliter præmunitur, quam planiore tecto æneo. Patrocinium huius ſacelli eſt *Transfiguratio* CHRISTI. Totum præterea pavimentum abacis marmoreis candidis, rubris, & nigris contabulatum eſt.

Lateris orientalis facies interior. VII. Introitus huius facies interior ad orientem, eundem fere conſpectum præbet, niſi quod in faſtigio, loco nominis I. H. S. conſpiciantur modo dicta inſignia, forma minori, eaque a parvis

vis geniis ſuſtentata : ſupra ianuam arcuatam CHRISTI & MARIÆ imagines obliquæ ex alabaſtro ſpectantur. TAB. XCVI.

VIII. Ara ſacelli conſtituta eſt in receſſu cuiusdam arcus, ianuæ adverſa. Tabula altari impoſita exhibet paullo ante memoratum ſacelli patrocinium, *Transfigurationem* CHRISTI, adiecto verſu: Ara ſacelli.

HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, HUNC AUDITE.

E lateribus conſiſtunt ſimulacra SS. PETRI & PAULI, ſaxo excisa: ſupra hæc exhibentur ſex genii, inſtrumentis muſicis inſtructi, pariter ex lapide, & infra duo alii, qui ſtrophia tenent, unum nomine IESU, alterum MARIÆ per monogrammata inſignitum. Ex una parte arcus depingitur *Evangeliſta* MATHÆUS, ex altera MARCUS.

IX. Quæ facies intra vergit ab occidente, non diſcrepat a facie exteriori, niſi quod effigies MARIÆ *Bavaræ*, uxoris CAROLI Archiducis ex alabaſtro intus in ſacellum reſpiciat, quæ facies a parte interiori altior non eſt, quam apertura arcuum. Facies interior occidentalis.

X. Facies illuſtris aquilonem verſus duabus feneſtris arcuatis lumen accipit. Inter quas, quæ exhibetur pictura, CHRISTUM præbet, puerulos ad ſe vocantem. Ad extremitatem depinguntur reliqui bini Evangeliſtæ, utrinque unus. Pars averſa feneſtræ.

XI. Fornix conſtructus eſt ex gypſo, opere veteri, & parum concinno; multis componitur ſcutis, in quibus genii cum ſignis dominicæ paſſionis depicti exhibentur. Proxime aram, ſuperius in medio faſtigio ad conſpectum præbetur DEUS Pater cum angelorum choro: ſed ſuper ingreſſum ſiſtitur ſimul cum duodecim Apoſtolis divina Mater in cœlum abiens. In quatuor angulis totidem conſtituti ſunt genii, ac duo medii in latere longiore; unus pagellam tenet, cum huiusmodi epigraphe: Teſtudo.

SINITE PARVULOS AD ME VENIRE.

Alter ex adverſo ſchedam monſtrat, ſic inſcriptam:

SEBASTIAN CARLON HANC BASILICAM PARERGIS, ET IMAGINIBUS CIRCUMPOSITIS ILLUSTRAVIT, HOCQUE SEPULCRUM INFERIUS ERECTUM EST MDLXXXV.

Nomen quidem ſtatuarii, qui imagines finxit, in ſacello non invenitur: id tamen in archivo *Seccovienſis* monaſterii ſervatum eſt: ALEXANDER VERDA.

XII. Inſigne illud buſtum, quod maximam partem e marmore rubicundo, vel nigro cum guttis albis conſtat, proxime parietem conſiſtit, medium inter utramque feneſtram, ut adeo tres eius facies conſpici poſſint. Longitudine æquat novem ſemis pedem, latitudine quinque pedes, & unum pollicem, altitudine qua- Tumulus TAB. XCVII.

TAB. XCVII.

tuor pedes, & decem ſemis pollices. Quatuor anguli mediæ partis totidem ornantur ſignis humanis, mediis cum parergis, e marmore candido. In eadem hac media parte, triplici diſtributione novem continentur anaglypha ex alabaſtro, velut marginibus incluſa, quæ Servatoris CHRISTI patientis hiſtoriam exhibent. Primam ſpeciem præbet CHRISTUS in monte *Oliveti*. II. IUDÆ proditio. III. Flagellatio. IV. Eductio in montem *Calvariæ*. V. Affixio in crucem. VI. Sepultura. VII. Deſcenſus ad inferos. VIII. Reſurrectio a mortuis. IX. Apparitio CHRISTI in forma hortulani. Supra hæc anaglypha in tribus lateribus decem inſignia ex alabaſtro in parvis clypeis exhibentur: ſcilicet 1) *Marchiæ Vinidorum*. 2) *Goritiæ*, 3) *Tyrolis*, 4) *Carinthiæ*, 5) *Burgundiæ*, 6) *Auſtriæ*, in medio lateris longioris, 7) *Styriæ*, 8) *Carniolæ*, 9) *Habsburgi*, 10) *Cileiæ*. Ad imum monumenti octo formata ſunt geniorum capita e marmore candido, inter quæ ſcripti ſunt ſeptem tituli latini, partim e bibliis ſacris, partim e precibus pro defunctis, in Eccleſia *Romana* recitari ſolitis, deſumti, quos hic adiicimus:

I. RECORDARE IESU PIE, QUOD SUM CAUSSA TUÆ VIÆ, NE ME PERDAS ILLA DIE.

II. QUÆRENS ME SEDISTI LASSUS, REDEMISTI CRUCEM PASSUS, TANTUS LABOR NON SIT CASSUS.

III. IUSTORUM ANIMÆ IN MANU DEI SUNT, ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS; VISI SUNT OCULIS INSIPIENTIUM MORI, ILLI AUTEM SUNT IN PACE.

IV. CUM TE CONSUMTUM PUTAVERIS, ORIERIS UT LUCIFER, ET HABEBIS FIDUCIAM PROPOSITA TIBI SPE, ET DEFOSSUS SECURUS DORMIES. REQUIESCES, ET NON ERIT, QUI TE EXTERREAT.

V. BEATI MORTUI, QUI IN DOMINO MORIUNTUR, AMODO IAM DICIT SCRIPTURA, UT REQUIESCANT A LABORIBUS SUIS, OPERA ENIM ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS.

VI. QUI MARIAM ABSOLVISTI, ET LATRONEM EXAUDISTI, MIHI QUOQUE SPEM DEDISTI.

VII. PRECES MEÆ NON SUNT DIGNÆ, SED TU BONUS FAC BENIGNE, NE PERENNI CREMER IGNE.

Ad quatuor angulos in pavimento genua ponunt totidem genii e marmore candido, ſinguli ſesqui tertios pedes alti, qui tumulum quodammodo ſuſtinere videntur. Supra buſtum iacent ex albo marmore imagines CAROLI Archiducis, & MARIÆ, uxoris eius, ſubiectis pulvinaribus ex marmore candido, & periſtromate ex atro. Archidux iacet aperto capite cum collari rugato, & torque aurei velleris ad pectus applicato, manibus decuſſatim compoſitis, enſe ad latus, & caſſide ad pedes. MARIA ad ſiniſtram habitu, ut tunc uſus ferebat, Principum fœminarum, cum calantica, collari

lari rugato, & manicis pendentibus, lapillorum pretioſorum ornatu, ac manibus decuſſatis. Capitibus imminent plena *Auſtriæ* inſignia, galero ducali tecta ex alabaſtro candido, quæ inſignia a duobus geniis, e marmore albo factis, tenentur, & torque aurei velleris cinguntur cum huiusmodi epigraphe, litteris auratis marmori nigro inſcripta: Tab. XCVII.

CAROLUS. SERENISS. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. ETC. HIC. POSITUS. ANNO. M. D. XC.

A tergo huius clypei calva cadaveroſa cum ſuperpoſito clepſamidio, ac decuſſatim iacentibus oſſibus. Ad pedes pariter duo e candido marmore genii inſignia *Bavariæ* ex alabaſtro tenent, cum circumſcripto titulo:

MARIA. VTRIVSQVE. BAVARIÆ. DVCISSA. ETC. CONIVX. QVONDAM. CAROLI. CHARISSIMA.

A parte poſteriori clypei horum inſignium nomen I. H. S. monogrammate inſculptum eſt.

XIII. Ut porro omnia, quæ de hoc tumulo hactenus diſſeruimus, penitus perſpecta, planeque cognita lectori fiant, addimus eiusdem quoque latera arctiora, typis expreſſa; quæ titulos, inſignia, figuras, & ſymbola, quorum mentionem fecimus, oſtendunt. Eiusdem tumuli latera arctiora. Tab. XCVIII.

XIV. Nunc ad ipſam cryptam ſepulcralem, dicto tumulo ſuppoſitam, pedem promovemus. Ante ingreſſum ſacelli in templo cathedrali, pavimento inſtratum conſpicitur marmor ſepulcrale; eius longitudo eſt ſeptem pedum, trium pollicum, latitudo trium pedum, totidemque pollicum. Sunt quidem in hoc cyppo ornamenta quædam cælata, annuli ex ære quinque infixi, & æreus margo, tres ſemis pollices latus, totum lapidem ambiens, nulla tamen in hoc lapide apparet inſcriptio. Cum eſſet ſublatus e pavimento, quo ſolide firmatus erat, occurrebat ſcala octo graduum, tres pedes, quatuor ſemis pollices lata, ad cuius imam extremitatem utrobique ſe offerebant parvæ cameræ vacuæ, ſingulæ ſex ſemis pedes longæ, & tres pedes latæ. Hinc per arcum quinque pedes, & pollices ſesqui alterum patentem, & quatuor pedes, totidemque pollices craſſum ingreſſus patet in cryptam primariam, quæ viginti tres pedes & decem pollices longa, octo pedes, decemque pollices lata, & quinque pedes novem pollices alta, ducto ab aquilone verſus meridiem fornice. Ingredientibus ad ſiniſtram a parte orientali tres columnæ, ſine capitellis, occurrunt, ſuperſtructam ſuſtentantes buſti molem. Cryptæ deſcriptio. Tab. XCIX.

XV. In hac crypta quinque maiores, & quatuor minores exſtant loculi quadrati, ſtanno, cælato opere, & inſcriptionibus ornati, a) quarum rerum in tabula XCIX. indicia clariora habentur. Qui loculus lit. a. ſignatur ſex pedes & quatuor pollices lon- Funus Caroli ibidem conditum. Lit. a.

a) Auctor *Græcii* topographice deſcripti, decem funera in hac crypta numerat.

Tab. XCIX. gus eſt. In eo quieſcunt oſſa Caroli *Græcenſis*, Archiducis, qui anno ætatis quinquageſimo, die decima menſis *Iulii* an. C. 1590. e vita migravit. Operimento capuli funerei affixum eſt ſignum crucis, ſuper idque lamina cum inſcriptione, & inſignibus, quæ partes ambæ aurei velleris inſigni cinguntur. Inſcriptio ſic ſe habet:

CAROLUS. ARCHIDUX.
AUSTRIÆ. DUX. BURGUN-
DIÆ. STYRIÆ. KARINTHIÆ.
CARNIOLÆ. AC. WIRTHEM-
BERGÆ. ZC. ÆTATIS
SUÆ 50. ANNORUM.
OBIIT. 10. DIE MENSIS.
IULII. ANNO. 1. 5. 9. 0.

De viſceribus huius Archiducis *Græcii* in templo S. Ægidii conditis in diſſertatione ſingulari dicemus.

Caroli pia mors. XVI. Maximis, iisque perpetuis laboribus, quos Carolus Archidux pro utraque republica in ſe ſuſceperat, ſupra modum frangebatur eius valetudo; anno itaque 1590. in *Auſtriam* conceſſit thermis *Mannerſtorphenſibus* amiſſas corporis vires recuperaturus. Hæc inter tempora ab iis, qui novæ doctrinæ fautores erant, tumultus in ipſa civitate *Græcenſi* excitatur, cuius nuntium ut accepit Princeps, nondum finitis curandæ ſanitati deſtinatis diebus, ac valetudine inſuper habita, cum liberis & coniuge ſua Maria, Alberti V. *Bavariæ* Ducis filia, *Græcium* reverſus eſt. Quamvis itineris contentione morbus nondum ſatis depulſus, recrudeſceret, *Cellas* tamen *Marianas*, pro innata ſingulari ſua in Deiparam pietate, divertens, ædes thavmaturgas Nonis *Iulii* attigit, ubi ſacro epulo refectus, totum ſe pietatis operibus dedit. At morbo magis, ac magis ingraveſcente poſtero die *Muræpontum* lectica deportatus, ac *Græcii* tandem adveniens, Sexto Idus *Iulii*, tertio nempe ab adventu die, fatis conceſſit.

Breviarium vitæ illius. XVII. Erat Carolus noſter, ut prævie monuimus, Ferdinandi I. Imperatoris filius, naſcendi ordine tertius, ex Anna, Uladislai *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regis filia anno 1540. die III. *Iulii*, inter horam tertiam & quartam matutinam in ſigno cancri natus. Annum ætatis vigeſimum quartum agens ab Auguſto parente, morti iam iam proximo, *Styriam*, *Carinthiam*, *Carnioliam*, comitatum *Goricienſem*, ceteraque mari *Adriatico* adiacentes provincias regendas ſuſcepit, unde, ut diximus, *Styrenſis*, ſeu *Græcenſis* (nomine a metropoli *Styriæ* deſumto) paſſim audiit.

Indoles atque religio. XVIII. Erat illi indoles vivida, prudentia longo, ac frequenti rerum uſu edocta, litterarum, optimarumque artium amor ſingularis, ac fervens præſertim avitæ religionis conſervandæ ſtudium. Quare contigit, ut non tantum Elisabethæ, *Britanniæ* Reginæ

næ oblatas nuptias, ac leges matrimoniales ex *Anglia* allatas, catholico tamen Principe indignas, reſpueret, ſed etiam novatoribus, ſacra ſua *Styriæ* inferre volentibus, ea, qua Ducem *Auſtriacum* decebat, conſtantia reſiſteret. Novorum dogmatum magiſtris, in *Styria* præſertim tumultuantibus CAROLUS anno 1568. comitia *Muræponti*, oppido haud ineleganti, indixit, ubi de conſervanda religione Romano-catholica acriter decertatum eſt. Ceſſerat tunc quidem CAROLUS, nobilium precibus & auctoritate coactus, in quatuor *Styriæ*, *Carinthiæ*, & *Carnioliæ*, civitatibus religionis libertatem concedens; verum maxima inde cum ſcandala oriri, & cuncta in peius abire cerneret, conceſſam exercendæ Confeſſionis *Auguſtanæ* poteſtatem revocans, omnes ſibi ſubditos non tantum graviſſimis pœnis a doctrina noviter introducta cohibuit; ſed etiam illos aut catholico ritu vivere, aut provinciis ſuis exire iuſſit. TAB. XCIX.

XIX. Hæc dum domi agerentur SOLIMANNUS, *Turcarum* Imperator, victricia ſigna *Hungariæ* inferens, ingenti militum manu *Sygethum* cinxit, totamque *Europam* in metum dediſſet, niſi CAROLUS ſua Ducumque ſuorum fortitudine hoſtiles Barbarorum excurſiones refrenans, ac, commiſſis quibusdam propitio marte prœliis, militem *Ottomannicum* receptui canere compuliſſet. Non minus felici ſucceſſu Princeps noſter litem a *Venetis*, de provinciarum limitibus motam, ac ruſticorum tumultus in ſuis ditionibus ſedavit. Quamvis enim ad vicena eorum millia, ſumtis armis, *Sclavoniam*, *Carnioliam*, *Styriam*que depopularentur, CAROLUS tamen, ut erat animo excelſo, & ad arduos quoscunque caſus præſenti, mira celeritate incompoſitis perduellium turmis ſeſe oppoſuit, ac, multatis rebellium anteſignanis, reliquos ad officium redire coegit. Plura, eaque ingentia huius Archiducis in rempublicam, avitam religionem, atque litteras merita *Caroloſtadium*, ab ipſo recens exſtructum, Collegium Societatis IESU, in civitate *Græcenſi* fundatum, & Academia ſcientiarum ibidem aperta, abunde ſatis deprædicant. CAROLI virtus bellica.

XX. Ad meridiem, proxime iuxta loculum fundatoris CAROLI, iacet loculus ſtanneus ſex pedes pollicem unum longus, ac ſex manubriis ferreis circumcirca inſtructus, a nobis in Tab. XCIX. litera b. notatus, qui cineres MAXIMILIANI ERNESTI Archiducis *Auſtriæ* & ordinis *Teutonici* Commendatoris aſſervat. In operculo ſculpta cernitur crux ordinis *Teutonici* & inſuper epitaphium margine incluſum: MAXIMILIANUS ERNESTUS, Ord. *Teut.* Commendator † 1616. 18. *Febr.* Lit. b.

MAXIMILIANUS ERNESTUS
ARCHIDUX AUSTRIÆ ORD. TEUTONICI
COMMENDATOR

SUAM ÆTERNVM DEO ANIMAM.
COMMENDAT
SUUM TANTISPER HUIC URNÆ CORPUS.
NATUS 1583. 17. NOV.
GRÆCII
VITA FUNCTUS 1616. 18. FEBR. XXI.

Vitæ ſeries. Tab. XCIX.

XXI. Maximilianus Ernestus, tertius erat Caroli *Styrenſis* filius, anno 1583. die XVII. *Novembris*, ut mox allata a nobis inſcriptio docet, huic mundo natus eſt. Vix trigeſimum tertium ætatis annum agens, ac ordinis *Teutonici* Magiſter renuntiatus, vivere deſiit *Græcii*. Tantæ erant huius Archiducis virtutes, tanta præſertim eius in rebus bellicis peritia, a) ut immaturam eius mortem nunquam ſatis deplorare poſſimus.

a

Gregoriana Maximiliana † 1597. 2. *Sept.* Lit. c.

XXII. Proxime qui adſtant loculi, ſic converſi ſunt, ut pedes vertant ad meridiem, ſiniſtrum vero latus ad orientem. In uno horum loculo conditum quieſcit funus Gregorianæ Maximilianæ, quam ex Maria *Bavara* ſuſceperat Carolus. Arcam eius, ſex pedes longam, ferro olim munitam fuiſſe, hinc inde circumiacentia teſtantur fragmenta. Operimento loculi ſtannei inſculptum eſt ſignum crucis, cum ſuperiniecta tabula, quæ hanc inſcriptionem legendam præbet:

ANNO. SALUTIS. HUMANÆ. M. D. XCVII.
DIE. XX. SEPTEMBRIS. INTER QUINTAM ET SEXTAM MATUTINAM. IN. VIGILIA. S. MATTHÆI. APOSTOLI. EX. HAC. LACRIMARUM. VALLE. PIISSIME. DECESSIT. SERENISS. PRINCEPS. AC. HEROINA. D. GREGORIANA. MAXIMILIANA. SERENISS. PRINCIPIS. AC. DNI. D. CAROLI. ARCHIDUCIS. AUSTRIÆ. DUCIS. BURGUNDIÆ. STYRIÆ. CARINTHIÆ. CARNIOLÆ. WIRTENBERG. COMITIS. HASBURGENS. ET. TYROLENSIS. ET. GORITIENS. EIUSDEMQUE. SERENISS. ET. DILECTISSIMÆ. CONSORTIS. MARIÆ. NATÆ. PALATINÆ. AD. RHENUM. SUPERIORIS. ET. INFERIORIS. BAVARIÆ. DUCIS. LEGITIMA. ANNO. ÆTATIS. SUÆ. DECIMO. SEXTO. CUIUS. ANIMÆ. OMNIPOTENS. DEUS. PROPITIUS. AC. MISERICORS. ESSE. VELIT. EIDEMQUE. IN. NOVISSIMO. DIE. GLORIOSUM. IN. CORPUS. REDITUM. IMPERTIRI. CLEMENTISSIME. DIGNETUR.
AMEN.

Compendium vitæ.

XXIII. Quinta hæc erat Archiducis Caroli filia, *Græcii* anno 1581. die XXII. *Martii*, media ſexta veſpertina primam lucem aſpiciens, ac die 29. eiusdem menſis ab Epiſcopo *Seccovienſi* renata. Tot corporis animique ornamenta in hanc Principem natura contulerat, ut illam Philippus III. *Hiſpaniarum* Rex, thori thronique conſortem exoptaret. Verum ad cœleſtis ſponſi thalamum decimo ſexto ætatis ſuæ anno evocata, pro mortali immortalitatis coronam *Græcii* eſt conſecuta anno 1597. die XX. *Septembris* quadrante ante horam ſextam matutinam. Plura de hac Principe L. B. in Pinacothecæ noſtræ P. II. L. V. C. II. inveniet.

Catharina Rennea † 1595. 29. *Iun.* Lit. d.

XXIV. Parieti ad orientem proprior capulus ſtanneus, oſſa continet alterius, quam Carolus genuit, filiæ, nomine Catharinæ

a) Pinacoth. P. II. lib. V. cap. II. p. 321.

RINÆ RENATÆ, quam alii ſcriptores coævi, more *Gallico*, RENNEAM vocant. Hæc annum viceſimum ætatis agens die XXIX. *Iunii*, anno MDXCV. innupta diem ſupremum obiit. Corpus exanime primo *Græcii* in eccleſia Societatis IESU oratione lugubri a) cohoneſtatum, poſtea *Seccoviam* deductum, ibique die VIII. *Auguſti* in communi hac Archiducum *Auſtriaco-Styrenſium* crypta ad pedes ſereniſſimi parentis, ut moriens petierat, compoſitum quieſcit. Loculus huius Principis quinque pedes & undecim pollices longus, in operculo crucem inſculptam oſtendit. Ad caput ſuperaffixa eſt lamina cum epitaphio in idiomate germanico, eo tamen notis latinis maioribus exarato, huius tenoris: TAB. XCIX. a

DEN XXIX. TAG. IUNII. ZU. MORGENS. EIN. VIERTL. NACH. VI. UHR. AUF. SANCT. PETER. UND. PAULS. TAG. DES XCV. IAHRS. IST. AUS. DIESEM. IAMMERTHAL. GANZ. CHRISTLICH. VERSHIDEN. DIE. DURCHLEUCHTIGSTE. FURSTIN. UND. FRAILEIN. FRAILEIN. KATHARINA. RENNEA. DES. DURCHLEUCHTIGSTEN. FURSTEN. UND. HERRN. HERRN. CARLN. ERZHERZOGEN. ZU. OSTRREICH. HERZOGEN. ZU. BURGUND. STEIR. KARNTEN. CRAIN. UND WIRTENBERG. GRAFEN. ZU. HABSBURG. UND. TIROL. UND. GORZ. UND. DER DURCHLEUCHTIGSTEN. GELIEBTESTEN. GEMAHEL. MARIA. GEBOHRNE PFALZGRAFIN. BEIM. REIN. HERZOGIN. IN OBER. UND. NIDER. BAIREN. EHLEIBLICHE. TOCHTER. DIE. IRES. ALTERS. IN XX. GEWEST. WELCHER.SEEL. DER. ALLMECHTIGE. GOTT. GNADIG. UND. BARMHERZIG. UND. AM. IUNGSTEN. TAG. EIN. FROHLICHE. AUFERSTEHUNG. GNEDIGLICH. VERLEIHEN. WOLLE. AMEN.

Id eſt: *Die vigeſima nona Iunii, mane quadrante poſt horam ſextam in feſto ſanctorum* PETRI *&* PAULI *anno nonageſimo quinto ex hac lacrymarum valle pie obiit ſereniſſima Princeps & Domina Domina* KATHARINA RENNEA, *ſereniſſimi Principis & Domini Domini* CAROLI *Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ & Wirtembergæ, comitis Habsburgi, Tyrolis & Goritiæ, & ſereniſſimæ, dilectiſſimæque coniugis* MARIÆ, *natæ Palatinæ ad Rhenum, Ducis in ſuperiori & inferiori Bavaria, legitima filia, quæ annorum ætatis erat viginti, cuius animæ omnipotens* DEUS *gratiam & miſericordiam elargiri, atque in noviſſimo die felicem reſurrectionem benigne concedere velit. Amen.*

XXV. Tertium inter filias CAROLI locum CATHARINA RENATA *Græcii* obtinuit, anno 1576. die quarta *Ianuarii* circa horam noctis octavam. A MARTINO Epiſcopo *Seccovienſi*, levantibus RUDOLPHI II. Imp. nomine MATHIA & MAXIMILIANO fratribus illius Archiducibus, & RENATA, Duciſſa *Bavariæ*, baptizata, inſigni morum innocentia & probitate iuventutis ſuæ annos transegit b) anno 1595. die XXIX. *Iunii*, teſte MENLIO, ac *Græcenſi* MS. Ducis *Parmenſis* thoro iam iam deſtinata, ſed, quo minus illum conſcenderet, morte eodem anno præpedita fuit. Plura, ad huius Principis vitæ ſeriem pertinentia, reperies loco mox citato. Vitæ mortisque hiſtoria. b

XXVI.

a) P. STEYRER in Collectaneis. b) Pinac. P. II. Lib. V. cap. II.

ELISABETHA, prædicti CAROLI filia † 1586. 29. *Jan.* Lit. e. TAB. XCIX.

XXVI. Medio ad parietem orientalem ſitu alius conſiſtit loculus ſtanneus, cuius medio operculo litteris Romanis inſculptum epitaphium germanicum nos docet, in illo contineri exuvias ELISABETHÆ Archiducis *Auſtriæ*, ac CAROLI *Græcenſis* filiæ, quam mors acerba ſuſtulit an. M. D. L. XXXVI. die XXIX. *Ian.*

HIERINNEN LIEGT ELISABETH
ERZHERZOGIN ZU OESTERREICH
WELCHE AUS DIESER WELDT
VERSCHIDEN 1586. IARDE
DEN 29. IANUARII ABENDS EIN
WENIG VOR 7. UHREN IHRES
ALTERS IM NEUNTEN
IAR.

Id eſt : *Hoc loculo conditur* ELISABETH, *Archiduciſſa Auſtriæ, quæ de hoc mundo deceſſit anno* 1586. *die* 29. *Ianuarii, veſpere paullo ante horam ſeptimam, ſuæ ætatis nono anno.*

Ortus, & occaſus huius Principis.

XXVII. CATHARINÆ RENATÆ igitur in cryptam *Seccovienſem* quinquennio præceſſerat ſoror ELISABETHA, ætate minor, ac CAROLI *Græcenſis* quarta filia. Primam auram ſpiravit hæc Princeps *Græcii* anno 1577. die XIII. *Martii*, ac tertio quadrante ad horam ſeptimam veſpertinam. Sacris undis lavata a CONRADO, Epiſcopo *Labacenſi*, die XXIV. eiusdem menſis, optata valetudine nunquam utebatur; variolis enim atque morbillis iterum iterumque vexata, in febrin quartanam ſæpius incidit, quæ tandem Puellæ Principi funeſtam hydropem contraxit, anno ætatis eius octavo, menſe decimo, die decimo ſeptimo. Scriptores haud contemnendi a) Sereniſſimæ huic Puellæ iam annum 1580. fatalem ponunt; at fides habenda eſt epitaphio, a nobis ſupra allato, cui Annales *Seccovienſes*, ac diarium Collegii *Græcenſis* Societatis IESU, ſuffragantur.

a

FERDINANDUS I. CAROLI filius † 1571. 1. *Aug.* Lit. f.

XXVIII. Ad partem ſiniſtram, aquilonem verſus exiguus occurrit loculus, longitudine pedis unius, & duorum pollicum. Extremitati ſummæ affixa eſt lamina, epigraphe ſua indicans eo condi teneras FERDINANDI I. exuvias. Inſcriptio huius loculi his verbis concepta eſt :

FERDINANDUS FILIUS CAROLI AR-
CHIDUCIS AUSTRIÆ OBIIT ANNO MD
LXXI. PRIMA DIE AUGUSTI IN IU-
DENBURG.

Corrigendus itaque eſt auctor hiſtoriæ ad *Icones Principum regnantium ſub imperio* FERDINANDI II. *Cæſaris* &c. qui pag. 4. b. pro æra nativitatis huic Archiduci aſſignat diem XXV. *Iulii* 1272. BIRCKENIUS quoque, qui diem Archiduci emortualem fuiſſe ſcribit XXXI. *Iulii*.

a) Ap. P. STEYRER Coll.

XXIX. Primus, quem CAROLO MARIA *Bavara* genuit, filius FERDINANDUS noſter erat, *Iudenburgi* 1571. die XV. *Iulii* quadrante poſt horam octavam antemeridianam editus, ac XX. *Iulii* ab Epiſcopo *Seccovienſi* ſacro fonte ablutus. Vitæ ſuæ dies non ultra ſedecim produxit. Prima enim *Auguſti*, ut epitaphium, teſtis omni exceptione maior, enuntiat, & quidem circa mediam noctem, eodem anno, extinctus eſt. a)

Eius nativitas. TAB. XCIX.

XXX. Parvulum hunc loculum, verſus aquilonem, contingit alius paullo grandior, itidem ſtanneus. Opperculo parva crux ac epitaphium idiomate *germanico* inſculptum legitur. En verba inſcriptionis:

CAROLUS eiusdem Archiducis filius † 1580. 17. *Maii*. Lit. G.

IM M. D. LXXX. IAR DEN XVII
TAG MAII ZWISCHEN 12. UND
AIN UHR ZU MITTAG IST DER
DURCHLEUCHTIGSTE HOCHGEBOHRNE
FURST UND HERR HERR CARL ERZ
HERZOG IN OSTERREICH, HERZOG
ZU BURGUND, STEYER, KÆRNTEN
UND CRAIN ZC. GRAF ZU TYROL
UND GORZ ZC. SEINES ALTERS
IN ZEHENDEM MONAT IN DER STAT
GRAZ VON DIESER WELT VERSCHIEDEN.

Id eſt: *Anno MDLXXX. die XVII. Maii inter horam duodecimam & primam meridianam* GRÆCII *vitam deſeruit ſereniſſimus Princeps Dominus Dominus* CAROLUS, *Archidux* AUSTRIÆ, *Dux* BURGUNDIÆ, STYRIÆ, KARINTHIÆ *&* CARNIOLIÆ *&c. Comes* TYROLIS *&* GORIZIÆ *&c. ætatis ſuæ menſe decimo.* Auctor itaque Faſtorum *Auſtriacorum, Vindobonæ* anno 1737. editorum, annum emortualem huius Principis perperam reponit ad annum 1582.

XXXI. Cognominis patri ſuo CAROLUS curriculum vivendi, quod *Græcii* an. 1579. die 17. *Iulii* intra horam quintam & ſextam pomeridianam incepit, ac eodem die, quo decimum ætatis menſem egreſſus eſt, abſolvit, morbillis malignis extinctus. Funus tenerrimum *Calendis Februarii* anno ſequenti pariter *Seccoviam* deportatum, & ibidem in loculo ſtanneo, ut ſupra diximus, ad arcas FERDINANDI I. fratris, aliarumque ſororum ſuarum adpoſitum fuit.

Nativitatis epocha, ac mortis genus.

XXXII. Ex eadem parte prope ingreſſum loculus porro inventus duos pedes & tres pollices longus, in quo, ut operculo, quod cruce pariter inſignitum eſt, inſculpta inſcriptio loquitur, conduntur exuviæ CHRISTINÆ, filiæ FERDINANDI Archiducis, poſtea *Romanorum* Imperatoris ex MARIA ANNA, Duce *Bavariæ*. Inſcriptionis verba ſunt hæc: SERE-

CHRISTINA, fil. FERDIN. Archid. poſtea Imp. II. † 1601. XII. *Ian.* Lit. H.

a) Auctor *Græcii* topographice deſcripti obitum huius Principis reponit ad 31. *Iul.* anno 1572.

TAB. XCIX.

SERENISSIMA DOMINA ARCHIDUX
DONNA CHRISTINA SERENISSIMORUM
PRINCIPUM DONNI FERDINANDI ARCHI-
DUCIS AUSTRIÆ, DUCIS BURGUN-
DIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ,
ET WIRTENBERGÆ, COMITIS HABS-
BURGI, TYROLIS ET GORITIÆ ETC. ET
SERENISSIMÆ DONNÆ MARIÆ ANNÆ CHA-
RISSIMÆ CONIUGIS ARCHIDUCIS AU-
STRIÆ, NATÆ RHENI PALATINÆ, ET UT-
RIUSQUE BAVARIÆ DUCIS FILIA PRIMO-
GENITA IN HOC TUMULO REQUIESCIT.
OBIIT DIE XII. IUNII ANNO CHRISTI
MDCI. UNA HORA A SUA NATIVITATE.

Primus hic matrimonii, inter FERDINANDUM II. & MARIAM ANNAM initi, fructus, DEO fuit a ſereniſſimis parentibus extemplo redditus. De hoc Principe infante ſermo redibit cap. VII. huius libri.

CAROLUS eiusdem FERDINANDI fil. †. 1604. 25. *Maii.*

XXXIII. Ultimus denique loculus, longitudine duum pedum, & quinque pollicum in operculo ſignum crucis præbet, & inſuper laminam epitaphio inſcriptam. In hac arcula conditur infans Princeps CAROLUS, eiusdem FERDINANDI & MARIÆ ANNÆ, Archiducum, primus filius, cui necquidem horam vivere datum eſt, ut ſequens epigraphe teſtatur.

SERENISSIMI DOMINI ARCHIDUCIS DOM-
INI CAROLI, SERENISSIMORUM PRINCIPUM SERENISSI-
MI DOMINI FERDINANDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ,
DUCIS BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ,
ET WIRTENBERGÆ, COMITIS HABSBURGI, TYROL-
IS ET GORITIÆ, ET SERENISSIMÆ DOMINÆ MARIÆ
ANNÆ CARISSIMÆ CONIUGIS, ARCHIDUCIS AUS-
TRIÆ NATÆ RHENI PALATINÆ, UTRIUSQUE BAVA-
RIÆ DUCIS FILII CORPUS HOC IN LOCULO REQUIESCIT
ANIMA IN COELO LÆTATUR.
OBIIT DIE XXV. MAII ANNO CHRISTI M. D. CIII.
DIMIDIA HORA A SUA NATIVITATE BAPTIS-
MATE ANTE DUODECIMAM NOCTIS.

CAPUT II.

MARIÆ BAVARÆ, CAROLI GRÆCENSIS UXORIS, MONUMENTUM, QUOD GRÆCII EST APUD SANCTIMONIALES ORD. S. CLARÆ, EIUSQUE FUNUS.

§. I.

Græcii monaſterium S. CLARÆ fundatum.

Græcii in *Styria*, venientibus ex *Auſtria*, ac portam *Murhæ* (vulgo *Murthor*) ingreſſis, ad lævam occurrit monaſterium Virginum Ordinis S. CLARÆ, *Omnibus Sanctis* nuncu-

nuncupatum, quod *Lutherani* in uſum ſcholæ verterant, poſt horum autem emigrationem, CAROLI Archiducis iuſſu factam, MARIA ex domo Ducum *Bavariæ*, ac dicti Archiducis coniux, anno 1602. ſacris DEO virginibus, ut iam ſupra adnotavimus, dedicari voluit.

II. In hoc cœnobio conſtitutum eſt monumentum ſepulcrale, quod quidem diverſo intuitu triplicem nomenclaturam admittit. Sicquidem enim in eo conditum funus MARIÆ *Bavaricæ* quieſcit, utique tumulus ſepulcralis appellari poterit. Contra, cum in hoc monumento etiam imago mariti eius CAROLI archiducis exciſa ſit, nec tamen hoc loco, ſed *Seccovii* funus eius compoſitum eſſe ſciamus, hoc adeo monumentum reſpectu CAROLI Archiducis Cenotaphium dicetur. Denique FERDINANDUS II. & III. unacum ELEONORA *Mantuana* poſtmodum tanto amore hoc monaſterium proſecuti ſunt, ut in dicto monumento corda ſua poſt obitum recondi voluerint; proinde etiam ut conditorium cordium Auguſtorum conſiderari poterit. Itaque nos iam huius monumenti expoſitionem, & æri inciſum exemplar ſubiungimus. Monumentum ſepulcrale ibidem conſtructum.

III. In huius templi choro inferiore, cui aliud ſacrarum Virginum ſuperſtruitur odeum, medio loco conſiſtit illud, de quo diximus, monumentum, e marmore rubicundo exciſum; longitudo eius octo pedum, duorum ſemis pollicum, latitudine pedum quatuor, & totidem pollicum. Supra operimentum CAROLUS Archidux & Gubernator *Styriæ*, cum ſua uxore MARIA, ſtatura integra, e ſimili marmore formatus, conſpicitur. CAROLUS ad dextrum latus comparet, cataphractus & galero archiducali redimitus cum torque aurei velleris ad pectus, & parvo collari rugato, manibus denique decuſſatis. Uxoris eius MARIÆ imago ad ſiniſtram iacet, cum tunica talari, ſuperiniectaque palla oblonga, inferius quaſi conſuta, nec non vetuſti uſus calantica, capiti accommodata, ea quoque collare rugatum circumligatum habet, dependentibus corollis precatoriis, ac lumbis faſcia ligatis, manibusque pariter decuſſatim compoſitis. Facie ſua hæ imagines verſus altare chori, quod ad meridiem vergit, reſpiciunt. Ad latus anguſtum huius monumenti, capita verſus, plena regionum *Auſtriacarum* inſignia, aurei velleris torque circumdata, in clypeo marmoreo effinguntur. Retro verſus pedes in ſimili marmore exſtant inſignia Ducum *Bavariæ*. Coronis, ſive lorica, ad quatuor angulos, totidem oſtendit clypeos minores, calvariis mortuorum anaglyphico opere inſculptos. Ad latera longiora ſex calvariæ cum decuſſatim colligatis oſſibus ſpectantur. Eius deſcriptio. TAB. C.

IV. Perſpecta huius tumuli forma exteriore opus eſt oſtendere, quæ exuviæ, cum anno 1741. die 4. *Maii* aperiretur, repertæ ſint. Qua parte, capita pulvinaribus inclinata, videntur, pavimento inſeritur marmor, tres pedes & quatuor pollices longum, de- Sepulcrum inveſtigatum.

TAB. C. cemque pollices latum, quod infixis duobus annulis ferreis elevari poteſt. Quo facto, per os apertum ſpectabatur arca ſtannea, inſcriptum autem illi epitaphium legi nulla ratione potuit, cum ob inverſum loculi ſitum, tum propter orificii exiguitatem; neque monumentum ſine periculo cladis maiorem patefactionem concedere videbatur. Hæc tamen inveſtigatio non omni fortuna caruit: nam præter tres cordium urnas, quas accurate delineatas, deſcriptasque P. II. dabimus, deprehendimus arcam ſtanneam operimento tenuiori tegi, quod iniecta reſticula facile elevari poſſet. Quo elevato in capulo ligneo, ut anno 1608. conditum fuerat, funus MARIÆ *Bavaricæ* conſpiciebatur, ad quam tot Principum ac Regum ſoboles ſui generis referunt originem. Adornata erat habitu monaſtico Ordinis S. FRANCISCI, atroque velo tecta, cum dependente de collo prolixa globulorum ligneorum corolla precatoria. Capitis, & faciei ſpecies, atque forma mortis unguem admodum ſenſerat. Ceterum in hoc loco ſolum requieſcebat funus MARIÆ noſtræ, de cuius vitæ, mortisque hiſtoria hæc, quæ ſequuntur, calamo exarare libuit.

MARIA, CAROLI uxor, † 1608.

V. Recuſatis, ut capite præcedenti diximus, cum ELISABETHA, *Britanniæ* Regina, nuptiis, CAROLUS Archidux MARIAM noſtram, ALBERTI V. *Bavariæ* Ducis filiam, ſponſam ſibi adoptavit. Matrimonium *Viennæ* anno 1570. die XXVI. *Auguſti*, ut
a contra auctorem hiſtoriæ *Styrenſis* alibi a) demonſtravimus, MAXIMILIANO, aliisque *Romani* Imperii proceribus præſentibus, maxima pompa celebratum eſt. Feliciſſimum iuxta ac fœcundiſſimum fuiſſe hoc coniugium quindecim omnino liberi, ex hoc thoro prodeuntes, omnes pietate, ac virtute præſtantiſſimi, teſtantur. GANSIUS quinque filios, ac decem filias huius Principis numerat. Verum potior fides habenda eſt tabulæ, a nobis tomo
b præcedente b) allatæ, quæ in cornu epiſtolæ altaris a MARIA noſtra erecti, cernitur, ſex filios ac novem filias, naſcendi ordine diſpoſitas, & CHRISTI, in crucem ſuffixi, imaginem adorantes, exhibens. Mortuo marito octodecim annis ſuperſtes vidua ad annum uſque 1608. vixit, quo *Græcii* ingraveſcente morbo habitum Ordinis S. CLARÆ induta, pie in Domino obiit die 29. *Aprilis*, anno ætatis quinquageſimo ſeptimo. Funus ad monaſterium S. CLARÆ, quod a novorum dogmatum magiſtris, ut ſupra diximus, derelictum, condiderat, ſine omni cultu & pompa, ut vivens expetierat, fuit delatum, ubi ſubinde accepit tumulum, cuius ectypon & deſcriptionem paullo ante propoſuimus. Cor vero, atque viſcera in templo Societatis IESU ibidem condita fuiſſe, in P. II. *de conditoriis viſcerum Archiducum Auſtriæ* enarrabimus.

CA-

a) *Pinacoth. Auſtr.* P. II. Lib. V. cap. I. §. VI. p. 316.

b) Ibid. §. XIII. p. 320.

CAPUT III.

CAROLI GRÆCENSIS LIBERI, ALIBI LOCORUM SEPULTI.

§. I.

CAROLUM *Græcenſem*, ac MARIAM *Bavaricam* quindecim omnino liberorum parentes fuiſſe, paullo ante duobus in locis aſſeruimus, ſex tantum eorum funera in cryptа *Seccovienſi* detegentes. Reliquum igitur nobis eſt, ut ceteros huius Archiducis liberos, *Cracoviæ* in *Polonia*, *Halæ* in *Tyroli*, ac in celeberrimo *Hiſpaniæ* monaſterio *Scorialenſi* ſepultos, inquiramus, eorum monumenta ſepulcralia calamo noſtro depingentes. Dicenda.

II. Inter CAROLI, Archiducis liberos, extra cryptam *Seccovienſem* conditos, prima ſe ſe nobis offert ANNA, memorati Principis filia, cui anno 1573. 16. *Auguſti*, divo HIACYNTHO, regni *Poloniæ* patrono, ſacra die, non ſine omine nata fuit. Nam anno 1692. SIGISMUNDUS III. Rex *Poloniæ* per illuſtr. Ducem RAZEWILIUM, quem eo fine ad RUDOLPHUM II. Imperatorem miſerat, ANNAM noſtram thori ſui conſortem depoſcebat. Obſtiterant primum huic Regis ſui voto *Poloniæ* proceres, veriti, ne Rex Principem *Auſtriaco* ſanguine natam, regno & thoro inducens, potenti quoque Domus *Auſtriacæ* præſidio ſubnixus, *Poloniæ* libertatem imminueret. At ſuperatis his difficultatibus, die quinta *Maii*, eiusdem anni, ſponſalia *Viennæ*, procurante dicto RAZEWILIO magna ſolemnitate in D. AUGUSTINI templo inita fuere. Diſcedens e terris *Auſtriacis* ſponſa Archidux, die vigeſima ſeptima *Maii*, unacum ſereniſſima matre, quæ individua totius itineris comes erat, *Cracoviam* attigit, ibique a ſponſo Rege inter innumera lætitiæ ſigna excipitur. Ultimo tandem *Maii* in Cathedrali B. STANISLAI templo Sacramentum matrimonii ab Archipræſule *Gneſnenſi* KARNHOVIO illi collatum eſt; quibus peractis iuramentum præſtitit, & ab eodem Eccleſiæ Prælato ſolemni ritu *Poloniæ* Regina coronatur, præſentibus MARIA matre, ANNA, STEPHANI *Hungariæ* Regis Vidua, SIGISMUNDI matertera, nec non ANNA Regis ſponſi ſorore. Matrimonium hoc quinque liberorum ferax erat. Primo enim partu ANNA *Varſaviæ* an. 1593. die vigeſima tertia *Iunii* edito, ANNAM MARIAM hac luce donavit, quæ iam an. 1600. die nona *Februarii* mundo exceſſit. Secundo loco ANNAM CATHARINAM, *Stokholmii* anno 1594. die vigeſima *Maii* enixa eſt, quæ vitæ ſuæ curſum non ultra ſex menſes protraxit. Anno tandem 1595. die nona *Iunii* communibus totius Regni votis atque lætitia ULADISLAUM IV. patris in regno ſucceſſorem, *Cracoviæ* in ſuburbana regia *Lobzovienſi*, hora ſesqui tertia a meridie, genuit. Defunctæ CATHARINÆ loco, aliam anno 1596. die XXVI. *Septembris* filiam edidit cognominem, at ſimili fato, elapſis octo vi-

ANNA, Regina *Poloniæ* †1598. 10. *Febr.*

tæ menſibus ſuccumbentem. Quinta vice uterum menſe octavo ferens catharro ſuffocatorio, per totam *Poloniam* tunc temporis graſſante, appetitur, ac immatura morte anno 1598. *Calendis Februarii*, hora poſt meridiem prima extinguitur, vitæ ſuæ annos viginti quatuor, menſes quinque, dies viginti quatuor numerans. Ex defunctæ matris utero quinta proles, eaque maſcula, ſecatur, cui CHRISTOPHORO nomen datum eſt. Funus reginæ, unacum exanimi poſt unius horæ vitam præcocis filii corpuſculo, *Varſaviæ* publico in loco ſex diebus manſit expoſitum; loculo dein concluſum in ſacello Regum *Varſavienſi*, quod in templo S. IOANNIS *Baptiſtæ* viſitur, viginti & uno menſe aſſervatum eſt, Regis adventum, qui tum ad ſedandos motus in *Sueciam* profectus erat, expectans. Reduce SIGISMUNDO dicti cineres anno 1599. III. Nonas *Octobris Cracoviam* magna pompa funebri, ac regio comitatu in cryptam Regum emortualem illatum, ubi loculum habet ex ſolido metallo conflatum cuius delineationem dedimus P. II. huius tomi Tab. XX. ſub num. 3. a)

a

Epitaphium.

III. Inſignia capiti, inſcriptio pedibus adiecta, his concepta eſt verbis:

CHRISTO DEO SERVATORI
ANNA POLONIÆ, SUECIÆQUE REGINA
ARCHIDUX AUSTRIÆ
EX CAROLO FERDINANDI CÆSARIS FILIO
EX MARIA ALBERTI DUCIS BAVARIÆ
QUAM EX ANNA FERDINANDI CÆSARIS FILIA SUSCEPERAT
ANNO A CHRISTO NATO M. D. LXXXXII. MATRIMONIUM CONTRAXIT
CUM SIGISMUNDO III. POLONIÆ, SUECIÆQUE REGE INCLYTO
MDLXXXXVIII. UTERUM FERENS IAM MENSEM OCTAVUM
ANNOS NATA XXV. OBDORMIVIT IN DOMINO
PIA RELIGIOSA PRUDENS
LAUDE VIRTUTUM REGALIUM ADMIRABILIS
MATER PAUPERUM.

Cetera ANNÆ noſtræ in regnum *Poloniæ* merita paucis his verbis complectitur KOHOWSKI: b) ANNA, inquit, SIGISMUNDI III. *Poloniæ Regis coniux, virginei pudoris gemma, lucidum Auguſtæ Domus iubar, quam timuit Polonia, antequam haberet, gaviſa eſt, poſtquam habuit, ita tum Polonia novercam* ANNAM *verita, matrem patriæ eſt experta.*

b

Capulus Constantiæ *Reg. Pol.* † 1633.

IV. In eandem cryptam ſepulcralem Regum *Poloniæ* anno 1631. die quarta *Auguſti* deportatum eſt corpus exanime CONSTANTIÆ, octavæ CAROLI *Græcenſis* filiæ. Ad verticem capuli eius funerei, ornamentis ex ære puriſſimo affabre elaboratis, undique conſpicui, cuius delineationem P. II. Tab. XX. ſub. num. 2. dedimus, adſtant

a) Add. FABIAN. Quadrant. S. l. de Vita ANNÆ Reginæ.

b) Hypom. Reg. *Polon.*

ſtant inſignia regni *Poloniæ* &c. in quibus mediis continentur *Auſtriaca.* Iuxta pedes proponitur incluſum margine hoc epitaphium:

D. O. M.
SERENISSIMA REGINA POLONIARUM
CONSTANTIA
FERDINANDI I. IMPERATORIS OPTIMI
NEPTIS
CAROLI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ ET MARIÆ DUCIS BOIORUM
FILIA
FERDINANDI II. CÆSARIS SEMPER AUGUSTI
SOROR
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIÆ, AC SUECIÆ REGIS
SIGISMUNDI III. CONIUX
MORTALITATIS SUÆ EXUVIAS AD DEI SUPREMI IUDICIS
ADVENTUM HIC DEPOSUIT.
IOANNEM CASIMIRUM, IOANNEM ALBERTUM, CAROLUM
FERDINANDUM, ALEXANDRUM CAROLUM, ANNAM CATHARINAM, LECTISSIMOS TERRIS PRINCIPES FOECUNDA
BONI PUBLICI MATER RELIQUIT
COELO AUTEM FOECUNDITATIS SUÆ PARTEM
FILIUM ET FILIAM INFANTES CONSECRAVIT.
MULTIS ILLA DECORA, QUA PROSAPIÆ, QUA SANGUINIS,
QUA PROPINGUITATIS, QUA AFFINITATIS NOMINIBUS,
SED EMINENTISSIMA
OB EXIMIUM CATHOLICÆ PIETATIS CULTUM
OB SINGULAREM A MAIORIBUS TRADITAM ERGA
ADORANDUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM REVERENTIAM
OB INCREDIBILEM ERGA SUPEROS OBSERVANTIAM
OB MAGNUM RELIGIONIS PROMOVENDÆ AUGENDI FERVOREM
OB INFINITUM SUPER EGENOS, PUPILLOS ET VIDUOS
AGENDI STUDIUM
INOPINO MORTIS CASU
REGINA REGNUM
MATER PRINCIPES
TOTAM CHRISTIANITATEM PIISSIMA PRINCEPS
IN MOEROREM TRAXIT
OBIENS VARSAVIÆ X. IULII ANNO R. S. MDCXXXI.
ÆTATIS XLIV. CONIUGII XXVI.

V. CONSTANTIA ad finem anni 1588. die nempe XXIV. *Decemb.* inter horam ſecundam & tertiam matutinam in urbe *Græcenſi* vitæ ſuæ curſum incepit, & octavo anni ſequentis die a IOANNE, Epiſcopo *Labacenſi,* ſacro baptiſmatis fonte tincta eſt. Decimum ſeptimum ætatis ſuæ annum nondum egreſſa ob inſignes corporis animique dotes a SIGISMUNDO III. *Suecorum Polonorum*que Rege per legatos ad thalamum invitabatur. Perſuaſum enim erat SIGISMUNDO acerbum vulnus, per mortem ANNÆ, primæ uxoris, ſibi inflictum, nulla ratione curandum eſſe, niſi eius ſororem, CONSTAN- CONSTANTIÆ Reginæ fata.

STANTIAM noſtram, in defunctæ locum ſubſtitueret. Impetrato itaque omnium, quorum intererat, conſenſu, obtentaque a ſummis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. publicæ, ut aiunt, honeſtatis & affinitatis venia, *Græcii* cum *Poloniæ* Archimariſchallo, SIGISMUNDI procuratore, ſolenni ritu ſponſalia celebrata ſunt. *Græcio Viennam*, indeque *Poloniam* comitantibus Sereniſſima matre, fratre quoque MAXIMILIANO ERNESTO, ac ſorore MAGDALENA *Varſaviam* anno 1605. ad finem vergente, ſumma ſponſi regii, totiusque regni *Poloniæ* lætitia attigit, ac die quarta *Decembris* in *Baſilica* S. STANISLAI a *Bernardo* MAZIEJOVIO S. R. E. Cardinale, & denominato Archipræſule *Gnesnenſi*, matrimonii ſacramento adſtricta eſt; quam dein *Petrus* FILICIUS Epiſcopus *Cuiavienſis*, Cardinale nondum pleno iure Archiepiſcopatum adepto, regali diademate inſignivit, Reginamque pronunciavit. Sed haud diu ſupremis honoribus CONSTANTIA fruebatur. Sicquidem *Poloniæ* Magnatibus, anteſignano *Ioanne* ZAMOISKI, Regni belliduce, ſeditionem moventibus, unacum rege marito, *Polonia* exire, ac in aliis Provinciis ſalutem ſuam quærere compulſa eſt. Perduellibus anno 1607. die 6. *Iulii* ad pagum *Guzowo* acie fuſis, *Cracoviam* quidem revertitur; verum non multo poſt *Vilnæ*, *Moſcovitis* hanc civitatem arcta diraque obſidione cingentibus, ad duos fere annos incluſa innumeras calamitates devoravit. Tot inter tantasque rerum ac temporum aſperitates, felici nihilominus fœcundoque matrimonio uſa, quinquies enixa eſt. Anno enim 1609. die XXI. genuit IOANNEM CASIMIRUM, ſtrenuum olim in caſtris Cæſareis belliducem, qui poſt mortem ULADISLAI Regis anno 1648. *Poloniam* regendam ſuſcepit, verum abdicato circa annum 1668. regno in *Galliam* profectus, ibidem anno 1673. vitam quoque depoſuit, & anno ſequenti *Cracoviam* deportatus, in crypta regia ſepultus eſt. Alter CONSTANTIÆ noſtræ filius IOANNES ALBERTUS erat, qui anno 1612. natus, non tantum Epiſcopatum *Cracovienſem*, verum etiam *Romanæ* Eccleſiæ Purpuram obtinuit. FERDINANDUS CAROLUS inter Reginæ noſtræ filios tertium locum ſortitus eſt anno 1613. qui CAROLI Archiducis, avunculi ſui, de quo paullo inferius differendi locus dabitur, in Epiſcopatu *Wratislavienſi* primum Coadiutor, ſucceſſor deinde
a creatus, rebus humanis die IX. *Maii* anno 1655. exceſſit. a) Anno 1614. CONSTANTIA noſtra ALEXANDRUM genuit, iam anno 1634. præmatura morte extinctum. Ultima tandem huius Principis proles filia erat ANNA CATHARINA, PHILIPPO WILHELMO, Principi *Neoburgico* anno 1614. elocata, quæ *Coloniæ* anno 1651. decedens, *Diſſeldorpii* ſepulta eſt, ut refert BRA-
b CHELIUS. b)

VI.

a) SOMMERSBERG Tom. II. Serie Epiſcoporum *Wratislav.* p. 26. ſeq.

b) Pag. 228.

VI. Inſignia virtutum ſpecimina, quæ toto vitæ ſuæ tempore CONSTANTIA noſtra edidit, epitaphium, a nobis ſupra allatum, enumeravit. Anno 1631. feſtum *Theophoriæ* celebrans, publicæ ſupplicationi, aere ac cœlo ardente interfuit. Quare, ut erat corpore gravi & pingui, æſtivis caloribus aduſta, febri periodica inarſit, quam medicorum quorumdam imperitia frigido balneo funeſtum in modum adeo auxit; ut intra horas nocturnas, nemine morbi incrementa advertente, tantique periculi conſcio, *Viazdoviæ* in palatio ſuburbano, nunc *Lubomirſciano*, die X. *Iulii* animam cœlo redderet, marito, quem viginti ſex annis tenerrimo amore proſequebatur, tantum ſui deſiderium relinquens, ut non deſint auctores, qui SIGISMUNDUM viduum, non tam proprio, quam CONSTANTIÆ ſuæ fato extinctum fuiſſe perſcribant. Funus Reginæ *Viazdo Varſaviam*, comitante Epiſcopo *Culmenſi*, delatum, ac in peramplo veteris arcis atrio usque ad mortem SIGISMUNDI, quæ anno 1633. evenerat, loculo incluſum aſſervabatur. Eodem anno die vero IV. *Auguſti* ULADISLAUS IV. *Poloniæ* Rex, utrique funeri in Eccleſia Cathedrali *Cracovienſi* iuſta perſolvit; quibus peractis regii cineres in magna Senatorum regni frequentia cryptæ illati ſunt, ut ante diximus. Delineationem loculi funerei Reginæ exhibebimus Parte II. Tab. XX. ſub num. 2. Mors, ac exequiæ.

VII. Regius, & a MAGDALENA *Auſtriaca*, FERDINANDI I. Imp. filia, fundatus parthenon *Halenſis* duarum quoque CAROLI *Græcenſis* filiarum exuvias uſque ad divini iudicis adventum magna ſolicitudine aſſervat. Prima harum eſt MARIA CHRISTIERNA, memorati Archiducis filia ſecundogenita. Funus huius Principis anno reparatæ ſalutis 1621. menſe *Aprili* in dicti parthenonis templo, B. V. MARIÆ ſacro, ad altare *SS. Trinitatis* ſepultum eſt, cuius tumuli ſtannei delineationem unacum epitaphio in deſcriptione cryptæ *Halenſis* reperies. a) MARIA CHRISTIERNA † 1621. 6. *Apr.*

a

VIII. CHRISTIERNA quam alii CHRISTINAM vocant, altera CAROLI Archiducis filia, anno 1574. die 10. *Novemb.* hora noctis fere ſecunda in hunc mundum protracta, & vigeſima octava eiusdem menſis ab Epiſcopo *Goricienſi* baptizata fuit. Contigit autem, ut anno 1595. *Sigismundus* BATHORIUS *Tranſylvaniæ* Princeps, legatos ſuos ad RUDOLPHUM II. Imperatorem, *Pragæ* tunc degentem, mitteret, fœdus contra communem chriſtiani nominis hoſtem, *Tranſylvaniam*, aliasque *Hungariæ* finitimas provincias miſere devaſtantem, certis conditionibus initurus. Has inter non ultima erat, ut BATHORIO ex *Auſtriaca* Domo nata Princeps in matrimonium concederetur. Icto fœdere MARIA CHRISTIERNA BOTSKAIO, primæ nobilitatis viro, & BATHORII legato, in Æde S. ÆGIDII *Græcenſis* V. *Martii* deſponſatur, die vero Breviarium vitæ.

a) Lib. VI. cap. IX. §. VIII. & IX. pag. 370. ſeq.

vero X. *Iulii Vienna* diſcedens, *Albæ Iuliæ* VI. *Auguſti* advenit, ibique in eccleſia maiori unacum Sponſo SIGISMUNDO benedictionem nuptialem a Sacræ Sedis Legato obtinuit. Maximam ex hoc coniugii vinculo ſpem tota *Tranſylvania* concepit. At brevi rerum facies mutata eſt, dum BATHORIUS, inconſtantis atque volubilis animi Princeps, triennio poſt, coniugem ſuam repudiavit. Non deſunt ſcriptores, qui huius divortii cauſſam in faſcinum quoddam reiiciunt. a) Quidquid rerum ſit, iudices certe eſſe nolumus. Id tantum pro vero affirmare licet, in Bibliotheca *Cæſarea* M S. aſſervari, in quo BATHORIUS, a ſumma ſede ſolvendi matrimonii licentiam petens, pronuntiat, ſe nunquam cum MARIA CHRISTIERNA matrimonium conſummaſſe. Repudiata itaque Archidux, inito cum ſorore ſua conſilio, ſacrum velamen in dicto Parthenone *Halenſi* anno 1607. die IV. *Octobris* ſuſcepit, ubi, mortuo interea circa annum 1613. marito, ipſa quoque poſt quatuordecim annos, in monaſterio transactos, vitam cum beata morte commutavit, die VI. *Aprilis* anno 1621. Vixit annos 46. menſes 4. dies 26. ſecus, ac adducta a nobis inſcriptio loquitur. b)

a

b

ELEONORA, CAROLI *Styrenſis* fil. † 1621. die 28. *April.*

IX. Ad latus MARIÆ CHRISTIERNÆ, in dicta Regii *Halenſis* Parthenonis eccleſia cineres conduntur ELEONORÆ, quæ anno 1582. die 25. *Septembris*, tertio quadrante ad horam quartam veſpertinam inter CAROLI *Styrenſis* filias quintum locum conſecuta eſt. A peccati hereditarii labe per CHRISTOPHORUM ANDREAM, Epiſcopum *Gurcenſem*, *Calendis Januarii* ſacris undis mundatam fuiſſe ex Diario *Græcenſi* novimus; ab iis autem miſeriis, quæ per totum genus humanum, tanquam peccati hereditarii pœna, diffunduntur, haud exemtam fuiſſe, variæ corporis infirmitates, quibus ſereniſſima Princeps nunquam non afficiebatur, argumento nobis ſunt. Quare ELEONORA, quo imbecillior corpore, eo valentior ſpiritu, CHRISTINÆ, Sororis ſuæ, præclara veſtigia fortiter premens, ſe illi in regio Parthenone ſociam anno 1607. aut, ut alii veroſimilius perhibent, anno ſequenti, poſt obitum nempe ſereniſſimæ matris, iunxit. DEO dicata Princeps, pietatis ſtudio unice intenta, quamvis utriusque oculi uſu privata eſſet, a ſpiritualibus tamen exercitiis, ac virtutis tramite nunquam avertebatur; donec, peractis ibidem ſingulari in DEUM *Euchariſticum* pietate duodecim fere annis, pie in Domino obdormiret die 28. *Ianuar.* anno 1620. Vixit annos 37. menſes 4. dies 3. Funus illius per quatuordecim omnino dies publice, ſine omni pollinctura, expoſitum fuit, nullum tamen corruptionis veſtigium dedit, ac ſopitæ potius, quam defunctæ ELEONORÆ ſpeciem præſetulit. Tumuli delineationem cum adiecto epitaphio l. c. §. VII. dedimus.

MARIÆ MAGDALENÆ funus.

X. Quamvis CZERWENCKA, & ex illo *Theatri Europæi* compilator perhibeant MARIAM MAGDALENAM, nonam CAROLI *Græcenſis* filiam, *Florentiæ* obiiſſe, eiusque cadaver in *Styriam* delatum, ac *Seccovii* conditum quieſcere, utrumque tamen auctorem egregie

a) Apud P. STEYRER. in Collect.

b) Loc. ſupra ad §. VII. cit.

gie falli, patet, tum quod nobis cryptam *Seccovienſem* anno 1741. die IV. *Maii* omni data opera perluſtrantibus nullum MARIÆ MAGDALENÆ veſtigium occurrerit, tum quod ill. D. Comes a THUN, tunc temporis S. C. Maieſtatis apud magnum *Etruriæ* Ducem *Prominiſter*, MARIÆ MAGDALENÆ inſcriptionem ſepulcralem, quæ in magni *Etruriæ* Ducis ſacello, D. LAURENTII honoribus dicato, exſtat, nobiscum communicarit, his verbis conceptam.

MARIA MAGDALENA AUSTRIACA
FERDINANDI II. IMPERATORIS
SOROR
FERDINANDI II. MAGNI DUCIS
MATER.

XI. Teſte Diario *Græcenſi* MARIA MAGDALENA, filiarum CAROLI *Styrenſis* ultima, anno 1589. die VII. *Octobris*, quadrante poſt horam ſecundam matutinam in mundum prodiit, ac die XXV. eiusdem menſis a NICOLAO, Epiſcopo *Tergeſtino*, ſacro baptismatis fonte abluta eſt. Decimum nonum ætatis ſuæ annum agens COSMO II. Magno *Etruriæ* Duci, die XIV. *Septembris* in eccleſia *Græcenſi*, Societatis JESU, per SELVAGUM, Apoſtolicæ ſedis nuntium, deſponſata fuit, COSMI vices gerente Duce ORSINO. Vigeſima ſecunda *Septembris Græcio* diſcedens ſponſa, *Tergeſte* advenit, ubi die VII. *Octobris Venetas* naves conſcendens, *Florentiæ* tandem advenit, ac ibidem die 19. dicti menſis benedictionem nuptialem ab Archipræſule ALEXANDRO *Mediceo* obtinuit. Septies fœcunda mater genuit FERDINANDUM II. Ducem *Etruriæ*, qui COSMO II. Patri ſucceſſit in regimine; MARGARITHAM ODUARDI Ducis *Parmenſis* poſtea uxorem: ANNAM, coniugem FERDINANDI CAROLI, Archiducis *Tyrolenſis*; IOANNEM CAROLUM S. R. E. Cardinalem; LEOPOLDUM FRANCISCUM; MATHIAM, & COSMUM; FUGGERUS Principis huius quinque filios, & quatuor filias numerat. Vitæ,

XII. Ad plures anno 1621. menſe *Martio* abeunte COSMO II. MAGDALENA decem annos in viduitate transegit, quibus elapſis, anno nempe 1631. in animum induxit fratrem ſuum FERDINANDUM II. Cæſarem inviſere. Suſcepto ex *Italia* itinere bonis avibus *Oenipontum* attigit: verum inde *Vindobonam* diſcedens ex hyemis aſperitate morbum contraxit, quocum per paucos dies conflictata, *Paſſavii Calendis Novembris* extincta eſt, Aulam *Vindobonenſem* in maximum mœrorem pertrahens. Corpus exanime *Paſſavio Florentiam* reductum, ibidem ad latus mariti compoſitum eſt. Mortisque ſeries.

XIII. Duo ex CAROLI Archid. progenie funera L. V. cap. III. §. XXII. p. 317. indicavimus, ubi de tempore emortuali, locisque ſepulcralibus Principum lineæ *Hiſpano-Auſtriacæ* tractandum nobis erat. MARIA MARGARITHA, PHILIPPI

III. *Hiſp.* Reg. uxor, † 1611. die 3. *Octobr.*

rat. Hæc inter cadaver MARIÆ MARGARITHÆ, ſeptimæ CAROLI *Styrenſis* filiæ, ac poſtea PHILIPPI III. *Hiſpaniarum* Regis, uxoris numeravimus, quæ octavo ex partu, quo MAURITIUM ALPHONSUM genuit, infirmitatem contrahens, V. *Nonas Octobris* anno 1611. vitam in *Eſcuriali* clauſit. Ceterum nata erat hæc Princeps *Græcii* anno 1584. die XXV. *Decembris* uno cum dimidio quadrante poſt horam nonam matutinam, ut contra *Belgicam Scorialenſis* Monaſterii deſcriptionem, nec non COLMENARII Delicias *Hiſpanicas* alibi aſſeruimus. a) PHILIPPO tertio, *Hiſpaniarum* Regi deſponſata, anno 1598. die XXX. *Septembris Græcio* diſceſſit, ac *Ferrariæ* ab ipſo ſummo Pontifice CLEMENTE VIII. procurante ALBERTO Archiduce, matrimonio iuncta eſt die XIII. *Novembris*, tandem die XVIII. *April.* anni ſequentis *Valentiæ*, ubi PHILIPPUS ſponſam ſuam regia pompa & apparatu excipiebat, thronum thorumque conſcendit. Septies feliciter pariens, præter tres filios, PHILIPPUM, Patris in regno ſucceſſorem, CAROLUM, & FERDINANDUM, quatuor quoque filias edidit.

a

CAROLUS *Poſthumus*, CAROLI *Styr.* fil. † 1628. 29. *Nov.*

XIV. Haud procul a ſolio funebri memoratæ MARGARITHÆ Reginæ cernitur capulus CAROLI Archiducis, ultimo inter liberos CAROLI *Styrenſis* loco nati, qui anno 1624. a PHILIPPO III. *Hiſpaniarum* Monarcha invitatus, ut *Luſitaniam* gubernandam ſuſciperet, *Sileſiam* deſerens, *Madritum* ſe contulit, ubi vigeſima quinta *Novembris* bonis quidem avibus advenit, ſed tertio iam ab adventu ſuo die in febrim incidit, quæ maiorem in modum ingraveſcens, ſic vires CAROLI attrivit, ut eluſa omnium medicorum peritia, extremam ei (ultimis tamen Sacris rite defuncto) die 26. *Decembr.* migrandi neceſſitatem imponeret, annos vitæ 34. menſes 4. & dies 19. numeranti. Exſecto, ac *Niſſam* delato corde, ut alibi dicemus, funus loculo plumbeo incluſum, ac holoſerico rubro ornatum, ſolemni ritu in regio *Scorialenſi* dormitorio conditum eſt. De hac CAROLI ſepultura poſt KHEVENHÜLLERUM, qui rem hanc pluribus verbis proſequitur, egimus Lib. V. cap. IV.

Breviarium vitæ.

XV. CAROLO *Græcenſi* ad VI. Idus *Iulii* anno 1590. ut ſupra ſtatuimus, ſupremum diem obeunte, hic Princeps, patri cognominis, natus eſt *Poſthumus*, VII. Idus *Auguſti*. Præclara indoles, ac Domus *Auſtriacæ* prærogativa, CAROLUM noſtrum brevi non tantum *Iuvavienſium* & *Paſſavienſium* Canonicorum numero adſcripſit, ſed etiam mortuo *Ioanne* SITSCHIO an. 1608. die 7. *Aug.* pluribus Canonicorum ſuffragiis Epiſcopatum *Wratislavienſem* eidem detulit. Inſigni hac dignitate eccleſiaſtica haud contentus, Archidux anno 1614. Epiſcopatum quoque *Brixinenſem*, ac tandem poſt fata MAXIMILIANI, patruelis ſui, ſupremum Ordinis *Teutonici* per *Germaniam* & *Italiam* Magiſterium ſibi aſſeruit. Tanta interim ſereniſſimo huic Præſuli cum Principibus & Ordinibus *Sileſiacis*

a) Lib. V. cap. III. §. XXII. p. 317.

ſiacis, cum ob religionis libertatem, tum ob ſupremam ipſius Ducatus præfecturam, interceſſiſſe diſſidia, ut *Niſſam*, Epiſcopatus ſui ſedem, deſerens, in vicinam *Poloniam* ſe conferret, teſtis eſt *Clar.* SOMMERSBERGIUS. Compoſitis tamen rebus, ac ordinibus *Sileſiacis* cum FERDINANDO Imperatore in gratiam redeuntibus, CAROLUS quoque *Niſſam* rediit, ac non tantum Eccleſiam, ſed univerſam quoque *Sileſiam* maxima cum laude gubernavit, donec a PHILIPPO III. Rege *Hiſp.* ad regimen *Luſitaniæ*, ut ſupra diximus, vocaretur.

CAPUT IV.

CRYPTA SEPULCRALIS ARCHIDUCUM SUB LEOPOLDO V. COMITE TYROLENSI, OENIPONTI IN TEMPLO SS. TRINITATIS SOC. IESU EXCITATA, CUM EIUS FUNERIBUS, AC EPITAPHIIS.

§. I.

Dicenda.

Tredecim recenſuimus hucusque liberorum CAROLI *Græcenſis*, diverſis in locis ſepultorum, funera, quibus ſi LEOPOLDI V. *Tyrolenſis*, & FERDINANDI II. Imperatoris cineres ex ſubſequentibus capitibus addantur, omnium, quos CAROLO natos fuiſſe ſupra aſſeruimus, numerus prodibit. Primum itaque pedem in dormitorium Archiducum *Auſtriæ*, quod *Oeniponti* eſt, promovemus.

Cauſſa & origo huius cryptæ, quidque in illa ſingulare.

II. Poſtquam *Stamſenſe* Monaſterium, de quo ſupra Lib. III. Cap. VI. egimus, per iniuriam temporum, bello præſertim *Smalcaldico* a militibus *Saxonicis*, magnam cladem acceperat, mutatus eſt locus ſepulturæ Comitum *Tyrolenſium*, atque *Oeniponti* in templo SS. Trinitatis apud *RR. PP. Soc.* IESU conſtitutus. Novam ibi concinnioremque conſtructam videmus cryptam; loculamenta enim, ſive receptacula capulorum, & ipſi quoque capuli, nova & ſingulari ratione confecti ſunt, atque in his quidem capulis nullæ inſcriptiones leguntur inſculptæ, ſed pendentibus in adverſum clypeis æreis continentur, quas mox expoſituri ſumus. Ex his conſtat memoratam cryptam ſeculo CHRISTI XVII. ab imperantibus *Tyroli* ſepulcralis monumenti loco habitam eſſe, ſed quoniam non pauci ex ſereniſſima quoque Domo *Lotharingica* in ea ſiti ſunt, licebit aliquo modo utrique genti communem cryptam adducere.

Eius ichnographia & explanatio. TAB. CI.

III. Priusquam capulos attingamus, ac nomina funerum in hoc dormitorio quieſcentium a nobis recenſeantur, cryptæ ipſius dabimus ichnographiam, & explanationem. Conſtructa eſt hæc Archiducum crypta ſepulcralis in ſpeciem Sacrarii, ac lapideis fornicibus vincta, quatuor pilis illam ſuſtentantibus. In eo ex amuſſim loco, cui ſupremum altare impendet, cavæ ſunt, quibus loculi excipiuntur. In medio fornicis faſtigio craticula ſuperne iniecta, luminibus & aeri ſpiraculum eſt. Deſcenditur utrinque e

TAB. CI. veſtiario ſacro gradibus lapideis; amplitudine undique eſt crypta pedum trium & triginta, pollicumque quatuor, alta pedes novem & octo pollices; ad parietem, qui medius eſt, adſtat parvum altare, ſed ſupererigendæ tabulæ loco, pannus ater obtextus, indito ſigno albo crucis, in cuius quatuor angulis depictæ mortuorum calvariæ pileos Archiducales geſtant. In cruce ipſa conſpicitur aquila Imperatoria, cum clypeo, inſignia *Auſtriaca* continente.

Numerus loculorum & funerum. IV. Iuxta altare utrinque tria, ſex itaque ſunt loculamenta ſepulcralia, ferreis cancellis concluſa, in quibus decem, ex plumbo mixto, ſeu ſtanno, quod hodie vocant, partim magni, partim minores capuli conſiſtunt. Porro ad parietem dextrum alia duo receptacula, in quibus pariter duo funera requieſcunt. Summa igitur loculamentorum huius cryptæ octo, condita quæque ſuis capulis funera Principum continet duodecim. Exterior loculamentorum ambitus lateritii operis eſt, æreisque clypeis exornatur, quæ adducendas a nobis inſcriptiones continent. Sed iam dicendum de ſingulis.

Cryptæ facies interior. V. Ad lævam proxime ab altari loculamentum ſimplex eſt, in quo arca LEOPOLDI V. Archiducis concluditur, qui anno 1632. *Idibus Septembris* expleverat mortalitatem *Suazii*; non autem *Oeniponti* die XVII. eiusdem, ut GANSIUS, FUGGERUS, & LEQUILEIUS perhibent, diem locumque ſepulturæ cum loco & die obitus confundentes. Auctorem imaginum ad *Hiſtoriam* FERDINANDI II. Imperatoris LEOPOLDUM noſtrum a) anno 1633. die III. *Septembris* ex hac vita migraſſe perhibentem, in gravi errore verſari, ex ſequenti epitaphio, quod eius cavæ ſepulcrali affixum eſt, patebit:

LEOPOLDUS ARCHIDUX
AUSTRIÆ, COMES TYROLIS, NATUS ANNO
M. DLXXXVI. IX. OCTOBRIS OBIIT
SUAZII DIE XIII. SEPTEMBRIS HORA
X. ANTEMERIDIANA A. M. DCXXXII.
ÆTATIS XLV. MENSIUM XI. ET IV. DIERUM.

Breviarium vitæ LEOPOLDI V. Archid. VI. LEOPOLDUS V. Archidux, CAROLI *Styrenſis* filius, cuius cineres in crypta *Oenipontana* mox indicavimus, lineæ *Auſtriaco-Tyrolenſis*, poſt fata patrui ſui FERDINANDI, propagator fuit. Natus erat *Græcii* anno 1586. die nona *Octobris* quadrante poſt horam undecimam veſpertinam. Sacra primum amplexus, opera & auctoritate RUDOLPHI II. Imperatoris iam anno 1597. Epiſcopatum *Paſſavienſem*, ac ceſſione CAROLI *Lotharingici* mitram quoque *Argentinenſem* 1608. obtinuit. Præclara paſſim recenſentur huius Præſulis Archiducis in utramque rempublicam merita. Altera enim manu epiſcopale pedum, altera gladium ferens, quanta virtute

a) Tomo I. p. 90.

virtute commiſſas ſibi eccleſias paſcebat, tanta prudentia demandatam ſibi *Tyrolim*, *Alſatiam*, aliasque anterioris *Auſtriæ* provincias gubernavit. *Iuliacenſis* profecto ager LEOPOLDI noſtri fortitudinem, ac rerum agendarum uſum quondam admiratus eſt. *Tabernæ Alſaticæ* illius bellica virtute ab inſidiis *Mansfeldenſibus* ſe ſe liberatas fuiſſe hodiedum profitentur: academia vero *Molshemienſis*, in *Alſatia* inferiori, ac Collegium Societatis IESU *Friburgi Brisgoiæ* Antiſtitem hunc fundatorem ſuum munificentiſſimum grata mente veneratur. Fundati huius Collegii litteras in Auctario diplomatum legendas dabimus ad an. 1620. Anno tandem 1625. ſacras dignitates, conſentiente *Paſſavienſi*, *Argentinenſi*que Capitulo, in gratiam LEOPOLDI WILHELMI, nepotis ſui, reſignavit, ac *Romæ* a Summo Pontifice ad ſecularia vota tranſeundi licentiam petens, eam, in minoribus tantum Ordinibus conſtitutus, facile impetravit. Quare *Florentiam* profectus CLAUDIAM *Mediceam*, FERDINANDI Magni *Etruriae* Ducis filiam, de qua paullo inferius uberior diſſerendi locus redibit, ſponſam ſibi elegit. Nuptiæ celebratæ ſunt in civitate *Oenipontana* anno 1626. die 20. *Aprilis*, benedictionem impertiente Archiepiſcopo *Iuvavienſi*, *Paride* Comite de LODRON, ac præſentibus *Mediceis* Principibus, CAROLO Cardinale, atque LAURENTIO. Ex coniuge ſua quinque ſuſcepit proles: MARIAM ELEONORAM, ISABELLAM CLARAM, FERDINANDUM CAROLUM, SIGISMUNDUM FRANCISCUM, & MARIAM LEOPOLDINAM, de quibus ſingulis paullo poſt. Rebus tandem, pro catholica præſertim fide, præclare geſtis, ac *Principum gemma* vulgo dictus, in febrim incidit, & paucos poſt dies animam ſuam, morientium ſacris munitam, Creatori reddidit, anno & die in epitaphio notatis. TAB. CI.

VI. Capulo huius Archiducis alius minor loculus inſiſtit, in quo lamina inſculptam epipraphem tenet, FERDINANDUS IOSEPH, E. LEONORÆ ET CAROLI DUCIS LOTHAR. FIL. † M DC L XXXV. FERD. Ios. † 1635.

VII. Hos loculos lateralem parietem verſus geminatum excipit loculamentum, alterum alteri ſuperſtructum. In inferiori compoſitæ ſunt exuviæ SIGISMUNDI FRANCISCI, Archiducis *Auſtriæ*, & Comitis *Tyrolenſis*, qui LEOPOLDO V. in urbe *Oenipontana* ſecundo loco natus erat. Scutum, huic loculamento impendens, hoc contextu abſolvitur: SIGISMUNDUS FRANCISCUS † 1665. 25. *Iun.*

SIGISMUNDUS FRANCISCUS
ARCHIDUX AUSTRIÆ COMES TYROLIS
NATUS OENIPONTI, ANNO M. DC. XXXII.
DIE XXVIII. NOVEMBRIS.
OBIIT OENIPONTI A.° M. DC. LXV.
XXV. IUNII HORA II. MATUTINA.

VIII. Funeream hanc inſcriptionem, quæ SIGISMUNDUM FRANCISCUM anno 1632. die 28. *Novembris* primam lucem *Oeniponti* aſpexiſſe Nativitatis epocha emendatur.

Tab. CI. aſpexiſſe perhibet, in mendo cubare, neceſſe omnino eſt; fixum enim firmumque tenemus MARIAM LEOPOLDINAM, SIGISMUNDI FRANCISCI ſororem, de qua paullo poſt dicemus, die 6. *Maii* eiusdem anni natam eſſe. Quare epigraphen *Oenipontanam* deſerimus, auctoremque Commentarii ad imagines *Annalium* FERDINANDI II. Imperatoris ſequimur, qui SIGISMUNDUM noſtrum an. 1630. die 18. *Novembris* huic mundo datum eſſe perſcribit.

Vitæ ſeries. IX. Duos nondum annos natus Princeps Sereniſſimo parente orbatus, ſub matris cura, & Auguſtiſſimorum Imperatorum FERDINANDI II. & III. tutela infantiæ ac pueritiæ ſuæ annos transegit. Anno 1644. non tantum eccleſiam *Gurcenſem* poſt fata SEBASTIANI, Comitis de *Lodron*, paſtore deſtitutam, regendam ſuſcepit, ſed etiam ad plures abeunte HENRICO de *Knörringen* paſtoralem dignitatem eccleſiæ *Auguſtanæ* obtinuit; immo poſt mortem CAROLI EMANUELIS, Epiſcopi *Tridentini*, anno 1655. ad hanc quoque diœceſin regendam poſtulatus eſt. Verum ab ALEXANDRO VII. PP. ægerrime, ac anno primum 1662. dictæ tertiæ eccleſiæ gubernandæ poteſtatem obtinere potuit. Vix tot eccleſiarum gubernacula tenente SIGISMUNDO frater eius FERDINANDUS CAROLUS, nullo relicto herede maſculo, e vivis exceſſit; hinc Præſulem noſtrum regimini ſacro profanum quoque adiicere oportebat. Comitatus *Tyrolenſis*, *Burgovia*, ceteræque *Rheno* adiacentes ditiones *Auſtriacæ* unacum dictis epiſcopatibus prudentiſſimo Archiducis noſtri imperio paruere, donec is annos 1665. abdicatis dignitatibus ſacris animum ad contrahendum matrimonium adiiceret, ac primo quidem MARIAM HEDWIGEM, GEORGII, Landgravii *Darmſtadienſis*, filiam, thori ſui conſortem elegit. Verum, cum hæc Princeps ad ſacra Romano-catholica tranſire recuſaret, HEDWIGEM AUGUSTAM, CHRISTIANI AUGUSTI, Comitis *Palatini Solisbacenſis* filiam, coniugem ſuam eſſe voluit. Miſſo igitur cum plena contrahendi poteſtate ill. *Ioan. Georgio*, Comite de KÖNIGSEGG & ROTENFELS, ſponſalia, benedicente Epiſcopo *Ratisbonenſi*, die XIII. *Iunii* anno prædicto inita fuere. Verum DEO non ex omni parte ratum fuiſſe hoc matrimonii conſilium videbatur. SIGISMUNDUS enim lectiſſimam ſponſam ſuam *Oeniponti* expectans, gravi morbo corripitur, ac poſt duos dies apoplexia tactus, anno ætatis XXXVIII. obiit, parentibus ſuis ad *SS. Trinitatem Oeniponti* adpoſitus.

Loculus FERDIN. CAR. † 1662. 30. *Dec.* X. In altero, quod huic ſuperſtruitur, loculamento SIGISMUNDI FRANCISCI frater, Sereniſſimus FERDINANDUS CAROLUS, quieſcit, qui *Caldariæ* (vulgo *Kaldern*) variolis extinctus, obiit *III. Calendas Ianuarii* anno 1662. In ſcuto, quod funeri huic ſuffixum eſt, ſequens legitur titulus:

FERDINANDUS CAROLUS
AUSTRIÆ ARCHIDUX, COMES TYROLIS
NATUS

NATUS OENIPONTI ANNO M. DC. XXVIII. DIE XVII. MAII. DENATUS CALDARIÆ AN. M. DC. LXII. DIE XXX. DECEMB. POST HORAM V. MATUTINAM. HIC SITUS EST. Tab. CI.

XI. FERDINANDUS CAROLUS, primus Archiducis, LEOPOLDI *Tyrolenſis* ex CLAUDIA filius, ipſo ſuæ nativitatis die (SCHÖNLEBENIUS 17. *Iunii* ponit) ſacro baptiſmatis fonte luſtratus fuit, patrinum agente magno *Etruriæ* Duce, Auguſtiſſimi Imperatoris nomine. Quintum ætatis annum agens ſereniſſimum patrem amiſit, ac genitrici ſuæ in tutelam traditus eſt. *Auſtriacas* ditiones, filii loco, gubernante CLAUDIA, *Gallorum* exercitus *Alſatiam*, *Brisgoviam*, *Herciniam*que invadens, illas occupavit. Annos tandem octodecim natus Princeps, ac matris tutela exemtus, paternarum ditionum regimen in ſe ſuſcepit. Civitatem *Briſacenſem* cum adiacente *Alſatia* anno 1648. per articulos pacis *Monaſterienſis* LUDOVICO XIV. Magno, *Gallorum* Regi, cedere quidem compulſus eſt, *Brisgoviam* tamen, unacum *Hercinia*, & quatuor oppidis ſylveſtribus, ut vocant, *Rhenofelda*, *Segginga*, *Lauffenburgo*, & *Waldishuto* recuperavit. Ex ANNA *Medicea*, quacum iam an. 1646. die 10. *Iulii* in urbe *Oenipontana*, benedicente Epiſcopo *Chimſeenſi* matrimonium inierat, tres filias ſuſcepit, ſed nullo herede maſculo relicto decedens, fratri ſuo SIGISMUNDO FRANCISCO dictarum regionum gubernacula reliquit. Res geſtæ.

XII. Dextrorſum ab altari proximum loculamentum ſimplex quoque eſt, in quo conditur CLAUDIA *Medicea*, LEOPOLDI V. Archiducis uxor, cuius ſupra §. V. meminimus. Obiit hæc Princeps anno 1648. die XXV. *Decembris* (LEQUILEUS diem præcedentem ponit) & in eodem, a nobis deſcripto, Archiducum dormitorio ad dextrum mariti ſui latus compoſita eſt. Noſtram de mortis eius epocha ſententiam confirmat chronographicum, his conceptum verbis: CLAUDIA *Medicea*, LEOPOLDI V. ux. † 1648. 25. *Dec.*

ARCHIDVX CLAVDIA CLARA LVX ETRVRIÆ NATALI
CHRISTI OBIIT.

Scutum vero, eius loculamento additum, cum hac inſcriptione aſſertum noſtrum extra omne dubium ponit.

CLAUDIA ARCHIDUX
MEDICEA ARCHIDUCIS LEOPOLDI
CONIUX ANNO DOMINI MDCIV. DIE
IV. IUNII FLORENTIÆ NATA, ET ANNO
MDCXLVIII. DIE XXV. DECEMBRIS
OENIPONTI DENATA. HIC SITA EST.

XIII. CLAUDIA *Medicea*, cuius cineres in crypta hac indicavimus, FERDINANDI Magni Ducis *Etruriæ*, & CHRISTINÆ Duciſſæ *Lotharingicæ* filia, *Florentiæ* ſub initium ſeculi XVII. vive- Vitæ ſeries.

Tab. CI. re incepit. Primum a ſereniſſimis parentibus FRIDERICO, Duci *Urbinenſi*, deſponſata eſt, a quo poſt duorum annorum conſortium prægnans relicta vidua filiam genuit VICTORIAM de *Rovere*, Duciſſam poſtea *Etruriæ*. Deficiente prole maſcula, qui in hereditarias FRIDERICI ditiones ſuccederet, ducatus *Urbinenſis* ad cameram Pontificiam rediit; vidua autem CLAUDIA in monaſterium ſe abdidit, ubi uſque ad annum 1625. unacum filia ſua vixit. Inde tamen a LEOPOLDO V. ad thalamum evocata, ac *Oenipontum* deducta, ibidem ad ſecundas nuptias die XX. *Aprilis*, ut loco mox citato aſſeruimus, proceſſit, & præter tres filias, duos quoque filios genuit. Mortuo LEOPOLDO ſexdecim annis maxima cum laude, *Tyrolim* gubernavit, ac annos 44. cum ſex menſibus numerans, ex hac vita deceſſit.

MARIA ELEONORA, LEOP. V. fil. † 1629. 6. *Aug.*

XIV. CLAUDIÆ *Mediceæ* capulo incumbit minor loculus, quo eius filia primogenita MARIA ELEONORA condita eſt. Inſcriptio appenſa huius eſt ſententiæ:

MARIA ELEONORA
LEOPOLDI ET CLAUDIÆ
FILIA PRIMOGENITA
ANNO M. DC. XXVII. DIE XII. FEBR.
MORTUA
ANNO MDC. XXIX.

Nativitatis epocha ſtatuitur.

XV. Primam hanc LEOPOLDI *Tyrolenſis*, & CLAUDIÆ *Mediceæ* filiam anno 1629. die nona *Februarii* vitæ ſuæ curſum inchoaſſe, ex errore quorumdam ſcriptorum perhibetur; ex monumentis enim Abbatiæ *Stamſenſis* in *Tyroli*, quibus hac in re haud exigua auctoritas eſt, ac propoſitum a nobis epitaphium ſuffragatur, conſtat, filiam hanc Principem die 12. dicti menſis anno 1627. natam, ac die 2. *Martii* per Præſulem dictæ Abbatiæ renatam fuiſſe. Tenerum MARIÆ ELEONORÆ funus primum fuit, quod ex hac gente Auguſtiſſima *Oeniponti* in templo SS. Trinitatis RR. PP. Societatis IESU in cryptam funeream, a LEOPOLDO V. fundatam, repoſitum eſt.

MARIA MAGDALENA, † 1669. 21. *Ian.*

XVI. Ad lateralem parietem, ſervata ſitus congruentia, alia duo, alterum alteri impoſitum, conſiſtunt loculamenta. In priore compoſita eſt MARIA MAGDALENA, FERDINANDI CAROLI, & ANNÆ *Mediceæ* filia ultima, anno 1656. XVII. *Auguſti*, *Oeniponti* nata, quæ in ætatis flore variolis extincta eſt. Epitaphium loculamento eius affixum hoc contextu abſolvitur:

MARIA MAGDALENA
ARCHIDUX FERD. CAROLI ET ANNÆ
MEDIC. AUST. ARCHIDUCUM FILIA
NATA OENIPONTI A. C. MDCLVI.
DIE XVII. AUG. IBIDEM MORTUA
A. MDCLXIX. DIE XXI. IAN.
HIC SITA EST.

XVII. Huic innititur loculus minor, in quo funus eſt filiæ, quam ANNA *Medicea* 17. *Iul.* anno 1654. ſecundo partu enixa eſt. Infans Princeps ſacro fonte tincta ſtatim expiravit. An, & quali nomine donata fuerit, non conſtat; ipſa quoque inſcriptio funerea, loculo eius adpoſita, ſilet. Hæc autem ſequentis eſt tenoris. Filia Anonyma FERD. CAROLI † 1654. 17. *Iul.* TAB. CI.

FERDINANDO CAROLO ET ANNÆ MEDICES
FILIA SECUNDOGENITA
ARCHID. AUSTR. COMITIBUS TYROLIS
EADEM MERCURII HORA POMERI-
DIANA SECUNDA XVI. KAL. SEXTIL.
NATA, RENATA, DENATA.
AN. M. DC. LIV.

XVIII. Poſt hunc anonymæ Principis loculum, æque parva cernitur arca Principis puellæ *Lotharing.* de qua clypeus ſic habet: Reliqua funera huius cryptæ.

ELEONORA
LOTHARINGIÆ
NATA ET DEN.
1682.

Sed in inferiori loculamento Dux *Lotharing.* IOSEPH EMANUEL, CAROLI, & ELEONORÆ prædd. fil. compoſitus eſt in magna admodum arca ſtannea, inaurato clypeo, inſignia & inſcriptionem præferente. Obiit 1705. Ad eandem partem propius oſtium duo ſunt loculamenta ſeparata, quarum ſuperius, iam vacuum, olim maximi viri CAROLI, Ducis *Lotharing.* ſummi armorum Cæſareorum præfecti, funus continuerat, an. 1700. 19. *April. Nanceium* translatum. In inferiore loculamento ſita eſt THERESIA CATHARINA, Comes *Palatina*, nata *Lubomirſciana*, cui incumbit loculus parvulus, quo condita eſt puella princeps *Lotharingiæ*.

XIX. Expoſito iam capulorum, funerumque ordine & ſitu, docemur, huius cryptæ condendæ auctores extitiſſe LEOPOLDUM V. Archiducem *Auſtriæ*, ac eius uxorem CLAUDIAM *Mediceam*; horum filiam MARIAM ELEONORAM primam fuiſſe, cuius ibi funus anno MDCXXIX. compoſitum ſit; ſex deinde funera ex familia Archiducum, quatuor de domo *Lotharingica*, & unum ſtirpis *Palatinæ*, in eandem cryptam conceſſiſſe, quorum ordo, rationi temporum conveniens, ex addita nomenclatura intelligitur. Nomenclatura ibidem ſepultorum.

I. MARIA ELEONORA, filia LEOPOLDI V. *Tyrolenſis*. † 1629.
II. LEOPOLDUS Archidux & Comes *Tyrolis*. † 1632.
III. CLAUDIA *Medicea*, uxor LEOPOLDI V. Arch. † 1648.
IV. Filia natu ſecunda FERDINANDI CAROLI. † 1654.
V. FERDINANDUS CAROLUS Arch. *Auſtriæ*. † 1662.
VI. SIGISMUNDUS FRANCISCUS Arch. *Auſt.* † 1665.
VII. M. MAGDALENA, filia FERDINANDI CAROLI. A. † 1669.
VIII. ELEONORA *Lotharingica*. † 1682.
IX. FERDINAND. IOSEPH, fil. CAROLI Ducis *Lothar.* † 1685.
X. IOSEPH EMANUEL, eiusd. CAROLI fil. † 1705.
XI. THERESIA CATHARINA *Palatina*. †
XII. Filia Princeps *Lotharinga*. †

CAPUT V.

FUNERA LINEÆ AUSTRIACO-TYROLENSIS EXTRA CRYPTAM OENIPONTANAM COMPOSITA.

§. I.

Dicenda. Ne quidquam, quod inſtituti noſtri ratio depoſcit, ſilentio præteriiſſe videamur, funera ſtirpis *Auſtriaco-Tyrolenſis*, ſatoribus LEOPOLDO V. & FERDIN. CAROLO, quæ alibi locorum ſepulturam nacta ſunt, brevi, ut aiunt, manu pertractabimus.

ISABELLA CLARA † 1685. 24. *Febr.*

II. ISABELLA CLARA (aliis CLARA ISABELLA) Archiduci LEOPOLDO V. Com. *Tyrol.* nata 1629. 12. *Aug.* CAROLO III. *Mantuæ*, & *Montis Ferrati* Duci, nupta fuit 1649. 7. *Nov.* Marito an. 1665. mortuo, in communitatem S. URSULÆ commigravit die 16. *Dec.* 1671. in qua permanſit, uſque ad obitum, qui ei contigit 1685. 24. inter & 25. *Febr.* Eius cadaver aſſervatur *Mantuæ* in templo prædictæ communitatis: in cuius templi choro ſequens epitaphium, marmori inciſum, legitur:

VT TE MONEAM HIC REMANEO
PRETIOSISSIMAM DRACHMAM ISABELLAM CLARAM
AVSTRIÆ ARCHIDVCISSAM, MANTUÆ, MONTIS FERRATI ETC. DVCISSAM,
OENIPONTANÆ FAMILIÆ VLTIMAM,
FATO AMISSAM
QVI QVÆRIS ATTENDE:
ILLIVS OSSA NON TEGO, RETEGO;
CVM AVGVSTO CINERI DEBERENTVR MAVSOLEA,
HIC SVPPOSITAM ELEGIT HVMVM
AD ARAM VIRGINIS
QVO PERPETVVM ORANDI STVDIVM
VEL EX TVMVLO CONIECTARES
BENE FEBRVATAM ET QVIESCENTEM NE DVBITA
NOX XXIV. FEBR. ANNO DOMINI 1685.
INTER DUO SABBATHA TANTAM CLARITATEM ABSTVLIT TERRIS
DATVRA COELO
AT SI ADHVC SOLICITVS ES,
ACCENDE ET TV CLARITATIS LVCERNAM
ILLAM INVENISTI.

Arcæ vero cypreſſinæ, in qua repoſitum eſt funus, ſequens titulus inſcriptus eſt:

SERENISSIMÆ ISABELLÆ CLARÆ ARCHID. AUSTRIÆ
DVCISSÆ MANTVÆ OSSA
QVÆ CIRCA HORAM OCTAVAM NOCTIS
ADVENIENTE DIE 25. FEBRVARII
1685.
REQVIEVIT IN DOMINO.

MARIA LEOPOLDINA † 1649. 7. *Aug.*

III. Ultima LEOPOLDI V. proles fuit M. LEOPOLDINA, nata *Oeniponti* 1632. 6. *April.* Hanc FERDINANDUS III. Imp. mortua prima coniuge, MARIA, PHIL. III. R. *Hiſp.* filia, ſibi uxorem ſecundam eſſe voluit, nuptiis 2. *Iul.* an. 1648. *Lincii* celebratis. Sequenti anno, cum die VII. *Aug.* de mane primum filium, CAROLUM IOSEPHUM, vitæ dederat, in ſero vitam amiſit: ut ſupra Lib. VII. c. IV. §. XXIII. contra eos, qui decimum nonum eiusd. volunt, docuimus, locum ſepulturæ pariter, cum loculo & inſcriptione proferentes.

IV.

IV. Iam huius tomi Lib. VII. Cap. IV. §. XXXVIII. quædam CLAUDIÆ FELICITATIS vitam, ac mortem concernentia delibavimus, potiſſima huic loco reſervantes. Nata igitur eſt CLAUDIA FELICITAS in urbe *Oenipontana* die XXX. *Maii* an. 1653. FERDINANDI CAROLI & ANNÆ *Mediceæ* prima filia. Annos viginti nata, & a LEOPOLDO I. cui mors anno 1673. die IX. *Ian.* primam cuniugem MARGARITHAM abſtulerat, in ſponſam delecta, eidem *Græcii* in manus convenit 15. *Oct.* Bino felici partu duas filias genuit, in primo ætatis flore extinctas. Ipſa denique coniugii ſui anno tertio die octava *April.* media ſexta matutina 1676. piiſſimam animam creatori reddidit. Funus Auguſtum, corde in cryptam apud RR. PP. *Capucinos*, inteſtinis vero in cathedrali Eccleſia S. STEPHANI aſſervatis, in eccleſia *Prædicatorum* ante aram S. DOMINICI quieſcit, ſarcophago incluſum, in quo hæc inſcriptio legenda eſt: CLAUDIA FELICITAS † 1676. 8. *April.*

HOC IN SARCOPHAGO REQUIESCIT
AUGUSTISSIMA ROMANORUM IMPERATRIX
CLAUDIA FELIX
LEOPOLDI CÆSARIS ALTERA CONIUX
FERDINANDI CAROLI ARCHIDUCIS TYROLENSIS
ET ANNÆ MEDICÆ FILIA
MATER DUARUM SERENISSIMARUM FILIARUM
QUARUM PRIMA ANNA MARIA MATREM PRÆIVIT IN COELOS ALTERA MARIA IOSEPHA SEQUETUR.
QUARTA PASCHATIS FERIA
TRANSIIT EX MORTALI AD IMMORTALEM VITAM
ANNO ÆTATIS XXIII.
CÆSAREI CONIUGII TERTIO
NATI SALVATORIS SUPRA MILLESIMUM SEXCENTESIMUM
SEPTUAGESIMO SEXTO.
VIVAT ET REQUIESCAT ÆTERNUM IN DEO
TERRIS DESIDERATISSIMA PRINCEPS
QUIA AUSTRIACA ERAT,
PIA, PRUDENS, AMABILIS, LIBERALIS.

Epitaphium marmori inſculptum eſt ſequens:

SISTE GRADUM VIATOR
ET IN UNO TUMULO
SCEPTRA ET CORONAS, GRATIAS ET AMORES
ORBIS SPES ET DELICIAS
CLAUSA INTUERE ET LACRYMARE.
HIC IACET
CLAUDIA FELIX
FILIA FERDINANDI CAROLI ET ANNÆ MEDICÆ
COMES ET ARCHIDUX TYROLIS ET AUSTRIÆ.
CONIUX
LEOPOLDI CÆSARIS SECUNDIS NUPTIIS.
MATER
ARCHIDUCUM ET GRATIARUM
ANNÆ MARIÆ, ET MARIÆ IOSEPHÆ,
IMPERATRIX
FASTIGIO SUPREMÆ DIGNITATIS ALTIOR

EMINENTIA VIRTUTIS,
PLURA SI QUÆRAS
SCITO PRINCIPEM FUISSE AUSTRIACAM
PIAM, PRUDENTEM, LIBERALEM, ET AMABILEM
ANNUS 1653. ANIMAM ET LUCEM DEDIT
ANNUS 1676. EANDEM ERIPUIT.

Anna *Medicea*, † 1676. 2. *Sept.*

V. Anna *Medicea*, Ferdinandi Caroli Archiducis uxor, patrem habuit magnum *Etruriæ* Ducem Cosmum II. aliis III. cui nata eſt anno 1616. die XXVI. *Iulii*, vel, ut alii perſcribunt, die XXI. eiusdem menſis. Sponſalibus in urbe *Florentina* per Cardinalem Ioannem Carolum, Sponſæ fratrem, celebratis, a Principe Leopoldo, ac Duce *Salviano Oenipontum* deducta, ibidem die X. *Iunii*. anno 1646. benedicente Epiſcopo *Chimſeenſi*, matrimonium iniit. Nuptiarum ſolennia ob Mariæ Auguſtæ mortem, quæ haud ita pridem contigerat, ſatis moderata fuerunt. Prima vice uterum ferens Anna ab Innocentio X. PP. litteras paternæ charitatis plenas, & a nobis ad calcem huius paginæ recuſas, a) accepit, quibus Pontifex partum felicem precatur. Tres genuit filias, Claudiam Felicitatem, de qua ſupra diſſeruimus, filiam anonymam, & Mariam Magdalenam, quarum funera capite præcedenti expoſuimus. Obiit anno 1676. die XI. *Septembris Viennæ*, in templo RR. PP. *Dominicanorum*, prope Altare S. Dominici ſepulta die XIII. *Septemb.*

a

CAPUT VI.

MAUSOLEUM GRÆCENSE FERDINANDI II. IMPERATORIS, UNACUM CRYPTA, ET LOCULIS FUNEREIS, IN EADEM CONDITIS, DELINEATUM, ET DESCRIPTUM EXHIBETUR, ADDITIS EPITAPHIIS.

§. I.

Templum, & ſacellum pro mauſoleo *Auſtriaco Græcii* exſtructa.

Eccleſia *Græcenſis*, S. Ægidio ſacra, quam olim Fridericus Cæſar, *Pacificus*, erexerat, a Ferdinando II. mortalitatis ſuæ nunquam non memore, anno 1614. penitus deſtructa eſt, ut in eodem loco auguſtæ ſepulturæ fundamenta ponerentur. Tantæ molis erat hoc ædificium, ut non niſi a Leopoldo

a) „Innocentius X. P. P.
Dilecta in Christo filia, nobilis mulier ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro eo, quo nobilitatem tuam in Domino proſequimur, paternæ charitatis, & dilectionis affectu ea tibi libentiſſime concedimus, per quæ ſpirituali conſolationi tuæ conſuli cognoſcimus; cum itaque, ſicut nobis nuper exponi feciſti, tu prægnans exiſtas, Nos Nobilitati tuæ partum, in Auguſto illo thalamo inclytæ Domus *Auſtriacæ*, in quo progigni ſolent propugnatores fidei, & domitores impietatis, fauſtum felicemque a Domino ex intimo corde precantes, tibi vero pœnitenti & confeſſæ, ac ſacra communione refectæ ſemel plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, ac benedictionem Apoſtolicam peramanter in Domino impertimur. Datum *Romæ* apud S. Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris die VII. *Iunii* Ao MDCLIII. Pontificatus noſtri Ao nono.„

POLDO I. Imp. ad finem perduci, ac primum elapſo centum annorum ſpatio, anno nempe 1714. ab Epiſcopo *Seccovienſi*, Domino IOSEPHO DOMINICO Comite de *Lamberg* die XXVIII. *Auguſti*, maxima hominum frequentia, nec minori pompa, initiari potuerit. Primaria facies huius ædis ſacræ architecturam *Ionicam* præſefert. Aditus magnifico propileo, inter prægrandes columnas divorumque ſimulacra, ſolido lapide per latera, & coronidem panditur. Opus integrum ſecto lapide ſtructum, & cupro tectum, tres turres, inſignis altitudinis, ac mirandæ prorſus ſtructuræ levant, quarum una, quæ a tergo templi prælta ſurgit, ſceptrum; altera pomum imperiale, cum cruce ſuffixa, geſtat. Tertia, ſub qua funera Principum conduntur, aquila ingente coronata, quæ pomo imperiali inſidet, ac dextro ungue gladium, ſiniſtro autem ſceptrum tenet, inſignis eſt. Obrizo ſingula auro fulgent. TAB. CII.

II. Templum hoc, ſi ichnographiam aſpicis, crucis formam præſefert, per tranſverſum enim ſecatur, ac in puncto ſectionis tholus aſſurgit, ſolidis quatuor arcubus inſtructus, de quibus aquila imperialis, nec non inſignia Domus *Auſtriacæ*, ac Regni *Hungariæ*, & *Bohemiæ* dependent. In ſingulis quatuor angulis tria coniunguntur inſignia minora, quæ duodecim ducatus & provincias hereditarias ſignificant; nempe *Carinthiam*, *Tyrolin*, *Sueviam*, *Styriam*, *Carnioliam* &c. Lumen tholo immititur per octo feneſtras arcuatas, innixas baſibus, quæ totidem telamonibus ſuperſtruuntur. Feneſtrarum intervalla, & iugamenta octo Imperatorum imaginibus, atque ſymbolis exornantur. Hi autem ſunt: RUDOLPHUS I. ALBERTUS I. FRIDERICUS *Pulcher*, ALBERTUS II. FRIDERICUS III. MAXIMILIANUS I. CAROLUS V. & FERDINANDUS I. Inter quatuor illa maiora inſignia exſtant quoque thoraces Imperatorum MAXIMILIANI II. RUDOLPHI II. FERDINANDI II. & MATHIÆ. Tholus primus ſeparatur in tres receſſus, in quorum medio, qui ſemicirculi formam præbet, e ligno extructum eſt altare ſupremum cum imagine B. CATHARINÆ V. M. Ichnographia, & facies interior templi.

A tergo eius duplex eſt Sacrarium, cui turris rotunda inſiſtit. Denique in choro legendum eſt chronologicon:

FERDINANDVS II. SVA BENIGNITATE EREXIT,
LEOPOLDVS GLORIOSE ORNAVIT.

Schediaſma, illi ſuperimpoſitum, hos continet verſus:

QUÆ FORE PRÆDIXIT FIDO STRIDONIUS ORE
PICTA LEOPOLDI CÆSARIS ACTA VIDES.

III. In receſſu ad cornu Evangelii exſtat ara illibato conceptui Virginis Deiparæ dicata, & ex adverſum ad cornu epiſtolæ ianua ſeptem ſemis pedes ampla, & duodecim pedes alta, quæ aditum facit in ſacellum contingens, ſub quo crypta ſepulcralis conſtructa eſt. In utroque hoc receſſu ſub coronide binæ ſpectantur Aditus ad ſacellum.

ſtatuæ

Tab. CII. ſtatuæ mediæ, Imperatorum habentes ſpeciem, eæ vero ex gypſo tantum elaboratæ ſunt. Per memoratam ianuam, ſupra quam ſcriptum legitur hoc chronographicum:

FERDINANDVS SECVNDVS PIE
VIXIT, PIE OBIIT.

Intratur in parvum veſtibulum, quod decem pedes quaquaverſum extenditur, atque utrobique foribus aperitur. Altitudo eſt ſeptem pedum. Ianua dextra per gradus ſcalæ lapideos in cryptam Cæſaream ducit. Siniſtris foribus aſcenditur ad parvum oratorium, ex quo in templum & ſacellum proſpectus patet.

Deſcriptio ſacelli. IV. Sacellum, de quo diximus, rotunditate ovata eſt, longum triginta octo pedes, & octo pollices, latum viginti octo pedes & tres pollices. In tribus receſſibus arcuatis totidem conſiſtunt altaria, nullis tamen ſuperpoſitis tabulis, aut aliis ornamentis. Medium altare e regione oſtii conſiſtit verſus ſeptentrionem. Ex utraque parte binæ ſunt feneſtræ arcuatæ plenum ſacello immittentes diem, atque ex adverſum binæ cernuntur feneſtræ fictæ, ſymetriæ, ſeu comparationis gratia factæ. Sub his feneſtris in quatuor riſcis, ſive cavitatibus conſiſtunt ſtatuæ lapideæ *Fidem*, *Amorem*, *Spem*, & *Iuſtitiam* exhibentes. Sacellum iſtud tegit tholus multo lumine illuſtris, geniorum figuris, ac gypſo artificioſe inductus. In medio pavimento, quod marmoreum eſt, foramen ovatum patet, longitudine quinque pedes, latitudine tres cum dimidio, per clathros ferreos lumen & aera admittens cryptæ.

Introitus in cryptam. Tab. CIII. V. Huc per ſcalas, de quibus modo diximus, ad dexteram deſcenditur in atrium quoddam fornicibus concameratum, idque tredecim pedes porrectum, octo pedes latum, novem pedes & duos pollices altum. Ad extremos ſcalæ gradus ianua atrii ſex pedes alta, tres pedes quatuor pollices lata eſt, cui ſuperimpoſita calva cadaveroſa conſpicitur. Ex oppoſito latere ſimilis ianua occurrit, introitum præbens in parvam cryptam novem pedes longam, octo autem pedes cum uno pollice latam, quæ vero vacua eſt. Ab atrio tribus tandem gradibus deſcenditur in auguſtam cryptam emortualem, quæ ad formam ſuperſtructi ſacelli rotunditatem ſphæroideam ſervat. Fornix, totumque ædificium componitur ex gypſo, auratis & pictis figuris undique decoratum.

De hac crypta plenior enarratio. VI. Crypta facile adæquat longitudinem triginta pedum, latitudinem vero viginti & unius pedis. Inter utrumque pavimentum numerantur pedes novemdecim & pollices tres. Ædificii ſeu cryptæ totius ſtructura octo continetur pilis, quæ adiecta coronide altitudinem decem & dimidii pedis æquant, & parietem in octo receſſus diſtinguunt. Receſſus primus eſt ipſe introitus ab atrio in cryptam per tres memoratos gradus. Alter, huic e regione poſitus, altare verſus aquilonem ſub arcu octo pedum & dimidii, complectitur.

plectitur. Hoc altare inſiſtit baſi lapideæ quinque pedes longæ, & tres altæ. Superpoſita tabula cingitur margine gypſei operis, geritque in fronte caput genii. Tabulæ huic alia quædam de metallo, cum inſcriptione, indita fuiſſe videtur; ſiquidem in muro quatuordecim foramina, ad intorquendas cochleas, patent. Ex utroque latere media longitudine occurrunt duo receſſus vacui, ſex pedes, & ſex ſemis pollices lati, quinque ſemis pedes concavi; alius quoque receſſus ad ſiniſtrum latus ianuæ pariter vacuus, reliquæ vero tres cavitates continent arcas funereas, binos pedes humo excitatas, quarum explanationem ſtatim ſubiiciemus. Pilis affixa ſunt inſignia Imperii, nec non reliqua provinciarum hereditariarum, ut *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Tyrolis*, *Carinthiæ*, *Carniolæ*, *Styriæ*, & *Auſtriæ*. Tum quoque adduntur *Bavarica*, quæ ſingula ſuis coloribus ad heraldicæ leges illuſtrantur. Pilis ſinguli ſuperſident genii, quorum primus, aquilæ Cæſareæ imminens, coronam imperatoriam tenet; ſecundus genius caſſidem *Habsburgicam* manibus geſtat; tertius lacrymans exhibetur cum ſcipione & clepſamidio in manibus; quartus tenet calvam mortui, ramum myrtaceum, & facem inverſam; quintus coronam regiam; ſextus inſignia *Auſtriaca*; ſeptimus vexillum; octavus tandem globum imperii & ſceptrum. Fornix concurrentibus arcubus octofariam diſtribuitur, quorum intervalla varie ornantur. Quatuor media diſtinguuntur variis ſcutis. In ſupremo pictura eſt, cum ſubſcripto titulo; ac ſupra introitum cryptæ pictura exhibetur CHRISTUS, LAZARUM ad vitam revocans, addito lemmate: Tab. CIII.

OMNES, QUI IN MONUMENTIS SUNT, AUDIENT VOCEM FILII DEI. IOB. V.

Supra altare repræſentatur reditus CHRISTI in vitam, cum inſcriptione:

ECCE VICIT LEO DE TRIBU IUDA. APOC. IV.

A cornu Evangelii apparet ENOCHUS orbem terrarum relinquens, cum titulo:

ET AMBULAVIT HENOCH CUM DEO. GEN. V.

A parte Epiſtolæ ELIAS igneo curru in cœlum transfertur.

RECEPTUS EST IN TURBINE IGNIS. ECCLESIAST. XLVIII.

In reliquis quatuor ſeparationibus verſus aquilonem duæ feneſtræ ſunt, cryptam illuſtrantes, & ex adverſo loca vacua formantur in formam ſcutorum. Fornicem cingit podium, quatuor pedes latum, vertex autem fornicis dictum ſpiramen habet, clathris ferreis clauſum.

VII. Tres illi, quorum ſupra meminimus, parietum receſſus, in quibus repoſiti ſunt loculi funerum, ſinguli latitudine ſunt trium pedum, pollicumque totidem, altitudine duum pedum ſeptemque pollicum, circumdata margine. Singula quoque loculamenta marmoribus nigris eiusdem magnitudinis occluduntur, adeo, ut arca- Funera ibidem condita.

Tab CIII. rum funerearum conſpectus ab extra nullus detur. Super hæc tria loculamenta, litteris auratis tabulæ marmoreæ inſcripta cernuntur epitaphia, unacum additis ex ſacra ſcriptura verſibus. Harum inſcriptionum indicio tria Principum *Auſtriacorum* funera, nempe FERDINANDI II. MARIÆ ANNÆ Uxoris, & IOANNIS CAROLI filii eius, quieſcunt, de quibus iam ſingillatim, ac temporis, quo quisque dictorum Principum huic cryptæ illatus fuit, habita ratione, agendum nobis eſt.

MARIA ANNA, FERD. II. ux. † 1616. d. 8. *Mart.* Lit. c.

VIII. Prima omnium novæ cryptæ *Græcenſi*, ſplendorem illum, quem modo deſcripſimus, nondum adeptæ, illata eſt MARIA ANNA, GUILIELMI V. Ducis *Bavariæ*, ac RENATÆ *Lotharingicæ* filia, quæ anno 1574. die octava *Decembris*, *Monachii* primam lucem aſpexit. FERDINANDO II. CAROLI *Styrenſis* filio, Archiduci *Auſtriæ*, ac poſtea Imperatori anno 1600. die 23. *Aprilis* deſponſata, ac, teſte ADLZREUTERO, pridie Calendas *Maii* nongentis ſeptuaginta, omnis ordinis ac dignitatis, equitibus, curribusque ſtipata *Græcium* ingreſſa eſt, ubi, benedicente Cardinale *Franciſco* DIETRICHSTEINIO, matrimonium toti *Europæ* auſpicatiſſimum celebravit. Sexies feliciter pariens tres filios, totidemque filias, de quibus ſingulis mox acturi ſumus, vitæ dedit. Anno tandem 1616. die octava *Martii* (Annales *Ferdinandei* annum ſequentem ponunt) mors Principem noſtram a coniugii & corporis vinculo exemit in civitate *Græcenſi*, die octava *Martii*, quadrante ante horam ſeptimam matutinam. Corpus exanime die decima quarta *Iunii* in novam cryptam, quam, teſte *MS. Græcenſi*, eodem die IACOBUS, *Seccovienſis* Epiſcopus, prima ſolemni precatione luſtraverat, ad dextram altaris partem collocatum eſt. Sarcophago eius lit. c. notato, ſuperpoſita eſt hæc inſcriptio:

MARIA. ANNA. BAVARIÆ. DUX.
FERDINANDI. ARCHIDUCIS. AUSTRIÆ.
CONIUX. LECTISSIMA.
QUAM. PIETAS. CLEMENTIA. MODESTIA.
FECISSENT. IMMORTALEM.
NISI. MORTALES. ESSEMUS.
OBIIT. DIE. OCTAVA. MARTII. ANNO. CHRISTI.
M. D. C. XVI.
ANNOS. NATA. XXXXI. MENSES. TRES.

Libellum itaque, qui inſcribitur: Mauſoleum *Græcenſe* &c. *Græcii* anno 1732. editum, ac annos ætatis MARIÆ ANNÆ nonniſi XXXI. numerantem, errore typographi laborare neceſſe eſt. In inferiore marmore nigro ſequens Scripturæ verſus ſcalptus.

ANIMA
EIUS
IN BONIS
DEMORABITUR
PS. XXIIII.

Cor

Cor Auguſtæ in crypta apud Sanctimoniales *Græcenſes* Ord. S. CLARÆ aſſervari, ſequenti volumine indicabimus. TAB. CIII.

IX. Alter poſt Principem matrem in mauſoleum *Græcenſe* conceſſit IOANNES CAROLUS, qui anno 1605. die I. *Novembris* FERDINANDO II. ex dicta MARIA ANNA *Bavara* natus fuit. Hunc unius diei infantem MARTINUS, Epiſcopus *Seccovienſis*, luſtrali fonte lavit, Auguſtiſſimus autem parens pubertatis annos nondum ingreſſum MARIÆ, PHILIPPI III. *Hiſpaniarum* Regis filiæ, ſponſum deſtinavit. Verum immatura morte præventus, ac tertio decimo ætatis ſuæ anno fatis ſuccumbens, iuvenis Princeps omnem domus *Auſtriaco-Hiſpanicæ* ſpem eluſit; defuncti funus in dextero latere, prope ingreſſum explanatæ a nobis *Græcenſis* cryptæ depoſitum eſt. Marmor, pretioſos huius Archiducis cineres muniens, litteris deauratis tale epitaphium refert. IOANNES CAROLUS, filius, † 1619. 16. *Dec.*

IOANNES. CAROLUS. ARCHIDUX. AUSTRIÆ.
IMPERATORIS. FERDINANDI. II.
EX. MARIA. ANNA. FILIUS.
UTRIUSQUE. VIRTUTUM. HÆRES.
IN. FLORE. IUVENTUTIS. OBIIT.
ET. MATURUS. MERITIS. NATUS. EST. COELO.
POSTRIDIE. NATALIS. DOMINI.
ANNO. CHRISTI. M. D. C. XIX.
ÆTATIS. SUÆ. XIII.

FUGGERUS cum allata hac inſcriptione quoad annum ac diem emortualem conſentit. GANSIUS autem, qui annum 1617. ac ill. KHEVENHILLERUS annum omnino 1620. ponentes, de errore, non niſi per oſcitantiam typographi, ſeſe purgare poterunt. Parti alteri marmoris, cui loculus incumbit, inſcriptus eſt locus *Sapientiæ* IV.

CONSUMMATUS
IN BREVI
EXPLEVIT
TEMPORA MULTA.

X. A cornu Evangelii in crypta *Græcenſi* aſſervantur exuviæ Auguſtiſſimi Imperatoris FERDINANDI, qui anno 1578. die nona *Iulii* CAROLO *Styrenſi* ex MARIA *Bavara* natus, poſtea gentem *Auſtriacam* nobiliori ſexu uſque ad exceſſum CAROLI VI. feliciter propagavit. Pluribus in locis a) iam data opera de virtutibus, rebusque geſtis FERDINANDI diſputavimus. Ne igitur actum agere videamur, ea tantum, quæ ultimum vitæ eius tempus, tumulum nempe, illiusque honoribus poſitas inſcriptiones funereas lectori noſtro proponimus. Imperator FERDINANDUS II. poſtquam filium FERDINANDUM III. in comitiis, *Ratisbonæ* anno 1636. coactis, Regia *Romani* Imperii corona ornatum cerneret, valetudinem quoque ſuam in dies magis magisque labefactari ſentiret, FERDINANDUS II. Imp. † 1637. 15. *Febr.* Lit. b.

a) *Nummoth.* P. II. pag. 175. & *Pinacoth.* P. II. lib. V. cap. III. p. 329. ſeq.

TAB. CIII. ſub initium ſequentis anni 1637. *Ratisbona Viennam* reverſus eſt, ubi iam octavo ab adventu die præter omnium opinionem, die XV. *Februar.* hora ante meridiem nona animam ſuam creatori reddidit. Defuncti cadaver, eodem adhuc die pollinctum, ac in ſuggeſtu funebri publice expoſitum fuit. Peractis *Vindobonæ* ſacris funeralibus, cadaver die XXI. *Februarii* Epiſcopo *Neoſtadienſi*, MATHIÆ, nonnullisque aliis aulæ Cæſareæ proceribus concreditum eſt, in *Styriam* deportandum. Caverat enim teſtamento optimus Imperator, ne corporis ſui exuviæ, præterquam *Græcii*, civitate patria, & quidem in crypta, quam ibi, ut ſupra audivimus, vivens in Divæ CATHARINÆ templo conſtruxerat, deponerentur. In finibus *Styriæ* Auguſtum funus ab ill. Comite de *Herberſtein*, huius provinciæ Præſide, aliisque Primatibus ingenti pompa funebri exceptum, ac in civitatem *Græcenſem* deductum eſt. Die tandem XV. *Martii* poſt ſolis occaſum Auguſtæ exuviæ *Græcium* attigerunt, ac inter innumera communis triſtitiæ ſigna per portam ferream, collucentibus undique plateis, ad D. ÆGIDII ædes ſex albis equis, quibus Cæſar vivens utebatur, devectæ ſunt. Hic loci ſubſtiterat feretrum, ac funus a viginti *Styriæ* proceribus e curru ſublatum, cryptæ tandem inferebatur, ubi arcæ primum ligneæ, tum cupreæ, ac demum ſtanneæ incluſum, eademque nocte, præmiſſis ab Epiſcopo *Lavantino*, LEONARDO GORZIO, ad morem eccleſiæ *Romanæ* ceremoniis, deſtinato ad cornu Evangelii, ut ſupra dictum eſt, loculamento impoſitum fuit. Lamina arcæ ſtanneæ in ſuperiore parte hanc profert inſcriptionem:

D. FERDINANDUS. ROMANORUM. IMPERATOR.
SEMPER AUGUSTUS. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. BOHEMIÆ.
REX. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. DUX. BURGUNDIÆ.
STYRIÆ. CARINTHIÆ. CARNIOLÆ. COMES. TYROLIS.
HASPURGI ET GORITIÆ. &c.

Additi porro hic ſunt anni nativitatis eius, dies, locusque obitus, iisdem verbis, quæ in Epitaphio, mox adducendo, legemus. Operculi partem inferiorem ornant aquila Cæſarea, pomum Imperiale, Regiæ tres coronæ, ac pileus Archiducalis: poſtrema parte inſigni labore procuſum aureum vellus ſpectatur. Epitaphium litteris aureis, nigro inſculptum marmori, hiſce conceptum eſt verbis:

DIVUS. FERDINANDUS. II. ROM. IMPERATOR.
VITÆ. ET. ARMORUM. SANCTITATE. CLARUS.
IX. IULII. ANNO. CHRISTI. M. D. L. XXVIII.
GRÆCII. MORTALEM. VITAM. AUSPICATUS.
FINIIT VIENNÆ.
EXUVIAS. SUAS. HIC. LOCAVIT.
IN PATRIA MORTALI
POSTQUAM AD IMMORTALEM TRANSIIT
XV. FEBRUARII. ANNO. CHRISTI. M. D. C. XXXVII.

Ibidem

Ibidem marmori, cui loculus funereus incumbit, ſequens inſcriptum eſt votum:

SEMEN EIUS
HEREDITABIT
TERRAM
PS. XXIV.

CAPUT VII.

DE CETERIS FERDINANDI II. LIBERIS ALIBI SEPULTIS.

§. I.

Primus matrimonii, quod FERDINANDUS II. cum MARIA ANNA *Bavara* inierat, fructus, filia erat, CHRISTINA nomine, quæ anno 1601. die 21. *Iunii* mundum hunc ingreſſa, eidem poſt unius horæ moram iterum valedixit. Huius Principis puellæ corpuſculum in cryptam *Seccovienſem* deportatum eſt. Iam capite I. huius libri loculum & epitaphium recenſuimus, quo aſſerta a nobis nativitatis mortisque epocha confirmatur. Non igitur audiendi ſunt Scriptores, qui diem 25. *Maii*, a) vel annum omnino 1604. CHRISTINÆ emortualem perhibent. b)

CHRISTINA, FERDINANDI II. filia, † 1601. 12. *Iun.*

a

b

II. MARIA ANNA, matri cognominis, FERDINANDI II. Imp. filia ſecunda, *Græcii* an. 1610. die 13. *Ianuarii* inter horam ſecundam & tertiam pomeridianam nata eſt. SPENNERUS c) Principem hanc ULADISLAO IV. Regi *Poloniæ*, elocandam fuiſſe teſtatur, niſi huius regni Ordines obſtitiſſent. Quare MAXIMILIANUS I. *Bavariæ* Dux, poſt obitum ELISABETHÆ *Lotharingicæ*, quacum triginta novem annos in ſterili matrimonio vixerat, MARIAM ANNAM noſtram, ex ſorore ſua neptem, conthoralem eſſe voluit. Nuptiæ an. 1635. die 15. *Iulii* d) benedicente S. R. E. Cardinale DIETRICHSTEINIO in D. AUGUSTINI æde, ac inſigni pompa, cuius deſcriptio in Annalibus *Ferdinandeis* e) reperitur, celebratæ ſunt. Ratum fuiſſe ſupremo Numini hoc matrimonium, duo Principes filii, ex hoc thoro prodeuntes, teſtantur. Sicquidem an. 1636. die 31. *Octob.* circa meridiem FERDINANDUS IGNATIUS MARIA natus, & an. 1638. die trigeſima *Sept.* MAXIMILIANUS PHILIPPUS ſub horam ſesqui nonam matutinam editus, votis atque precibus, quibus tota *Bavaria* per quadraginta iam annos cœlum pulſaverat, ſatisfecit. Vidua facta 1635. 17. *Septembris*: tandem 1665. die 25. *Sept.* naturæ debitum ſolvit. Funus *Monachii* in cryptam ſepulcralem Ducum *Bavariæ*, quæ eſt in templo S. MICHAELIS Soc. IESU, in loculo plumbeo illatum, & ad ſiniſtrum latus aræ collocatum fuit: loculo

MARIA ANNA, MAX. I. Ducis *Bavariæ* uxor II. † 1665. 25. *Sept.*

c

d

e

a) SCHOENLEB. in *Ephemerid.*
b) GANSIUS in *Arboret.*
c) In *Sylloge* p. 98.
d) FUGGERUS 10. *Iunii* fuiſſe ſcribit.
e) P. XII. ad annum 1635. col. 1775. ſeq.

lo huic impoſita urna ſtannea rotundæ formæ, viſcera huius Principis continens, cernitur, quam delineatam dabimus iterumque memorabimus in ſæpius citato Vol. II. *de Urnis & conditoriis viſcerum.* Tres porro fornices cryptæ *Monacenſis* ad totidem caveas ducunt, ante quarum oſtia, clathris ferreis præcluſa, tabulæ pendent ligneæ, colore cæruleo abductæ, in quibus tituli, ſeu brevia epitaphia, intus iacentium, aureis litteris inſcripta leguntur. Sunt autem tabulæ pro ſingulis oſtiis ſingulæ. Poſt ipſas clathri ferrei oculis duntaxat, idque ſemel quot annis, die videlicet Defunctorum, pervii, loculos exhibent plumbeos, ligneis ſubinde incluſos; citra omnem aliam curam, aut ornatum: niſi quod, fundatorum tumbæ in lamina ſtannea peculiares inſcriptiones contineant. Inter cetera itaque harum funera comparet memoratæ MARIÆ *Auſtriacæ* loculus, cum hoc epitaphio:

Epitaphium MARIÆ ANNÆ.

III.

HEIC SITA EST
MARIA ANNA AUSTRIACA
CÆSARUM FERDINANDI II. FILIA
FERDINANDI III. SOROR
LEOPOLDI I. AMITA
NATA EST IDIBUS IANUARII
ANNI MDCX.
NUPSIT MAXIMILIANO ELECTORI BAVARO
NEPTIS EX SORORE
DUOS EI FILIOS SECUNDO CONNUBIO GENUIT
FERDINANDUM MARIAM
UTR. BAVAR. ET SUPERIORIS PALATIN. DUCEM
S. R. I. ELECTOREM
ET MAXIMILIANUM PHILIPPUM
LANDGRAVIUM LEUCHTENBERGICUM S. R. I. PRINCIPEM.
HAUSTAM A MAIORIBUS PIETATEM IN DEUM VIVENS RETINUIT,
HÆREDIBUS MORIENS RELIQUIT.
FUIT VIRTUTIBUS, QUAM AUGUSTORUM SANGUINE MAIOR.
INTEGRITAS VITÆ, GRAVITAS MORUM
NULLI REGINARUM FECERE SECUNDAM.
TANTO IN CULMINE VERE PAUPERUM MATER
EORUM LACRYMIS AD PORTUM BEATITATIS APPULIT
ANNOS NATA LV. MENSES IIX. DIES XII.
AD SUPEROS ABIIT
ANNO M. DC. LXV. DIE XXV. SEPTEMB.
CINERES SUOS CINERIBUS MAXIMILIANI
MARITI SIMUL ET AVUNCULI
PROXIMOS ESSE VOLUIT.

Ibidem ad clathros ferreos ſupra inſignia gentilita legenda eſt inſcriptio:

SEREN.MA
MARIA ANNA
AUSTRIACA

MAXI-

MAXIMILIANI I.
II. CONIUX.
E VIVIS EXCESSIT
MONACHII
26. *Sept.* 1665.

TAB. CI.

Dies emortualis hic ſcribitur 26. *Sept.* contra quod epitaphium, antea recitatum, diem præcedentem 25. aſſignat. Auctor *Tabularum Genealogicarum Sereniſſimæ Domus Bavaricæ*, omnium, quæ hactenus prodierunt, exactiſſimæ, habent diem 28. *Sept.* Continentur autem in prioribus tomis *Parnaſſi Boici*; ſed conciliari poſſunt hæ variantes lectiones, ſi dicatur: eam obiſſe die 25. *Septemb.* ut epitaphium, primo loco a nobis adductum, docet; dein expoſito per triduum funere, quod Principibus in more poſitum eſt, hoc demum die 28. dicti menſis ad ſepulturam datum fuiſſe.

IV. Tertia filiarum, quas FERDINANDUS ex MARIA ANNA *Bavara* ſuſtulit, CÆCILIA RENATA erat, quæ in civitate *Græcenſi* anno 1611. 16. *Iulii* media tertia pomeridiana in hanc lucem prodiit, ac ſequenti die a Revd^mo. Sedis Apoſtolicæ Nuntio de PONTE baptizata eſt. Ad plures abeunte MARIA ANNA *Bavara*, CÆCILIA, infans tam præclaram ab ELEONORA MANTUANA, altera FERDINANDI II. coniuge, de qua cap. ſequenti agendum nobis erit, inſtitutionem accepit; ut non tantum regiarum virtutum, verum etiam variarum linguarum, latinæ præſertim, uſum conſequeretur. Ob has præclaras dotes ULADISLAUS IV. *Poloniæ* ac *Sueciæ* Rex, Principem hanc per IOANNEM CASIMIRUM, Fratrem ſuum, thori thronique conſortem exoptavit. Quare ſolenni nuptiarum promiſſione, Principi CASIMIRO, regii ſponſi vices gerenti, facta, eaque per *Ioannem* LIPSKIUM, *Culmenſem* Epiſcopum confirmata, die 12. *Auguſti Vindobona* diſceſſit, ac poſtquam urbem *Cracovienſem* die 27. eiusdem menſis tranſiiſſet, *Varſaviam* die 12. *Septemb.* ingenti apparatu ingreditur, in Æde S. IOANNIS Regi ſponſo elocatur, ac ſequenti die regio diademate inſignitur. Silentio præterire non poſſumus, quod hæc CÆCILIÆ inauguratio in urbe *Varſavienſi* ſingularis omnino fuerit, omnibus enim retro ſeculis Reges, Reginasque *Poloniæ* in civitate *Cracovienſi* coronandos fuiſſe, *Chriſtophorus* HARCHNORCHIUS a) perhibet. Addit *Paulus* PIASECIUS b) regia inſignia ex urbe *Cracovienſi Varſaviam* delata, ac coronatam ibidem CÆCILIAM RENATAM acerbis *Polonorum* querilis locum dediſſe. Primo felici partu Regina an. 1640. *Calendis Aprilis* hora quarta matutina, minuto octavo filium edidit SIGISMUNDUM CASIMIRUM. Altera vice filiam peperit menſe *Ianuario*, MARIAM ANNAM ISABELLAM nomine, quæ tamen vitam ſuam non ultra menſem produxit. Tertium gravida anno 1644. 14. *Mart. Vilnæ* obiit, SIGISMUNDO CASIMIRO filio ſuperſtite,

CÆCILIA RENATA, FERD. II. filia, Reg. *Pol.* † 1644. 14. *Mart.*

a) De Republ. *Polon.* lib. II. cap. I. p. 235. b) Ad annum 1637. p. 592.

ſtite, qui tamen anno 1647. die 9. *Auguſti* matrem in morte ſequutus eſt. Funus Reginæ *Cracoviam* delatum, & loculo argenteo reconditum, in Regum *Poloniæ* ſepulcrali monumento cohoneſtatum fuit. Delineationem loculi argentei iam ſupra typis æneis exprimi curavimus ad Lib. III. Cap. VIII. Tab. XX. n. 1. Reliquum itaque eſt, ut epitaphium eiusdem Reginæ, laminæ argenteæ inciſum, nec non ceteras honoribus eius poſitas inſcriptiones, hoc loco promamus:

Epitaphium.

V.

D. O. M.
TU QUI AUGUSTÆ REGINÆ
SACRAM URNAM
ASPICIS
VENERARE TREDECIM IMPERATORUM AUSTRIA DOMO PROGNATORUM
DIVUM SANGUINEM
CECILIAM RENATAM
ULADISLAI IV. POLONIÆ ET SUECIÆ GLORIOSISSIMI REGIS, SCEPTRI, TORIQUE
CONSORTEM
PATERNÆ, FERDINANDI II. AUGUSTI, PIETATIS ET OMNIUM VIRTUTUM
EX ASSE HÆREDEM
CUI
DUM ORBIS IMMMORTALITATEM PRECATUR, COELUM, MORTIS VIA EREPTAM
SIBI VENDICAT GLORIOSAM
EXUVIAS HIC CAPIT TUMULUS, POSTHUMI AMORIS, ET REGIÆ
MOESTISSIMI CONIUGIS, MAGNIFICENTIÆ
MONUMENTUM
SIC DECUIT IMPERATORUM SANGUINEM
SIC CÆLI TRIUMPHANTIS PIGNUS.
NATA GRÆCII ANNO CHRISTI
M. DC. XI. VI. IULII. S. V.
CORONATA REGINA POLONIÆ, VERSAVIÆ
M. DC. XXXVII. XIII. SEPTEMB.
MORITUR VILNÆ
M. DC. XLIV. XIV. MARTII.

Inſcriptiones variæ.

VI. Aliæ in obitu eiusdem reginæ inſcriptiones typis editæ reperiuntur in panegyrico ab Academia *Vilnenſi S. I.* vulgato. Titulus panegyrici: *Primæ lacrymæ in obitu* CÆCILIÆ RENATÆ. Ad huius Reginæ nomen alluſerunt inſcriptiones in arcu Triumphali, cum anno 1637. CÆCILIA RENATA *Poloniam* ingreſſa fuit.

Docta Themis, jucunda Charis, formoſa Dione
Iuno, Minerva, Dice, Flora, Diana, Ceres.
Quæritis, unde Lecho noſtro ſint orbe renatæ?
Suſcitat innumeras una RENATA *Deas.*

Aliud:

Auguſtus cum tu, Rex ULADISLAE! *voceris*
September nobis Cæcilianus eris.

Item alia:

Has aperit Regina Tibi Varſavia portas,
Lata patent Dominæ mœnia, corda magis.

Plura vide apud WASSENBERG in geſtis ULADISLAI Regis. Huius filio SIGISMUNDO CASIMIRO, nec non MARIÆ ANNÆ ISABELLÆ ſequentes inſcriptiones poſitæ ſunt, in quibus Auguſtæ matris memoria recurrit:

SIGIS-

SIGISMUNDUS CASIMIRUS
Poloniæ Princeps, Sueciæ Hæres
Opoliæ & Ratiboræ Dux
ULADISLAI *IV.* & CÆCILIÆ RENATÆ *Auſtriæ*
Regum filius
hic dormit in pulvere
cuius alta in puerili corpore indoles
ſpem dederat
Eum futurum hæredem, & bonorum
Patris & bonorum
niſi ætas invidiſſet.
Iudicio, Profectu, forma venuſtiſſimus
moribus placidiſſimus omnium
votis, oculis in ſe converſis
vix oritur moritur
Varſaviæ die IX. Aug. An. MDCXLVII.
ætatis ſuæ VIII.
Delicium Patris, orbis expectatio.

Infantis *Poloniæ* epitaphium : vid. infr.

MARIA ANNA ISABELLA
ULADISLAI IV. & CÆCILIÆ RENATÆ
Poloniæ & Sueciæ Regum filia
Varſaviæ nocte inter diem 7. & 8. Ianuarii.
An. Dom. MDCXLII. nata.
Et mox ſalutaribus aquis renata
Intra XXXI. diem VIII. Feb. denata
Digna, quæ cito renaſceretur cælo
brevis mortalitatis exuvias hic
depoſuit.

VII. LEPOLDUS WILHELMUS filius FERDINANDI II. Imp. ortus eſt *Neoſtadii Auſtriæ* 6. *Ian.* 1614. Plurium ſubinde eccleſiarum antiſtes, ac ordinis *Teutonici* ſupremus Magiſter factus, Cæſarianorum exercituum Dux, nec non *Bohemiæ*, & *Belgii* gubernator fuit. Vitam efflavit *Viennæ* 1662. XX. *Nov.* ubi in communem Archiducum cryptam emortualem, quæ apud RR. PP. *Capucinos* eſt, reconditus invenitur, cum inſigni elogio in loculo eius ſtanneo, variis non modo armorum ſignis, ſed etiam eccleſiarum ſcutis exornato. Omnia hæc nos iam ſupra Lib. VII. Cap. IV. §. XIV. Tab. LXII. n. 6. pag. 394. ſeq. delineata & deſcripta dedimus. LEOPOLDUS WILHELMUS, Epiſc. † 1662. 2. *Nov.*

CAPUT VIII.

ELEONORÆ MANTUANÆ, SECUNDÆ UXORIS FERDINANDI II. IMP. CRYPTA ET TUMULUS VIENNÆ IN Ttemplo CARMELITARUM DISCALCEATARUM AD S. IOSEPHUM, CUM ICONISMO.

§. I.

Crypta hæc commendatur.

Inter monumenta ſepulcralia, in quibus oſſa & cineres funerum ex Auguſta ſtirpe Archiducum quieſcunt, recenſeri meretur fovea ſubterranea, quæ eſt *Vindobonæ* in cænobio Virginum *Carmelitarum diſcalc.* ad ædem S. IOSEPHI; in ea compoſitus eſt loculus ELEONORÆ, viduæ FERDINANDI II. Imperatoris, quæ monaſterium hocce condidit. Etſi vero in hac funerea crypta unum illud tantum funus hodie reperitur, quod ſimul in noſtram monumentorum *Auſtriacorum* collectionem cadat, multa tamen ibi occurrunt prorſus ſingularia, quæ in aliis monumentis fruſtra requirerentur, quare operæ pretium eſſe duximus, res accuratiore ſtilo ſignare.

Acceſſus in illam.

II. Antequam hanc nobis cryptam oculis luſtrare licuit, eius difficultatibus, quas ſacra Virginum Societas opponebat, occurrere neceſſe fuit; quod ad id monumentum aliter accedi non poſſet, quam ſi via fieret per clauſuram monaſterii. Verum, R. P. Provinciali *Carmelitarum* ad nos *Vindobonam* veniente, diem ſumpſimus undecimum menſis *Septembris* anni MDCCXLI. comitante R. P. Confeſſario clauſuram ingreſſi. Prima porta ducit in exiguum quoddam periſtylium, quo dextroſum tranſito deſcenditur gradibus in quoddam quaſi veſtibulum, ubi parvum altare collocatur, atque hinc ingreſſus in cryptam maiorem ducit.

Deſcriptio eius.

III. Iſta crypta tredecim pedum & trium pollicum altitudine eſt, viginti trium pedum longitudine, & latitudine ſeptendecim pedum, pollicumque ſeptem. Ad huius cameræ ſepulcralis extremitatem, qua ex amuſſim ſummum altare in templo ſuperincumbit, minor occurrit fovea camerata, ſeptem pedes alta, novem lata, ſeptemque pedes, & quatuor pollices porrecta. In ea duo collocati ſunt capuli funerei, quos in tabula cernis lit. a. & b. ſignatos. Qui maior eſt, exuvias Imperatricis ELEONORÆ, minor vero funus infantis e ſtirpe *Lotharingica* continet. Sed de his deinde plura exponenda erunt. Ceterum in maiore camera ex utraque parte, uti ex ichnographia lit. c. oſtenditur, ſepulcra Virginum monaſterii ita diſpenſantur, ut eorum ibi reperiantur omnino quadraginta & unum. Seiunctis enim receſſibus intra parietum muros recepta, alia ſuper altera ſtruuntur, & ſingula brevibus epitaphiis, ut conſpectus tabulæ demonſtrat, illuſtrantur. Uti igitur ſacri ordinis conſuetudo fert, Virginum funera calce perfuſa, muro includere; ita in pavimenti ſolo fovea clauſa lit. d. cineres & oſſa, ſi

Tab. civ.

Litt. a. b.

Lit. c.

Lit. d.

qua

qua patefacto ſepulcro excipiuntur, recipit. Ceterum, etſi in ea crypta nihil valde ſumtuoſum, & magnificum cernatur, omnia tamen munda, atque nitida ſunt. TAB. CIV.

IV. ELEONORA, quam paullo ante in hac crypta ſepultam fuiſſe diximus, VINCENTII GONZAGÆ, *Mantuæ*, ac *Montisferrati* Ducis, filia erat, cui anno 1598. nata eſt. Utroque Sereniſſimo parente ad plures abeunte puella Princeps Virginibus S. URSULÆ *Mantuanæ* inſtituenda tradebatur, donec anno 1621. per ill. IOANNEM ULRICUM EGGENBERGIUM ad ſecundas FERDINANDI II. Imperatoris nuptias invitata, ac die 21. *Nov.* eiusdem anni, ſponſalibus *Mantuæ* per Epiſcopum SOARDI celebratis, ſequenti anno *Oenipontum* deducta, ibidem in templo *RR. PP. Franciſcanorum* dicto Auguſtiſſimo Imperatori die 4. *Febr.* coniux data eſt. Eodem anno, die tamen 26. *Iunii* in urbe *Poſonienſi* inſigniis regni *Hungariæ* ornata, *Bohemiæ* quoque coronam anno 1627. die 21. *Nov.* capiti ſuo impoſuit. Mortuo Auguſto coniuge, matrimonii vinculo ſoluta, nullisque liberis impedita, pietatis operibus totam ſe dedit, ac monaſterium Virginum *Carmelitarum Diſcalceatarum*, ut diximus, fundavit, in quo mox explanatam cryptam ſepulcralem ſibi fieri curavit. Anno 1655. die 25. *Iunii* apud dictas ſanctimoniales prandium ſumens, febricula corripitur, quæ, catharro iuncta, ELEONORAM noſtram, adeo labefactavit, ut biduo poſt die nempe 27. dicti menſis, poſtquam Sereniſſimæ Duci *Lotharingiæ*, MARIÆ ANNÆ, ſuæ ex ſorore nepti, aliisque adſtantibus variorum ordinum Religioſis, ultimum vale dixiſſet, animam, omnibus morientium ſacris munitam, efflaret, hora poſt meridiem ſecunda. Vitæ ſuæ annos 56. menſes novem, cum tribus diebus numeravit. Breviarium vitæ.

V. Arca funerea Auguſtæ, pro vetuſtiſſimo uſu *Francorum Germanorum*que Cæſarum formata eſt, excavato lapide longo, qui etiam abaco ſaxeo contegitur. Hic lapis longitudinem æquat VII. pedum & VI. pollicum: ſuperior latitudo III. pedum, V. pollicum, inferior III. modo pedum: altitudo II. pedum & X. pollicum eſt. Adverſa pars epitaphium exhibet, averſa vero parietem reſpiciens, viſui ligneam crucem præbet, operimentum media parte ornatur corona clauſa, ſerto cincta, & ad imam extremitatem ſupra pulvinum iacet calvaria, ſerpente circumdata, oſſibus oblongis decuſſatim ſubiectis. Atque, ut ex necrologio huius monaſterii oſtenditur, ſepulcrum iſtud Auguſta ipſa ELEONORA, imminentis obitus ſui quaſi conſcia, unius menſis ſpatio, antequam vita excederet, ea ratione inſtitui curavit, & quo omnia ex voluntate ſua procederent, decimo & quinto die ante obitum ſuum, cum Architecto iterum ad ſepulturæ locum veniens, quæ præſcripſerat, amplius demonſtravit, & viam uſque adeo, qua ſe eo inferri voluit. Huius monumenti nitida ſimplicitas AMALIÆ Auguſtæ viduæ glorioſiſſimi Imperatoris IOSEPHI I. adeo placuit, ut & ipſa tribus, mor- Forma loculi exterior.

TAB. CIV. tem ſuam præcedentibus annis, totam cryptam ſimul cum capulo funereo iuſſerit delineari, atque in novo Virginibus *Saleſianis* a ſe condito monaſterio, quod in *Viennenſi* ſuburbio, vulgo *Rennweg*, conſpicuum eſt, ad eam formam ſibi ædificari ſepulcrum, cuius delineationem dedimus Lib. VII. Cap. VII.

Interior forma, & habitus funeris. VI. Operimentum loculi, cum eſſet lithocolla iunctum, funeris forma inſpici ſine detrimento loculi non potuit. Verum ea in re ſubvenit adductum modo necrologium, quod & exequiarum cerimonias, & funeris adornationem pluribus exponit verbis. Nimirum ELEONORA *Mantuana* anno Chriſti MDCLV. die XXVII. *Iunii*, ætatis anno LVII. cum triginta & tres usque a coniugio cum Cæſare FERDINANDO II. exegiſſet, rebus humanis, ut ante diximus, exceſſit. Diſſecto corpore, exemtum cor, ut eloquio ultimo ſtatuerat, *Græcium* in *Styriam* translatum fuit. Cadaver habitum Virginum *Carmelitarum* indutum, etſi ſine velo nigro albave palla, arca funerea conditum, atque ita in lapide excavato depoſitum, ſaxeoque operimento, lithocolla iuncto, contectum fuit.

Inſignia mariti ſuperaddita. VII. In ſummo ſuper cryptam minorem muro validus inſidet lapis, cui inſignia imperatoria, bicipitis aquilæ in pectore contenta inſculpta ſunt. Verum probabile videtur iſta inſignia, inſcriptionemque tumulo inditam, poſt ſepulturam demum Auguſtæ ibi poſita eſſe. Nam, uti ex circumdato torque aurei velleris patet, ea ſunt inſignia Cæſaris FERDINANDI II. Lapicida quoque in areola, ad partem ſiniſtram tertia, ſymbolum poſuit, quod an tres delphinos, an dracones, an leones exhibeat, in ambiguo eſt. Quod vero inciſum tumulo eſt epitaphium eiusmodi continet encomia, quibus inſignis Auguſtæ pietas, cum viva totius monumenti modum diſpenſaverit, indulgere neutiquam potuit. Eius contextum paullo poſt legemus.

Alterum funus Anonymæ, CLAUDIÆ *Lotharingicæ*, fil. VIII. Dextera parte cryptæ minoris, prope tumulum maiorem ELEONORÆ, in angulo conſtitutus eſt loculus minor, opere lateritio & gypſo obductus: is vero ſine inſcriptura, inſignibus, aliisve ornamentis. Sed monaſterii necrologium in eo loculo Principem puellam ex ſereniſſima domo *Lotharingica* conditam demonſtrat. Cuius licet nomen taceatur, filia tamen dicitur CLAUDIÆ *Lotharingicæ* Ducis, nono menſe a die natali, anno CHRISTI MDCXLVI. morte extincta. Genitor illi fuit NICOLAUS FRANCISCUS *Lotharingiæ* Dux, & ſereniſſimæ ſtirpis propagator. Scilicet poſt obitum huius puellæ Principis, ipſa mater CLAUDIA eam in hoc recens condito monaſterio ſepeliendam flagitavit, id quod aſſenſu Auguſtæ ELEONORÆ, etiam tum viventis in opus redactum fuit.

Funus quoque prædictæ CLAU- IX. Uſque adeo mater prædictæ puellæ CLAUDIA, filia HENRICI, *Lotharingiæ* Ducis, natu minima, & uxor memorati NICOLAI FRAN-

FRANCISCI, tam ſibi charum habuit hoc *Carmelitarum* monaſterium, ut in eandem cryptam, ubi filia ſepulturam nacta eſt, poſt obitum inferri exoptaverit: itaque anno MDCXLVIII. die II. *Auguſti* ex infelici partu, quo filiam principem peperit, defuncta, biduo poſt ab aula in huius monaſterii cryptam illata, ibique funus per aliquot dies loculo ligneo, dein ſtanneo conditum, & pro conſuetudine virginum eius monaſterii muro concluſum fuit. Verum eo in loco non remanſit. Nam anno MDCLVI. die XXIII. *Auguſti* Dux NICOLAUS FRANCISCUS ſuæ coniugis funus hinc iterum transferri curavit. Atque harum rerum omnium notitia ex adducto monaſterii necrologio hauritur. DIÆ hic loci primo depoſitum. TAB. CIV.

X. Reliquum eſt, ut ſtando promiſſis, epitaphium, quod Auguſtæ Imperatrici poſitum fuit, in medium proferamus, eius contextus ita habet: Epitaphium ELEONORÆ.

D. O. M.
ELEONORA AVGVSTA FERDINANDI
SECVNDI VXOR, PAVPERVM MATER, VIRTVTVM EXEMPLAR, CARMEL. EXCALC.
FVNDATRIX, QVARVM HABITV INDVTA
HIC IACET. SANCTISSIME OBIIT, VT VIXIT.
ANNO SALVTIS 1655. 27. IVNII
ÆTATIS 57.

XI. Addimus quoque inſcriptiones quatuor, iuſſu FERDINANDI III. Imperatoris, cenotaphio Auguſtæ matris adpoſitas a) Inſcriptiones cenotaphio appoſitæ.

I.

ELEONORÆ *Romanorum Imperatrici*
Quam FERDINANDUS II. *Rom. Imp.*
Coniugem amavit.
FERDINANDUS III. *Rom. Imp.*
Matrem appellavit.
FERDINANDUS IV. *Rom. Ung. & Boh. Rex*
LEOPOLDUS I. *Ungariæ Rex*
Aviam coluerunt.
Cuius prudentiam ſuſpexerunt ſummi
Affabilitatem mirati ſunt minimi,
Zelum commendat Eccleſia
Beneficentiam enarrant lachrymæ
Religionem teſtantur monumenta
Conſtantiam formidant adverſa
Pietatem probarunt cœlites
Patientiam exercuerunt morbi.
Poſuit
Cum Auguſtiſſima Domo Auſtriaca
FERDINANDUS III. *Mœſtiſſimus Imper.*
Anno M. D. C. LV
Menſe Auguſti die 4.

II.

ELEONORA *Auguſta Rom. Imperat.*
Ungariæ & Bohemiæ Regina
Ut cum Auguſto coniuge imperaret orbi

Sibi

a) In vita ELEONORÆ Aug. ap. *Herman.* HORST.

Sibi prius eſt domitata
Docuit ab Imperio parvi mundi procedendum
Ad magni gubernacula
Virtutem non eſt ſectata, ſed tenuit;
Hinc virtutis ſectatores, ſui fecit Imitatores
Ipſius imperia fuerunt exempla
Tanto efficaciora, quanto & nobiliora & frequentiora
Viſa eſt aliquanto cæcutire, ſed etiam
Tunc potuit eſſe Dux ambulantibus
In tenebris
Reliquit moriens illuſtria veſtigia.
Sequere, qui legis, non ambulabis
In tenebris.

III.

ELEONORA *Auguſta Rom. Imperat.*
Ungariæ, & Bohemiæ Regina
Inter aulæ delicias educata, ſed nunquam
Otioſa
Laborem dedit tempori, quietem ſervavit
Æternitati
Ad pietatem excitavit & aulam & urbem
Illam monitis
Hanc extructis utriusque ſexus cœnobiis,
Utramque exemplo
Vixit in ſupremo omnium honore
Omnium æſtimatrix
Sui contemptrix
Domeſticos ſuos fecit egenos
Communi voce dicta
Pauperum aſylum
Ut benefaceret, Noſocomia adiit
Sed illa Æraria effecit
In quibus annonam æternitatis repoſuit.
Hac frui cœpit die 25. Iunii
Anni M. DC. LV.

IV.

ELEONORA *Auguſta Rom. Imperat.*
Ungariæ & Bohemiæ Regina
Prudentiæ miraculum; quia fuit fœmina
A FERDINANDO II. *ad Imperii ſolium evecta*
Maieſtatem animi demiſſione expreſſit
non tam cum illo imperare viſa
Sed illi ſervire
Poſt Auguſti mariti funera
Viſa eſt mundo mortua
Vixit tamen publico bono
Cum latere vellet maxime patuit
Solis neceſſitatem paſſa, quod latere non
Poſſet
Mortua vitam adiit, cum numeraret
Mortalitatis annos 56.
Menſes 9. Dies 3.

TABULÆ NECROLOGICÆ
MARCHIONUM, DUCUM, ARCHIDUCUMQUE AUSTRIÆ

QUORUM MONUMENTA FUNEREA
HOC VOLUMINE
VEL TYPIS ÆNEIS EXPRESSA SISTUNTUR,
VEL TEMPUS EMORTUALE, LOCIQUE SEPULCRALES INDICANTUR.

LIBRI I.
TABULA NECROLOGICA
MARCHIONUM, ET DUCUM AUSTRIÆ, EX GENTE BABENBERGICA.

Tab. I.	Nativitas.	Obitus.		Sepultura.
	Tempus.	*Locus.*	*Tempus.*	
I. LEOPOLDUS I. *Illuſtris*, Marchio *Auſtr.* I. p. 5. 7. &c. - -	Circ. 923.	*Herbip.*	994. 10. *Iul.*	*Mellicii.*
Uxor.				
RICHARDIS famil. incert. p. 5. 6. 13.	- - -	- - -	- - -	Ibid.
Liberi.				
1) HENRICUS I. de quo inf.				
2) POPPO Archiep. *Trevir.* p. 19. ſeq.	Circ. 979.	*Trevir.*	1047. 16. *Iun.*	*Trevir.*
3) ERNESTUS I. p. 17. - - -	Circ. 982.	- - -	1015. 31. *Mai.*	*Herbip.*
Uxor.				
GISELA p. 23. 28. - -	- - -	- - -	1043. 15. *Feb.*	*Spiræ.*
Liberi.				
ERNESTUS II. p. 21. ſeq. -	- - -	- - -	1030.	*Conſtantiæ.*
HERMANNUS D. *Aleman.* pag. 22.	- - -	In *Ital.*	1038.	*Trident.*
4) CHRISTIANA, virgo recluſa. p. 20.	- - -	*Trevir.*	3. *Nov.* an. inc.	*Trevir.*
II. HENRICUS I. March. patri LEOPOLDO ſucceſſit an. 991. p. 3. 5. 6. 8. 9.	- - -	- - -	1018. 3. *Dec.*	*Mellic.*
Uxor.				
SWAENHILDIS famil. incert. p. 14.	- - -	- - -	- - -	Ibid.
Filius.				
III. ADALBERTUS I. *Victorioſ.* Marchio. p. 14. ſeq. - - - - -	Circ. 996.	- - -	1056. 26 *Mai.*	Ibid.
Uxor.				
ADELHEIDIS, quæ & FROWIZA, PETRI, *Hung.* R. ſoror. p. 3. 5. 6. 7. 14. - - - - -	- - -	- - -	1071. 26. *Ian.*	Ibid.
Liberi.				
LEOPOLDUS II. *Fortis miles.* p. 5. 6. 20. - - - - -	1022.	*Ingelhem.*	1043. 9. *Dec.*	*Trevir.*
Uxor.				
FROWIZA, OTTAKERI, Marchio. *Styr.* fil. p. 5. 6. 16. - -	- - -	- - -	1059. 19. *Dec.*	*Mellic.*
IV. ERNESTUS III. *Strenuus* ADALBERTI I. natu ſecundus fil. & ſucceſſor p. 3. 5. 6. 7. 11. ſeq. - - -	1027.	Ad *Unſtrutum.*	1075. 9. *Iun.*	Ibid.
Uxor.				
MECHTILD, quæ & SWAENHILD ac aliis ADELHEID. fil. DEDONIS, March. *Luſat.* p. 5. 6. 16. - -	- - -	- - -	- - -	Ibid.
Liberi.				
1) LEOPOLDUS III. de quo infra.				
2) ALBERTUS, ſeu ADALBERTUS *Levis.* p. 12. *not. b.* - - -	- - -	- - -	- - -	Ibid.
3) IUDITHA virgo. p. 5. 6. 17. -	- - -	- - -	- - -	Ibid.

Tab. I.	Nativitas.	Obitus.		Sepultura.
	Tempus.	*Locus.*	*Tempus.*	
V. LEOPOLDUS III. *Pulcher*, patri Ernesto ſucceſſit an. 1075. pag. 3. §. 6. 13. - - - -	1050.	- - -	1096. 12. *Oct.*	*Mellic.*
Uxor.				
Itha. de qua nihil conſtat. p. 23.				
Liberi.				
1) Leopoldus IV. de quo infra.				
2) Elisabetha. pag. 24. - -	- - -	- - -	ante an. 1107. (9. vel 10. *Oct.*	In monaſterio (*Garſtenſi.*
Maritus.				
Ottocarus March. *Styr.* pag. 24.				
Filius.				
Leopoldus *Fort.* Ibid.				
3) Itha. pag. 24. - - -	- - -	- - -	An. incert. 14. (*April.*	- - -
Maritus.				
Leutoldus, March. *Znoym.* p. 24.				
Filius.				
Conradus pag. 24.				
4) Herbirgis, Gerbirgis. pag. 25.	- - -	- - -	An. incert. 8. (*Iun.*	- - -
Maritus.				
Boriwoius. D. *Bohem.* Ibid. -	- - -	- - -	1124.	- - -
5) Euphemia. pag. 25. - -	- - -	- - -	16. *Iun.* an. incert.	- - -
Maritus.				
Conradus *Irſutus*, *Hirſutus*, *Piloſus*. pag. 25.				
6) Sophia. pag. 26. 27. - -	- - -	- - -	1154. 6. *Maii.*	- - -
Mariti.				
I. Henricus, D. *Carinth.* II. Sighardus, Com. *Burghuſ.* pag. 26.				
7) Richardis. pag. 27. - -	- - -	- - -	poſt an. 1160.	- - -
Maritus.				
Henricus I. Com. de *Stephaning.* & *Riettenburg.* pag. 27.				
VI. LEOPOLDUS IV. *Pius*, Leopoldi III. fil. & ſucceſſor. pag. 27. ſeq. -	1073. 29. *Sept.*	- - -	1136. 15. *Nov.*	*Cl. Neoburg.*
Uxor.				
Agnes. pag. 31. 32. - -	- - -	- - -	1157. 24. *Sep.*	Ibid.
Liberi.				
1) Adalbertus II. p. 33. 51. ſeq. -	1107. 13. *Feb.*	- - -	1137. 8. vel 9. (*Nov.*	Ad *S. Cruc.*
2) Leopoldus V. de quo infra.				
3) Otto. Epiſc. *Friſing.* p. 64. ſeq. -	1109. 5. *Dec.*	*Morimond.*	1158. 22. *Sep.*	*Morimond.*
4) Bertha. pag. 68. - - -	1110.	*Ratisb.*	1145.	Ad *Scotos Ra-* (*tisb.*
Maritus.				
Henricus II. Com. de *Stephaning.* Burggrav. *Ratisbon.* pag. 68.				
5) Henricus II. *Iaſomirgott* dictus, de quo infra.				
6) Agnes. pag. 70. - -	1115.	Loc. incog.	1139.	Loc. incog.
Maritus.				
Wladislaus *Polonus*, D. *Sileſ.*				
7) Conradus, Archiep. *Salisb.* pag. 67. ſeq. - - -	1118. 5. *Iun.*	(*mont.* In mon. *Ad-*	1168. 28. *Sep.*	(*mont.* In monaſt. *Ad-*
8) Gertrudis. pag. 70. - -	1119. 23. *Feb.*	In *Bohemia.*	1151. 5. *Aug.*	*Doxanæ.*
Maritus.				
Wladislaus, Rex *Boh.*				
9) Elisabetha. pag. 71. - -	1123. 1. *Sept.*	Loc. incog.	1142.	Loc. incog.
Maritus.				
Hermannus de *Wirzeburg*, Landgrav. *Thuring.*				

Tab. I.	Nativitas.	Obitus.		Sepultura.
	Tempus.	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
10) ERNESTUS IV. p. 51. 53. 63. -	1124. 14. *Aug.*	- - -	1142 23. *Ian.*	ad *S. Crucem. Cl. Neob.*
11) GUTHA (JUTHA) p. 71. - -	1126. 14. *Iul.*	- - -	an. incert.	
Maritus.				
WILHELMUS, March. de *Montferat.* Alii octo in infantia defuncti. -	- - -	- - -	- - -	ad *S. Cruc.*
VII. LEOPOLDUS V. *Largus*, fratre ADALBERTO regimen recuſante, patri ſucceſſit an. 1136. pag. 38. ſeq. 63. -	1108. 1. *Ian.*	*Altaich.* in- (fer.	1141. 18. *Oct.*	Ibid.
Uxor.				
MARIA, SOBIESLAI, D. *Boh.* fil. de qua nihil conſtat. p. 40.				
VIII. HENRICUS II. *Iaſomirgott* dictus, fratri, ſine herede decedenti, ſucceſſit, primus in Ducem evectus. p. 71. ſeqq.	1114. 4. *Apr.*	*Wiennæ.*	1177. 13. *Ian.*	*Wien.* ad *Sco- (tos.*
Uxores.				
I. GERTRUD. LOTHARII II. Imp. filia. p. 74. - - -	- - - -	*Cl. Neob.*	1143. *April.*	dubium an *Luteræ* in *Sax.*
II. THEODORA, MANUELIS, *Græcor.* Imp. fil. pag. 75. -	- - -	- - -	1184. 2. *Ian.*	ad *Scotos.*
Liberi.				
1) LEOPOLDUS VI. *Virtuoſus*, de quo infra.				
2) AGNES. pag. 76. - -	- - -	- - -	1184.	Ibid.
Maritus.				
STEPHANUS III. Rex *Hung.*				
3) HENRICUS III. D. de *Medlico*, dictus *Senior.* p. 48. ſeq. 63. - -	- - -	- - -	1223. 19. *Ian.*	ad *S. Cruc.*
Uxor.				
RICHARDA. pag. 50. 63. - -	- - -	- - -	Eod.	Ibid.
Filius.				
HENRICUS IV. D. de *Medlico.* p. 36. 38. 56. 57. 63. - -	- - -	- - -	poſt 1232. 22. (*Maii.*	Ibid.
IX. LEOPOLDUS VI. *Virtuoſus, Auſtr.* D. ſecundus, ac etiam Dux *Carinthiæ* factus. p. 40. - - -	1157.	- - -	1194. 31. *Dec.*	Ibid.
Uxor.				
HELENA, GEYSÆ II. R. *Hung.* fil. p. 42. - -	- - -	- - -	1199. 25. *Dec.*	- - -
Liberi.				
X. FRIDERICUS I. *Catholicus*, Dux III. p. 45. ſeqq. Patri ſucceſſit 1194. -	1174. 26. *Dec.*	In *Palæſtina.*	1198. 16. *Apr.*	Ibid.
XI. LEOPOLDUS VII. *Glorioſus*, Dux IV. fratri FRIDERICO prædicto, ſine herede mortuo, ſucceſſit an. 1198. p. 45. 76. ſeqq. - - -	1176. 15. *Oct.*	In *Apulia* ad (S. GERM.	1230. 28. *Iul.*	*Campilil.*
Uxor.				
THEODORA, Aug. *Græcor.* ſtirpis.	- - -	In *Kalenberg.*	1246. 22. *Iun.*	*Cl. Neob.*
Liberi.				
1) MARGARITHA. pag. 79. -	1205. 10. *Apr.*	In *Crems.*	1267. 28. *Oct.*	*Campilil.*
Mariti.				
I. HENRICUS VII. *Rom.* Rex.				
II. OTTOCARUS, R. *Bohem.* qui eam repudiavit.				
2) AGNES. pag. 81. - -	1206. 19. *Iul.*	- - -	ante an. 1248. (29. *Aug.*	- - -
Maritus.				
ALBERTUS, D. *Sax.*				
3) LEOPOLDUS VIII. p. 34. ſeq. -	1207. 25. *Mart.*	*Cl. Neob.*	1216. 21. *Oct.*	*Cl. Neob.*

4. HEN-

Tab. I.	Nativitas.	Obitus.		Sepultura.
	Tempus.	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
4) HENRICUS V. dictus *Crudelis*, LEOPOLDI VII. filius. p. 59. ſeqq. -	1208. 15. (*Maii.*	In *Suev.*	1228. 26. (*Sept.*	ad *S. Crucem.*
Uxor.				
RICHARDIS, quæ & AGNES, ſoror LUDOVICI, *Thuring.* Landgrav. pag. 54. ſeq. - - -	- - -	- - -	24. *April.*	Ibid.
Filia.				
GERTRUDIS, *Medlicenſis* p. 36. 82. -	- - -	In *Miſnia* (exul.	poſt an. 1261.	Loc. incog.
Mariti.				
I. ULADISLAUS.				
II. HERMANNUS V. *Badenſis.* p. 36. 82. - - -	- - -	In *Styria.*	1250. 2. *Oct.*	*Cl. Neob.*
Liberi.				
FRIDERICUS p. 82. ſeq. -	- - -	In *Italia.*	1268. 27. *Oct.*	- - -
AGNES p. 83. ſeq. - -	1250.	- - -	1295.	*Wienn.* ad FF. (*Minores.*
Mariti.				
I. ULRICUS D. *Carinthiæ.* p. 83.				
II. ULRICUS, Com. de *Heimburg.*				
Liberi.				
FRIDERICUS. p. 83.				
HERMANNUS. *ibid.*				
Anonyma. p. 84.				
Maritus.				
ALB. III. Com. *Gorit.*				
MARGARETHA. *ibid.*				
III. AGNETIS marit. ROMANUS, qui eam deſeruit.				
5) FRIDERICUS II. de quo infra.				
6) CONSTANTIA. p. 81. - -	1212. 6. *Maii.*	In *Miſnia.*	1262. 7. *Iul.*	*Cell. vet.* ad (*Freyb.*
Maritus.				
HENRICUS III. March. *Miſniæ.*				
Liberi.				
ALBERTUS *Degener*, Landgr. *Thuring.*				
DIETRICUS *Sapiens*, March. *Miſn.*				
7) GERTRUDIS - - -	1214. 7. *Ian.*	- - -	ante 1248.	Loc. incogn.
Maritus.				
HENRICUS *Raſpo*, Landgr. *Thuring.*				
XII. FRIDERICUS II. *Bellicoſus*, ſtirpis *Babenbergicæ*, Dux *Auſtr.* ultimus. -	1211. 15. *Iun.*	- - -	1246. 15. *Iun.*	Ad *S. Cruc.*
Uxores.				
I. GERTRUD. quæ & AGNES. p. 54. ſeq.	- - -	- - -	1226. 13. *Apr.*	Ibid.
II. SOPHIA, LASCARIS, *Græcor.* Imp. fil. repudiata 1229.				
III. AGNES, OTTONIS, *Meran.* D. fil. iterum repudiata.				

LIBRI II.

TABULA NECROLOGICA
DUCUM AUSTRIÆ,
AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM,
A
RUDOLPHO I. R. R. AD USQUE ALBERTUM II.
COGNOMENTO SAPIENTEM,
IN SECTIONES DUAS DIVISA.

SECTIO I.
RUDOLPHI I. R. R. PROGENIES.

I. RU-

Tab. II. Sect. I.	Nativit.	Obitus.		Sepultura	
	Tempus.	*Locus.*	*Tempus.*	*prior.*	*hodierna*
I. RUDOLPHUS, ex Comite *Habsburg.* Rex *Rom.* I. p. 91. seqq. -	1218. 1. (*Maii.*	*Spiræ.*	1291. 15. *Iul.*	- - -	*Spiræ.*
Uxores.					
I. GERTRUDIS, post coronationem ANNA vocata. - -	- - -	*Wiennæ.*	1281. 16. *Feb*	*Basileæ.*	S. BLASIO (*nig. silv.*
Filii.					
1) ALBERTUS I. R. R. de quo Sect. II.					
2) HARTMANNUS, Landgr. *Alsat.* p. 101. seq. - -	circa 1259.	circ. *Rhenov.*	1281. 20. (*Dec.*	*Ibid.*	Ibid.
Sponsa.					
IOANNA, EDUARDI I. Reg. *Angliæ* fil. pag. 109. 112.					
3) RUDOLPHUS II. Dux *Austr.* p. 105. seqq. - -	circa 1270.	*Pragæ.*	1290. 11. (*Maii.*	- - -	*Pragæ* ad (S. VIT.
Uxor.					
AGNES, OTTOCARI, Reg. *Bohem.* filia. p. 109. seq. -	1271.	Ibid.	1296. 17. (*Maii.*	- - -	Ibid. ad S. (CLAR.
Filius.					
IOANNES, *Parricida.* p. 128. seq. - - -	1290.	*Pisis.*	1313. 13. (*Dec.*	- - -	*Pisis.*
4) CAROLUS, infans. p. 100. -	1276. 14. (*Febr.*	*Rhenofeldæ*	1276.	*Basileæ.*	In S. BLA- (SIO.
Filiæ RUDOLPHI.					
1) MECHTILDIS. p. 113. seq. -	- - -	*Monachii.*	1304. 23. (*Dec.*	- - -	*Fürsten-* (*veld.*
Maritus.					
LUDOVICUS *Severus*, Com. *Palat.* D. *Bav. ibid.*					
Liberi.					
RUDOLPHUS.					
LUDOVICUS.					
2) AGNES. p. 115. seq. - -	- - -	- - -	1322.	- - -	*Witteberg.*
Maritus.					
ALBERTUS II. Dux *Saxoniæ. ib.*	- - -	- - -	1297.	- - -	Ibid.
3) HEDWIGIS. p. 116. seq. -	- - -	- - -	1303.	- - -	Loc. incog.
Maritus.					
OTTO *Parvus*, March. *Brandenburg. ibid.* - -	- - -	- - -	- - -	- - -	In monast. (*Lenin.*
4) CATHARINA. p. 117. -	- - -	- - -	1283.	- - -	*Landishut.*
Maritus.					
OTTO, inferioris *Bav.* Dux.					
Liberi.					
RUDOLPHUS. p. 47. 48. -	- - -	- - -	1280.	- - -	*ad S. Cruc.*
HAINRICUS. *ibid.* - -	- - -	- - -	Eodem.	- - -	Ibid.
5) CLEMENTIA. p. 117. seq. -	- - -	*Neapoli.*	1295.	- - -	*Neapoli.*
Maritus.					
CAROLUS *Martellus*, CAROLI *Claudi, Siciliæ* R. fil. *ibid.* -	1271.	Ibidem.	Eodem.	- - -	Ibid.
Liberi.					
CAROLUS, *Hung.* Rex. 117. *nota* e.					
CLEMENTIA. *ibid.*					
6) GUTTA. pag. 119. seq. -	1271. 17. (*Mart.*	*Pragæ.*	1297. 16. *Iun.*	- - -	*Pragæ.*
Maritus.					
WENCESLAUS, OTTOCARI, Reg. *Boh.* fil. *ibid.* - -	1271.	- - -		- - -	- - -

Tab. II. Sect. II.	Nativit.	Obitus.		Sepultura	
	Tempus	*Locus.*	*Tempus.*	*prior.*	*hodierna*
Liberi.					
OTTOCARUS. pag. 119. -	1288.	- - -	1288. 19. *Oct.*	- - -	- - -
WENCESLAUS. *ibid.* - -	1289.	- - -	- - -	- - -	- - -
AGNES. - - -	1289.	- - -	- - -	- - -	- - -
ANNA. - - -	1290.	- - -	- - -	- - -	- - -
ELISABETHA. - -	1292.	- - -	- - -	- - -	- - -
GUTTA. - - -	1293.	- - -	- - -	- - -	- - -
IOANNES I. - -	1294.	- - -	1294.	- - -	- - -
IOANNES II. - -	1295.	- - -	1295.	- - -	- - -
MARGARETHA. - -	1296.	- - -	- - -	- - -	- - -
N. N. quocum in puerperio obiit. - - -	1297.	- - -	1297.	- - -	- - -
II. RUDOLPHI I. uxor AGNES, alio etiam nomine ELISABETHA, seu ISABELLA, de eius sepultura & obitu nil nobis constat.					

SECTIO II.
PROGENIES ALBERTI I. IMP.

I. ALBERTUS I. RUDOLPHI I. R. R. filius, Dux *Austr.* ac postea *Romanor.* Imp. pag. 122. seq. -	- - -	In *Kœnigsveld.*	1308. 1. *Maii*	*Wettingæ.*	*Spiræ.*
Uxor.					
ELISABETHA, MAINHARDI IV. Comit. *Tyrolis*, & *Goritiæ* filia. p. 143. seq. - - -	1263.	*Vindobon.*	1313. 28. *Oct.*	*Vindob.* & (*Kœnigsveld.*	S. BLASIO (in *silv. nig.*
Filii.					
1) RUDOLPHUS III. Rex *Bohem.* 150. seq. - -	circ. 1285.	*Pragæ.*	1307. 14. *Iul.*	- - -	*Prag.* ad S. (VIT.
Uxores.					
1. BLANCA, PHILIPPI III. *Galliæ* R. fil. 149. seq. - -	- - -	*Vindob.*	1305. 19. (*Mart.*	- - -	*Vindob.* ad (FF. *Min.*
Infantulus.					
Anonymus. *ibid.* -	1304. ex- (eunt.	*Ibid.*	1304.	- - -	ibid.
II. ELISABETHA, WENCESL. IV. *Boh.* R. vidua. 154. -	- - -	- - -	1335.	- - -	*Brunnæ.*
2) FRIDERICUS *Pulcher*, Imp. 154. seq. - - -	ante 1292.	*Gutteſtein.*	1330. 13. *Ian.*	- - -	*Maurbach* (in *Austr.*
Uxor.					
ELISABETHA, IACOBI II. Reg. *Arrag.* fil. 151. seq. -	- - -	*Vindob.*	1330. 12. *Iul.*	- - -	*Vindob.* ad (FF. *Min.*
Liberi.					
FRIDERICUS infans. 146. -	- - -	- - -	1321. aut seq.	*Kœnigs-* (*veld.*	ad S. BLAS.
ELISABETHA virgo. 154. seq.	- - -	- - -	1336. 23. *Oct.*	- - -	ap. patrem.
ANNA, Comitissa *Goritiæ*, ac postea Abbatissa ad S. CLARAM *Vindobonæ.* 159. seq. -	- - -	in monast.	1343. 14. *Dec.*	- - -	*Vindob.* ad (S. CLAR.
Maritus.					
IOANNES HENRICUS, Comes *Goritiæ.* Ibid. - -	- - -	- - -	1338.	- - -	- - -
3) LEOPOLDUS I. *Glorioſus*, D. *Auſtriæ.* 136. - -	circa 1292.	*Argentorat.*	1326. 28. (*Febr.*	*Kœnigsv.*	in S. BLAS.
Uxor.					
CATHARINA, AMADÆI V. D. *Sabaudiæ* fil. 141. -	- - -	- - -	1336. 30. *Sept.*	ibid.	ibid.

Liberi.

Tab. II. Sect. II.	Nativit.	Obitus.		Sepultura	
	Tempus	*Locus.*	*Tempus.*	*prior.*	*hodierna*
Liberi.					
CATHARINA de *Cuſſino.* 141. ſeq. - -	- - -	- - -	1349. 28. *Sep.*	*Kœnigsv.*	in S. BLAS.
Mariti.					
I. ENGUERRANUS de *Cuſſino.*					
Filius.					
ENGUERRANUS.					
II. CONRADUS, Comes *Hardegg.* - -	- - -	- - -	eod.	- - -	- - -
AGNES, Duciſſa *Swidnic.* 148.	1321. aut	- - -	1392. 2. *Febr.*	- - -	*Swidnic.*
Maritus.	(ſeq.				
BOLESLAUS IV. D. *Swidnic.* & *Iaurin.* ibid.					
4) ALBERTUS II. de quo tab. ſeq.					
5) HENRICUS, cognom. *Placidus.* 138. ſeq. - -	1299. *Oct.*	*Muræpont.*	1327. 3. *Febr.*	*Græc.* & (*Kœnigsv.*	ad S. BLAS.
Uxor.					
ELISABETHA de *Virnenburg.* 142. - -	- - -	*Kœnigsv.*	1343. 14. *Sep.*	*Kœnigsv.*	ibid.
6) MAINHARDUS infans. 126. -	1300.	- - -	poſt 1301.	- - -	*Tuln.* in (*Auſtr.*
7) OTTO *Audax*, ſive *Hilaris.* 160. ſeq. - -	1301.	*Vindob.*	1339. 17. *Feb.*	*Vindob.*	*Neuberg.*
Uxores.					
I. ELISABETHA, STEPHANI Infer. *Bav.* D. fil. 163. -	- - -	ibid.	1330. 25. (*Mart.*	- - -	ibid.
Liberi.					
FRIDERICUS II. Dux *Auſtr.* 165. - -	1327. 10. (*Febr.*	- - -	1344. 13. *Dec.*	- - -	ibid.
LEOPOLDUS II. Dux *Auſtr.* 165. ſeq. - -	1328.	- - -	*Eod.* 10. *Aug.*	- - -	ibid.
II. ANNA, CAROLI IV. Imp. ſoror. 164. ſeq. - -	1323. 27. (*Mart.*	- - -	1338. 3. *Nov.*	- - -	ibid.
Filiæ ALBERTI I. *Imp.*					
1) ANNA, natu maior. 127. ſeq.	- - -	- - -	1327. *Octob.*	*Uratislaw.*	*Pragæ.*
Mariti.					
I. HERMANNUS *Longus*, March. *Brandenb.*					
II. HENRICUS VI. D. *Wratislaw.* 127.					
2) AGNES, Regina *Hung.* 139. 141. ſeq. - -	circa 1280.	*Kœnigsv.*	1364. 11. *Iun.*	*Kœnigsv.*	ad S. BLAS.
Maritus.					
ANDREAS III. Rex *Hungariæ.*					
Privigna AGNETIS					
ELISABETHA, monialis in in *Tœs.* 139. ſeq.					
3) ELISABETHA, Duciſſa *Lotharingiæ.* 144. ſeq. - -	- - -	*Nanceii.*	1352. 19. *Maii*	*Nanceii* & (*Kœnigsv.*	ad S. BLAS.
Maritus.					
FRIDERICUS IV. Dux *Lotharingiæ.* ibid.					
4) CATHARINA, Duciſſa *Calabriæ.* 126. ſeq. - -	1295. *Oct.*	*Neapoli.*	1324. 15. *Ian.*	- - -	*Neapoli.*
Sponſus.					
HENRICUS VII. Imperator.					
Maritus.					
CAROLUS, Dux *Calabriæ.*					

5) GUTTA,

Tab. II. Sect. II.	Nativit.	Obitus.		Sepultura	
	Tempus	*Locus.*	*Tempus.*	*prior.*	*hodierna*
5) GUTTA, Comitiſſa de *Oetting.* 137. ſeq. - -	- - -	*Vindob.*	1329. 5. *Mart*	*Kœnigsv.*	In S. BLAS.
Maritus. LUDOVICUS Senior, Comes de *Oetting.*					
De reliquis in infantia extinctis nihil conſtat. 132. -	- - -	- - -	- - -	- - -	*Tulnæ.*

LIBRI III.

TABULA NECROLOGICA
DUCUM AUSTRIÆ,
AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM,
AB
ALBERTO II. SAPIENTE, AD USQUE ERNESTUM FERREUM,
LINEÆ STYRENSIS PROPAGATOREM.
SECTIONIBUS TRIBUS EXHIBITA.

SECTIO I.
ALBERTI II. SAPIENTIS PROGENIES.

Tab. III. Sect. I.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
ALBERTUS II. *Sapiens*, qui & *Contractus*, ALBERTI I. Imp. filius. 166. ſeqq. - -	- - -	1298. *Dec.*	*Vindob.*	1358. 20. *Iul.*	*Gemnic.* in (*Auſtr.*
Uxor. IOANNA, ULRICI, Comit. *Ferret.* ultimi, fil. 169. - -	*Baſileæ.*	1300.	Ibidem.	1351. 15. (*Nov.*	Ibid.
Liberi. 1) RUDOLPHUS IV. D. *Auſtr.* 176. ſeqq. 183. ſeq. - -	- - -	1339.	*Mediolani.*	1365. 17. *Iul.*	*Vindob.* ad (S. STEPH.
Uxor. CATHARINA, CAROLI IV. Imp. fil. 188. - -	- - -	1342.	- - -	1395. 25. (*April.*	ibid.
2) CATHARINA, monialis ad S. CLARAM *Vindob.* 202. -	- - -	Eod.	In monaſt.	1381. 10. *Ian.*	*Vindob.* ad (S. CLAR.
3) MARGARITHA. 203. - -	- - -	1346.	in *Morav.*	1366. 14. *Ian.*	*Brunæ.*
Mariti. I. MAINHARDUS V. Com. *Tyrol.* & *Gorit.* ibid. - -	- - -	an. incógn.	- - -	1363. 13. *Ian.*	- - -
II. IOANNES HENRICUS, March. *Morav.* ibid.					
4) FRIDERICUS III. iuvenis. 187.	- - -	1347.	*Vindob.*	1362. 10. (*Dec.*	ad S. STEPH.
5) ALBERTUS III. de quo Sect. ſeq.					
6) LEOPOLDUS III. de quo Sect. III.					

TAB. III. SECT. II.
ALBERTI STEMMA, IN LADISLAO POSTH. EXTINCTUM.

ALBERTUS III. dictus *cum Trica.* 179. - - -	- - -	1349. aut ſeq.	*Laxenburg.*	1395. 29. *Aug.*	ad S. STEPH

Uxores

Tab. III. Sect. II.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Uxores.					
I. ELISABET. CAROLI IV. Imp. fil. 170. deceſſit improlis. - -	*Pragæ.*	an. incert.	- - -	1373. 19. *Sep.*	*Gemnic.*
II. BEATRIX, FRIDERICI IV. Burgg. *Norimb.* fil. 188. -	- - -	- - -	- - -	1414. 10. *Iun.*	ad S. STEPH.
Filius.					
ALBERTUS IV. dictus *Mirabilis.* 181. ſeq. - - -	- - -	1377. 21. (*Sept.*	*Cl. Neob.*	1404. 14. *Sep.*	Ibid.
Uxor.					
IOANNA *Bavara.* 189. ſeq. -	- - -	- - -	- - -	1410. 15. (*Nov.*	Ibid.
Liberi.					
1) MARGARETHA, Duciſſa *Bavar.* 214. ſeq - -	- - -	- - -	in *Bavaria.*	1447. 24. *Dec.*	*Reitenhaslach.*
Maritus.					
HENRICUS *Dives*, Dux Inf. *Bav.* 214. - -	- - -	- - -	- - -	1450.	Ibid.
2) ALBERTUS V. Dux *Auſtr.* Imperator poſtea eius nominis Secundus. 217. ſeq. - -	- - -	1397. 10. (*Aug.*	In *Hungar.* (villa *Long.*	1439. 27. *Oct.*	*Albæ Reg.*
Uxor.					
ELISABETHA, SIGISMUNDI Imp. fil. 220. ſeq. - -	- - -	- - -	In *Hung.*	1442. 19. *Dec.*	Ibid.
Liberi.					
1) GEORGIUS infans. 178. ſeq. - - -	- - -	1431.	- - -	1435. 16. *Feb.*	ad S. STEPH.
2) ANNA, Duciſſa *Saxon.* 221. ſeq. - - -	- - -	1432.	*Sax.* in *Ecardsberg.*	1462. 13. (*Nov.*	*Reinhardsbrun.*
Maritus.					
WILHELMUS III. *Saxon.* Elect. 222.					
3) ELISABETHA, Reg. *Polon.* 223. ſeq. - -	- - -	circa 1438.	- - -	1503. 3. *Aug.*	*Cracov.*
Maritus.					
CASIMIRUS III. ſeu IV. an. 1454. 223. - -	- - -	- - -	- - -	1492.	- - -
4) LADISLAUS *Poſthumus*, *Hung.* & *Boh.* R. 343. - -	*Comor.*	1440. 22. (*Febr.*	*Pragæ.*	1457. 23. (*Nov.*	ad S. VIT.
Sponſa.					
MAGDALENA, CAROLI VII. *Gall.* R. fil.					

TAB. III. SECTIO III.

LEOPOLDI III. PROGENIES, AD HÆC USQUE TEMPORA PROPAGATA.

LEOPOLDUS III. cognom. *Probus*, D. *Auſtr.* ALBERTI II. *Contracti* filius. - -	- - -	1351. *Apr.*	*Sempach.*	1386. 9. *Iul.*	*Kœnigsv.* ad S. BLAS. translat.
Uxor.					
VIRIDA, ſeu VIRIDIS, BARNABONIS, Vice-Comitis filia, ducta 1366. p. 203. ſeq. --	- - -	- - -	*Sittich.*	1414.	monaſt. *Sittich.*
Liberi.					
1) WILHELMUS. 184. ſeqq. -	- - -	circa 1370.	*Vindob.*	1406.	ad S. STEPH.
Uxor.					
IOANNA CAROLI *Parvi*, R. *Neap.* fil. 186. - -	- - -	- - -	*Neapoli.*	1435. 2. *Febr.*	*Neapoli.*
2) LEOPOLDUS IV. *Craſſus*, & *Superbus* cognom. 191. ſeq.	- - -	1371.	*Vindob.*	1411. 3. *Iun.*	ad S. STEPH.

Tab. III. Sect. III.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Uxor.					
CATHARINA, UX. PHILIP. *Audacis*, Ducis *Burgund.* fil. -					
3) ERNESTUS *Ferreus*, de quo tab. seq.					
4) ELISABETHA virgo. 190. -	- - -	circa 1378.	*Markdu-*	1392.	adS. STEPH.
Sponsus.			*(ring.*		
HENRICUS, Comes *Gorit.* ibid.					
5) FRIDERICUS IV. *Tyrolens.* dictus *cum vacua pera.* 206.					
seqq. - - -	- - -	1382. aut seq.	- - -	1439.24.*Iun.*	*Stams* in *Tyrol.*
Sponsa.					
CILIOLA, *Carrariæ* Ducis fil 1384. p. 209.					
Uxores.					
I. ELISABETHA, RUPERTI Imp. fil. 1406. p. 207. - -	- - -	- - -	- - -	1409.31.*Dec.*	Ibid.
Filia.					
ELISABETHA. ibid. - -	- - -	1409. 27. *(Dec.*	- - -	1409.28.*Dec.*	Ibid.
II. ANNA, *Brunsuic.* 207.					
seq. - - -	- - -	- - -	- - -	1432. 9.*Aug.*	Ibid.
Liberi.					
1) MARGARITHA. - -	- - -	- - -	- - -	1424.	Ibid.
2) SIGISMUNDUS *Tyrolensis* A. A. - -	- - -	1424. 28. *(Iun.*	*Oenipont.*	1496.4*Mart.*	Ibid.
Uxores.					
I. ELEONORA, IACOBI II. *Scot.* R. fil. 208. -	- - -	- - -	- - -	1480. 20. *(Nov.*	Ibid.
II. CATHARINA, ALBERTI *Animosi* D. *Sax.* filia, quæ post ERICO I. D. *Brunsw.* nupsit. p. 212. - -	- - -	- - -	- - -	1524.	*Mundæ.*
Liberi.					
Legitimos suscepit nullos. 212.					
Naturales.					
CLEMENS a *Greiffenstein.* 212.					
SIGISMUNDUS *Liber*, dictus Dux. Ibid.					
IOANNES *Verrenstein.* ib.					
LUDOVICUS. ibid.					
Fœminæ. Ibid. seq.					
URSULA, UX. DIETRICI a *Metri.*					
ELISABETHA, RUDOLPHI a *Griessen* UX.					
MARGARETHA, nupta CHRISTIANO *Clamerer.*					
CHRISTNA.					
CÆCILIA MARGARETHA, THOMÆ *Pernsteteri* UX.					
MARGARITHA, coniux PETRI *Pollingeri.*					
ANNA, IOANNIS *Weissen, Lucernens.* UX.					
3) WOLFGANGUS. p. 207. -	- - -	- - -	- - -	1426.16.*Feb.*	*Stams.*
4) HEDWIGIS. ibid. - -	- - -	- - -	- - -	1427.21.*Feb.*	Ibid.

LIBRI

LIBRI IV.
TABULA NECROLOGICA
DUCUM, ARCHIDUCUMQUE,
AUGUSTA GENTE HABSBURGICA SATORUM,
AB
ERNESTO FERREO, LEOPOLDI III. FIL. AD USQUE PHILIP. PULCH.
CASTILIÆ REGEM,
LINEÆ HISPANO - AUSTRIACÆ AUCTOREM,
TRIBUS ITIDEM SECTT. EXHIB.

SECTIO I.
ERNESTI FERREI PROGENIES,
AD HÆC USQUE TEMPORA PROPAGATA.

Tab. IV. Sect. I.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
ERNESTUS *Ferreus*, LEOPOLDI III. *Probi*, Ducis *Auſtr.* fil. qui ſolus inter fratres heredes maſculos reliquit. 225. ſeqq. - -	- - -	1377.	*Muræpont.* (in *Styr.*	1424. 10. *Iun.*	*Runæ.*
Uxores.					
I. MARGARITHA, BOGESLAI V. *Pommer.* D. fil. 227. ſeq. -	- - -	- - -	- - -	1410.	Ibid.
II. CIMBURGA, ZIEMOVITI, *Maſſoviæ* D. fil. 229. ſeq. -	- - -	- - -	*Durnitz.*	1429. 28. *Sep.*	*Campilil.*
Liberi.					
1) FRIDERICUS *Placidus*, de quo Sect. II.					
2) MARGARETHA, Duciſſa *Saxoniæ.* 233. ſeq. -	- - -	circa 1416.	- - -	1486. 12. *Feb.*	*Altenburg.*
Maritus.					
FRIDERICUS *Placidus*, D. & Elect. *Sax.* ibid.					
3) ALBERTUS VI. *Prodigus.* 195. ſeq. - - -	- - -	1418.	*Vindob.*	1463. 2. *Dec.*	ad S. STEPH.
Uxor.					
MECHTILD. fil. LUDOV. IV. D. *Palat. Rheni*, ac vidua LUDOV. II. D. *Wirtemb.* 236. ſeq. - -	- - -	- - -	*Heidelberg.*	1462. 21. *Sep.*	*Tubingæ.*
4) CATHARINA, March. *Bad.* 235. ſeq. - -	- - -	circa 1420.	- - -	1493. 11. *Sep.*	*Badowilæ.*
Sponſus.					
FRIDERICUS *Placidus*, qui ſupra. 236.					
Maritus.					
CAROLUS I. Marchio *Badenſ.* 235. ſeq.					
5) ANNA. 232. - -	- - -	- - -	- - -	1429. 11. *Nov.*	*Neoſtad.*
6) ERNESTUS. ibid. -	- - -	- - -	- - -	1432. 10. (*Aug.*	Ibid.
ALEXANDRA, RUDOLPHUS, LEOPOLDUS, ante patrem mortui, de quibus extra ſepulturam nil conſtat. -	- - -	- - -	- - -	- - -	Ibid.

SECTIO II.
FRIDERICI PLACIDI PROGENIES.

FRIDERICUS III. *Placidus*, ERNESTI *Ferrei* fil. *Rom.* Imperator. 238. ſeqq. - - -	- - -	1415. 21. (*Sept.*	*Lincii.*	1493. 19. *Aug.*	*Vindob.* ad (S. STEPH.
					Uxor.

Tab. IV. Sect. II.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Uxor.					
ELEONORA, EDUARDI, *Luſitaniæ* R. fil. 260. ſeqq. - -	- - -	1434. 8. (*Sept.*	- - -	1476. 3. *Sept.*	*Neoſtad.*
Liberi.					
1. CHRISTOPHORUS, Archid. *Auſtr.* - - -	- - -	1455. 16. (*Nov.*	- - -	1456. 21. (*Mart.*	Ibid.
2. MAXIMILIANUS I. de quo Sect. III.					
3. HELENA, alias etiam ELEONORA. 259. ſeq. - -	*Vindob.*	1460. 3. (*Nov.*	*Vindob.*	1461. 28. *Feb.*	Ibid.
4. CHUNEGUNDA, Duciſſa *Bavar.* 263. - - -	*Neoſtad.*	1465. 16. (*Mart*	*Monachii.*	1520. 6. *Aug.*	In æde B. (M. V.
Maritus.					
ALBERTUS IV. D. *Bavariæ.* ibid. - -	- - -	- - -	- - -	1508.	- - -
5. IOANNES, Archid. *Auſtr.* 260.	*Neoſtad.*	1466. 9. (*Aug.*	*Vindob.*	1467. *Febr.*	*Neoſtad.*

SECTIO III.
MAXIMILIANI I. IMP. PROGENIES.

MAXIMILIANUS I. Imp. FRIDERICI *Placidi* fil. 263. ſeq. - -	*Neoſtad.*	1459. 22. (*Mart.*	*Welſii.*	1519. 12. *Ian.*	*Neoſtad.*
Sponſa.					
ANNA *Britannica.* 277. 289.					
Uxores.					
I. MARIA, *Burgundica*, CAROLI *Audacis* fil. 275. 284. ſeqq. -	- - -	1458. 12. (*Febr.*	*Brugis.*	1482. 28. (*Mart.*	*Brugis.*
Liberi.					
1. PHILIPPUS *Pulcher*, de quo tab. ſeq.					
2. MARGARETHA, Gubernatrix *Belgii.* 292. ſeq. - -	*Bruxell.*	1480. 10. (*Ian.*	*Mechlin.*	1530. 1. *Dec.*	*Burgis Se-* (*guſ.*
Sponſus.					
CAROLUS, Delphin. *Galliæ* Rex VIII. 277. 293.					
Mariti.					
I. IOANNES, *Arragonius* Princeps. 293. - -	- - -	- - -	- - -	1497.	- - -
Filius.					
Immaturo partu editus.					
II. PHILIBERTUS, D. *Sabaud.*	- - -	- - -	- - -	1505. 10. *Sept.*	ibid.
3. FRANCISCUS, A. A. p. 290. -	- - -	1481. 2. (*Sept.*	*Bruxell.*	1481. 26. (*Dec.*	ad S. IACOB.
II. BLANCA MARIA, *Mediolanenſ.* 210. 289. - -	- - -	1472.	- - -	1511. 1. *Ian.*	*Stams.*
Liberi naturales in ſtatu viduit. procreati.					
GEORGIUS ab *Auſtr.* Epiſcopus *Brixin. Leodin.* ac *Valentin.* Archiep. -	- - -	- - -	*Leodii.*	1557. 5. *Maii*	*Leodii.*
LEOPOLDUS, Præſul *Cordubenſ.*					
MAXIMILIANUS de *Amberg.* 292.					
Uxor.					
ELISABETHA, CYRIACI de *Polheim* vidua.					
ANNA, nupſit LUDOVICO *Marcano*, Dom. de *Walperges* & *Herlemont.*					

DOROTHEA,

Tab. IV. Sect. III.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
DOROTHEA, ux. IOANNIS, *Oſtfriſiæ* Comitis.					
ELISABETHA, aliis ANNA, ux. LUD. II. Com. de *Marca*, Dom. *Novicaſtri*, & *Rochefort.*					
MARGARITHA, nupta Comiti *Hillio* ac *Thauræ.*					
N. uxor Comitis *Helfenſteinii.*					
BARBARA, monialis *Silvæ Ducis*, an una ex prioribus mutato nomine?					

LIBRI V.

TABULA NECROLOGICA
ARCHIDUCUM,
EX LINEA HABSBURGO-AUSTRIACA,
A
PHILIPPO I. PULCHRO, CASTIL. REG. MAXIMIL. I. FILIO,
AC LINEÆ HISPANO-AUSTR. SATORE
AD USQUE
CAROLUM II. EIUSDEM STIRPIS REGEM ULTIMUM.
IN SECTIONES SEX DISTRIBUTA.

SECTIO I.
PHILIPPI I. PROGENIES.

PHILIPPUS I. *Pulcher*, Rex *Caſtiliæ*, MAXIMIL. I. Imp. fil. lineæ *Hiſp. Auſtr.* auctor. - -	*Brugis.*	1478. 21. (*Iun.*	*Burgis Se-* (*guſ.*	1506. 25. *Sep.*	*Granatæ.*
Uxor.					
IOANNA, FERDINANDI *Catholici* fil. ac omnium regnorum heres. 299. ſeqq. - -	- - -	1479. 6. (*Nov.*	*Tordeſillæ.*	1555. 13. *Apr.*	ibid.
Liberi.					
1) ELEONORA, Infans *Hiſpan.* 323. - -	*Lovanii.*	1498. 24. (*Nov.*	*Badaioz.*	1558. 17. *Feb.*	*Eſcurial.*
Mariti.					
I. EMANUEL, *Luſitaniæ* Rex. ibid.					
II. FRANCISCUS I. *Galliæ* Rex. ibid.					
2) CAROLUS I. Infans *Hiſpan.* poſtea Imp. V. de quo Sect. II.					
3) ISABELLA, Infans *Hiſp.* pag. 300. ſeq. - -	*Bruxell.*	1501. 18. (*Iul.*	*Swynard*, prope *Gand*	1526. 19. *Ian.*	*Gandæ.*
Maritus.					
CHRISTIERNUS II. *Dan.* & *Suec.* R. ibid.					
Liberi.					
IOANNES p. 302. not. a. -	- - -	- - -	- - -	- - -	ibid.
DOROTHEA.					
CHRISTINA.					
4) FERDINANDUS, poſtea Imp. de quo Tab. VI.					

Tab. V. Sect. I.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
5) MARIA, Infans *Hiſp.* pag. 323. - -	*Bruxell.*	1505. 17. (*Sept.*	*Cigales.*	1558. 18. *Oct.*	*Eſcurial.*
Maritus.					
LUDOVIC. II. R. *Hung.* ibid.					
6) CATHARINA poſthuma, Inf. *Hiſp.* 321. - -	*Turræcre-* (*mat.*	1507. 14. (*Ian.*	*Ulyſſipon.*	1578.	Dubius.
Maritus.					
IOANNES III. *Luſitaniæ* Rex. ibid. - -	- - -	- - -	- - -	1557. 11. *Iun.*	- - -
Liberi.					
MARIA, PHILIPPI II. ux. de qua Sect. III.					
IOANNES, maritus IOANNÆ, CAROLI V. fil. de qua Sect. ſeq.					
Ceteri - - -					

SECTIO II.
CAROLI V. IMP. PROGENIES.

CAROLUS, PHILIPPI I. *Caſtellæ* R. fil. inter Impp. V. *Hiſpaniarum* Rex, eius nominis I. 309. ſeqq. -	*Gandæ.*	1500. 25. (*Febr.*	*Extremad.* (ad S. IUST.	1558. 21. *Sep.*	*Pantheon.*
Uxor.					
ISABELLA, EMANUELIS, *Luſitaniæ* Regis filia. p. 313. ſeq. -	- - -	- - -	*Toleti.*	1539. 1. *Maii.*	Ibid.
Liberi.					
1) FERDINANDUS, Infans *Hiſpan.* 328. ſeq. - -	- - -	- - -	- - -	1530.	*Eſcurial.*
2) IOANNES. ibid. - -	- - -	- - -	- - -	1532.	Ibid.
3) PHILIPPUS, patris ſucceſſor, de quo Sect. ſeq.					
4) MARIA, MAXIMIL. II. uxor, de qua Tab. VII.					
5) IOANNA, poſtea monialis. 336. - -	*Madriti.*	1537. 27. (*Iun.*	*Madriti.*	1578.	*Madrit.* ad (S. CLAR.
Maritus.					
IOANNES, IOANNIS III. *Luſit.* R. fil. - - -	- - -	- - -	- - -	1554. 2. *Ian.*	- - -
Filius.					
SEBASTIANUS poſthumus. 336.					
Naturales.					
MARGARETHA, ex nobilii *Flandra.* 334. ſeq. - -	- - -	1522.	*Tortonæ.*	1586. 31. *Ian.*	*Placent.* ad (S. SIXT.
Mariti.					
I. ALEXAND. de *Medices*, Dux *Florent.*					
II. OCTAVIUS, *Farneſ.* D. *Parm.* & *Placent.*					
IOANNES ab *Auſtr.* ex BARBARA de *Blomberg*, nob. *Ratiſpon.* 327. - -	- - -	1547. 24. (*Febr.*	*Namurci.*	1578. 1. *Oct.*	*Eſcurial.*
Filiæ nothæ.					
ANNA, ex MARIA *Mendozia.* 328.	- - -	- - -	- - -	1630.	- - -
IOANNA, ex DIANA *Phalanga*, nobili *Surretina.* -	- - -	- - -	- - -	Eod.	- - -

SECTIO

SECTIO III.
PHILIPPI III. HISP. REG. PROGENIES.

Tab. V. Sect. III.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
PHILIPPUS II. *Hiſpaniarum* Rex, CAROLI V. Imp. fil. 314. - *Uxores.*	*Valliſolet.*	1527. 21. (*Maii.*	In palatio (*Scorial.*	1598. 13. *Sep.*	*Pantheon.*
I. MARIA, IOANNIS III. *Luſitan.* R. fil. 321. - - *Filius.*	- - -	1527. 15. (*Oct.*	*Valliſolet.*	1545. 12. *Iul.*	*Eſcurial.*
CAROLUS, Infans *Hiſpan.* 324. ſeq. - -	*Valliſolet.*	1545. 8. (*Iul.*	*Madrit.*	1568. 24. *Iul.*	ibid.
II. MARIA, HENRICI VII. *Angl.* R. fil. & heres. 335. ſeq. -	- - -	1516. 8. (*Febr.*	- - -	1558. 17. (*Nov.*	*Weſtmo-* (*naſt.*
III. ISABELLA, HENRICI II. *Gall.* R. fil. 322. - - - *Liberi.*	- - -	1546.	*Madrit.*	1568. 13. *Oct.*	*Eſcurial.*
1. ISABELLA CLARA EUGENIA, ux. ALBERTI *Pii*, MAXIMIL. II. fil. de qua Tab. VII.					
2. CATHARINA, pag. 337. - *Maritus.*	- - -	1567. 10. (*Oct.*	*Taurini.*	1597. *Nov.*	*Taurini.*
CAROLUS PHILIBERTUS, D. *Sabaud.*					
Fœtus maſculus immaturus. 322. - - -	- - -	1568.	- - -	- - -	- - -
IV. ANNA, MAXIMILIANI II. Imp. filia. - - - - *Liberi.*	*Zigaliæ.*	1549. 2. (*Nov.*	- - -	1580. 26. *Oct.*	*Pantheon.*
1. FERDINANDUS, Infans *Hiſp.* 329. - - -	- - -	1571. 4. (*Dec.*	*Hiſpali.*	1578. 18. *Oct.*	*Eſcurial.*
2. CAROLUS LAURENTIUS. ib. ſeq. - - -	*Villa Cala-* (*pæ.*	1573. 12. (*Aug.*	*Madrit.*	1575. 30. *Iun.*	ibid.
3. DIEGO, ſeu IACOBUS. 329. -	*Madrit.*	1575. 12. (*Iul.*	- - -	1582. 21. (*Nov.*	ibid.
4. PHILIPPUS, Rex poſtea III. de quo Sect. ſeq.					
5. MARIA. 329. - -	Ibid.	1580. 14. (*Febr.*	*Madrit.*	1583. 4. *Aug.*	ibid.

SECTIO IV.
PHILIPPI III. HISP. REG. PROGENIES.

PHILIPPUS III. *Hiſp.* Rex, Secundi ex coniuge IV. fil. 315. - *Uxor.*	*Madrit.*	1578. 13. (*Apr.*	*Madrit.*	1421. 31. (*Mart.*	*Pantheon.*
MARIA MARGARETHA, CAROLI A. A. *Styrenſ.* filia. 317. 499. - *Liberi.*	*Græcii.*	1584. 25. (*Dec.*	In palatio (*Scorial.*	1611. 3. *Oct.*	ibid.
1. ANNA MARIA MAURITIA, Inf. *Hiſp.* p. 338. - *Maritus.*	*Valliſolet.*	1601. 22. (*Sept.*	S. GERMA. (in *Laia.*	1666. 20. *Ian.*	S. DIONYS.
LUDOVICUS XIII. *Gall.* Rex. ibid. *Liberi.*					
LUDOVICUS XIV. ibid. Ceteri.					
2. MARIA, Infans *Hiſp.* 329.	ibid.	1603. 1. (*Febr.*	*Valliſolet.*	1603. 1. (*Mart.*	*Eſcurial.*

Tab. V. Sect. V.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
3. PHILIPPUS, Rex *Hiſp.* poſtea IV. de quo Sect. ſeq.					
4. MARIA ANNA. ux. poſtea FERDINANDI III. Imp. de qua Tab. VIII. Sect. IV.					
5. CAROLUS Inf. *Hiſp.* 325. -	*Madriti.*	1627. 5. *Sep.* ſtil. vet.	*Madrit.*	1632. 30. *Iul.*	*Eſcurial.*
6. FERDINANDUS, Archiepiſc. *Toletan.* S. R. E. Card. & Gubernat. *Belgii.* 325. -	*Lermæ.*	1609. 16. (*Maii.*	*Bruxell.*	1641. 9. *Nov.*	Ibid.
7. MARGARITHA FRANCISCA. Inf. *Hiſp.* 330. -	*Madrit.*	1610. 24. (*Maii.*	*Madrit.*	1617. 11. vel (12. *Mart.*	Ibid.
8. ALPHONSUS MAURITIUS, Inf. *Hiſp.* ibid. -	Palatio (*Scorial.*	1611. 22. (*Sept.*	- - -	1612. 16. *Sep.*	Ibid.

SECTIO V.

PHILIPPI IV. HISP. REG. PROGENIES.

PHILIPPUS IV. Rex *Hiſpaniarum*, tertii filius. pag. 315. - -	*Valliſolet.*	1605. 8. (*April.*	*Madrit.*	1665. 17. *Sep.*	*Pantheon.*
Uxores.					
I. ELISABETHA, ſeu ISABELLA, HENRICI IV. *Galliæ* Regis fil. 317. - - -	- - -	1602. 22. (*Febr.*	ibid.	1644. 8. *Oct.*	ibid.
Liberi.					
1. MARIA MARGARETHA, Inf. *Hiſp.* 330. - -	*Madrit.*	1621. 14. (*Aug.*	ibid.	1621. 15. *Aug.*	*Eſcurial.*
2. MARGARITHA MARIA CATHARINA. 331. -	ibid.	1623. 25. (*Nov.*	ibid.	1623. 22. *Dec.*	ibid.
3. MARIA I. de *Præſentatione* dicta. ibid. - -	ibid.	1625. 21. (*Nov.*	ibid.	1627. 21. *Iul.*	ibid.
4. ISABELLA THERESIA *de los Sanctos* nomine. ibid. -	ibid.	1627. 31. (*Oct.*	ibid.	1627. 1. *Nov.*	ibid.
5. BALTHASAR CAROLUS. 326. - -	ibid.	1629. 17. (*Oct.*	*Cæſar-Aug.*	1646. 9. *Oct.*	ibid.
6. FRANCISCUS FERDINANDUS. 331. - - -	- - -	- - -	*Iſaſi.*	1634. 12. *Mart.*	ibid.
7. ANNA ANTONIA. ibid. -	ibid.	1636. 17. (*Ian.*	*Madrit.*	1636. 5. *Dec.*	ibid.
8. MARIA THERESIA. 338. -	ibid.	1638. 20. (*Sept.*	*Verſal.*	1683. 20. *Iul.*	S. DIONYS.
Maritus.					
LUDOVICUS XIV. *Franciæ* Rex.					
II. MARIA ANNA, FERD. III. Imp. filia. 318. - -	*Neoſtad.*	1635. 24. (*Dec.*	*Madrit.*	1696. 16. (*Maii.*	*Pantheon.*
Liberi.					
1. MARGARITHA THERESIA, LEOPOLDI Imp. ux. de qua Tab. VIII. Sect. V.					
2. MARIA II. Inf. *Hiſp.* 331. -	*Madrit.*	1655.	- - -	In cunis.	*Eſcurial.*
3. PHILIPPUS PROSPER. ibid. -	ibid.	1657. 18. (*Nov.*	*Madrit.*	1661. 1. *Nov.*	ibid.
4. CAROLUS THOMAS. ibid. -	ibid.	1658. 23. (*Dec.*	- - -	- - -	ibid.
5. CAROLUS, poſtea Rex II. de quo Sect. ſeq.					
6. Anonyma. - - -	ibid.	1662. *Nov.*	- - -	- - -	ibid.
Naturales.					
IOANNES ab *Auſtria*, ex MARIA *Calderona*, comica, Gubernator *Belgii.* 332.	- - -	1629. 7. *Ap.*	*Madrit.*	1679. 17. *Sep.*	*Pantheon. Filia.*

Tab. V. Sect. V.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Filia.					
CATHARINA ISABELLA, ex nobili *Hiſpana.* -	- - -	- - -	*Bruxell.*	1714. 26 *Nov.*	*Bruxell.*
IOANNES alter ab *Auſtria*, † infans.					
ISIDORUS ab *Auſtria*, Mag. Magiſter *Caſtil.* Ord. *Melit.* deſignatus. -	- - -	- - -	- - -	1634.	1634.
Ceteri.					

SECTIO VI.

CAROLUS, LINEÆ HISPANO-AUSTRIACÆ ULTIMUS, CUM UXORIBUS.

CAROLUS II. PHILIPPI IV. fil. R. *Hiſpan.* - -	- - -	1661. 6. (*Nov.*	- - -	1700. 1. *Nov.*	*Pantheon.*
Uxores.					
I. MARIA ALOYSIA, ſeu LUDOVICA, PHILIPPI I. *Aurelian.* D. fil. 324. - -	- - -	1662. 27. (*Mart.*	*Madrit.*	1689. 12. *Feb.*	*Eſcurial.*
II. MARIA ANNA, PHILIP. WILHELMI, Com. *Palatino-Neob.* & Elect. fil. ibid. - -	- - -	1667. 28. (*Oct.*	*Quadalax.*	1740. 16. *Iul.*	ibid.

LIBRI VI.

TABULA NECROLOGICA ARCHIDUCUM AUSTRIÆ EX LINEA GERMANICA, A FERDINANDO I. IMP. PHILIPPI PULCHRI FILIO, AD USQUE MAXIMILIANUM II. IMP. EIUSQUE POSTEROS.

FERDINANDI I. IMP. PROGENIES.

FERDINANDUS I. Imperator, PHILIPPI I. *Pulchri*, *Caſtil.* Reg. fil. 340. ſeq. - -	*Alcalæ.*	1503. 10. (*Mart.*	*Viennæ.*	1564. 25. *Iul.*	*Pragæ.*
Uxor.					
ANNA, ULADISLAI, *Hung.* R. filia. 346. - - -	- - -	1503. 23. (*Iul.*	*Pragæ.*	1547. 27. *Ian.*	ibid.
Liberi.					
1. ELISABETHA, Archid. *Auſtr.* 354. - - -	[*Lincii.*	1526. 9. (*Iun.*	*Vilnæ* in (*Lithuan.*	1545. 15. *Iun.*	*Vilnæ* ad S. (STANISL.
Maritus.					
SIGISMUNDUS II. *Pol.* R. ib.					
2. MAXIMILIANUS, poſtea Imp. II. de quo Tab. ſeq.					
3. ANNA, Archid. *Auſtr.* 354. ſeq. - - -	*Pragæ.*	1628. 7. (*Iul.*	*Monachii.*	1590. 15. *Oct.*	*Monach.* in (æde B.V.
Maritus.					
ALBERTUS V. D. *Bavar.* ib.					
4. FERDINANDUS, A. A. Com. *Tyrol.* 356. ſeq. -	*Lincii.*	1529. 14. (*Iun.*	- - -	1595. 24. *Ian.*	*Oenipont.*
Uxores.					
I. PHILIPPINA *Welſera* 360.	*Aug. Vind.*	- - -	*Oenipont.*	1580. 24. (*April.*	ibid.
Liberi.					
ANDREAS ab *Auſtria*, Cardinal. 362. -	- - -	(*Maii.* 1558. 16.	*Romæ.*	(*Nov.* 1600. 12.	*Romæ.*

Tab. VI.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
CAROLUS ab *Auſtr.* Marchio *Burgov.* 364. - *Uxor.*	- - -	1560.	*Uberling.*	1618. 31. *Oct.*	*Ginzburg.*
SIBILLA, WILHELMI D. *Iuliacenſ.* fil. 365.	- - -	1557. 26. (*Aug.*	*Oenipont.*	1627. 16. *Dec.*	ibid.
II. ANNA CATHARINA, WILHELMI D. *Mantuæ* filia. 365. ſeq. - - *Filia.*	- - -	1566. 17. (*Ian.*	ib. in mon. (*Servar.*	1621. 3. *Aug.*	*Oenip.* in (mon. *Serv.*
ANNA CATHARINA. ib. -	- - -	1584. 15. (*Iun.*	ibid.	1649. 2. *Mart*	ibid.
ANNA, UX. MATHIÆ Imp. Vid. Tab. VII.					
5. MARIA, Archiduc. *Auſtriæ.* 355. - - - *Maritus.*	*Pragæ.*	1531. 15. (*Maii.*	*Diſſeldorp.*	1546. 5. *Ian.*	*Diſſeldorp.*
WILHELMUS, Dux *Iuliacenſis.* ibid.					
6. MAGDALENA monialis. 367. ſeq. - - -	*Viennæ.*	1532. 14. (*Aug.*	*Halæ* ad (*Oenum.*	1590. 10. *Sep.*	*Halæ* ad (*Oenum.*
7. CATHARINA, Archid. *Auſt.* 373. ſeq. - - *Mariti.*	ibid.	1533. 25. (*Sept.*	*Lincii.*	1572. 28. *Feb.*	S. FLO- (RIAN.
I. FRANCISCUS III. *Mantuæ* Dux. ibid.					
II. SIGISMUNDUS II. R. *Pol.* qui eam repudiavit. ib.					
8. ELEONORA, Archid. *Auſtr.* 355. - - - *Maritus.*	ibid.	1534. 2. (*Nov.*	*Mantuæ.*	1594. 5. *Aug.*	*Mant.* eccl. (S. I.
WILHELMUS, *Mantuæ* Dux. ibid.					
9. MARGARETHA monialis. 369. - - -	*Oenipont.*	1536. 16. (*Febr.*	*Haſegg.*	1567. 12. (*Mart.*	*Halæ* ad (*Oenum.*
10. IOANNES, Archid. *Auſtr.* 211. - -	*Pragæ.*	1538. 10. (*Apr.*	*Oenipont.*	1539. 20. (*Mart.*	*Stams.*
11. BARBARA, Archid. *Auſtr.* 356. - - *Maritus.*	*Viennæ.*	1539. 30. (*Apr.*	*Ferrariæ.*	1572. 19. *Sep.*	*Ferrar.*
ALPHONSUS II. *Ferrariæ* Dux. ibid.					
12. CAROLUS, lineæ *Styrenſis* propagator, de quo Tab. VIII.					
13. URSULA, Archid. *Auſtr.* 311. - -		(*Iul*			
14. HELENA monialis. 369.	*Neoſtad.*	1541. 24.	*Oenipont.*	1543. 30. *Apr.*	*Stams.*
15. IOANNA, Archid. *Auſtr.* 346. 356. - -	*Viennæ.*	1543. 7. (*Ian.*	*Halæ* ad (*Oenum.*	1574. 5. (*Mart.*	*Halæ* ad (*Oenum.*
	Pragæ.	1547. 24. (*Ian.*	*Florent.*	1578. 6. *Apr.*	*Florentiæ.*

LIBRI VII.

TABULA NECROLOGICA POSTERORUM MAXIMILIANI II. IMPERATORIS,

AD USQUE

CAROLUM ARCHIDUCEM, DUCEMQUE STYRIÆ.

MAXI-

Tab. VII.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Locus.*	*Locus.*
MAXIMILIANUS II. Imperator, FERDINANDI I. filius. 344. ſeq. -	*Vindob.*	1527. 1. (*Aug.*	*Ratispon.*	1576. 12. *Oct.*	*Prag.* ad D. (VIT.
Uxor.					
MARIA, CAROLI V. Imp. filia. 336. ſeq. - -	*Madrit.*	1528. 21. (*Iun.*	*Madrit.*	1603. 26. *Feb.*	*Madrit.* S. (CLAR.
Liberi.					
1. ANNA, PHILIPPI II. *Hiſp.* Reg. uxor IV. de qua ſupra Tab. V. *Sect.* III.					
2. FERDINANDUS, Archid. *Auſtriæ.* 193. - -	*Zigaliæ.*	1551. 28. (*Mart.*	*Vindob.*	1552. 25. *Iun.*	*Vindob.* S. (STEPH.
3. RUDOLPHUS, Rex *Hung.* & *Boh.* ac poſtea Imp. eius nominis II. cœlebs. 347.	*Vindob.*	1552. 18. (*Iul.*	ibid.	1612. 20. *Ian.*	*Prag.* D. (VIT.
Filiæ nothæ.					
CAROLINA. 349. ſeq. -	- - -	- - -	*Mechliniæ.*	1662. 12. *Ian.*	An non (*Pragæ?*
ELISABETHA CONSTANTIA &c. monialis. 350. -	- - -	- - -	*Vindob.*	- - -	*Vindob.* S. (CLAR.
DOROTHEA, ſeu ANNA, monialis. 337. - -	- - -	circa 1611.	*Madrit.*	- - -	*Madrit.* (S. CLAR.
4. ERNESTUS, Archid. *Auſtr.* Gubernator *Belg.* 375. ſeq. -	*Vindob.*	1553. 15. (*Iun.*	*Bruxell.*	1595. 20. *Feb.*	*Bruxell.*
5. ELISABETHA, Archid. *Auſtr.* 381. - -	ibid.	1554. 5. (*Iun.*	*Vindob.*	1592. 12. *Ian.*	*Vindob.* S. (CLAR.
Maritus.					
CAROLUS IX. *Galliæ* Rex.					
6. MARIA I. Archid. *Auſtr.* 194. 386. - -	ibid.	1555. 27. (*Iul.*	*Lincii.*	1556. 25. *Iul.*	*Lincii.*
7. MATHIAS Imperat. ac, fratre RUDOLPHO ſine herede decedente, regnorum, & imperii ſucceſſor. 383. ſeq. 390. - -	ibid.	1557. 24. (*Febr.*	*Vindob.*	1619. 20. (*Mart.*	*Vindob.* ad (PP. *Capuc.*
Uxor.					
ANNA, FERDINANDI A. A. Comit. *Tyrol.* ex uxore II. fil. 391. -	- - -	1585. 4. (*Oct.*	ibid.	1618. 18. *Dec.*	ibid.
8. Fœtus abortivus maſculus. 386. - -	*Vindob.*	1557. 20. (*Oct.*	- - -	- - -	- - -
9. MAXIMILIANUS III. Ordinis *Teut.* Magiſter. 384. ſeq. -	*Neoſtad.*	1558. 12. (*Oct.*	ibid.	1618. 2. *Nov.*	*Oenipont.*
10. ALBERTUS VII. cognom. *Pius*, Princeps *Belgii.* 375. ſeqq. - -	ibid.	1559. 13. (*Nov.*	*Bruxell.*	1621. 16. *Iul.*	*Bruxell.*
Uxor.					
ISABELLA CLARA EUGENIA, PHILIPPI II. *Hiſp.* R. filia. 379. ſeq. -	*Segoviæ.*	1566. 12. (*Aug.*	ibid.	1633. 1. *Dec.*	ibid.
11. WENCESLAUS, A. A. 325. ſeq. - - -	*Neoſtad.*	1561. 9. (*Mart.*	*Madrit.*	1578. 22. *Sep.*	*Eſcurial.*
12. FRIDERICUS, A. A. 211. -	*Lincii.*	1562. 21. (*Iun.*	*Oenipont.*	1563. 16. *Ian.*	*Stamſ.*
13. MARIA II. A. A. 193. -	*Neoſtad.*	1564. 19. (*Febr.*	*Vindob.*	1564. 26. (*Mart.*	*Vind.* ad S. (STEPH.
14. CAROLUS. A. A. 192. -	*Vindob.*	1565. 27. (*Sept.*	ibid.	1566. 23. (*Maii.*	ibid.
15. MARGARETHA, A. A. monialis. 337. - -	ibid.	1567. 25. (*Ian.*	*Madrit.*	1633. 5. *Iul.*	*Madrit.* ad (S. CLAR.
16. ELEONONA A. A. 350. -	ibid.	1568. 4. (*Nov.*	*Pragæ.*	1568. 1. *Mart.*	*Prag.* ad S. (VIT.

LIBRI VIII.

TABULA NECROLOGICA

ARCHIDUCUM AUSTRIÆ LINEÆ STYRENSIS,

SATORE CAROLO II. FERDINANDI I. IMP. FILIO,
LEOPOLDI III. PROBI, D. AUSTR. ATNEPOTE,
AD HÆC USQUE TEMPORA
SECTIONIBUS OCTO PRODUCTA.

Tab. VIII. Sect. I.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
CAROLUS II. Archid. *Auſtr.* FERDINANDI I. Imp. filius, *Græcenſ.* ſeu *Styr.* dictus, pag. 478. ſeqq. - *Uxor.*	*Vindob.*	1540. 3. (*Iul.*	*Græcii.*	1590. 10. *Iul.*	*Seccov.* in (*Styr.*
MARIA, ALBERTI V. *Bav.* Ducis filia. 490. - - *Liberi.*	- - -	- - -	Ibid.	1608. 29. (*Apr.*	*Græcii.*
1. FERDINANDUS primus. 488. ſeq. - -	*Iudenburg.*	1571. 15. (*Iul.*	*Iudenburg.*	1571. 1. *Aug.*	*Seccovii.*
2. ANNA, Regina *Polon.* 493. ſeq. - - *Maritus.*	*Græcii.*	1573. 16. (*Aug.*	*Varſav.*	1598. 1. *Febr.*	*Cracov.*
SIGISMUNDUS III. *Polon.* & *Suec.* Rex. ibid. *Liberi.*					
ANNA MARIA. 493. -	*Varſav.*	1593. 23. (*Iunii.*	Ibid.	1600.	
ANNA CATHARINA. ibid. -	*Stockolm.*	1594. 2. (*Maii.*	- - -	1594.	
ULADISLAUS IV. patris ſucceſſor. ibid. -	*Cracov.*	1595. 9. (*Iunii.*			
CATHARINA. ibid. -	- - -	1596. 26. (*Sept.*	- - -	1597.	
CHRISTOPHORUS. 494. -	*Varrſav.*	1598. 1. (*Febr.*	*Varſav.*	1598. 1. *Febr*	cum matre.
3. MARIA CHRISTIERNA, monialis. 497. - -	- - -	1574. 10. (*Nov.*	*Halæ* ad (*Oenum.*	1621. 6. *Apr.*	*Halæ.* ad (*Oen.*
4. CATHARINA RENATA, ſponſa Ducis *Parmenſ.* 486. -	*Græcii.*	1576. 4. (*Ian.*	*Græcii.*	1595. 29. (*Iun.*	*Seccovii.*
5. ELISABETHA. 488. - -	ibid.	1577. 13. (*Mart.*	ibid.	1586. 29. *Ian.*	ibid.
6. FERDINANDUS ſecundus, de quo Sect. III. - -					
7. CAROLUS. 489. -	ibid.	1579. 17. (*Iul.*	ibid.	1580. 17. (*Maii.*	ibid.
8. GREGORIA MAXIMILIANA, PHILIPPI III. R. *Hiſp.* ſponſa. 486. - -	ibid.	1581. 22. (*Mart.*	ibid.	1597. 20. (*Sept.*	ibid.
9. ELEONORA, monialls. 498. -	ibid.	1582. 25. (*Sept.*	*Halæ* ad (*Oenum.*	1620. 28. *Ian.*	*Hal.* ad (*Oen.*
10. MAXIMIL. ERNEST. Ord. *Teut.* Magiſter. 485. -	ibid.	1583. 17. (*Nov.*	*Græcii.*	1616. 18. (*Febr.*	*Seccovii.*
11. M. MARGARETHA, PHIL. III. *Hiſp.* R. uxor, de qua Tab. V. Sect. IV.					
12. LEOPOLDUS V. de quo infra Sectione II.					
13. CONSTANTIA, Regina *Poloniæ.* 494. ſeq. -	ibid.	1588. 24. (*Dec.*	*Viazdoviæ.*	1631. 10. *Iul.*	, *Cracoviæ.* *Maritus.*

Tab. VIII. Sect. I.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Maritus.					
SIGISMUNDUS III. qui ſupra.-	- - -	- - -	- - -	1633.	*Cracov.*
Liberi.					
IOANNES CASIMIRUS.					
496. - -	- - -	1609. 21. (*Mart.*	In *Gallia.*	1673.	ibid.
IOANNES ALBERTUS, Ep. *Cracov.* S. R. E. Card.					
ibid. - -	- - -	1612.			
FERDINANDUS CAROLUS, Ep. *Vratislav.* ibid. -	- - -	1613.	- - -	1655. 9. (*Maii.*	
ALEXANDER. ibid. -	- - -	1614.			
ANNA CATHARINA. ibid. -	- - -	- - -	*Coloniæ.*	1651.	*Diſſeldorp.*
Maritus.					
PHIL. WILH. Princeps *Neoburg.*					
14. MARIA MAGDALENA. 498. ſeq. - -	*Græcii.*	1589. 7. (*Oct.*	*Pataviæ.*	1631. 1. *Nov.*	*Florentiæ.*
Maritus.					
COSMUS II. Mag. D. *Etrur.*					
ibid. - -	- - -	- - -	- - -	1621. *Mar-* (*tio.*	ibid.
Liberi.					
FERDINANDUS II. patris ſucceſſor.					
MARGARITHA, ODUARDI, D. *Parm.* ux.					
ANNA, ux. FERD. CAROLI Archid. *Auſtr.* de qua Sect. II.					
IOANNES CAROLUS, S. R. E. Card.					
LEOPOLDUS FRANCISCUS.					
MATHIAS.					
COSMUS.					
15. CAROLUS IOSEPHUS, poſthum. Ord. *Teut.* Magiſter, ac Ep. *Uratislav.* & *Brixin.*					
500. - -	*Græcii.*	1590. 7. (*Aug.*	*Madriti.*	1624. 26. (*Dec.*	In *Eſcuria-* (*li.*

SECTIO II.

STEMMA LEOPOLDI V. ARCHID. AUST. LINEÆ TYROLENS.

PROPAGATORE, IN FERDINANDO CAROLO EXTINCTUM.

LEOPOLDUS V. A. A. *Tyrolenſ.*					
CAROLI *Styrenſ.* fil. 502. ſeq. -	*Græcii.*	1586. 9. (*Oct.*	*Suazii.*	1632. 13. (*Sept.*	*Oeniponti* ad SS. Trinitat.
Uxor.					
CLAUDIA *Medicea*, FERDINANDI I. M. D. *Etrur.* filia, ac vidua FRIDERICI D. *Urbinenſ.* 503.					
505. ſeq. - -	*Florent.*	1604. 4. (*Iun.*	*Oeniponti.*	1648. 25. (*Dec.*	ibid.
Liberi.					
1. MARIA ELEONORA. 506. -	- - -	1627. 12. (*Febr.*	- - -	1629.	ibid.
2. FERDINANDUS CAROLUS. 504. ſeq. - -	*Oenipont.*	1628. 17. (*Maii.*	*Kaldarn.*	1662. 30. (*Dec.*	ibid.
Uxor.					
ANNA *Medicea*, COSMI II. M. D. *Etrur.* fil. 505. 510.	- - -	1616. 26. (*Iul.*	*Viennæ.*	1676. 11. (*Sept.*	*Vind.* ad PP. *Dominic.*
					Liberi.

Tab. VIII. Sect. II.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
Liberi.					
CLAUDIA FELICITAS, ux. LEOP. I. de qua Sect. V.					
Anonyma. 507. 508. -	*Oenipont.*	1654. 17. (*Iul.*	*Oenipont.*	1654. 17. *Iul.*	*Oenipont.* ad SS. Trin.
MARIA MAGDAL. 506. 508. - -	ibid.	1656. 17. (*Aug.*	ibid.	1669. 21. *Ian.*	ibid.
3. ISABELLA CLARA, CAROLI III. Ducis *Mant.* uxor. 508. -	*Oenipont.*	1629. 12. (*Aug.*	*Mantuæ.*	1685. 25. *Feb.*	*Mant.* ad S. (URSUL.
4. SIGISMUNDUS FRANCISCUS. 504. -	*Græcii.*	1630. 18. (*Nov.*	*Oenipont.*	1665.	ibid.
Sponsa.					
HEDWIGIS AUGUSTA, filia CHRISTIANI AUGUSTI, Com. *Palatini Solisbac.*					
5. MARIA LEOPOLDINA, uxor FERDINANDI III. Imp. de qua infra Sect. IV.					

SECTIO III.

FERDINANDI II. IMP. PROGENIES.

FERDINANDUS II. CAROLI A. A. filius, postea Imp. - -	*Græcii.*	1578. 9. (*Iul.*	*Vindob.*	1636. 15. *Feb.*	*Græc.* in facell. S. CA- (THAR.
Uxores.					
I. MARIA ANNA, WILH. V. *Bav.* D. filia. 514. - -	*Monachii.*	1574. 8. (*Dec.*	*Græcii.*	1616. 8. *Mart.*	ibid.
Liberi.					
1. CHRISTINA. 489. -	*Græcii.*	1601. 12. (*Iun.*	ibid.	1601. 12. *Iun.*	*Seccovii.*
2. IOANNES CAROLUS. 515. -	- - -	1605. 1. (*Nov.*	ibid.	1619. 26. *Dec.*	*Græcii* ap. (parentes.
Sponsa.					
MARIA, PHILIP. III. *Hisp.* Reg. filia.					
3. FERDINANDUS, postea Imp. de quo Sect. seq.					
4. MARIA ANNA, Duciss. *Bav.* 517. - - -	*Græcii.*	1610. 13. (*Ian.*	*Monachii.*	1665. 25. *Sep.*	*Monach.* in (templ. S.I.
Maritus.					
MAXIMILIANUS I. Elect. *Bav.* D. ibid. -	- - -	- - -	ibid.	1651. 27. *Sep.*	ibid.
Liberi.					
FERD. IGNAT. MARIA. ibid. - -	*Monachii.*	1636. 31. (*Oct.*			
MAXIMIL. PHILIPPUS. ibid. - -	ibid.	1638. 30. (*Sept.*			
5. CÆCILIA RENATA, Regina *Polon.* 519. - -	*Græcii.*	1611. 16. (*Iul.*	*Vilnæ.*	1644. 14. (*Mart.*	*Cracoviæ.*
Maritus.					
ULADISLAUS IV. *Pol.* & *Suec.* Rex. ibid.					
Liberi.					
SIGISMUNDUS CASIMIRUS. ibid. -	- - -	1640. 1. (*April.*	- - -	1647. 9. *Aug.*	- - -
MARIA ANNA ISABEL. Fœtus immaturus.					
6. LEOPOLDUS WILHELM. Ord. *Teut.* Magister. 394. 521. -	*Neostad.*	1614. 6. (*Ian.*	*Vindob.*	1662. 20. *Nov.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
II. FERDINANDI II. Imp. ux. ELEONORA, *Mant.* improlis. 523. -	*Mantuæ.*	1598.	ibid.	1655. 27. *Iun.*	Ibid. ap. PP. (*Carmelit.*

SECT. IV.

SECTIO IV.

FERDINANDI III. IMP. PROGENIES.

Tab. VIII.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
FERDINANDUS III. Imp. Secundi filius. p. 391. seq. - -	*Græcii.*	1608. 13. (*Iul.*	*Vindob.*	1657. 2. *Apr.*	*Vind.* apud (PP. *Capuc.*
Uxores.					
I. MARIA, PHILIPPI III. *Hisp.* R. fil. 396. - -	In palatio (*Scorial.*	1606. 18. (*Aug.*	*Lincii.*	1646. 13 (*Maii.*	ibid.
Liberi.					
FERDINANDUS IV. Rex *Rom.* 398. - -	*Vindob.*	1633. 8. (*Sept.*	*Vindob.*	1654. 9. *Iul.*	ibid.
MARIA ANNA, PHILIP. IV. R. *Hisp.* uxor II. de qua supra Tab. V. Sect. V.					
PHILIPPUS AUGUSTINUS Archid. 397. - - -	- - -	1637. 15. (*Iul.*	- - -	1639. 22. *Iun.*	ibid.
MAXIMILIANUS THOMAS, Archid. ibid. - -	- - -	1638. 20. (*Dec.*	- - -	1639. 29. *Iun.*	ibid.
LEOPOLDUS Imp. eius nominis I. de quo Sect. seq.					
MARIA, ex utero matris secta. 396. seq.					
II. MARIA LEOPOLDINA, LEOPOLDI V. A. A. fil. 399. seq. -	*Oenipont.*	1632. 6. (*April.*	*Vindob.*	1649. 7. *Aug.*	ibid.
Filius.					
CAROLUS IOSEPHUS, Ep. *Patav. Olomuc. Uratislav.* ac Ord. *Teut.* Magister. 400. -	*Vindob.*	1649. 7. (*Aug.*	*Lincii.*	1664 27. *Ian.*	ibid.
III. MARIA ELEONORA, CAROLI II. D. *Mant.* fil. 401. -	- - -	1630. 18. (*Nov.*	*Vilnæ Aust.*	1686. 6. *Dec.*	ibid.
Liberi.					
THERESIA MARIA, Archiduc. 402. - -	*Vindob.*	1652. 27. (*Mart.*	*Vindob.*	1653. 16. *Iul.*	ibid.
ELEONORA MARIA, Archiduc. *Austr.* 403. seq. -	- - -	1653. 31. (*Maii.*	ibid.	1697. 17. *Dec.*	ibid.
Mariti.					
I. MICHAEL CORIBUT, Rex *Polon.*					
II. CAROLUS V. (aliis IV.) D. *Lotharing.*					
Liberi.					
LEOPOLD. IOSEPH. pater FRANC. I. Imp. 452. -	*Oenipont.*	1679. 11. (*Sept.*			
CAROLUS IOSEPH. Archiep. *Trevir.* -	*Vindob.*	1680. 24. (*Nov.*	ibid.	1715. 4. *Dec.*	ibid.
ELEONORA infans. 507. -	*Oenipont.*	1682. 28. (*April.*	*Oenipont.*	1682. 28. *Apr.*	*Oenipont.*
FERDINANDUS IOSEPHUS. 503. - -	ibid.	1683. 9. (*Aug.*	- - -	- - -	ibid.
IOSEPH. EMANUEL. 507. -	ibid.	1685. 20. (*Oct.*	In *Italia.*	1705. 25. *Aug.*	ibid.
Anonyma infans. ibid. -	- - -	- - -	- - -	- - -	ibid.
MARIA ANNA IOSEPHA Archiduc. 404. - -	*Ratispon.*	1654. 30. (*Dec.*	*Vindob.*	1689. 4. *Apr.*	*Vindob.* ap. (PP. *Cap.*
Maritus.					
IOAN. WILHELM. Com. *Palat. Rheni* & Elect.					
FERDINANDUS IOSEPH. ALOYS. Archid. 402. - -	*Vindob.*	(*Febr.* 1657. 11.	ibid.	1658. 16. *Iun.*	ibid.

SECTIO V.
LEOPOLDI I. IMP. PROGENIES.

Tab. VIII.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
LEOPOLDUS I. cognom. *Magnus*, FERD. III. fil. 405. ſeq. -	*Vindob.*	1640. 11. (*Iun.*	*Vindob.*	1705. 5. *Maii.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
Uxores.					
I. MARGARETHA THERESIA, PHILIPPI IV. Reg. *Hiſp.* fil. 407. -	- - -	1651. 12. (*Iul.*	ibid.	1673. 12. (*Mart.*	ibid.
Liberi.					
FERDINANDUS WENCESLAUS Archid. 409. ſeq. -	ibid.	1667. 28. (*Sept.*	ibid.	1668. 13. *Ian.*	ibid.
MARIA ANTONIA, Archid. *Bav.* Duciſſ. 410. -	ibid.	1669. 18. (*Ian.*	ibid.	1692. 24. *Dec.*	ibid.
Maritus.					
MAXIMILIANUS EMANUEL. *Bav.* D. & Elect. ibid.					
Filius.					
IOSEPHUS FERDINANDUS. - - -	ibid.	(*Oct.* 1692. 27.			
IOANNES Archid. 409. ſeq. -	ibid.	1670. 20. (*Febr.*	ibid.	1670. 20. *Feb.*	ibid.
MAR. ANNA APOLON. Archid. ibidem. - - -	Ibid.	1672. 9. (*Febr.*	Ibid.	1672. 23. (*Febr.*	Ibid.
II. CLAUDIA FELICITAS, FERD. CAROLI A. A. *Tyrol.* fil. 411. -	*Oenipont.*	1653. 30. (*Maii.*	ibid.	1676. 8. *Apr.*	Ib. ap. PP. (*Dominic.*
Liberi.		(*Sept.*			
ANNA MARIA IOSEPHA, Archiduc. 412. - -	*Vindob.*	1674. 11.	ibid.	1674. 21. *Dec.*	ap PP. *Cap.*
MARIA IOSEPHA Archid. 413. -	ibid.	1675. 11. (*Oct.*	ibid.	1676. 11. *Iul.*	ibid.
III. ELEONORA MAGDALENA THERESIA, PHIL. WILH. *Palatino-Neob.* D. fil. 414. 435. -	- - -	1655. 6. (*Ian.*	ibid.	1720. 19. *Ian.*	ibid.
Liberi.					
IOSEPHUS, Imp. poſtea hoc nomine I. de quo Sect. ſeq.					
Anonyma, aut ELEONORA nomine. 424. ſeq. -	ibid.	1679. 18. (*Iun.*	ibid.	1679. 18. *Iun.*	ibid.
MARIA ELISABETHA, Archid. *Tyrolis* primum, dein *Belgii* Gubernat. 436. -	*Lincii.*	1680. 13. (*Dec.*	*Mariemont* in *Hannon.*	1741. 26. *Aug.*	ibid.
LEOPOLDUS IOSEPHUS, Archid. 424. - - -	*Laxenb.*	1682. 2. (*Iun.*	*Enſii.*	1684. 3. *Aug.*	ibid.
MARIA ANNA, Archid. *Portugall.* Reg. 437. ſeq. -	*Lincii.*	1683. 7. (*Sept.*	In palatio (*Belemenſi.*	1754. 14. *Aug.*	*Ulyſſip.* ap. PP. *Carmel*
Maritus.					
IOANNES V. *Portugall.* Rex.					
Liberi.					
IOSEPH. FRANCISCUS, patris in regno ſucceſſor.					
Ceteri.					
MARIA THERESIA, Archiduc. 420. - - -	- - -	1684. 22. (*Aug.*	*Eberſtorf.*	1696. 28. *Sep.*	*Vind.* apud (PP. *Capuc.*
CAROLUS, poſtea Imp. hoc nomine VI. de quo Sect. VII.					
MARIA IOSEPHA, Archid. 421.	*Vindob.*	1687. 6. (*Mart.*	*Vindob.*	1703. 14. *Apr.*	Ibid.
MAR. MAGDAL. Archid. *Tyrol.* & *Belg.* Gubernatrix. 436. ſeq. - - -	ibid.	1689. 26. (*Mart.*	ibid.	1743. 1. *Maii.*	ibid.
MAR. MARGARETHA Archid. 419. ſeq. - - -	- - -	1690. 22. (*Iul.*	ibid.	1691. 22. *Apr.*	ibid.

SECTIO VI.
IOSEPHI I. IMP. PROGENIES.

Tab. VIII.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
IOSEPHUS I. Imp. LEOPOLDI M. fil. 422. ſeq. - - *Uxor.*	- - -	1678. 26. (*Iul.*	*Vindob.*	1711. 17. (*April.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
WILHELMINA AMALIA, Io. FRID. *Brunſuic.* D. filia. 469. ſeqq. - *Liberi.*	- - -	1673. 21. (*April.*	*Vindob.*	1742. 10. *Ap.*	Ibid. ap. (*Saleſianas.*
MARIA IOSEPHA, Archid. *Polon.* Reg. 473. - - *Maritus.*	*Vindob.*	1699. 8. (*Dec.*	*Dreſd.*	1757. 17. (*Nov.*	*Dreſd.*
FRIDERICUS AUGUSTUS, R. *Polon.* Dux & Elect. *Sax.*					
LEOPOLDUS IOSEPHUS IOAN. Archid. 425. - -	ibid.	1700. 29. (*Oct.*	*Vindob.*	1701. 4. *Aug.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
MARIA AMALIA, Archid. Duciſ. *Bav.* poſtea Imperatrix. 475. ſeq. - - - *Maritus.*	ibid.	1701. 22. (*Oct.*	*Monachii.*	1756. 11. (*Dec.*	*Monach.* ap. (DD. *Caiet.*
CAROLUS ALBERTUS, Dux & Elect. *Bav.* poſtea Imp. Vll. 476. - - *Liberi.*	- - -	- - -	ibid.	1745. 20. (*Ian.*	Ibid.
MARIA ANTONIA, FRID. WILH. D. *Sax.* & Elect. vidua.					
THERESIA BENEDICTA. MAXIMIL. IOSEPH. D. & Elect. *Bav.*					
IOSEPHUS LUDOVICUS.					
MARIA IOSEPHA, LUDOV. GEORGII, March. *Bada-Badenſ.* vidua.					
IOSEPHA MARIA, IOSEPHI II. Imp. ux. II. de qua Sect. VIII.					

SECTIO VII.
CAROLI VI. IMP. PROGENIES.

CAROLUS Vl. Imp. LEOPOLDI M. fil. 428. ſeq. - - *Uxor.*	*Vindob.*	1685. 1. (*Oct.*	*Vindob.*	1740. 20. *Oct.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
ELISABETHA CHRISTINA, LUDOV. RUDOLPHI, *Brunſvic - Luneb.* D. fil. 444. ſeq. - *Liberi.*	- - -	1691. 28. (*Aug.*	ibid.	1750. 21. *Dec.*	ibid.
LEOPOLD. IOAN. IOSEPHUS, Archid. *Auſtr.* ac Princ. *Aſturiæ.* 426. - -	ibid.	1716. 13. (*April.*	ibid.	1716. 4. *Nov.*	ibid.
MARIA THERESIA, omniúm regnor. & provic. heres, de qua Sect. ſeq.					
MARIA ANNA, Archid. *Belgii* Gubernatrix. 441. ſeq. - *Maritus.*	ibid.	1718. 14. (*Sept.*	*Bruxell.*	1744. 16. *Dec.*	ibid.
CAROLUS ALEXANDER, *Lotharing.* & *Barri* Dux, Gubernat. *Belg.* & poſtea Magn. *Teut.* Ord. Magiſt. *Filia.*		(*Dec.*			
Anonyma. 442. -	*Bruxell.*	1744. 16.	ibid.	1744. 16. *Dec.*	ibid.
MARIA AMALIA Archid. 427. -	*Vindob.*	1724. 5. *A*- (*pril.*	ibid.	1730. 19. *Apr.*	ibid.

SECTIO VIII.

MARIÆ THERESIÆ, IMPERATRICIS VIDUÆ PROGENIES.

Tab. VIII.	Nativitas.		Obitus.		Sepult.
	Locus.	*Tempus*	*Locus.*	*Tempus.*	*Locus.*
MARIA THERESIA, Caroli VI. Imp. fil. *Hung.* & *Bohem.* Regina, Archid. *Auſtr.* hodie glorioſe regnans.					
Maritus.					
FRANCISCUS I. Imp. *Lotharing.* & *Barri* Dux, Mag. Dux *Etruriæ.* 448. - -	*Lunevillæ.*	1708. 8. (*Dec.*	*Oenipont.*	1765.18.*Aug.*	*Vindob.* ap. (PP. *Capuc.*
Liberi.					
Maria Elisabetha Amalia, Archid. *Auſtr.* 427. 437. -	*Vindob.*	1737. 5. (*Febr.*	*Laxenb.*	1740. 8. *Iun.*	ibid.
Maria Carolina Archiduc. 433. - - -	ibid.	1740. 12. (*Ian.*	*Vindob.*	1741.25.*Ian.*	ibid.
IOSEPHUS, glorioſe nunc regnans Imp. eius nom. II.					
Uxores.					
I. Elisabetha Maria, Philippi, *Parmæ* & *Placent.* D. fil. 459. ſeq. -	- - -	1741. 31. (*Dec.*	ibid.	1763. 27. (*Nov.*	ibid.
Maria Theresia, Arch. 466. ſeq. -	*Vindob.*	1762. 20. (*Mart.*	ibid.	1770.23.*Ian.*	ibid.
Christina Archid. 461. ſeq. - -	ibid.	1763. 22. (*Nov.*	ibid.	1763. 22. (*Nov.*	ibid.
II. Iosepha Maria (aliis Maria Iosepha) Caroli VII. Imp. Elect. *Bav.* fil. 462. - -	*Monachii.*	1739. 30. (*Mart.*	ibid.	1767. 28. (*Maii.*	ibid.
Maria Christina Archid. Regia Celſitud.					
Maritus.					
Albertus, Reg. *Pol.* Princ. Dux *Saxo-Teſchin.*					
Filia.					
Maria Theresia. 467. ſeq. - -	*Vindob.*	1767. 17. (*Maii.*	ibid.	1767. 17. (*Maii.*	ibid.
Carolus, Archid. Reg. Celſ. 455. ſeq. - -	ibid.	1745. 1. (*Febr.*	ibid.	1761.18.*Ian.*	ibid.
Anonyma, aliis tamen Carolina, aut Christina vocata. 440. ſeq. - -	ibid.	1748.		1748	ibid.
Ioanna Gabriela, Archid. Reg. Celſ. 458. -	ibid.	1750. 4. (*Eebr.*	ibid.	1762.23.*Dec.*	ibid.
Iosepha, Archid. Reg. Celſit. 464. - -	ibid.	1751. 19. (*Mart.*	ibid.	1767.15.*Oct.*	ibid.
Sponſus.					
Ferdinandus IV. utriusque *Siciliæ* Rex.					
Ceteri, a quibus hæc fata longius abſint.					

TOMI IV. PARTIS PRIMÆ FINIS.

UB WIEN
+AM363354501

books2ebooks.eu

www.books2ebooks.eu

eBooks from your library by

eBooks on Demand

digitised by

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK